Calidum eſt ordine tertio, ſiccum ſecundo: urinas & menſes mouet, ut aſarum, ſed largo uſu cephalalgicum eſt.

Marcellus Verglius Florentinus hîc perperam & falſò legit, tum apud Plinium, tum apud Dioſcoridem: caule ſolijſq; anſo ſimilibus: cùm hæc herba, quam hic meon, ille meu uocat, caule & ſolijs anetho ſimilis ſit. Et ſic etiã meon interpretantur Medici recentiores, dicentes, id eſſe agreſte anethum.

Herbam, Germanis Beerwurtz dictam, quidã non malè Tordylon ſiue Seſeli Creticum affirmant.

Galen. libro 1. Antido. Galen. lib. 9. comp. ph. p. & lib. 7. Simp.

Cyperus. Cap. IIII.

CYperus, quem aliqui eryſiſceptrum, ut aſpalathum appellant, folia fert porraceis proxima, ſed longiora & exiliora: caulem odorati iunci, cubitalem aut maiorem, anguloſum, in cuius acumine minuta folia cum ſemine exoriuntur: radices, quarum in medicina eſt uſus, cohærentes inter ſe, oleis oblongis ſimiles, autrotundæ, nigro colore, ſuaui odore, amaro guſtu. In lacunoſis, paluſtribus & cultis enaſcitur. Optima eſt grauiſsima, denſa, fractu contumax, plena & aſpera, odoris cum quadam acrimonia iucundi, qualis eſt Cilicia, Syriaca, & quæ à Cycladibus inſulis petitur. Huic calida uis ineſt. Venarum ſpiracula laxat. urinam ciet, ad calculos, aquamq; ſubter cutem utiliſsimè bibitur, aduerſus ſcorpionum ictus remedio eſt. perfrictionibus uuluæ, & præcluſionibus, fotu proſunt. pellit menſes. Contra ulcera oris, etiam ſi deſt. depaſcant uorentq;, farina eius efficax eſt. Malagmatis calfacientibus, & unguentorum ſpiſſamentis bene adĩci ſolet. Aliud cyperi genus tradunt in India naſci, gingiberis effigie, quod manducatum croci uim reddit, guſtu amaro ſentitur, & illitum præſentem pſilothri uim exhibet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

GRAECIS κύπειρος & ἡ κύπειρος & ὁ ἐρυσίσκηπτρον.

Cyperus & Cypirus Latinis dicitur.

Officinæ Latinum nomen adhuc retinent.

Germani uocant, Wilde galgen/ Felckircher Galgant, ubi magna copia prouenit, etiam locis incultis.

Gallis, ſonchet & galange ſauuage.

Eryſiſceptri nomen etiam peculiare & commune eſt aſpalatho & uerbenacæ, à calathis & uirgis.


Hhh

Nam Græci κάλαθον calathum uocant, & ſportam, σκῆπτρον uerò ſceptrum & uirgam. Sicq; dictæ ſunt, eo quòd caules & uirgæ ipſorum uirides lentore ſuo in calathos, ſportas, tegetes, & id genus alia texi, & in nexus circumagi poſſint. A

Cyperis ſeu radix cyperi calefacit, ſiccat ſine morſu, ſubaſtringit, incidit, ulcera præhumida cicatrice claudit, calculos frangit, urinam & menſes mouet, oris halitum commendat, ut lignum aloës uerum.

Cyperus Indicus inter zingibris radices inuentus, Curcuma Venetijs, In Gallia uulgo terra merita dicitur. Galen. libro 1. comp. ph. p.

Curcuma.




Cyperus Babylonicus.



Adhæc oris gratiam cypirus additur tenuantibus capillos. A figura caulis, iuncus triangularis Plinio: quadratus Celſo. licet rarò hic quadrangulus: angulosus Dioſcoridi, non definito angulorum numero.

Cyperus Babylonicus galanga quibuſdam dicitur, uulgaris ſcilicet ac minor, nam maior, acorus eſſe dicta prius eſt. Eſt autem Actuario, Barbaros in multis imitato, radix ſubrubra, geniculata, intorta, grauis, ſapore acerrimo linguam admodum uellicante, calida, ſiccatertio gradu, odore & figura quadam cyperi. Coctionem iuuat, flatus diſſipat, oris halitum commendat, uenerem excitat etiam ore retẽta, cerebrum roborat naribus indita, cordis palpitationi prodeſt. Germanus Galgant wurtzel. Gallis galange dicitur. Serapio. B

Cardamomum. Caput V.



CArdamomum optimum eſt quod ex Comagene, Armenia, Boſphoroq; deuehitur. In India quoq; & Arabia prouenit. Eligi debet plenum, frangenti contumax, occluſum, farctumq; (quod enim huiuſmodi non eſt, exoletum iudicatur) & guſtu acre, ſubamarum, & odore caput tentans. Excalfactoriam uim habet, potumq; ex aqua facit ad comitiales, iſchiadicos, tuſſes, neruorum reſolutionem: item ad rupta, uulſa, tormina. Iatas uentris tineas excutit. Ex uino autem potum, renibus, difficultati urinæ, à ſcorpione ictis, neq; non omnibus uenenum uibrantibus, auxilio eſt. Cum cortice radicis lauri epota drachma calculos comminuit. partus ſuffitu enecat. ſcabiem ex aceto illitum adimit. Et ad unguentorum ſpiſſamẽta additur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis καρδάμωμον. Officinæ Latinum nomen retinuerunt.

Germanicè Cardamõmlin. Cardamomum maius, minus uerò paris Kõzner nuncupant, quemadmodum & officinæ diſtinguere ſolent.

Galli melegette, grains de paradiß. Cardamomum minus, maius uerò Latino nomine & officinis uſitato nominant.

Iacobus Syluius noſtra tempeſtate doctiſſimus medicus, contendit Cardamomum Serapionis utrumq; tam maius, quod Granum paradiſi & mellegetam uocatum putant plæriq;, quàm minus, nihil habere commune

A cum uero, id est, Dioscoridis & Galeni Cardamomo. Sed Valerius Cordus, eximiæ eruditionis iuuenis, paternis uestigijs insistens, incredibili restaurandæ medicinæ studio amoreq; flagrans, contrarium asserit, scilicet nos uerum Cardamomum hodie nõ desiderare, cùm Dioscorides fructum frangenti contumacem, non semen, intellexerit. Habet enim semen quasi in capsulis, unde Græcis capsicon nuncupatur. Vnde apud Galenum legitur: κακῶς ἀμωμον ἐξενεχθεισμένον, non quòd ab internis purgatum est, & interiore sua parte euacuatur, albo uidelicet ejecto, sed cui exterior cortex capsulæ detractus est, durus & frangenti contumax.

Cardamomum nigrum, lib. 9. comp. ph part. & 1. antido. & in theriaca, ad Pisonem.

Manardus Ferrariensis inter tria Cardamomi genera solam amaritudinem desiderat.

Nardum. Caput VI.



DVo nardi genera: unum Indicum, alterũ Syriacum appellatur, non quòd in Syria proueniat, sed quòd mõtis, in quo oritur, pars una ad Syrios, pars altera ad Indos flectitur. Ex hoc Syriaci genere præcipuum est recens & leue, largam gerẽs comam, flauum colore, peruquàm odoratum, ac cyperum redolens, breui spica, amaro sapore linguam siccante, quod diu in sua odoris gratia permaneat. Ex Indicis autem nardum quoddam Gangitis uocatur, à fluuio Gange, apud quem enascitur, montem præterfluente. quod genus ob multam loci, in quo prodit, uliginem, uiribus infirmius est, atq; procerius adolescit, plures ferens spicas ab unica radice cõmosas, unaq; conuolutas, ac grauiter olentes. Montanum autem odoratius, spica breui ac mutila, odore cypero uicino. cæteras habens Syriaci dotes. Est & genus quoddam cui Sampharitico nomen locus indidit, fruticebre ui, in magnas se spargens spicas, candidiore interim medio caule, hircorum uirus supra modum redolente, quod improbatur. Madefactũ uendi solet. quod uitium ex eo deprehenditur, quòd candida sit spica, & squalida, nulloq; pulueree obsita. Adulteratur stibio cum aqua, aut palmeo uino, inspissationis ponderisq; cauta inspirato. Intueri autem oportet, si lutum, radicibus insideat, & incerniculo puluerem excutere, eluendis manibus utilem. Vim habent excalfactoriam & exiccantem. Vrinam mouent: aluum potu sistunt, uuluę profluuia, saniem q; appositа supprimunt. Nauseę ex aqua frigida auxiliantur, & stomachi rosionibus, inflationi, iecinori, regio morbo, renum uitijs. Aquę autem incoctę fotu adinsessum, uuluę inflammationibus medentur. ad glabras oculorum genas ualent: siquidem eas ad densiorem pilum reducunt. perfusis humore corporibus inspargũtur. Miscentur antidotis, & in fictili non picato ad ocularia medicamenta reconditur, trita in farinam, & cum uino in pastillos coacta.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Νάρδος Græcè. Spica nardi, & nardus Latinè nominatur. Officinæ Latino nomine uocant. Germanis, Edelfrembd wolriechende Spicken nardi. Latino ferè nomine. Gallicè, Aspic doultremer.

Galen. libr. 8. simpli. Nardi spica & radix, calida excessu primo, sicca secundo: astringit, subacris, & leuiter amara, iecur & stomachum roborat, sumpta & admota, urinam ciet, fluxiones intestinorum, capitis, thoracis siccat.

Lib. 6. & 8. c. ph. p. Nardus igitur est mistæ substantiæ & facultatis tum digerentis, tum repellentis, & roborantis. Nardus præterea uim habet non exiguam coquendi omnes frigidas dispositiones. Ea est multiplex, præstantissima est Indica

Indica, secundo loco Gallica, post Cretica, & quæ apud nos montana ex Cilicia, & Nardina herba potius quàm nardus uocatur. Radix nardi Indicæ, & apud nos montanæ, modicè astringit. Nardus Indica quamquàm radix est, tamen etiam νάρδου σάχυς, seu cum Actuario & Hera. lib. 6 comp. pharm part. in diabesá νάρδου σάχυς, id est spica nardi, à similitudine formæ cum spica. Tamen Philo in sua antidoto Creticam nardum, uel ut alij eius augma interpretantur, Indicam, radicis falso nomine dici autumat, quoniam spica nardi nuncupatur. Nardus etiam Syriaca usurpatur in arteriace. 12. Andro. sed imbecillior est quàm Indica. A Lib. 9 c. ph p. Lib. 6. c ph. p. Lib. 1. Anti. Lib. 9 c. ph p. Gale. lib. 7. ph. par.

Fugienda nardus quæ ἑκπλυτός, id est, elota dicitur, & eligenda quæ ὄμφαξ, lingua Barbarorum, dicitur.

Spica uulgaris, odoris & saporis gratiam illam non habet, imò inter coquendum odoris est grauissimi, & ægros lædit. Est & tertius pseudonardus, quàm uera nardus. Lib. 1. Anti. Lac. Syl.

Nardum Celticum. Caput VII.



CElticum nardum nascitur in Liguriæ Alpibus, saliunca patrio nomine appellatum, prouenitque in Istria. Exiguè frutificat, & cum radicibus in manuales fasciculos componitur. Folia habet oblonga, colore in flauum languido, florem luteum. Cauliculorum & radicum duntaxat usus est, & odoris suauitas. unde pridie fasciculos aqua abluere expedit, & exempta terra pauito solo atque humenti subiecta charta reponere, postridie repurgare. siquidem utile, cum acerosо alienoque propter humoris uim non excutitur. Adulteratur imposita herba simili, quæ hirculus uocatur, ab odoris grauitate: sed facilis cognitio nanque herba candidior est, sine cauliculo, minoribus foliis, radice neque amara, neque odorata, uti uerum nardum est. Itaque radices atq; cauliculi, abiectis foliis triti secernuntur, uino excipiuntur, digeruntur q; in pastillos, & ita fictili nouo diligenter operto asseruari debent Laudatur maximè recens, iucundi odoris, radice numerosa cohærens plenum, nec fragile. Ad eadem quæ Syriacum pollet: sed uehementiùs urinam cit, & stomacho utilius est. Inflammationibus iecinoris, & felle suffusis auxiliatur. Contra stomachi inflationes, cum absinthij decocto bibitur: item aduersus lienem, renum & uesicæ uitia, & uenenatos ictus, ex uino. Additur in malagmata, potiones, & calfacientia unguenta. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis κελτικὴ νάρδος.

Latinis, qui Græcam appellationem imitantur, Celticum nardum. Officinis *Spica celtica & nardum Gallicum.*

Germanis Marien Magdalenen blůmlin.

Gallis patrio nomine, ut Dioscorides tradit, Saliunca nominatur.

Nardi Gallicæ cum radicibus & terra circundata, fasciculum unum cum alijs ad columellas laxatas adhibet Archigenes: astringit enim & digerit nardus Gallica, ambo mediocriter. Nardi Celticæ flores usurpantur apud Galenum in tertio Andromachi medicamento. Nardus autem Gallica seu Galatica, seu Celtica dicitur: nam gentem eandem Gallos, Galatas, & familiarius Celtas appellant. In Liguriæ Alpibus ea nascitur Dioscoridi. Radice igitur utilior apparet ex initio lib. 8 simpl. spica tamen non inutilis. Laudatur enim recens, leuis, larga coma, spica breui, flaua, odoratissima, cyperum redolente, diuq; in sua odoris gratia permanens, amara, linguam mordens. Gal. lib. c. phar. Lib. 6. co. ph. Ibidem. Lib. 1. Antido.

Montanum Nardum. Caput VIII.

MOntanum nardum, quod ab aliquibus thylacitis & niris appellatur, in Cilicia & Syria nascitur, surculo & foliis eryngio similibus, minoribus, minimè ta-

A men spinosis asperisq; Radicibus binis nititur, aut pluribus, nigris, odoratis, ceu hã stulę regię, sed longè gracilioribus, & longè minoribus. Neq; caulem, neq; fructum, neq; florem profert. Ad eadem ad quę Celticum efficax.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis ὀρεινὴ νάρδος. Latinis montanum nardum dicitur. Hodie hoc omnino caremus.

Asarum. Caput IX.



** Alij densioribus.*

** Abundat hæc clausula.*

ASarum, quod & ipsum aliqui syluestre nardum appellant, hederę foliis, minoribus * multò, rotũdioribusq;, floribus cytini, hyoscyami, purpureis. interfolia proximè radicem emicantibus, odoratis, in quibus semen acinosum. (*Cauliculos habet angulosos, asperos & molles) radices numerosas, geniculatas, tenues, obliquas, graminiinon dissimiles, longè tamen graciliores, odoratas, excalfacientes, & quę linguam uehementer mordent Excalfactoriam uim habet. urinam cit, hydropicis & uetusto coxendicum dolori prodest Radices semis drachmis ex aqua mulsa potæ, menses trahunt, & uetratri albi modo purgant. In unguenta additur. Vmbrosis montibus prouenit, sed plurimũ in Ponto, Phrygia, Illirico, & Italiæ Iustinensi * agro.

** Iustinensi, uidstur abundare, cùm hic autor longè ante Iustinum Cæsarem scripserit.*

NOMINA ET explicatio.

ΑΣΑΡΟΝ Græcis.

Asarum Latinis. Officinæ genuinum nomen retinuerunt.

B *Germanis* Haselwurtz. *Brabantis*, Mansooren. *Gallis Ducabaret appellatur, syllabarũ methatesi. Bachar enim uocabant olim.*

Iac. Syl. *Asarum ualet fŏlijs, flore, semine, sed efficacissimum est radice, elleborialbi modo purgatoria, Dioscor. Galenus tamen in hierapicra etiam asarum recipiente, solam aloën purgatoriã uim habere scribit, asarum uerò humores malos ad urinas deducere, uires habere radices acori, sed ualentiores.*

Galen. lib. 12. comp ph. p. & lib. 6. Simp. *Fodienda est cùm fŏlia mittere incipit, & in sole siccanda (nisi recens utenda sit) quia in umbra situm celeriter trahit & senescit, præcipuè ex locis riguis: Ex macris autem & sitientibus (quæ imprimis amat) minus est putredini obnoxia.*

Phu. Caput X.

Valeriana.



Phu

PHu, quod & aliqui syluestre nardum appellant, nascitur in Ponto, folio oluſatri, aut elaphoboſci, caule cubitali, aut altiore, leui, cauo, molli, in purpuram uergente, geniculis intercepto, florib. narciſſo proximis, maioribus, * teneris, & ex albicante purpureis: radice ſuperius ad digiti minoris craſsitudinem, ex obliquo uiloſa in nigri ueratri aut iunci odorati modum: capillamentis inuicem contextis, flauescentibus, odoratis, cum quadam odoris grauitate nardum æmulantibus. Excalfacit, urinam mouet, ſi ſicca potui detur. Decoctum eadem præſtare poteſt. ad lateris etiam dolorem efficax. menſes cit. antidotis inſeritur. Adulteratur radice ruſci ammiſta: ſed maleficium deprehenditur: quoniam hæc dura eſt, & frangenti contumax, ſine ulla odoris gratia. A * Alij minoribus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græci, Φοῦ. Latini Phu, & Nardum ſyluestrem uocant. Officinæ illius loco Valeriana utuntur. Germani, Wild Calmus/ Groß Baldrian/ & Tiriacs kraut appellant. Valerianam autem Katzenkraut/ Klein Deñmarck, & Klein Baldrian/ Valerigen.

PHV Dioſcoridis, & cæterorum Græcorum, noſtra Valeriana, quam Germani, ut diximus, Deñmarck & Baldrian appellant, plurimum exprimit, niſi florum, qui in muſcario puſilli ſunt, magnitudo deſideretur: quare aliam herbam, priorem ſcilicet, quam Galli ſimul & Germani maiorem Valerianam nominant, uerum eſſe Dioſcoridis Phu, nemo ſanæ mentis negabit, cùm deſcriptioni per omnia reſpondeat.

Malabathrum. Caput XI.

Folium Indi, quo hodie utuntur Officinæ, Mauritanus Tembulum appellatum.



MAlabathrum arbitrantur aliqui eſſe Indici nardi folium, falſi quadam odoris cognatione: permulta enim nardum olent, quẽ admodum phu, aſarum, niris. ſecus autem res ſe habet. Nanq; Malabathrum folium ſui generis eſt, quod Indicæ gignunt paludes, lentis paluſtris modo innatans aquis, ſine radice. Id collectum ſtatim lino tranſſuitur, & ſiccatum reconditur. Tradunt ſiccatis æſtiuo feruore aquis, humum aridis fruticibus uri: quod ubi non euenerit, ne amplius quidem renaſci. Laudatur recens, ex candido nigricans, integrum, nec fragile, odore caput feriens: quod diu in ſuaui odore permaneat, & nardũ ſapore imitetur, nullo ſalis guſtu. Infirmum uerò & minutim cõtuſum, præſertim ſi carioſum uirus olet, uitioſum eſt. Eaſdem nardo ſortitur uires, ſed efficacius omnia præſtat. Vrinam uehementius ciet, ac ſtomacho magis prodeſt malabathrĩ uis. Lippitudinibus inflammationibus q; tritũ & in uino feruefactum commodè illinitur: ſubditum linguæ, oris halitum & ſuauitatem commẽdat. Veſtium quoq; odorem interpoſitum ſeruat, & ab eroſione tuetur. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Φύλλον ἰνδικὸν, καὶ φύλλον μαλαβάθρου, & ſimpliciter φύλλον Græcè.

Latinis, folium Indum, & folium Malabathri.

Officinæ amiſſa & deperdita re nomen genuinum retinuerunt. Germanis, Negel bletter.

Galli Latinum nomen, quemadmodum & Germani uerbum uerbo reddentes, feulet de Inde, & feulet de Malabathre, appellant.

Malabathrum ſui generis folium, Indicæ nardo, ut odore & ſapore, ſic uiribus ſimillimum, ſed nardo efficatius. Laudatur recens ex candido nigricans, contumax frangi, integrum, odore uegeto nares feriente, & qui folio ſemoto perſiſtat. Id nunc deſijt, à quo tamen unguentum foliatum, diuitibus Romanis mulieribus frequens, eſt dictum. Deſijt & folium Syriacæ arboris, Plinio celebratum. In horum locum Mauri inuexerunt folium laurino proximum, ſed maius, & neruis tribus folium intercurſantibus diſtinctum, odore iucundo,

A *iucundo. Primum illud folium Indum dicitur Serapioni: tamen Actuarius in hedichroomagmate, folium Indicum, & folium Malabathri, ceu diuersa miscet: φύλλον ab his diuersissimum Dioscoridi describitur, uulgo Italis folium syluestre dictum. Hermol.*

Casia. Caput XII.

CAsia, cuius complura sunt genera, iuxta odoriferam Arabiam gignitur, crassi corticis sarmento, foliis piperis. Eligenda est fuluescens, pulchri coloris, coralli æmula, perquàm angusta, longa, crassa, & fistulosa, gustu mordens, & cum aliquanto feruore adstringens, aromatica, uinoso odore, cuiusmodi est, quę ab incolis achy appellatur, ab Alexandriæ negociatoribus daphnitis. Huic præfertur crassa, purpurea, & nigricans, Zigir cognomine, quæ rosam odore imitatur, præcipui in medicina usus. Secundum locum tenet antedicta. Tertia, cui Museletico blasto, id est, germini cognomen est. Reliquæ uiles, & quæ aphemum *dicitur, nigra, insuauis, corti- * Al. asyphemũ.
ce tenui, ac rimoso: & quæ darca & citto uocitatur barbaro nomine. Similior huic est pseudocasia, quàm ut explicari possit, quæ gustu coarguitur, cùm nec acris, nec odorata sit, hærenteḿq; medullæ corticem habeat. Inuenitur etiam lata quædam fistula, mollis, leuis, furculosa, quæ antedictę præfertur. Damnatur candicans, scabra, hircinum uirus redolens, & quæ tenui fistula & scabra cute sit. Vim obtinet calfaciendi, urinam ciendi, siccandi, & leuiter astringendi. Conuenit ad medicamenta oculorum, quæ præstandæ claritatis gratia concinnantur, & ad malagmata. Lentigines tollit cum melle illita, menses trahit, contra uiperarum ictus pota auxiliatur: aduersus intestinas inflammationes omneis, & renum uitia, pota proficit. Fœminis in sollio desidentibus, aut suffimentis, prodest ad dilatationem uuluæ. Ea duplo pondere medicamentis mixta, cinamomi uicem supplet, si ipsum desit: nam eosdem effectus præbet, ad plurima perquàm utilis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

B Κασία Græcè.

Casia lignea & aromatica, Latinè (est autem nostra Canella) Officinæ nomen legitimum retinuerunt.

Casia uerò genere proxima cinamomo est, quin ipsa nonnunquam ex æmulatione euadit cinamomum, ut totum quidem ueluti exacta arbor, Casia uideatur: surculi autem in ea quidem cinamomi, ramis casiæ proximi reperiantur. Optima casia in cinamomum degenerat. Vidit enim sæpe Galenus casiæ sublimis & ramosæ ac fruticis æmulæ in magnitudine surculos cinamomi surculis omnino similes, corticis tenuitate, & fir mißimis cinamomi notis in odore & gustu deprehensis.

Lib. 1. Antido. Gal. in theriacæ ad Pisonem. *Casia sæpe imponit, nisi sis in dijudicando expertus: pseudocasia enim uerę est persimilis, sed odore minus est grato, & corticem medullæ adhærentem habet. Optima autem laudatißimáq; est rufa, rosam spirans, & uinum olens, gustum dulcem præferens, fistulosa, & aromatum modo uehementer odora. Casiæ cor-*

Lib. 4. & 7. c. ph. p. κασία. ἀφνίτις. *tex Actuario etiam dicitur σύριγξ τῆς κασίας idem, Casia Aegyptia idem, in asyneritico Casia cathartica, id est, purgatrix quibusdam dicitur. ἡ σύριγξ τῆς κασίας, lib. 1. Antidotorum in compositione theriaces. Casia σύριγξ, id est, fistula, & κίρρα, id est, rufa dicitur in arteriacis Andromachi: πυρρά uerò bis lib. 6. e-*

Lib. 9. c. ph. p. Lib. 1. Antido. *iusdem. μελαίνα autem in fine lib. 7. bis, & lib. 8. ciusdem. ῥοδόζουσα denique, id est, rosam spirans, lib. 8. ξυλοκασία eadem Actuario, & Arabum alumnis casia lignea, Casiam fistulam cum Andromacho minore ad Galeni ætatem omnes theriacæ miscebant: hæc autem omnibus nota est, & comparatu facillima. Corticem uerò exteriorem (quem & fistulam dicunt) odoratu & gustatu ualentem habet: quod autem intus est, maxi-*

Lib. 8. c. pha. p. Lib. 4. c. ph. p. *mè imbecillum, ob id inutile. Aduersus putria, deleteria, uenena, proxima post cinamomum casia, quæ optima est. atq; illi cognata ualet: aromataq; cætera, nardus, iuncus odoratus, calamus, aspalathus, myrrha, crocus, eandem habent facultatem: sed Cinamomum digerit, Casia uerò & malabathri folium, & amomum astrictionem participant, Casia, crocus, costus, amomus, nardus astringunt quidem, sed magis digerunt, præsertim costus.*

Cinamomum. Caput XIII.

CInamomi genera plura, patrium sibi nomen uendicantia. Præfertur tamen Mosyliticum, quòd casiæ cui Mosyliti nomen est, aliquam conferat effigiem. Sed in eo genere recens, nigrum, ex uinoso in cinereum uergens, leue, tenuibus ramulis, ac

ac frequentibus nodis cinctum perquàm iucundè olens. Optimi ferè indicium, iucundi odoris proprietate constat. Inuenitur enim cum optimo, eoq; quod peculiare est, (* odor rutæ aut cardamomo proximus). Insuper acre, mordens, & cum calfactione quadantenus salsum, quod non citò confricanti asperum, aut frianti lanuginosum, leuibus tamen internodijs appareat. Sicertior fieri uoles, uellito ab radice surculum. facilis est huiuscemodi probatio, namq; fragmenta miscellanea quædam esse uidentur. Quæ autem melius spirant, suo halitu cùm nares primùm consulunt, olfactum explentia, deterioris dignotionem impediunt. Est etiamnum montanum, crassum, pumilum, fulueſcens admodum. Tertium à Mosylitico, perquàm suauiter olet, nigrum, fruticosum, paucis intercedentibus geniculis. Quartum, fungosum, candicans, aspectu tuberosum, uile, ac friabile, magnam habens radicem, quę casiam planè repræsentat. Quintum genus, odore nares feriens, subrufum, & corticę fuluæ casiæ simile, tangenti firmum, minus neruosum, densa radice firmatum. Iis quæ thuris, casiæ, myrti, aut amomi odorem spirant, minus suauitatis ineſt. Deligito scabrum, album, rugosum: at leue, & lignosum circa radicem, ut inutile, reijcito. Est etiamnum simile aliud, cui pseudocinnamomo cognomen est, uile, inualidi odoris, solutarumq; uirium. Vocatur etiam Zingiber, cùm tamen sit xylocinnamomū, præbens quandam cinnamomi faciem. Est autem lignosum cinnamomum, sarmenta longa * robustaq; ferens, odore longè cinnamomo inferiore. Sunt qui xylocinamomum, à cinnamomo genere differre dicant, quòd à natura eius abhorreat. Cinnamomum omne excalfacit, emollit, & concoquit, urinam ciet, tam menses quàm partus potum aut ex myrrha impositum pellit, contra bestias quæ uirus eiaculantur, uenenáq; conuenit. caliginem pupillis oculorum obuersantem discutit, crasitiem extenuat, lentigines & uitia cutis in facie ex melle illitum detergit. cõtra tusses, defluxiones aquam subtercutem fusam, renum uitia, & urinæ difficultatem efficax est, unguẽtis precijsis inseri solet. & in summa, magni ad omnia usus. Tritum uino excipitur, umbráq; siccatum, quò diutius eduret, reconditur. Est & quoddam cinnamomum, quod aliqui pseudocinnamomum appellant, perquàm denso atq; crasso sarmento, longè tamen inualidius cinnamomo, & odore & gustu. B

A

* Additum uidetur Galeno.

* Alij parua, μικρὰς pro μακρὰς.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Κιννάμωμον Græcis.

Cinnamomum Latinis & Officinis (est autem uera Græcorum Casia)

Germanicè, Zimentrörlin. Gallice, de la Canelle, appellatur.

Cinnamomum, arbor lauro, foliijs & baccis similis, & eius ramorum, non trunci, tertio quoq; anno delibrato rum cortex. Ludouicus Romanus Patricius.

Cinnamomum calidum tertio ordine, siccat autem & digerit super omnia æquè calida, propter summam ei sentiæ partium tenuitatem: propter hæc dispositionibus scirrhosis mederi solet. Idem cunctas corrigit putridas & uenenatas uires ichorum, & humorum, & lethalium pharmacorum, & ueneni uirulentarum beſtiarum. Idem sua facilitate altercatrice & digerente, & odoris gratia, præsidium est non paruum aduersus omnes prauas dispositiones, & casia, & pleraq; alia aromatum materia. Galen. libr. 7. simpli. Lib. 6. c. ph. p. in diabetesa.

Cinnamomum quia tenuissimarum est partium, uentriculi meatus aperit, quia humores crassi & lenti inhærent, tenuat & terget, ob id commodè hyeræ miscetur. Cinamomi autem facultas qualis initio adest, integra seruari nequit ad annos triginta, multò minus ad centum, uel etiam ducentos, ut quibusdam uisum est, Cinamomum senij expers putantibus. Nam id seruatum uasculis ligneis ab Imperatoribus uarijs, Traiano, Hadriano, Antonino, Commodo, Seuero, imbecillius tanto est expertus Galenus, Seuero theriacen componens, quanto uetustius: contrà tanto ualentius, quanto recentius. Nam Seuero Imperatori theriacam parare iussus, qualem Antonino Imperatori parauerat, coactus Cinamomum capere ex Traiani & Hadriani temporibus relictum, cùm nondum triginta anni præterijssent, multò inualidius expertus est. Arborem enim totam primi generis cinamomi ex Barbaria in scriniolo cubitos quatuor & semissem longo ad Antoninum allatã uidit Romæ Galenus, ex eáq; theriacen paratam alijs longè præstantiorem expertus est, ut ea etiam ante duos menses Antonino uti licuerit, non expectata medicamenti coctione. Lib. 7. c. ph. p. Lib. 8. c. pha. p. Ibidem.

Cinnamomum optimum, ijs qui id crebrò uiderunt omnium facillimè dignoscitur: & cùm principum cinamomorum sex sint differentiæ generales, optimi tamen supra deterrimum insignis est excessus, ut in Casijs, quarum tamen optima parum à prauissimo Cinamomo abest. Id autem Cinamomum est odoratissimum,

A ac indicibilem quandam odoris gratiam ſuper alia omnia refert, guſtatu admodum calidum eſt. non tamen adeò, ut moleſtè rodat: color illi eſt lacteus, cum φαιῷ, id eſt, glutino & cum cyaneo miſtus.


Gal. lib. 5. phar. Lib. 1. Antido. Cinamomum quantò Caſia ſit præſtantius, docet Galenus lib. 5. comp. ph. part. in dentifricio: Quod ſi odorum facere uis, miſce caſiæ aut amomi drachmas duas: ſi regi parás, Cinamomi drachmam unam, ubi non ſolùm caſiæ pondus duplat, ſed etiam mediocribus dicat Cinamomum regibus. Ob id penuria Cinnamomi duplum caſiæ miſcendum, omnes propemodum ueteres ſcripſerunt, uti quod pondus aliquis robuſtus ferre conſueuit, eo abſente ferant duo imbecilli. Quintus autem penuria Cinamomi multum, uti duplum, carpeſij miſcebat. Cinamomo miſcet caſiam duplicatam Actua. in paſtillo, ad ilioſos. Pſeudocinamomum uerò eſt ſimile, ob id facilè nobis imponit, ſed guſtu & odore longè eſt inferius. Xilocinamomum ligneſum eſt, ualida habet uirgulta, nec ſimilem habet ſuaueolentiam. Cinamomum omnium præſtantiſſimum eſt cinericium colore, uirgultis gracilibus, nodis frequentibus, odoratum uehementer: idq; odore longè optimo & ſuauiſſimo, guſtu acri, & admodum mordaci, & quod manſum, πτυγανίζειν, id eſt, rutam olere uideatur, leue, confringi facile: Addit ibidem ueri cinamomi genera aliquot. Vero igitur Cinamomo nos caremus, noſtra autē canella, quàm uulgo Ὑπεντερῖτιν, & officinæ Cinamomum appellant, aut Caſia eſt, aut pſeudocinamomi ſpecies. Λευκοχινάμωμον Actuario pro optimo uſurpatur.

Amomum. Caput XIIII.

AMomum exiguè frutificat, ex ligno ſecūuoluens in racemi modum, flore, cēu candidæ uiolæ, paruo: foliis uitis albæ ſimilibus. Laudatur quàm maximè Armeniacum, fuluo auri colore, ligno ſubrufo, ualde odorato. Medicum, quoniam in campeſtribus & aquoſis enaſcitur, infirmius eſſe conſtat. Eſt autem magnum, ſubuiride, tactu tenerum, frutice uenoſo, odore origani. Ponticum uerò ſubrufum, paruum, fragile, racemoſum, fructu turgens, & odore nares feriens. Deligito recens, cādidum uel ſubrubrum, quod nec aſtrictum cohæreat, nec conuoluatur, ſed ſolutum diffundatur, ſeminis plenum, uuis paruis ſimile, graue, odoratum, modò caricm non contraxerit, acre, guſtu mordens, ſimplici colore noneuariante. Vim habet calfaciendi, aſtringendi, exiccādi. Somnum allicit, & illitum fronti, doloris ſenſum aufert,

B inflammationes & meliceridas concoquit, diſcutitq;, iuuat quos ſcorpius percuſſit, ex ocimo illitum, & podagricis confert, inflammationes oculorum uiſcerumq; leuit, ex uua paſſa. ad uuluarum uitia in peſsis, aut inſeſsionibus utile eſt. decoctum iecinori, renibus, podagrę, potu conuenit. Antidotis immiſcetur, & precioſiſsimis unguentis. Adulteratur herba amomo ſimili, quæ amomis uocatur, ſed ſine odore, ſine fructu. naſcitur in Armenia, flore origani. Quare in huiuſcemodi probationibus fragmenta fugienda ſunt: eligenda autem, quæ ab una radice integros ſurculos emittunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.



Lib. 8. c. ph. p. Amomi uua ſæpe Galeno & Actuario ob id dicitur, quòd racematim uelut in uua cohæreat. Laudatur Amomum Scythicum, lib. 8. comp. ph. part. Non eſſe uerò roſam Hierichuntis, Hieroſolymitanam uulgo dictam (aut hìc depictam) apertè conuincit utriuſq; hiſtoria. Hodie paſſim deſideratur, nam quod oſtendunt officinæ, inodorum eſt. Iacobus Syluius ſcribit ſe habere ſuluum, paruum, oblongum, anguloſum, odoris dum fricatur iucundiſſimi.

Coſtus. Caput XV.

PRæcellit Arabicus, candidus, leuis, eximia odoris ſuauitate. Secundum locum ſibi uendicat Indicus, leuis, uber, ut ferula niger. Tertius eſt Syriacus, grauis, colore buxeus, & odore feriens. Optimus eſt recens, albus, abundè plenus, denſus, aridus, à teredinibus non eroſus, ſine graueolentia, guſtu calidus ac mordens. Vis ei excalfactoria. urinam ciet, menſes pellit, uitijs quæ uuluam malè habent, tam impoſitu quàm fotu & ſuffitu auxiliatur. Contra uiperarum morſus ſextantem

sextantem * bibere prodest: item aduersus pectoris dolores, conuulsa, inflationesq; ex uino & absinthio, uenerem ex mulso stimulat, latas uentris tineas ex aqua pellit, horroribus ex oleo, ante febrium accessiones, & neruorum resolutionibus oblinitur: uitia cutis in facie, cum aqua uel melle illitus, emendat. Additur in antidota & malagmata. Sunt qui admistis helenij Comageni præduris radicibus, adulterent, quod deprehensu facile est, siquidem neq; gustu feruet helenium, neq; ualidum odorem uibrat, ut caput tentare possit. A

* sextantem, quibusdam abundat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Costus subamarus, modicè astringit, acer adeò & calidus ut ulceret. D. Iac. Syl. Lugduno missus à Caroli Paludano (eius urbis iure medico primario, si Hieronymum Montuum nulli eruditione secundum excepere.) Costus præcellit Arabicus, candidus, leuis, eximia odoris gratia, recens, abundè plenus, densus, siccus, à teredinibus non erosus. Secũdus est Indicus, uber, leuis, niger. Tertius Syriacus, grauis, colore buxeus, odore seriens.

Costus autem hortensis, herba amara est, magis piperitis aut Siliquastrum Plinij.

Odoratus iuncus. Caput XVI.



ODoratus iuncus, in Africa, & Arabia nascitur. Laudatissimus ex Nabathæa: proximus Arabicus, quem aliqui Babylonium cognominant, alij teuchitin: pessimus ex Africa. Eligendus est rufus, recens, floribus refertus, tenuis, rubentibus fragmentis, qui manibus confricando rosæ odorem emittit. igneæ mordacitatis ad linguam. Floris, culmorum, radicisq; est usus. Vim urinæ ciundę habet, menses pellit, discutit inflationes, caput aggrauat, modicè astringit, comminuit, excoquit, ac uenarum spiracula laxat. Flos eius in potu utilis sanguinem rejicientibus, doloribus stomachi, pulmonis, iecinoris, & renum, miscetur antidotis. Radix B astringentior est, ideo fastidijs stomachi, hydropicis, conuulsis, drachma una cum pari pondere piperis, per dies aliquot datur. Decoctum uuluæ inflammationibus, ad desidentium fotus, utile est.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Σχοῖνος Græcis dicitur, quamuis omnem iunci speciem hoc nomine significent: at absolutè positum, hunc per excellentiam significat.

Iuncus odoratus & rotundus Latinis, ad differentiam palustris,

Camelshew Germanis.

Gallis paisture de chameaulx, hoc est, pastum Camelorum nominatur.

Officinis, nomine deprauato, Squinantum dicitur.

Hippocrates Schœnon hedyosmon, ut Galenus libello quem uocabulis Hippocratis dicauit, id est, suauem iuncum nominat.

Σχοῖνος, id est, iuncus absolutè scriptus, iuncus odoratus, Arabicus, Libycus, seu cum Celso rotundus, à triangulari cypero eum separante. Nescio autem qua causa uulgo ἄνθος σχοίνου dicitur, cùm rarò flos eius ad nos deferatur, sed herba sæpe, eius parte superiore à camelis erosa. Eam enim in Arabiæ uijs copiosissimè crescentem, ob id parui precij, libentissimè cameli pascuntur. σχοινάνθος Actuarius, uulgus Schœnantum: modicè calfacit, & modicè astringit, est nonnihil tenuium partium, ob id mediocriter digerit, & mediocriter repellit: radix astringentior, flos calidior, urinas ac menses ciet, sumptum & fotu adhibitum, iecoris, stomachi, uentriculi phlegmonas iuuat, hæmoptoicis, id est, sanguinem screantibus cum alijs prodest. Solo odoratus uigore deligitur: nam odoris illius gratia celeriter uanescit.

Gal. li. 1. Antid.

Lib. 8. simp. & Lib. 6. co. ph. p.

Lib. 1. Antido.

Calamus odoratus. Caput XVII.

A



CAlamus odoratus in India nascitur, melior est fuluus, densè geniculatus, & qui assulosè frangitur, plena araneorum fistula, albicans, lentus in mandendo, & astringens, ac cum aliquanta acrimonia amarus*. Vrinam potu ciet, quare cum graminis aut apij semine coctus, in aquæ subtercutem fusæ morbo, renum uitijs, stillicidio urinæ, ruptisq; commodè bibitur, menses & potu & appositu pellit, tusi suffitu medetur per se, aut ex resina terebinthina, hausto per arundinem fumo, ad mu liebres insessus decoquitur, & clysteribus imponitur. Suffitionibus, malagmatisq; odoris gratia commiscetur.

* Hæc uox alijs deest.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Calamus aromaticus Græcis, Dioscor. & Galeno. Vnguentarius Hippocrati. Arabicus Plutarcho. Alexandrinus Celso.

Officinæ omnes Calamum aromaticum nominant.

Germanis Calmus wurtzel appellatur.

Galli Latinum nomen retinuerunt.

Gal. lib. 7. simp. *Calidus, siccus, ordine secundo: leuiter astringit, minimum acer est, partium nonnihil tenuium: remedijs uentriculi & hepatis calidis misceri potest, ac mouentibus.*

Balsamum. Caput XVIII.

B BAlsamum, arbor albæ uiolæ, lycij, siue pyracanthæ magnitudine conspicitur. Folium rutæ proximum, longè candidius, perpetuò uirens. In Iudæa solùm quadã ualle & Aegypto nascens: his differẽs modis, scabritia, proceritate, gracilitate. Quod igitur tenui & capillacea coma est, theristum* uocant, quasi demessile, fortassis quoniam ob gracilitatem facilè demetatur. Aestiuis sub ortu Canis ardoribus, arbos unguibus ferreis inciditur, manatq; è plaga succus, quem Opobalsamum uocant: sed tam exiguo stillatu, ut annis singulis, ne plures quidem quàm seni septémue congij cogantur, inibiq; pondus duplo rependitur argento. Succi probatio est, ut sit recens, ualidi odoris, syncerus, non ad acorem uergens, dilui facilis*, leuis, astringens, acmodicè mordens gustu. Sed uariè uitiatur, misto ab aliquibus terebinthi, cypri, lentisci, balani unguento: item sufino, metopio, melle, aut Cypria cera liquida, quod maleficium facilè deprehenditur. Namq; merus in laneam uestem fusus, neq; maculam facit, neq; si eluatur, notam relinquit: uitiatus autem inhæret, & lac instillatus coagulat, quod adulteratus non efficit. Quinetiam syncerus in aqua aut lacte celerrimè liquatur, colorecq; lacte scit: uitiatus uerò olei modo innatat, se cõuoluens, aut in stellæ modum diffundens. Syncerus senescens crassescit, deteriorq; redditur. Hallucinantur, qui aqua concretum* pessum ire, & ad ima sidere arbitrantur, postea dissipatum* supernatare. E ligni genere, quod xylobalsamum uocant, probatur recens, sarmento tenui, fuluum, odoratum, quadam tenus opobalsamum spirans. Necessarius etiam seminis erumpit usus, quare eligatur flauum, plenũ, grande, pondere rosum, mordens gustu, feruens in ore, modicè opobalsamũ olens. Adulteratur semine hyperico simili, quod à Petra oppido defertur. Sed coarguitur magnitudine, inanitate, uiriũ ignauia, sapore piperis. Efficacissima uis inest succo, & quã maximè calfaciens, abstergit quæ tenebras oculorum pupillis offundunt, medetur perfrictionibus uuluæ, cũ rosaceo cerato appositus, menses quoq;, fecũdas, & partus extrahit, horrores

Balsamum.



* Alij, qui facilè penetret.

* Alij, Instillatum, ἐπισταγέντα.

*, Alij, minimè fusum, ἀδιάχυτον.

horrores illitu discutit, ulcera sordida expurgat, & cruda concoquit, urinam potu ciet, ægrè spirantibus prodest: datur in lacte contra aconitum haustum, aut serpentium ictus, miscetur acopis, malagmatis, & antidotis. In summa, præcipua autoritas succo, secunda semini, minima ligno. Semen commodè potui datur doloribus laterum, pulmonum uitijs, tussi, ischiadicis, comitialibus, uertiginosis, orthopnoicis, urinæ difficultati, torminibus ac serpentum morsibus: ad muliebres suffitus perquàm utile est: uuluam aperit in desessionibus balnearum decoctum, & humorem euocat. Lignum easdem habet uires, aliquanto minores, ex aqua potum cruditatibus, torminosis, uulsis, uenenatorum ictibus opitulatur, urinam cit, ad capitis uulnera cum ficcalri conuenit, squammas ossium extrahit, & ad unguentorum spissamenta additur. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Balsamo planta secundo excessu calida sicca, tenuium partium: & carpobalsamo & xylobalsamo liquor est tenuior, minus tamen calidus quàm quidam existimant, tenuitate partium decepti. Sæpe enim expertus sum, non iuuisse dispositionem calfactione egentem. Opobalsamo igitur (quod & βαλσαμέλαιον uocari dicit Simeon) syncero, dilui facili, leui, astringenti, non acido, linguam modicè mordenti, est præcipua inter hæc plantæ huius autoritas, & uis efficacissima. Laudatissimum autem est Syriacum, siue Iudaicum, siue ex Syria palæstina, ac præcipuè Sigadinum, à loco Palestinæ, in quo copiosissimum & optimum gignitur. Opobalsamum sit Syriacum, tenue, perspicuum, substantia non crassum, quale in fundum uasis subdere solet, quale item sit uetustate. Opobalsamum uarijs adulteratur modis, ut ægrè possit, etiam ab exercitatissimis, cognosci: alias uerò Opobalsami notas ex Dioscoride requiras. hodie propemodum desijt uideri. Carpobalsamum adulterari non potest, si Galeno credimus. Galen. libr. 7. simpli. Gal. lib. 2. c. ph. par. Lib. 1. Antido. Lib. 1. Anti.

Aspalathus. Caput XIX.



Aspalathus, alijs crysisceptron, frutex est surculosus, multis spinis horrens, nascitur in Istro, Nisyro, Syria, & Rhodiorum insula, quo ad unguentorum spissamenta pigmentarij utuntur. Optimus est grauis, detracto cortice rubens, aut in purpuram uergens, densus, odoratus, gustatu amarus. Est & alterum genus candidum, lignosum, sine odore, quod deterius habetur. Vim calfaciendi cum astrictione obtinet: unde decoctum cum uino ad tetra oris ulcera colluenda conuenit, ad nomas genitalium, & sordida ulcera * infunditur, subiectum in pesso, partum extrahit, aluũ sistit eius decoctum: & sanguinis reiectionem potu cohibet, urinæ difficultatem in flationesq; discutit. B * Alij addunt, ozænas.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Asportatur ad nos aspalathus è Rhodiorum insulis, inde Rhodij ligni appellationem declinauit. Quin & de flore fruticeq; toto ad Rhodios negociatores retulimus, qui florem ei rosæ tribuebant, prædicabantq; humilem arbusculam, fruticémue lignosum, crebris spinis aculeatum. Ea igitur, quæ fideli narratione accepimus, & ipsius ligni pericula, quæ unusquisq; facere potest, in hanc traxerunt opinionem, ut Rhodium hoc lignum sit idem, quod à ueteribus aspalathus diceretur. Accedunt etiam nostræ nimirum sententiæ, qui diligenter hæc scrutari, & singulas notas disquirere uoluerunt. Galenus gustu acrem aspalathum, astringentemq; deprehendit, cuius iudicio lingua satis subscribit. Vide plura in historia Agalochi. Ioan. Ruell.

Muscus. Cap. XX.

Bryon, id est, muscus, à quibusdam splachnon appellatur: in cedro arbore, populo alba, & quercu inuenitur. Optimum est cedrinum: proximum populeum: in quo genere candidum & odoratius præstat, nigricans improbatur. Astringendi uim habet. Decoctum insidentium uuluis utile: unguento balanino, oleisq; inspissandi gratia inseritur: thymiamatum, acoporumq; compositionibus conueniens.

A

Muſcus. NOMINA ET EXPLICATIO.



Ian. Cor. Zuic.

ΒΡΥΟΝ Græcis.

Muſcus arborũ, canis ſcilicet uilli, quales in ſeneſcente quer cu maximè uidemus, Latinis.

Officinis & Arabum familiæ Vſnea nominatur.

Germani, Gemöß von bäumen/uocant.

Muſcus arboreus, non ſplanchnon & bryon tantùm, ſed eſt am hypnon ac ſphagnon appellatur ab Aëtio ſerm. 12. ca. 44. in oleo gleucino. Item ſerm. 13. ca. 117. ſphagnum ſiue hypnum habet, ac rurſus cap. 118. eiuſdem ſermonis quid ſit hypnon ex ponit, inquiens: Hypni canalicula eſt parua, ex arbore Dama ſcena & Rhodacinea exorta. Quare apparet muſcum huno non tantùm ſupradictis arboribus innaſci, ſed etiam alijs, uelut hic Aëtius Damaſcenæ & Rhodacinæ dic cit. de quibus arboribus ſuo loco dicetur.

Plinius canos arborum uillos ſphagnon appellat.

Hodie aliud genus Muſci pharmacopolijs in uſu eſt, qui animalis potius ſanguis aut ſanies eſſe à Serapio ne traditur: uehementer odorifera res: qui tamen tempore Dioſcoridis, Galeni, & cæterorum Græcorum incognitus fuit. Aëtium tamen eum nouiſſe putandum eſt, qui quum alibi, tum ſerm. 12. cap. 46. in medica mento purgatiuo ex hermodactylis, μόσχου κεφάλιον, habet, id eſt, muſci ſiliquam unam, id quod de nullo alio muſco intelligi poteſt.

Gal. lib. 6. Simp. Eſt autem & tertium adhuc muſci genus, quod item bryon Græcis appellatur, itemq; lichen, ſed hic in re tris roſcidis naſcitur in mari, de quo ſuo loco plura, &c. Vim habet aſtringentem, inualidam. Nec enim mul tum eſt frigidum, ſed proximè fermè medijs, qui uidelicet & digerendi & emolliendi facultatis eſt parti ceps, maximè quod in Cedrinis lignis reperitur.

Agallochum. Caput XXI.

B



AGallochum, lignum eſt quod ex India atq; Arabia deportatur, thyiæ ligno ſimile, maculatum, odora tum, guſtu aſtringens, cum quadam amaritudine, cute uer rius quàm cortice ueſtitur, aliquantulum uerſicolore. Manditur, aut decocto os colluitur, commendandi hali tus gratia. Sudores arcet toto corpori inſparſum: pro thure ad ſuffimenta ſubſtituitur: radix epota drachmæ unius pondere, humida ſtomachi uitia, & imbecillitatem, feruoremq; mulcet, ſi la teris, iecinorſue dolor excruciat, ſi dyſenteriæ, aut tormina infeſtant, ex aquabi bere prodeſt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lac. Syl. Arborum huius triplicem ſcribit Ludouicus Roma. Patricius in tractu Indico uideri, Calampat præſtantiſſimam, Bochor uiliſſimam, Iubam mediam. Xyloaloë Aëtio & Actuario dicitur, id eſt, lignum aloës ar boris, non herbæ. Rhodijs militibus eſt frequens in corollis precarijs. Quod uerò oſtendunt Officinæ, uerum eſt aſpalathum acre, & auſterum. Galen. lib. 6. ſimpl. quod aroma apud ſuos naſci idem Galen. ſcribit lib. 8. comp. phar. part. & in Syria & Rhodo Dioſcorides: graue, detracto cortice, rubens aut purpuraſcens, denſum, odoratum, amarum, aſtringens: alterum deterius, candidum, lignoſum, inodorum. Verum Agallo chum Germani, Des heiligen Creutzes holtz/hoc eſt, lignum ſanctæ crucis appellant. Aſpalathum uerò Paradiß vnd Aloes holtz.

Narcaphthum. Caput XXII.

NArcaphthum ex India defertur, corticoſum, ſimile ſycomori libro, quod iucundi odoris gratia ſuffitur. Miſcetur thymiamatis compoſitis, conſtrictio nibus uuluæ ſuffitu prodeſt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Ioan. Ruel. Suecß. Serapio Arabs Nabach uocat, quid ſit nondum comperi. Narcaphthum, quod & ab alijs naſcaphthum uocatur.

uocatur, olim ex India deportabatur, corticosum natura, & putaminibus arboris mori: Prætermissum à Plinio, ut arbitror, consultò, quia incerta esset eius facies, ut aliorum quoq; plurium, quæ nostro orbi tantùm nominibus cognita sunt. Paulus lacaphthi meminit inter ea, quæ in magno cyphi, quod cognominant heliacum, adijciuntur, & corticem Piceæ, uel alterius arboris existimat: ego lacaphthum cum nascaphtho idem esse reor, & nostro seculo planè ignotum. A

Cancamum. Caput XXIII.

CAncamum Arabici ligni lachryma est, myrrhæ quodammodo similis, uirosi gustus, quam ad suffimenta usurpant. Vestes eo ex styrace & myrrha suffiuntur. Vim proditur obtinere extenuandi obesos, si ternûm obolorum pondere exaqua, aut mulso aceto plusculos dies ebibatur: lienosis datur, comitialibus, & suspiriosis, menses cum aqua mulsa pellit, oculorum cicatrices confestim emendat: uino madefactum medetur eorundem hebetudinibus: aduersus gingiuas humore prægnanteis, dolores q; dentium, non aliud efficacius. ** Alij, odori.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis κάγκαμον. Cancamum Latinis. Officinis Cacca nominatur.

Lachan sæpe Actuario dicitur passim, ac præcipuè in duplici descriptione dia lachan, ubi scribit λάχανο κεκαθαρμένον purgatum.

Cancamum ex confinio casiæ cinamiq; deuehitur, sed per Nabatheos & Troglodit as, qui consedere ex Nabathæis. Paulus arboris Arabæ odoratam esse lachrymam tradit, myrrhæ non dissimilem, quæ suffimentis usurpetur. Addit uim obtinere extenuandi præpingues, & obesos. Cæterùm non sum nescius, à Barbaris, quà Dioscoridis & Pauli citarunt testimonium, id laccam dici, quod Dioscorides & Paulus cancamum appellarunt, idemq; plurimis recentiorum Græcorum compositionibus hoc nomine dicatum. An tamen lacca sit Gummi illud quod hodie passim ostendunt Officinæ, de quo agitur, Cancamum, non satis habeo comperium. Quòd si genus hoc myrrhæ referat speciem, tamen uacare mihi uidetur odore, qui possit ad suffimenta dari, sapore uiroso. Adiecere Mauritani rubram esse laccam, tinctoribus expetitam, roris modo supra surculos arborum insidentem, præsertim mespili, & coalescentem in gummi. Infectores floccorum purpuræ, eam macerant, ut colorem ebibant lanæ, & quod remanserit, lacca esse dicitur, cùm uetus inodorum & fecem potius cancami, quàm cancamum aut lacca dici oporteret. Scito autem tria hoc nomine lacca nuncupari, Vnum est uerum Dioscoridis cancamum. Alterum grana quædam arte facta, quæ Venetijs uirgino parano tur, aut cocco, & alijs nonnullis: hac pictores utuntur. Est & tertia lacca, ex qua ruber color fit, qui uulgo carmesinus appellatur. Ex his omnis error detegitur, &c. Ioan. Ruel. Sucß. B Ant. Muſ.

Cyphi. Caput XXIIII.



CYphi thymiamatis compositio est, dicata dijs, qua abundè Aegyptij sacerdotes utuntur. In antidota misceri solet. suspiriosis datur in potu. Permultæ componendi rationes, quarum una hæc est: Sumito cyperi dimidiũ sextarium, cum pari baccarum iuniperi adultæ modo: uuæ passæ pinguis, exemptis uinaceis, minas duodecim: resinæ repurgatæ minas quinq;: calami & iunci odoratorum, & aspalathi, singulorum minam: myrrhę duodecim: uini ueteris sextarios nouem, cum duabus mellis minis: uuam passam detractis uinaceis tusam, cum uino & myrrha subigito: cætera tusa & cribrata adijcito: die uno humorem combibere finito. dein mel coquito, dum sibi glutinis asciscat crassitudinem: eliquatam resinam accuratè permisceto cum reliquis diligenter contritis, & in fictile uas recondito.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cypheos compositio à Democrate hæc describitur: σαῦδ, id est, uuæ passæ pinguissimæ (à qua cortex & semen totum sint exempta) carnis leuigatæ probè, terebinthinæ ustæ, ana drachmæ Atticæ 24. Myrrhæ, schœnu anthus, seu iunci rotundi, ana drachmæ 12. Cinnamomi drachmæ quatuor, Bdellij lachrymæ, spichmæ tres,

A Aſpalathi drachmæ duæ & dimidia. Croci drachma una. Mellis & uini modus mediocris. Bdellium, myrrham, uinum in mortario tere ad mellis liquidi craſsitiem, melle ſuperaddito uuam cum alijs tere. Omnia ubi cerunt leuia, fac cyclos paruos.

His Aegyptij ſacerdotes dijs ſuis propitiandis ſuffitu utuntur. Sic Rufus uir optimus, & in arte exercitatus, parandum prodidit. Permultæ enim eius compoſitiones etiam Dioſcoridi, quarum unam deſcribit ab hac diuerſiſsimam, tamen quam in antidota quoq; miſceri ait. Paulus quoq; lib. 7. deſcribit cyphi magnum ἡλιακὸν, id eſt, ſolare dictum, ex rebus 36. confectum: & σελυνιακὸν, id eſt, lunare, quod ex rebus 28. conſtat: utrumq; ab hoc maximè differens: tamen etiam ad conciliandos Deos odore grato compoſitum, & naribus noſtris admouendum, ut diſtillationes à capite in partes ſubiectas concoquat, & grauedine, obſtructio neq; nos liberet, & cerebri uentriculos purget, & peſtilentibus morbis reſiſtat. Per os etiam cyphi ſumitur tum ad hæc, tum ad ea quæ pectori inhærent coquenda, nec non ad frigidos hepatis affectus. Miſcetur medicamentis præcipuè epithematibus & antidotis, quæ inde Cyphoidea uocantur. Paulus lib. 7. Etiam officinis hodie in uſu eſt cypheos compoſitio, ſub nomine trochiſcorum τοκιον, à uera compoſitione non longè diuerſa, ſed admodum depr auata.

Paulus Aegineta.

Crocum. Caput XXV.



B

CRocum, optimum in medendi uſu Coryceum, recens, & boni coloris, paulùm candidi gerens in capreolo, oblongum, omnibus ſuis partibus conſtans, non fragile, plenum, à quo detractum eſt nihil, quod madefactum manus inficit, nec ſitum redolet, aut cariem ſentit, ſub acre. ſin huius generis non eſt, aut uetus, aut humore perfuſum creditur. Secundus locus datur Coryceo, è tractu Lyciæ contermino. Tertius Lycio è monte Olympo. dein ex Aegibus Aetoliæ. Cyrenaicũ & Centuripinum inter Sicilica omnia uiribus infirmius eſt. Omnium natura oleracea. Itali tamen ob ſucci copiam, & coloris uenuſtatem, tingendis mortarijs dicauerunt. quibus de cauſis magno uenditur. Vtiliſsimum in medicina quod antè deſcripſimus. Adulteratur immiſto crocomagmate tuſo, atq; etiam ſaperſublitu: contrita, quò pondus adijciatur, ſimul argenti ſpuma, aut plumbagine. ſed maleficium declarat inſidens puluis, præſertim ſi defrutum in odorando ſubolet. Theſſalus ipſum tantùm odoratum eſſe uoluit *, Alij exitioſum, tribus drachmis ex aqua potis. Proculdubio uim coquẽdi, emolliendi, atq; ſubſtringendi habet. urinam cit. Elegantem colorem præſtat, qui ex paſſo biberint, crapulam non ſentient. oculorum fluxiones illitum cum humano lacte, cohibet. additur in potiones, quæ interaneorum cauſa temperantur. ad uuluæ etiam ſedisq; cataplaſmata, utiliter inditur. uenerem ſtimulat. uergentes ad ignẽ ſacrum inflammationes mulcet. auricularijs collectionibus utile. Quò facilius conteratur, in calido fictili ſole ſiccari oportet, celeriterq; uerſari. Vrinam mouet radix ex paſſo pota. Fit etiam expreſsis unguenti crocini odoramentis, & in formas digeſtis, quod crocomagma uocant. Optimum eſt odoratum, modicè myrrham olens, graue, nigrum, ligni expers, leue, ſubamarum *, quod madefactum croci colorem reddit, guſtatuq; uehementer dentes ac linguam inficit, multis durans annis: quale eſt quod à Syria defertur. Habet ſuas uires ad delenda quæ caliginem oculis obuerſant: urinam cit, calfacit, coquit, & emollit. uires croci pro portione quadãtenus repræſentat, quandoquidem plurimam croci partem ſibi crocomagma uendicat.

* Alij, Theſſali uoluntˑ

* Alij, ſubruſum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

ΚΡΟΚΟΣ Græcis. Crocus Latinis appellatur.
Officinæ antiquum & genuinum nomen retinuerunt.
Germani Saffran/ Gallˑ Safran/ Hiſpani Saffran/ oder Safferan/ Italˑ Zamer Saffran.

Gallˑ

Galli du ſaffran uocant.

Crocus calidus ordine ſecundo, ſiccus primo, parum ac mediocriter aſtringit, qua facultate cor & partes alias roborat, ut ſuo calore moderato coquit ac digerit, & ſiccando modicè diſpoſitiones pectoris phthiſicas iuuat, putredines corrigit. A Galen. lib. comph. p. 4. 7. 8. Lib. 1. Antido.

Crocus Coryceus à Coryceo antro, in quo naſcitur, ueteribus atq; adeò Poëtis præter cæteros celebratus: alijs ſanè procerior, non tamen alijs robore odoris aut diurnitate eſt præſtantior. Eligendus uerò eſt non procerior, ſed odoratiſſimus, & flauiſſimus, & longo tempore in ſuo uigore perſiſtens. Præſtantiſſimum igitur aliquem croci apto quodam æ dium loco repoſitum obſerua ſæpe, ut pernoſcas: nam id colorem odoremq; priſtinum diu ſeruabit: Adulterati uerò odor & color celeriter uaneſcit. Crocus Cilicius etiam laudatur. Nunc paſſim & in Germania ſeritur, uerùm nullibi uegetior quàm in Viennenſi agro.

Helenium. Caput XXVI.



HElenium folia habet uerbaſci anguſtioris foliꝫ, aſperiora, oblonga: caule quibuſdam in locis non emittit: radicem ſubalbidam, interdum ſubrufam, odoratam, ſubacrem, uegetam, magnam, ex qua agnatæ propagines liliorum autarimodo ſeruntur. Montibus in umbroſis, ſiccoq; ſolo prouenit. Foditur æſtate radix, particulatimq; diſſecta ſiccatur. Potum radicis decoctum menſes & urinas ciet, ipſaq; in eclegmate ex melle prodeſt tuſsi, orthopnœæ, ruptis, conuulſis, inflationibus, & ſerpentium morſibus. In ſumma excalfaciens. Folia ex uino cocta utiliter iſchiadicis illinuntur. Helenium ſtomacho utile in paſſo conditum: ſiquidem ſalgamarij pauluſ B lum ſiccatam radicem, mox decoctam, & frigida aqua madefactam, in ſapam conijciunt, & ad uſus recondunt. trita potaq; ad cruentas execrationes efficax eſt. Alterum Helenij genus in Aegypto gigni Crateuas tradit. herba eſt cubitalibus ramulis, ſerpylli modo per humum repentibus, foliꝭs lenticulæ circa ramos, ſed longioribus crebriſq;, radice pallida, digiti minoris craſsitudine, per ima tenui, ſuperne craſſa, cortice nigro. Naſcitur in maritimis collibuſq;. Radix una in uino epota, contra ſerpentium ictus auxiliatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

ΕΛΕΝΙΟΝ Græcis. Helenium, Elenium, & Inula Latinis.

Officinis Enula campana dicitur. Germani, Alantwurtzel.

Galli Champaigne uocant ἐλένιον λευκὸν, καὶ ἐρυθρὸν Actuarius appellat.

Elenij radix odorata, ſubacris, amara, calfacit non primo ſtatim occurſu, ſiccatq; non exactè ob humorem in ſe recrementitium. tandem uerò etiam rubrificat, iſchiadas & affectus alios diuturnos ac frigidos: eclegmate cum melle, craſſa & lenta ex pulmone & thorace expectorat, ſerpentium morſibus prodeſt. Ex montibus & ſicco ſolo præſtantior, legitur æſtate, particulatimq; diſſecta ſiccatur, uel melle aut ſaccharo condita ſeruatur.

A Omphacinum, oleumq;. Caput XXVII.



B

OLeum quod ex immaturis oliuis exprimitur, ad multos usus rectè ualentibus accommodatissimum, omphacinum id appellatur. Præstat recens, odoratum, quod non mordeat. Tale unguentorum compositionibus idoneum intelligitur. Stomacho utile est, quòd astringat. gingiuas contrahit. dentes firmat, si contineatur in ore. sudores cohibet. & quò uetustius ac pinguius, eò ad medicamenta aptius est. Et, ut reliqua in commune dicantur, omne oleum calfacit. emollit uentrem. à perfrictionibus corpus tuetur, ipsumq; promptius ad obeunda munera reddit. aluum emollit. ulcerantium uenenorum uires permistum hebetat. contra uenena datur, assiduè potum redditumq; uomitionibus. soluit aluum heminæ mensura cum patiosanæ succo aut aqua potum. adtormina. calidum simul decocta ruta tribus sextarijs in potu datur. uentris animalia pellit. idem maximè ilei intestini morbo laborantibus infunditur, uetus magis calfacit & uehementius discutit. oculorum claritati sublitum confert. Si uetusti non sit occasio, in uase decoquitur ad mellis crassitudinem, ut uetustatem repræsentet.


NOMINA ET EXPLICATIO.

Ga. lib. 7. Simp. & lib. 2. comp. ph. gene.

Oleum proprijssimo nomine appellatur, quod ex oliuis exprimitur. Germanis, Baumöl. Gallis uerò Huyle d'oliue appellatum: *maturis quidem dulcissimum, calidum, moderatè humidum, uel dum est recens, frigidum humidum. ex crudis autem & immaturis omotribes & omphacinum quantũ astringit, tantum refrigerat: illud ueteratum calidius fit, & potentius digerit: hoc autem si dulcescit uetustate, dulcis uires induit, quas sapore explorabis. Tenue est purum, translucidum, & cuti affusum eius modicum, latissimè per eam extenditur, continuum sibi manens, & citò à cute combibitur: idemq; optimum æstimatur, quale in Italia Sabinum.*

Oleum habet uim mitigandi & laxandi.

Oleum sylueſtris oliuæ. Caput XXVIII.



OLeum quod sylueſtres oliuæ funditũ, uehementer adstringit, & ad sanorũ usus secundum sibi locum uendicat. In doloribus capitis utiliter pro rosaceo substituitur. sudores arcet. defluentes capillos inhibet. furfures, ulcera capitis manantia, scabiem, lepras q; abstergit. tardius canitiem sentiunt, qui eo quotidie perunguntur.

Candidum oleum fit hoc modo: Albũ colore, nec anniculo uetustius, in nouum fictile oris patuli funditur, centum heminarum mensura, & sub solem media quaq; die concha refunditur, ex alto q; demittitur, ut assidua deuolutione, ictu q; agitatum respumet:

respumet: octaua die fœnum græcum mundum quinquaginta denariorum ponde A
re, calida aqua madefactum donec emolleſcat, in ſupradictum oleum deijcitur, ita ne extillet aqua. poſtea tedæ præpinguis piceæ, aſſulatim cæſæ æquale pondus adijcitur, & tranſactis octo diebus, oleum concha mouetur. Vbi candorem contraxe-rit, in uas nouum uetere uino affuſum recondi debet, ſubſtratis ſertulæ Campanæ corollis drachmas undecim pendentibus, cum pari iridis pondere: ſin minus, rurſus ſoli mandandum, & idem munus obeundum, uſq; dum inalbeſcat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Oleaſter Græcis ἔλαιμὸς, dicitur ſyluestris olea, fœcundior ſatiua, quod ferè ſyluestres habent, ceu cura ſterilitatem minuente. Oleum tamen acrius atq; magis aſtringens, &c.

Oleum album ſiue elotum, morſu omni caret. Lauandi modum docet Galenus in lib. de comp. phar. gene.

Sicyonium. Caput XXIX.

SIcyonij componendi ratio hæc eſt: In lebetem oris lati ſtanno inductum, fundi-tur olei albi, quod crudæ oliuæ reddiderunt, congius unus, aquæ ſemicongius. leui id igne coquitur. leniter mouendo. at ubi bis efferbuit, & ſubtracto igne refri-xit, innatans oleum concha decapulatur, & adiecta noua aqua conſerueſcit. & reli-qui ſut diximus peractis, reponitur. In Sicyonia maximè fieri cõſueuit, Sicyonij in-de accepto cognomine. Calfactoriam ad quendam uſq; modum uim habet. Febri ac neruorum uitijs prodeſt, fœminę ad commendandum faciei nitorem eo utuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sicyonium oleum maximè in Sicyonia parari ſcribit Dioſcorides, ut patriam appellationem inde habeat, Ian. Corn.
docetq; eius faciendi modum ex oleo albo, ita ut dimidium eius aquæ affundatur, cum qua bis efferueſcat, nul-la mentione facta cucumeris, ex quo incocto fiat, & unde alij Sicyonium appellatum putant, ἀπὸ σικύου ui delicet, hoc eſt, à cucumere appellatione ducta. Paulus namq; lib. 3. ca. 77. Sicyonium oleum ex elaterio, ipſo B
uidelicet cucumeris ſyluestris ſucco, aut eiuſdem radicibus componi tradit. Aëtius autem ſer. 9. cap. 27. non quidem Sicyonij mentionem facit, ſed aliàs olei in quo ſyluestris cucumeris radix ſit incocta, Indicauitq; Sicyonium ſimplex, quod ex incoctis oleo radicibus cucumeris ſyluestris fiebat, Paulus uerò tum compoſitum Sicyonium oleum, tum quod ex elaterij ſucco itidem compoſitum eſt, ſignificat, quorum omnium deſcriptiones Paulus lib. 1. cap. 20. habet.

Sicyonium oleum & cicinum, raphaninum, ſeſaminum, amygdalinum, caryinum, ſinapinum, & alia pluſ rima, ex fructibus & ſeminibus expreſſa & parata rerum, ex quibus extrahuntur & componuntur, naturã ſequuntur. Quo pacto autem olea medica & factitia fiant, rerumq; uirtutibus inficiantur, non abs re fuerit adpoſuiſſe ex Galeni De ſanitate tuenda lib. quarto. Sunt enim qui per infuſionem illa tantùm cõficiant, Sunt & qui per coctionem. Vbi uerò per infuſionem fiunt, res quæ infunduntur, contundi prius debent antequàm in oleum inijciantur, Sic enim qualitate & ui ſua oleum citius inficient, quæ poſtquàm maceratæ fuerint, quod quadragintà & plurium dierum ſpacio fiet, abijciuntur, humidum uerò limteo percolatur & uſui ſeruatur. Qui uerò diutinam macerationem illam rerum ferre non poſſunt, eos partim in oleo percoquere coguntur, igni certè lento, qualis prunarum eſt, quæ tamen nec ipſæ multæ eſſe debent, partim aquæ uiuiue tantulum inijcere, quantum coquendo totum uaneſcet. Is modus erit, ſi quadruplum eius aut quintuplum oleum ſit. Vtinam autem ad affectus podagricos & articulares, aquæ uerò ad alios utilior eſt. Et ſic cautiores operantur, quo nec iniecta torreantur, nec oleum uſtionem odore referat. Verùm qui his magis ſunt curioſi, in duplicibus uaſis coquunt: quod fit cùm in lebete, in quo fit aqua feruens, inſeritur exiguum uaſculum, in quod fundi oleum debet. Et hic commodior coquendi eſt modus.



Strigmenta balnearum. Caput XXX.

STrigmenta à balneis calfaciunt, molliunt, diſcutiunt. ad ſedis rimas & condyloma-ta illinuntur. Illa uerò quæ ex paleſtris puluerẽ ſibi aſciuerunt, in ſordis ſpeciem redacta, articu-

A culorum nodos impositæ adiuuant. ischiadicis in fotus aut malagmatis locum, ex lida commodè sufficiuntur. derasæ gymnasiorum parietibus simulacrisq; sordes calfaciunt. tubercula, quæ ægrè ad coctionem perducuntur, dissipant. desquammatis & ulceribus senum prosunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Strigmenta Archigenes γλοῖον dixit. Dioscorid. & Galen. & alij medici Græci etiam ξύσμον appellare solent. Sunt autem trium generum strigmenta, balneorum, palestræ, & parietum atq; statuarum gymnasiorum. Balneorum ex sudore, oleo, & sordibus in balneo defrictis ab hominibus constant. Palestræ ex iisdem rebus componuntur, accedente insuper puluere, qui partim ab olei illitione luctaturis inspergebatur ac affricabatur, partim à luctantibus in arena mutuo manibus ingestus, itemq; ex lucta excitatus, corporibus inhærebat. Prior sanè puluis κόνις, & Atticis κονίσαλος uocabatur, autore Galeno: eiusq; affrictus aliquando solus, aliquando præmissa olei illitione, densandi ac corroborandi corporis per oleum emolliti gratia fiebat, uelut secundo & tertio ὑγιεινῶν Galenus tradit. Quanquam & ob emendandam gracilitatem, crura puluere conspergere eiusdem operis libro 5. doceat. & affuso oleo confricare, sed ita ut is plus tenuis & pinguis sit, κόνιν λιπαρὰν appellat, in quo uidelicet nihil asperi, neq; acris insit. Extenuant enim magis quàm incarnant, qui pumicosa asperitudine, aut nitrosa acredine participant. Quin & refrigerandi & sudoris reprimendi causa idem puluis adhibebatur, qui uim habeat obducendi meatus, refrigerandiq; ac repellendi, uelut 8. simp. phar. Galenus testatur. At uerò tertium genus Strigmentorum est parietum atq; statuarum in Gymnasijs, quæ sordes sunt ex oleo magna sui parte constantes, quæ ex materia, cui inhærent, aliquid assumunt, uelut æruginem ex statuis æreis. His enim itemq; parietibus oleum quo se oblinebant palestritæ, interillinendum inspergebatur, quanquam etiam statuas quasdam fuisse in gymnasijs, itemq; uasa ærea, quæ oleum ipsum, quo se luctaturi oblinerent, continerent, ex Pauli ac Galeni uerbis apparet. Ait enim Paulus lib. 7. Sordes ex æreis statuis ac uasis, in quibus largum oleum remanet, quod & ærugnis quippiam contrahit, discussoriæ sunt, & resiccantes moderatè ac mollientes, quare tubercula cruda discutiunt.

Ioan. Cor. xuic.

Gale. lib. 2. & 7. de tuenda san.

Elæomeli. Caput XXXI.

B IN Palmyris Syriæ, quod elæomeli uocant, ex quodam caudice manat oleum, mel le crassius, sapore dulci. Bilem, cruditatesq; detrahit, sextario cum una aquæ hemina dato. sed qui sumpsere, torpescunt, & uiribus deficiuntur: quod minimè uereri oportet, uerùm crebrò excitare, ne ueterno pressi somnos captent. Fit & oleum è pinguitudine surculorum oleæ. optimum uetus, crassum, pingue, non turbidum. calfacit. Priuatim caliginibus oculorum illinitur. lepras, neruorumq; dolores illitum emendat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Elæomeli, uel Oleomel, nostro seculo incognitum.

Magno implicantur errore, qui manna m putant elæomeli ueteribus fuisse, quorum error facilè explodi tur. Nam elæomeli constat resinæ genus quoddã esse, Palmyris familiare, quod è caudicibus profluebat, perinde quasi apud nos ex annosis Betulis liquor, qui linctus ualde turbat uentrem, sapore dulci.

Cicinum oleum. Caput XXXII.

CIcinum oleum hoc modo temperatur: Maturi ricini qua uoles quantitate tòrrido sole flaccescunt, & uuarum more instrati tantisper insolantur, dum uestiens cortex fractus decidat. caro colligitur, & coniecta in pilam diligenter tunditur. postea in lebetem stanno illitum, qui aquam habeat, demittitur, subiectoq; igni feruescunt. & ubi insitum prorsus humorem reddiderunt, sublato ab igni uase, innatans oleum concha tollitur & reconditur. Sed in Aegypto, ubi largior increbuit usus, longè secus fieri solet. Nam repurgatos ricinos molæ mandant, & accuratè molitos per sportulam torculo exprimunt. Tum quidem maturuerunt ricini, cùm continentibus orbiculis exuuntur. Ad psoras, & ulcera capitis manantia ualet, prodest sedis inflammationibus. uuluis conuersis atq; præclusis: item indecoris cicatricibus, & aurium doloribus emplastra efficaciora reddit additum. potu aquam aluo extrahit, uentris animalia pellit.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO. A

Cicinum oleum, est quod ex fructu Ricini, quem Græci κίκι uocant, conficitur. quid autem sit Cici seu Ricinus, & quæ eius forma, facultas & temperamentum, libro 4. cap. 145. luculenter demonstrabimus. Hoc oleum, ut hîc Dioscorides tradit, aliter Aegyptij, aliter alij cõficiebant. Poterit hodie ijsdem planè rationibus parari, quamuis eius nullus sit in officinis usus, cùm passim nunc in hortis proueniat. Est hoc oleum admodũ tenue, ob id ad discutiendum potens.

Amygdalinum. Caput XXXIII.



AMygdalinum oleum, quod aliqui metopiũ uocant, hoc fit modo: Semodius *ex amaris nucibus repurgatis siccatisq; in pila ligneo pistillo leniter tunditur in offas, aquæ quæ ferbuerit sextarius adijcitur, & ubi dimidia hora humorem hauserit, uehementius quàm antea tunditur, mox tabellis premitur, & quod digitis hæsit, concha excipitur. Pressis nucibus rursum hemina aquæ inspergitur, & postquàm ebiberint, idem opus prosequendum. Singulas heminas reddunt singuli modij. Contra uuluarum dolores, strangulatus, conuersiones, & eorundem locorum inflammationes efficax est: ui grauitatem auditus, sonos incertos, tinnitusq; discutit. maculas & uitia cutis tollit e facie, & eam erugat cum melle, radice lilij, & Cypria cera, aut rosaceo cerato. & oculorum hebetudines emendat. ulcera capitis manantia, & furfures cum uino abstergit.

*hoc est, Sextarij tres.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Amygdali summariam considerationem quære infrà cap. 139. Μετώπιον dicitur oleum amygdalinum, propter Galbanum, quod recipit. Vocatur & μετώπιον, patrio nomine, Aegyptiacum quoddam unguentum, propter Galbani mixtionem. Nam lignum, in quo Galbanum, aut, ut alijs placet Amoniacum, nascitur, Metopion quoq; uocatur. Habet prædominatricem amaritudinem, adiuncta quadam ui densandi, & uirtute stiptica. B

Balaninum. Caput XXXIIII.

SImili modo fit balaninum oleum, quod repurgat maculas, lentigines, uaros, & cicatrices nigras. aluum soluit. stomacho aduersatur. contra aurium dolorem, sonos, & tinnitus auxilio est, cum anserino adipe instillatum. Similis sesamini ratio. Fit etiam è nuce iuglande oleum, quod cariynum uocant. Eandem uim habet quam balaninum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Βαλάνου μυροβλιτικὴ, id est, glans unguentaria, Myrabolanus quoque Plinio dicta, ex Barbarica regione allata, Ben Arabibus dicta, hodie frequens, stomacho aduersatur, cum hydromelite pota carnis huius drachma una est uomitoria: cum oxicrato autem iecur & lienem purgat, cum aceto item (quo maximè gaudet ad agendum) lepras, psoras, lentes, uitiligines, pruritum extergit: lieni & hepati indurato illinitur cum farina aliqua siccante, ut erui, lolij: Lieni etiam prodesse scribit Galenus. Carnis huius succo calido utuntur aromatarij: id enim inodorum cùm sit, omnibus suscipiendis odoribus est aptissimum, ut insipidum saporibus, & coloris expers coloribus. Id oleum Balaninum hîc Dioscoridi dicitur. Oleo expresso, quod reliquum est magma terreum & amarum, incidit, tergit, contrahit, stipat, ad prædicta etiam efficax, sed minus. Id autem uidetur esse μυροβαλάνου πίεσμα, id est, expressum, quod cataplasmatis miscet Galenus. Gal. in ther. ad Pisonem.

Sesaminum oleum fit ex semine sesami, de quo lib. 2. cap. 91. Sesamon non parum in se continet uiscosum & pinguc: quare emplasticum est, & emolliens ac modicè calidum. Eiusmodi facultatis est quod conficitur oleum: & herbæ quoq; decoctum simulem uim habet. Lib. 11. & lib. 13. metho. & lib. 9. co. ph. g.

In nuce

A



Gal.lib.8 simp.

Ga.lib.7.simp.

In nuce iuglande id quod edendo est, oleosum est, & tenue, itaq; etiam facile exprimitur: & quò diutius reconditum fuerit, magis tale efficitur. Quamobrem oleum ex eo inueterato exprimere liceat. Thesanè admodum fit per halitum euaporatorium. Itaq; quidam eo gangrenas & carbunculos, & egilopas sanant, ac nonnulli ad neurotrota, hoc est, neruorum uulnera utuntur. Cæterum si recens sit, astringentis nonnihil qualitatis etiam obtinet.

Hyoscyaminum. Caput XXXV.

HYoscyaminum sic fit: Semen candidum, recens ac siccum tunditur, & calida aspergitur aqua, ut in amygdalino diximus. dumq; insolatur, siccarq; quæ sub manu sunt, partes cum reliqua massa permisceantur. hoc autem fieri oportet dum nigrescat & grauiter oleat. mox pressum atq; excolatum reconditur.

Oleum è grano gnidio.

Ad aurium dolores efficax est, pessis miscetur. ad emolliendum utile. Fit & ègrano gnidio purgato & tuso. Vis ei aluum soluere potu. Non secus cnicinum oleum temperatur, cui facultas eadem est quæ facto ègnidio grano, uerùm inualidior.

Cnicinum.

Rhaphaninum.

Rhaphaninum è rhaphani semine fieri solet, cæterorum more. Phthiriases malaualetudine contractas tollit. Scabrities cutis in facie emendat. Ad obsonia utuntur Aegyptij. Melanthinum idem quod rhaphaninum potest. Tritum sinapis semen, et calida aqua madefactum, adiecto postea oleo exprimitur. Id ad diuturnos dolores efficax est. transfert humores qui in aliqua parte concreuerunt.

Melanthinum.

Sinapis.

EXPLICATIO.

Hoc oleum à semine Apollinaris herbæ denominatur, quam & hyoscyamum, id est, fabam porcinam

B *appellant. eius historiam & picturam quære lib. 4. cap. 59.*

Vsus seminis & per se, & semine expresso stuporem gignit, atq; adeo insaniam.

Falluntur qui granum gnidium è chamelæa nasci autumant, similitudine filiorum decepti, ut fusius dicemus cùm tractabitur eius historia lib. 4. cap. 154.

Oleum ex gnidio grano strictum eandem uim habere quam cicinum, Plinius affirmat. Habet hoc oleum magnam uim, præter ea quæ à Dioscoride dicuntur, in aluo lenienda, si umbilico admoueatur.



Gal.lib 2. simp. cap. 5. & lib. 5. sanita. tu.

Gal.lib.6.simp.

Cicini semen calidum, ordine tertio, purgat pituitam. Officinæ semen cartham appellant. Oleum seminis lac cogit, & astrictam aluum soluit. in historia plantæ certius lib. 4. cap. 168. de eo agetur.

Rhaphaninum oleum Galenus ait cicino oleo calidius esse, aliàs simile.

Melanthium unde melanthinum oleum, est Gith, & officinarum Nigella.

Sinapinum oleum fit ex semine madefacto in oleo expressoq;, quo utuntur ad neruorum rigores, lumborumq; & coxendicum perfrictiones.

Myrteum. Caput XXXVI.

MYrtei faciundi ratio est: E myrto nigra syluestri, aut satiua, foliorum molliss ima quæq; tusa premuntur. succo pares omphacini olei portiones adiiciuntur, subiectisq; carbonibus inferuescunt donec concoquantur. innatans oleum deraditur. Sed longè facilior hæc compositio: Tenera folia contusa coquuntur in oleo & aqua, & quod innatat eximitur. Priuatim alij deiecta in oleũ folia in solem cerant: alij prius oleum inspissant malicorio, cupresso, cypero, & junco odorato. Efficacius est amarum gustu, & oleosum, uiride, translucens, & olens myrtum. Astringit & indurat, ideo medicamentis miscetur, quę cicatricem obducũt. prodest ulceribus in capite manantibus, ambustis igni, & papularum eruptionibus. Facit ad attrita & furfures, sedis rimas, condylomata, articulos laxatos, corporis sudo-

res

res compescit, & omnia quæ adstrictionem inspissationemq; desiderant. A

Hodie utimur oleo myrtino in uentris fluxibus: uehementer enim exiccat. Myrti picturam & summariam considerationem quære cap. 128.

Laurinum. Caput XXXVII.

LAurinum fit hoc modo: Lauri baccæ cùm maturæ sunt, in aqua coquuntur: siquidem ex obducto cortice quandam pinguitudinem reddunt, quæ manibus subacta concha excipitur. Alij omphacinum prius oleum cypero, iunco odorato, & calamo inspissant, deinde tenera lauri folia concoquunt. alij etiam baccas, donec oleum odorem contraxerit. alij styracem & myrtum * addunt. Optima laurus ad id latifolia & montana. Oleum laurinum utilius quò recentius, quóque uiridius colore, amarissimum, & acre. Vis ei excalfactoria, emolliens. uenarum spiracula aperit. lassitudines discutit. omnibus neruorum uitijs, algoribus, destillationibus, auriumdoloribus, malis renum frigore contractis, illitum, non aliud iuuantius, attamen potum nauseam parit. * Alij, myrrhã.

Laurinum oleum quidam è baccis exprimunt tantùm: alij foliis modò: alij folia & corticem necnon styracem addunt, aliosq; odores. Excalfacit uehementer, & emollit: ita ut ij, qui scabie scatent, & asperis impetiginibus obsideantur, illiti in balineo, persanentur. Sed eo conuenit abstinere, lichenibus & psoris, inflammationem minantibus: in calidis quoq; temperaturis & biliosis: siquidem frigidis corporibus, humidis & pituitosis congruit: item ijs, quorum articuli algoribus, aut perfrictione affliguntur: ischiadicis subsidio est: uermes & pediculos enecat, furfures capitis emendat: alopecias & ophiases corrigit, usus eius in lauachro nitri: postea detergere oportet uino & melle, & fœnigræci farina: sed cauendum est, ne capiti dolorem sentienti, laurinum hoc oleum admoueatur.

Lentiscinum. Caput XXXVIII.

SImilis lentiscini ratio. Nam è maturo fructu temperatur, fractis prius spissamentis, ut in laurino diximus. hoc scabiem iumentorum canumq; sanat. utilissimum pessis, a copis, & leprarum medicamentis. sudores cohibet. Nec secus terebinthinum fieri solet. quod refrigerat & astringit. B

Ginguis ex inflammatione laborantibus optimum pharmacum est oleum lentiscinum caliditate temperatum ore retentum: sit autem recens, nam uetustius tanto recentiore peius est, quanto ætate antecellit. Imponatur autem uasculum in quo calfit lentiscinum, in aliud maius uas, quod aquam calidam multam complecta tur. Maximoperè itaq; inflammationi ginguarum hoc conducit. Nec uerò minus etiam si iuxta aliam quandam partem, tum pelliculæ linguam ambientis cùm succingentis totum os, aliquis dolor ob inflammationem oriatur, dolorem sedat lentiscinum. Repellit enim citra molestiam & absq; asperitate, quam pleraq; austero rum habent, discutitq; citra mordacitatem, cuius rei inflammatis præcipuus usus existit.

Mastichinum. Caput XXXIX.

MAstichinum è trita fit masticlie. quod contra omnia uuluæ mala efficax est. mediocriter calfacit, astringit, & emollit. aduersus prominentes stomachi duritias, cœliacorum, dysentericorumq; cruciatus utile. faciem emaculat, & colorem nitidum facit. optimum in Chio insula componitur.

Resinarum iure præstantissimum est Lentiscina, id est, Masticlie. huius oleum corfortat stomachum, neruos, hepar & iuncturas, lenit apostemata dura, & sedat dolores.

Μαστιχινον ἐκπλάσσεσθαι, & ποικιλώτερον conficit Paulus, simplicissimum scilicet & magis uarium. Vltimum accipit olei sext. 50. libras elenij 5. xylobalsami lb. 10. schœnoanthos lb. 5. cardamomi lb. 7. masticlies lb. 5. xylomasticlies lb. 8. terebinthinæ lb. 3. comæ absinthij libram unam, uini odorati sext. quinq;, aquæ sextarios decem. Res siccæ in uino madefiant per tres dies, misceantur oleo & aqua, & coquantur horas sex, & tunc masticlie & terebinthina additur, & exactè commixta & infrigidata depurantur. In simplicissimo, pro oleo sesamino Paulus accipit omphacinum, & non nisi unciam unam masticlies: dicitq; aliquos addere absinthij & styracis ana unciam unam. Paulus Ægineta.

A

Vnguentorum compositio. Caput XL.



DE ratione unguentorum consequenter tractandum existimauimus, quandoquidem ea in nonnullis corporum uitijs, aut medicamentis mista, aut corpori perfusa, aut naribus obiecta, plurimum prosunt. in quorum probationibus consulere nares oportet, an ea oleant ex quibus temperantur: optimum huiusce modi iudicium, quod in quibusdam planè obseruari non potest, propter ea quæ admiscentur odore cæteris prævalentia: ut in amaracino & crocino, telino, & plerisq; alijs, quæ crebra circa hæc meditatione experiri conueniet.

EXPLICATIO.

Vnguenta quandoq; fiunt ex floribus, ut Rosaceum, Leucoium, Susinum. Aut ex foliis, ut Myrthinum: aut ex radicibus, ut nardinum, &c. Vnguentis porrò ueteres multis modis usi sunt. Ad salubritatem, ut natantes, & lauantes. Ad necessitatem, ut certantes Ceromate ungebantur. Ad luxuriam, ut delicati causa Veneris & mensarum. Græci mixtum unguento uinum bibere non erubescebant, quod dicebatur Myrites. Bithilli populi unguentis madent. Huius luxuriæ inuentum Persis refertur acceptum. Vnde Horatius: Persicos odi puer apparatus. Eius rei fidem facit scrinium unguentorum laudatissimorum, quod expugnatis Darij castris repperit Alexander. Cyprij quoque Cyziceni, & Corinthij eadem mollitie effœminati sunt. Constat

B *usum unguentorum aliarumq; rerum ad delitias repertarum, usque ad Iulij Cæsaris tempora Belgas fuisse ignotum. Imperator Belgas fortissimos dicit, quòd ad eos non commeent, qui quæ ad effœminandos animos pertinent, illuc comportent. Inuasit hic luxus totam paulatim Italiam, adeò ut M. Otho Neroni monstrauerit uestigia pedum unguentis timgi, hisq; balnearum parietes quandoque aspersi sint. Caium quoque principem ferunt unguento solitum lauari. Anno post urbem conditam, 565. P. Lucinius Crassus, & Iulius Cæsar censores edixerunt, ne quis uenderet unguenta exotica. L. Plotius, Plotij bis Consulis frater proscriptus à Triumuiris, in Salernitana latebra unguenti odore proditus est. In confesso est Heliogabalum Imperatorem triclinia quandoque, lectos & porticus omni florum genere strauisse, ut lilijs, uiolis, hyacinthis, & narcissis, ac per eos ambulasse, seq; unguentis omnium fragrantissimis nudum sæpenumerò perunxisse. Quem secuti Imperatores propè nullam mollitiem sibi non permiserunt. Quod ego in Romanis principibus, quamuis damnem plurimum, non tamen admodum miror, quum etiam apud eos abiectissimi homunculi, idem sibi indulserint.*

Vnguenta hæc ad uoluptatem tantùm & suaueolentiam inuenta & ad delitias, ad curam uerò corporis non adeò, planè interierunt: etiamsi hodie unguentorum nomine ueniant alia medicamina, quorum usus est ad ulcera & tumores corporis consummandos, &c.

Rosaceum. Caput XLI.



ROsaceum sic fit: Iunci odorati quinq; libras & bessem tundito, & subactas aqua in uiginti olei libris & quincunce subinde mouendo, coquito. dumq; percolaueris, in olei libras uiginti, & quincuncem, adij cito rosas non madefactas numero mille, & manibus melle peruncti sidentidem moueto: interdiu * premens, finito nocte tota macerari, postea exprimito, & ubi recrementum pessum ierit, mutato uase, in craterem melle illitũ recondito. Cæterùm rosas quæ antea pressæ fuerunt, in labellum demittito, & affusis octo libris & quadrante spissati olei, iterum premito, eritq; secundarium oleum. Quòd si tertias usque, quarta suc

* Alias, sensim.

perfusiones infundens exprimere uoles, secundarium fiet, tertiarium, & quartarium unguentum. Sed quoties id feceris, uasa melle oblini debent. Si uerò secundam infusionem instituere libet, in expressum oleum, numero pari recentes rosas, nullo humore imbutas iniicito. manibus melle præmadefactis, agitans premito. & iterum, tertio & quartò. simili modo exprimens facito. totiesq; recentes rosas detractis unguibus immittito. fiet enim ita oleum multò ualidius. nam septies oleum rosarum infusionem admittit, nec amplius. prælum melle perungatur. oleum à succo diligenter secerni oportet, nam si minimum quid relinquatur, unguentum corrumpet. Alij autem detractis unguibus, rosas tantùm oleo macerant in sole, hoc modo: Rosæ quæ selibram pondere æquant, in sextario olei diebus octo madescunt, & usq; tertiam perfusionem quadraginta diebus insolantur, & sic oleum reconditur. Alij calamo, aut aspalatho prius olei spissamenta faciunt. Alij coloris caussa anchusam admiscent, & salem, quo minus oleat *. Vim astringendi & refrigerandi obtinet. fomentis & cataplasmatibus utile. Potum soluit aluum, stomachi ardorem restringit, ulcera caua replet, & mulcet, quæ cacoëthe uocantur. ulceribus in capite manantibus, atq; feruidis eruptionibus illinitur. caput dolens eo perfunditur. dentes inter initia doloris collui prodest. ad genarum duritias illitum efficax est. ad lacessita interanea & concitatas uuluas utilissimè subiicitur. A

* Alij, corrumpatur.

EXPLICATIO.

Paulus Rosaceum sic constrult: Rosarum rubearum exunguiatarum per diem unam naturalem exiccarum unc. 3. Olei omphacini sextarium unum: obstrue diligenter uas ne expiret, expone Soli per quadraginta dies: reponeq; non super pauimento, sed tabula. Alij non soli exponunt, sed in putco ponunt: alij fiumi sub terra quadraginta dies. Arabum modus in huius olei compositione hodie officinis usitatus mihi melior uidetur. Habet uirtutem frigidam & stipticam, & ideo ad dolores capitis ex febre seu ex calore solis optimum est.

Elatinum. Caput XLIII.

B

FRacta elate tusa & scarificata, in labellum deiicitur. omphacinum oleum triduo infunditur, mox per sportulã exprimitur. uerùm pares esse debent utriusq; portiones. dein mundo uase ad usus reconditur. Viribus rosaceo proportione respondet. aluum tamen non mollit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Ἐλάτη, tenellum palmæ germen, secundum Galenum, iuxta Dioscor. ipsum fructus tegumentum. Secundum Hisiehium, prima palmæ germinatio. De eo longiùs & certiùs in historia Palmæ, paulò pòst.

Melinum. Caput XLIIII.



MElinum hoc modo temperatur: Olei congius, decem aquæ sextariis admiscetur. Adiicitur elatæ palmarum fractæ quadrãs, & iunci odorati uncia, quæ die uno macerata coquuntur, mox in uas oris patuli oleum excolatur, & indita arundinacea crate, aut uetustæ tegete, cotonea mala superponuntur, & uestimentis operta tantisper inibi resident, dum malorum uires ad se oleum alliciat. Aliqui cotonea, decem dierum spacio operimentis inuoluunt, ut contineatur odoris suauitas, nec euanescat. postea biduo macerata oleo exprimuntur, oleumq; reconditur. Id uim refrigeratoriam & astringentem habet. Contra scabiosa ulcera & quæ serpunt, ac furfures, perniunculosq; effectum præbet. exulceratis uuluis infunditur. citatam urinam sistit infusum. sudores cohibet, contra cantharidas, bupreslim, pinorum erucas, bibitur. Laudatur maximè quod cotonea mala olet.

A *Magni usus est hoc in uentris fluxibus. Paulus μείλινον uocat, & in hunc modum componit: Cydoniorum bene detersorum, & cum suis corticibus incisorum accipit unc. tres, olei omphacini sextarium unum, ponit soli diebus quadraginta.*

Oenanthini compositio. Caput XLV.



OEnanthe è labrusca, optimè olens postquam è marcuit, deiecta in omphacinum oleum mouetur, uoluitur q3, & cùm biduo manserit, exprimitur, et reconditur. Astringit, proximum rosaceo effectũ prę bens: sed aluum non resoluit, aut mollit. Probatissimum est quod odore œnanthen refert.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Oenanthe uitium syluestrium germen unà cum floribus Galcno appellatur, ex quo succedentibus diebus uua fit: plura in ipsius Oenanthes historia & pictura.

Teleni componendi ratio. Caput XLVI.



B FOeni græci libræ quinq3, calami libra una, cypiri libræ duæ, olei libris nouem, septenis diebus macerantur, quotidie ter mouentur, postea premuntur, & reponuntur. Aliqui pro calamo cardamomum substituunt, & cypiri loco xylobalsamum macerant. Alij oleo antea his odoribus spissato fœnum græcum macerantes exprimunt. Hoc telinum abscessus emollit, & concoquit. omnibus uuluarum duritijs magnoperè conuenit. fœminis difficilè parientibus subijcitur, ubi præ excretis humoribus loci siccitatem cõtraxerunt. sedis inflammationes lenit. tenesmo subditum prodest. ulcera capitis manantia furfures q3 expurgat, ambustis & pernionibus addita cera proficit: uitia cutis in facie emendat. pigmentis ad conciliandum faciei nitorem inseritur. Eligi oportet recens, quod non uehementer fœnigræci odorem præ se ferat, & manus abstergat, sapore ex dulci in amarũ inclinato: tale enim optimum iudicatur.

Hoc unguentum à Silicula, id est, fœnugræco nomen habet, in Telo insula etiam Menandri temporibus celeberrimum.

Sampsuchini compositio. Caput XLVII.

SErpylli, casiæ, abrotani, florum sisymbrij, frondium myrti, sampsuchi singulæ portiones, quadam pro uiribus ipsorum coniectatione, unà tunduntur, atque eis omphacini olei modus adijcitur, qui madentium uires non euincat. hæc post quatriduum exprimuntur denuò noua alia, simili mensura & æquali tempore macerata premuntur, ita enim ualidius reddi solet. Eligi oportet sampsuchum colore ex atro uiridi, plurimum redolens, mediocriter acre. Vim habet acrem, calfactoriam, extenuantem. aduersus uuluæ præclusiones, conuersiones q3 efficax est. menses & secundas & partus extrahit. uuluæ strangulatus recreat. lumborum inguinumq3 dolores lenit. sed cum melle uti eo præstat, quandoquidẽ uehementi astrictione locos indurat. lassitudines illitum discutit. in opisthotonicorum, uulsorumq3 cataplasmata utilissimè additur.

Maiorana, Amaracus, Sampsuchus, Dioscoridi, Theophrasto, Plinio eadem sunt herba: unguentum tamen amaracinum à Sampsuchino cur diuersum sit Dioscoridi, doctè mihi Musa coniectare uidetur, ex plantæ huius appellatione consuncta utriq3 regioni, in qua utrumq3 id unguentum fiebat laudatissimum.

Ocimini compositio. Caput XLVIII.

OCiminum oleum fit ut cyprinum: Ocimi folia decerpta librarum undecim & beſsis põdo, die noctuq; uiginti olei libris macerato, premito, colato, cumq; exhauſeris quallum, rurſus parem olei modum fundito, & exprimito. Vocatur autem id ſecundarium, nam tertiæ perfuſionis non eſt capax. Deinde recens ocimum æquali pondere, ut in roſaceo diximus, rurſus maceratur, & cùm tãto temporis ſpacio maduerit, exprimitur, & oleum reconditur. quod ſi in animo fuerit ter aut quater madefacere, ſemper ocimum recens addes. Poteſt ex omphacino confici, ſed illo modo melius. Idem quod ſampſuchinum poteſt, ſed inefficacius. A

Ocimum oleum fit ex ocimo, aut ſi mauis, ozimo, ab ὄζειν, quod redolere ſignificat, herba odora, quæ nunc Baſilicon dicitur. Germanicè Baſilien.

Abrotonini compoſitio. Caput XLIX.

OLei cyprini odoribus imbuti libris nouem & quincũce, foliorum abrotoni libras octo die noctuq; madefactas, premito: quòd ſi in longum tempus oleum uelis aſſeruari, eiectis prioribus foliis, noua appones, & macerata exprimes. Calfacit, ad uuluæ duritias præcluſiones q; efficax eſt, menſtrua & ſecundas pellit.

Abrotonitum oleum corpori infricatum, rigores circuitu remeantes perſanat. Abrotani hiſtoriam & picturam quære lib. 3. cap. 25.

Anethini compoſitio. Caput L.

OLei libris octo & dodrante, florum anethi libras undecim & beſſem, macerato in oleo die una, manibus premito, & recondito: quod ſi iterum perfunderis, recentes anethi flores conſimiliter madefacito. Vuluarum duritias emollit, uenarum ſpiracula laxat, contra horrores febrium circuitu redeuntes auxiliatur. calfacit enim, & laſſitudines diſcutit: prodeſt articulorum doloribus.

Hic Dioſcorides pro lb. 8. & unc. 9. olei, ponit florum lb. xi. unc. 8. exponit ſoli diem unum. deinde exprimit et reponit. Ego tamen non uideo, quo pacto olei illa menſura tot florum ſit capax. Præſertim cùm Paulus accipiat comæ ſiccatæ per unum diem unc. i. pro Sextario. B

Suſinum. Caput LI.

SVſinum, quod alij lilinum appellant, ſic temperatur: Olei libræ nouem cũ quincunce, calami libri quinq; & quadrans, myrrhæ unciæ quinq;, permixto odorifero uino decoquuntur, & colato oleo, cardamomi tuſi & cœleſti aqua madefacti libræ tres & ſemis macerantur, premunturq; tres libræ cum ſemiſſe ſpiſſati olei aſſumuntur, mille lilia decerptis foliis, in latum, nõ tamen profundum, labellum demittuntur: iniectum oleum, manibus melle perunctis agitatur: die noctuq; conquieſcunt, & in pyxidem matutinis exprimuntur, quod defluet oleũ, protinus ab aqua, quæ ſimul expreſſa fuerat, colo incerni oportet, non enim, ut roſaceum, moram tolerat, nam concalfactum feruet & computreſcit: quare ſæpius decapulandum, uaſa melle illinenda, tenuis ſal inſpargendus, & ſi qua ſordes uaſis faucibus hæſit, eximẽda. Odoramentis iam expreſsis ex quafillo in labellum transfuſis, rurſum olei prius odoribus imbuendi, quod primum pondus æquet, & cardamomi tuſi drachmæ decem coniiciuntur. Hæc manibus ſcitè preſſa, interiecta breui mora exprimuntur: quod profluit, repurgatur: tertio eadem infunduntur, adiecto cardamomo & ſale, & manibus melle madefactis. Longè optimum erit quod prius exprimitur, ſecundum quod ſequitur: tertium locum ſibi uendicat quod nouiſsimum prodit, denuò in mille lilia euulſis foliis expreſſum primò oleum infunditur: tum eadẽ ratione proſequendum, idemq; faciendum ut prius, additò cardamomo, dein expreſſo: & quò frequentius recentia lilia maceraueris, eò ualidius unguentum efficies. Deniq; cùm factum abundè uidebitur, ſingulis compoſitionibus miſcere conuenit myrrhæ quãginta: croci uerò & cinnamomi pares portiones tunduntur, & cribratæ in lutrã

A cum aqua demittuntur, expressumq; primò unguentum infunditur, & paulò pòst excipiuntur uasculis siccis, myrrha aut gummi antea perfusis, & croco, melle & aqua madefactis. eadem fiunt in altera aut tertia expressione: aliqui simplex exhalanino, alióue oleo, & liliis componunt. Optimum esse constat in Phœnice, mox Aegypto factum. Sed cum primis laudatur quod lilia redolet. Excalfacit, emollit, tuluæ præclusiones, & collectiones aperit, utilissimum ad muliebria mala, ulcera inca pitemanantia, feruidas eruptiones, uaros, furfures q; emendat, uibices cicatrices q; celerrimè ad colorem reducit, ita ut sæpe fallant. in summa extenuat, potum bilem per aluum extrahit, urinam ciet, sed stomacho alienum est, & nauseam parit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Susinum, quod σόσινον & κρίνινον Græci uocant, diuersum ab eo est, quod lilinum officinæ nominant, quum præter lilia & oleum multa alia eius compositionem constituant. Σόσινον σύνθετον, hoc est compositum, sic conficit Paulus: Olei sext. 3. Calami aromatici lb. quinq;, myrrhæ unc. 1. Cardamomi lb. 3. πετάλων lilij exungulatorum & diem unum expansorum, lb. 10. Cinamomi unc. 3. croci semiunc. Primò infunde in uino myrrham & calamum per dies quinq;, mouendo ter in die: pòst coque cum oleo donec uinũ fere consumptum sit. Secundo cardamomum aqua infunditur, & ter in die mouetur, & similiter coquitur per horam unam cum oleo. Postea auferentes cardamomum, oleo puro imponimus tertiam partem liliorum, & post tres dies, priore ablata, addatur alia tertia liliorum pars, & interim post tres dies hac amota, additur ultima tertia pars cum croco resoluto, & post tres dies oleo puro addimus cinamomum contusum, & reponitur. Idem Paulus in compositione simplicis Susini accipit unc. 2. foliorum, & sextarium olei, ut in Rhodino, & exactè obturat ut non respiret, perq; tres dies exponit soli, abiectis dehinc folijs alias unc. duas apponit, & iterum exponit soli per alias tres dies.

Narcissinum. Caput LII.

NArcissini olei spissamenta ita fiunt: Sex libræ asphalathi cum sextante tunduntur, olei eloti libræ septuaginta cum uncijs quinq; assumuntur. Asphalathus aquæ madefactus in tertia olei parte coquitur: quo exempto, calamus quinq; B libris & besse adijcitur, cum myrrhæ gleba contunditur, cribrata q; ac uino ueteri odorato immista decoquitur, simulac autem cum ijs efferbuerit, eximitur, refrigeratum oleum excolatur, cuius portio in labellum mittitur, flores narcissi quàmplurimi conijciuntur, qui bidui spacio, ut in susino dictum est, permoti exprimuntur. Oleum subinde decapulandum, siquidem celerrimè putredinem sentit. Valet hoc ad emolliendas uuluæ duritias, præclusiones q;, sed capitis dolores facit.

Plinius lib. 21. cap. 5. & 19. item Dioscorides lib. 4. cap. 142. narcissi duo genera faciunt, licet à Theophrasto & Apuleio non nisi unum genus constituatur: nisi ex floris diuersitate duplex eius genus facere uoluerint. Est autem planta narcissus, congener aut saltem similis lilio: quare quidam ipsum non minus quàm lilium lirion uocant, ut tradit Dioscorides lib. 4. cap. 142. ubi de narcisso plura.

Crocinum. Caput LIII.

CVm crocinum componere uoles, prius olei, ut in susino diximus, spissamenta facies, eisdem ponderibus & mensuris, cuius olei libras treis & semissem, croci unciam unam assumes, identidem quotidie moueto, & sexta die quàm hoc assiduò peregeris, oleum à crocolis incernito: eidem croco parem olei modum adijcito, **Alij, dieb. tredecim cõtinuis.* moue triduo*, dein contusæ myrrhæ atq; cribratæ drachmas quadraginta permisceto, & in pilo agitatum recondito. Aliqui oleo aromatibus ad cyprinum imburo in crocini compositione utuntur. Optimum est quod abundè crocum spirat, in medendi usu expeditum. Proximum quod myrrham refert. Calfacit, somnum allicit; quare persæpe phreniticis subuenit, perfusum, aut naribus admotum, aut illitum, pus mouet, ulcera purgat, contra uuluæ duritias atq; præclusiones, & ulcera quæ cõcõthe uocantur, prodest, cum croco, cera, medulla, duplicato olei pondere: concoquit enim, emollit, humectat, & permulcet: ad oculorum glaucitates ex aqua illinitur. Huic autem proportione respondent butyrinum, onychinum & styracinum, quæ etsi nominibus distant, uiribus & compositione cognata sunt.

EXPLI-

EXPLICATIO. A

Crocinum oleum hodie neglectum, quamuis ab autore Luminis inter uulgata & commoda olea recenseatur: diuersum tamen ab hoc, quia alia arte utitur quàm hic.

Ex unguento crocino fit crocomagma, expreßis aromatibus & in massam coactis, quare uiribus inter se non multum distant.

Cyprini spissamentum. Caput LIIII.

OLei omphacini eloti pars una, aquæ cœlestis tantundem cum semisse, cuius una parte oleum diluitur, altera adiiciendis odoramentis admiscetur: dein assumptis asphalathi libris quinq; & semisse, calami libris sex & semisse, myrrhæ libra una, cardamomi libris tribus & dodrante, olei libris nouem, & unciis quinq;. Asphalathus tusus & aqua affusus decoquitur in oleo, donec cõferuescat. myrrha autem uino uetere odorifero subacta, contususq; simul calamus, digeruntur in offulas, quæ exempto asphalatho immittuntur, & ubi efferbuerint, sublato aheno, oleũ percolatur. Cardamomum tusum reliqua aqua aspersum infunditur, spatha agitatur, nulla, dũ refrixerit, interpellatione. Post hæc colato oleo, in uigintiocto libras olei, floris ligustri, quod cyprium uocant, sex & quadraginta libræ cum besse instillantur, quæ sufficienter madefactæ per sportulam exprimuntur. quòd si copiosius desideretur, idem recentium florum pondus iniectum simili modo prematur. & iterum aut tertio, si quis uelit, madefacere poterit, & ita reddetur efficacius. Eligi oportet bonum, quod cum odoris suauitate nares feriat. Aliqui cinnamomũ addũt. Calfacit, emollit, ora uenarũ adaperit, uuluæ neruorumq; uitiis conuenit: pleuritici, fractisq; per se uel cerato immistũ. malagmatis imponi solet, quæ opisthotonicis, angina laborantibus, inflãmationiq; inguinũ opitulãtur. itẽ in acopa adiicitur.

Cyprinum oleum Arabes oleum de Alcanna uocant, quod enim Græcis Cyprus, Arabibus Alcanna est, ut Manardo placet: hodie non conficitur. Posidonius alio modo parabat, ut tradit Paulus Aegineta.

B

Irini spissamentum. Caput LV.

SPathæ quàm minutissimè contusæ sex libras cum besse. in tribus & septuaginta libris & quincunce olei, ærco uase, additis decem aquæ heminis in coquito, quoad odorem acceperit. postea in capulam melle oblitam colato, ex eo aromatibus imbuto oleo, irinum primo temperatur, iride ex oleo inspissato macerata, ut scripsimus. Sed alia est componendi ratio: In olei septuaginta libris & quincunce, xylobalsami, ut dictum est, contusi, libras quinq; & sextantem excoquito. postea detracto xylobalsamo nouem libras & dextantem adiicito, & myrrhæ glebam uetere uino odorato perfusam, & in oleo ita odoribus imbuti quatuordecim libris, totidẽ tusæ fridis, binis diebus ac noctibus madefacito, strenuè & uehementer adstringito. quòd si uis ualidius fieri, par pondus iterum ac tertio similiter maceratum exprimito. Longè optimum est quod solam irin olet, quale est in Perga Pamphiliæ, & Elide Achaiæ natum. Vim habet calfactoriam atq; emollientẽ, crustas adimit, sordida ulcera & putrida purgat. confert fœminis uuluæ causariis. item inflammationibus eiusdem atq; præclusionibus. partus eiicit, hæmorrhoidas recludit, contra auriũ sonitus ex aceto, ruta & amaris nucibus, prodest, diuturnis destillationibus, naribus illitum, & contra graueolentia earum ulcera, quas ozænas uocant, auxiliatur, aluum purgat cyathus epotus. facit ad ilei cruciatus. urinam mouet. difficilem uomitionem adiuuat, perunctis eo digitis & immissis, uel iis quæ ad uomitum ciendum induntur. anginæ etiã illinitur, aut ex aqua mulsa gargarizatur. itẽ contra arteriæ scabritiam datur iis, qui ci cutã, coriandrum, aut uenena fungorũ hauserunt.

Alio modo nunc parant officinæ: esset nunc magnarum uirium si bene pararetur, ut Dioscor. tradit.

Gleucinum. Caput LVI.

GLeucinum absolutè constat omphacino oleo, iunco odorato, calamo, celticã nardo, spatho, aspalatho, sertula cãpana, costo, & musto, circũdatis, interim

A uinaceis uasi, quod aromata, uinum & oleum conceperat. Tricenis diebus, bis in die mouetur, postea expressum oleum reconditur. Calfacit, emollit, remittit, horrorib. & neruorum uuluæq; uitijs auxiliatur, omni acopo iuuantius, quippe quod emol liat.

EXPLICATIO.

γλεύκινον Latinis sonat musteum, hodie exoletum. Eius constructionem monstrat Galenus lib. 7. com. medic. κατὰ γένη. Calfacit & quouis acopo ad emolliendum utilius. Galenus proprium Gleucinum, quo usus est, habuit, cuius descriptionem uide loco iam citato.

Amaracinum. Caput LVII.

AMaracinum longè optimum in Cyzico fieri solet ex omphacino & balanino, spissamentis è xylobalsamo, iunco odorato, & calamo factis, conditisq; amaraci, costi, amomi, nardi, casiæ, carpobalsami & myrrhæ odoribus. Aliqui, quò precioſius fiat, cinnamomum addunt. Mel autem & uinum assumuntur: hoc in uasorum illitionem, illud ad cogendas tusorum aromatum offas. Amaracinum calfacit, soporem mouet, uenarum spiracula aperit, emollit, feruorem excitat, urinam cit, putrilaginibus ac fistulis perquàm utile: nec non humentibus hernijs, postquã medica manus operam suam impenderit: cruſtas, & tetra ulcera, quæ theriomata uocant, rumpit: difficili urinæ, illita sede, & eius inflãmationibus auxiliatur: hæmorrhoidas illitu soluit, uuluæ subditum menstruos cursus euocat, duritias, ac uuluæ tumores discutit, uulneratis neruis, musculis confert, laneo centunculo modicè macefactum & impositum.

Ex hoc loco quidam probare uolunt, amaracum & Sumpsychum diuersas esse herbas, quandoquidem de Sampsuchino & Amaracino unguento seorsim scribit Dioscor. sed falluntur, Dioscorides enim, distinctè fecit capita, quòd non sit eadem compositio, sed diuersa.

B

Megalinum. Caput LVIII.

FActitabatur olim Megalinum, sed nunc compositio exoleuit & prorsus oblitterata est: cuius ad historiæ complementum meminisse non fuit alienum. Mistura cum amaracino eadem erat, sed resina exuperabat, hac tantùm ratione differens. Quare leuiter emollit. Resina unguentis, neq; tutelæ neq; uoluptatis grãtia adijcitur, sed coloris crassamentiq; causa. Ea tantisper coquitur, dum desinat olere: cuius coquendæ ratio declarabitur, dum de resina disseremus.

Hedychroum. Caput LIX.

QVod hedychroon uocant, in Co fieri solet: eisdem præditum uiribus & misturis, quibus amaracinum, sed suauius spirat.

EXPLICATIO.

Hedychroi descriptionem, quam Dioscorides hic reliquit, inquiens eandem eius ũm ac præparationem esse, quæ amaracini est unguenti. Galenus habet tum lib. 1. de Antidotis, ex Andromachi uersibus, tum ad Pisonem ex Magni traditione. Habet autem & eam Aëtius, 13. cap. 89. & Paulus 7. cap. 11. uariantibus tamen paululum inter se descriptionibus. Apparet itaq; hedychroi usum non solùm in Theriaca quondam fuisse, sed etiam unguenti loco usurpatum esse, & ozænis odoris gratia illitum à Galeno, Sicut etiam pulmonis per odorem resiccandi gratia, cuidam se idem exhibuisse refert locorum affectorum 4. fine. Qua gratia etiam medicamentis ad fumum comparatis inditum fuit.

Metopium. Caput LX.

FIt in Aegypto unguentum, quod metopion patrio nomine appellatur, propter galbani mistionem: nam lignum in quo galbanum enascitur, metopion uocãt: constat amaris nucibus, omphacino oleo, cardamomo, odorato iunco, calamo, mel le, uino, myrrha, balsami semine, galbano & resina: probatur pingue, graui odore, quod

quod magis cardamomum & myrrham, quàm galbanum resipiat: Calfacit uehementer, & adurit, atq; extrahit, ora uenarum aperit, ulcera purgat, extrahitq;: ad præcisos neruos, & musculos, ad hernias humore contractas, cum erodentibus medicamentis efficax est, ceratis & malagmatis inseritur: horroribus, conuulsisq; præsertim quibus ceruix in scapulas deiecta, & retrorsum contracta est, utile habetur. sudores ciet, uuluæ spiracula recludit, & eiusdem duritias laxat. in summa, molienti naturam habet. A

Metopium ex Galbano unguentum, ut Dioscorides ipse testatur, sic dictum ab ligno ex quo desudat, de lachryma metopij uide plura lib. 3. cap. 79.

Mendesium. Caput LXI.

MEndesium constat balanino oleo, myrrha, casia, & resina. Aliqui tamen post singulorum pondera, cinnamomi exiguum addunt, nullo compendio, nam quæ simul excocta * non fuere, uim nullam exhibent. Similem metopio uim obtinet, sed inferiorem multò. * Alij, coniecta.

EXPLICATIO.

Mendesium unguentum quo modo fieret, docet hic Dioscorides, & Paulus lib. 7. ca. 18. meminit eius etiam Plinius. Mendesium dictum est, quòd in præfectura Mendesiorum in Aegypto inuentum esset, & laudatissimum fieret, atq; hoc est quod Paulus lib. 7. cap. 18. ait: αἴρησαι δὲ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ εὑρεθὲν ἔνθα καὶ ὁ μενδήσιος τρέφεται. Id est, dictum est Mendesium, propterea quòd in Aegypto inuentũ sit, ubi etiam Mendes nutritur. Quanquam ego pro τρέφεσαι legendum putem σέβεται, id est, colitur. Est autem Mendes hircus, itemq; Pan deus, Aegyptia uoce ac lingua uocatus, quem hirci effigie Mendesij uenerabantur, ut etiam ipsi inde appellationem inuenerint, uelut apparet. Hippocrates porrò uinum. Mendæum sæpe probat, quod non à Mendesijs in Aegypto, sed Thraciæ urbe Mendæ appellata nomen inuenit. At uerò Galenus lib. 2. ca. 2. de comp. pharm. part. Mendesium etiam Megaleum uocari dicit, utroq; cognomine à Megalo accepto, qui scilicet Mendesius patria fuerit. Sed & Aegyptium idem à tota regione appellatum est. Dioscorides Megaleum suo tempore defecisse suprà dixit, & aliud à Mendesio fecit. B

Stacte. Caput LXII.

STacte uocatur pinguitudo recentis myrrhæ, cum exigua aqua tusæ, & origano expressæ. Ea perquàm odorata, ac preciosa est: atq; unguentum per se facit, quod stacte nominatur. Maximè probatur quæ nullam olei mistionem admisit, cuius minima portio compos est uirium plurimarum. Vim calfactoriam myrrhæ & calidis unguentis respondentem habet.

Officinæ styracem liquidam uocant. Huius sex styrax rubra dicitur Arabum familiæ.

Cinnamominum. Caput LXIII.

CInnamominum confit è balanino oleo, & xylobalsami, calami, iunci odorati spissamentis, atq; cinnamomi, & seminis balsamini suauitate conditur, quadruplaq; myrrhæ ad cinnamomum portione: mel ad cogenda omnia adijcitur. Laudatur non acre, molli odore, planè myrrham redolens, crassum, odoratum, gustu perquàm amaro. Id non à resina, sed myrrha, crasitudinem obtinuit. resina enim neq; amaritudinem præbet, neq; ullam odoris gratiam adijcit: uim habet admodũ acrem, amaram, & calfacientem. Itaq; ora uenarum aperit, calfacit, discutit, diffundit, humores & spiritus attrahit, caput aggrauat, cõtra uuluæ uitia cum duplo oleo, cera, & medulla efficax est: ita enim ferè multum acrimoniæ exolescit, & quædam emolliendi uis contrahitur, alioqui adurit, & præ omnibus crasis unguentis indurat. facit mirum in modum ad fistulas & ulcera, quæ putredinis uitium sensêrunt: itẽ ad hernias humidiores, carbunculos, febrium horrores, tremores, gangrænas q; cũ cardamomo: aduersus serpentium morsus illinitur, scorpionum & phalangiorum ictibus cum tritis grossis imponitur.

A *Cinnamomi unguenti Dioscorides hic sanè elegantem præparationem ostendit: quam tamen facere non possumus, quum uero cinnamomo careamus. Sed si etiam cum uulgari paretur, erit satis utile.*

Nardinum. Caput LXIIII.

RAtio nardini faciundi uariat. Nam aut malabathrino folio, aut fine eo fit: plerunq; autem balanino oleo, aut omphacino, iuncus odoratus spissamenti gratia adijcitur: sicuti propter odoris suauitatem, costus, amomum, nardum, myrrha, balsamum. Laudatur tenue, non acre, nardi aridæ aut amomi odorem referens. Vis ei extenuans, acris: expurgat, excalfacit, abstergit humores, rarefacit. Hoc liquidũ est, nec habet strigmenti crassitudinem, nisi resinam recipiat. Fit etiam simplex ex omphacino oleo, iunco, calamo, costo & nardo.

EXPLICATIO.

Foliatum unguentum ex malabathri folio, quod ipsum etiam peculiariter folium appellatur, compositum fuisse atq; appellatum, satis constat ex Dioscoride, qui diuersa capita facit, quanquam Plinius lib. 13. Nardinum & foliatum appellet. Cuius rei causa ex hoc loco Dioscoridis elici potest, ex eo scilicet quòd nardinum unguentum tum cum folio, tum citra folium malabathri apparari scribit, & mox capite sequenti de malabathrino unguento prodit eadem esse eius spissamenta quæ nardini, nisi quòd plus myrrhæ in ipsum additur. Porrò spicatum, à spica nardi quoq; nominatum, ex eaq; compositum fuisse nemo dubitat. Fuerant itaq; diuersa unguenta, Nardinum ex optima nardo, spicatum ex nardi spica, & foliatum ex Malabathro, quorum ingentia precia Romæ tempore Galeni fuerunt, sicut etiam apud Plinium uidere est indicatum. Cæterùm Galenus unguentum nardinum lib. 1. cap. 2. de comp. ph. part. ter simpliciter nardum uocat, atq; id etiam generis fœminino, habet enim: μετὰ νάρδου τῆς ἀρίστης, id est, cũ optimo nardo: & mox, τὸ χθὲς ἕψος μετὰ νάρδου. id est, liquefacto cum nardino. & rursus, καὶ χρῶ δὲ μετὰ μυρσίνου ἢ μετὰ νάρδου, id est, cum myrrho aut nardino uti: quem modum loquendi etiam hic Dioscorides usurpauit de nardino unguento, ita loquens: ὑσαμις δὲ αὐτῆς λεπτωσικὴ δύναμις. & cæt. Et mox, ὑγρὰ δέ ἐστι καὶ ὃ γλοιώδης, id est, liquidum est, & non strigmentosum. Nam de ipsa nardo hoc intelligi non potest. & Tibullus pœta:

Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo, *Hoc est nardino unguento. & Horat.*

B *Nardo uina merebere. Nardi paruus onyx elucet cadum.*

Malabathrinum. Caput LXV.

MAlabathrinum spissamenta nardini habet: insuper myrrhæ plusculum additur, qua de causa calfacit, crocino, aut amaricino uiribus respondens.

Malabathrinum siue foliatum dictum à Malabathro. uel potius nardus pistica illa, cuius Euangelistæ meminerunt, si Barbaro credimus, hodie peregrinum & exoletum.

Iasminum. Caput LXVI.

Hoc caput non putatur esse Dioscorid.

APud Persas fit, quod Iasminum cognominatur, ex albis floribus uiolæ: quorum sextans, in Italicum sextarium sesamini olei demittitur, uiolis, ut in lilino diximus, uicissim permutatis. Apud Persas inter epulandum usurpatur odoris causa. Nam toti corpori conuenit, præsertim cùm in balneas descensum est. Sed his opitulatur corporibus, quæ calfactionem, laxationemq; desiderant. grauius enim spirat, quàm ut libenter à plerisq; recipiatur.

EXPLICATIO.

Iasminum, iasme, uel iosma, frutex topiarius in Galliæ hortis colitur. Græcum nomen subolat, licet ueteribus ignotum fuisse uideatur, ut Anthonio Musæ placet, quia Serapion in cap. de Zambac, siue Sambac, siue Iasmin, autores Græcos non citat, quod argumenti genus tamen ualidum non est, quum quandoq; ille idem autor de aliquo simplici medicamento commemorat, de quo antiquiores quidem Græci mentionem habuerunt, tamen eos ut illius rei ignaros præterit: quandoq; uerò illos citat, cùm tamen nulla sit in eorum, quæ apud nos sunt, commentarijs, memoria. citius igitur æstimandum est Iasminum uiolam Dioscoridi innotuisse, cùm hîc Iesminum siue Iasminum unguentum describat, ab ea uiola sic cognominatum, quemadmodum etiam Hermolaus annotauit: tametsi nonnullas esse sciam antiquorum compositiones, quæ ab aliquo simplici

simplici medicamento cognominari uidentur, in quas tamen nullum huiusmodi immittitur. de hac re plura in sequentibus. A

Myrrha. Caput LXVII.



MYrrha lachryma est arboris, quæ in Arabia gignitur, Aegyptiæ spinæ non dissimilis, è cuius uulnere defluit lachryma in subiectas tegetes: alia circum caudicem concrescit. Dicitur ex his aliqua pediasimos, præpinguis, quà expressa, stacte emittitur: alia gabirea pinguissima, læto & pingui solo nascens, ea copiosam sudat stacten. Omnium prima est quæ troglodytica appellatur, accepto cognomine à loco, in quo prouenit, splendens, subuiridis, ac mordens quinetiã legitur tenuis * quædam, quæ à troglodytica secunda est, bdellij modo mollis, uerùm odore grauiusculo, apricis nascens. Alia caucalis cognominatur, præter modum exoleta, nigra, & retorrida. Omnium deterrima quæ ergasima dicitur: pingui carens, cano situ obducta, acris, ad gummis imaginem uergens, & uiribus eius proxima, improbatur amibus haud quaquam pingues, & inodorati minus odore* pollet, quæ oleum non admisit, cùm in pastillos digerebatur. Adulteratur macerato gummi aqua, in qua myrrha maduerit. Eligenda est recens, squalore obsita, leuis, undique concolor, quæ confracta uenas unguium modo candidas & leues ostendat, minutis glebis, amara, acris, odorata, calfaciens: superua cua & inutilis est ponderosa, coloris picei. Calfacit, cohibet, soporem gignit, glutinat, siccat, astringit, uuluam emollit, & præclusam aperit, menses & partus celeriter extrahit, cum absinthio, lupinorum cremore, uel succo rutæ admota. tuberculo fabæ deuoratur in uetere tussi, orthopnœa, in lateris pectoris q; dolorib. in aluí profluuio, & dysenteria. horrores discutit, duabus horis ante febrium accessiones, fabæ magnitudine pota cum pipere & aqua. subdita linguæ liquata q; scabritiem arteriæ expolit, obtusam uocem expedit, uentris tineas enecat, contra grauem oris halitum manditur, & aduersus alarum tædia, cum liquido alumine illinitur, gingiuas & dentes stabilit, colluto cum uino & oleo ore. uulnera capitis illitu glutinat. medetur fractis auribus, ac ossibus nudatis, perunctacum cochleæ carnibus. item purulentis auribus inflammatis q; cum meconio, castorio, & glaucio: ad uaros autem cum casia & melle illinitur. impetigines ex aceto purgat, defluentes capillos cum ladano & uino myrteo illita, firmat. diuturnas destillationes lenit, illitis penna naribus, oculorum ulcera complet, albugines tollit, caliginem discutit, scabritiem læuigat. Fit è myrrha, perinde atq; thure, fuligo, &, ut postea ostendemus, ad eadem conueniens. Bœotica myrrha, dissecta radix est arboris cuiusdam in Bœotia nascentis. Melior est quæ myrrham odore repræsentat: uis ei calfactoria ineſt. emollit, discutit q;, suffimentis commodissimè inseritur. B

* Alij, Sba.

* Alij, uirib.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè σμύρνα, μύρρα. Latinè Myrrha appellatur.
Officinis nomen retinet. Germani, Mirrhen. Galli Myrrhe uocant.

Myrrha est arboris Arabicæ lachryma, calida sicca ordine secundo, tenuis essentiæ, multa amaritudine, tergetpotenter, tamen sine exasperatione, imò lenit: digerit non ignauiter, sed citra rosionem, siccat ualde, tamen sine astrictione: coquit modicè etiam prauos humores, & præter naturam habentes: qua ratione stomachicis in id malum compositis miscetur, sed pauca, & cuius qualitatis medicamentosæ absurditas odoris superetur, tamen ea tutius auferri potest. Myrrha rubra Actuario, σμύρνα ἐλλείνη, Myrrha uerax eidem. Eligenda recens, squalore & situ obducta, læuis, tota concolor, & quæ confracta candidas unguium modo uenas, & leues ostendat, glebis minutis, amara, acris, odorata, ut Dioscoridi placet. Quapropter colicæ Paccij Antiochi pauca myrrha miscetur, quæ odorem tantummodo præstet. Improbatur σμύρνα nomine Dioscoridi: Galeno autem eligitur Troglotytis, quæ & Minea dicitur, à regione ubi præstantissimam gigni affirmant. Ea gratissimi sit odoris, & nullo uiciata liquore (ubi Minea, uel ut bis lib. 9. comp. ph. part. legtur, μιννᾶα, uidetur eadem quæ Dioscoridi Aminea improbatur) adulteratur enim gummi macerato aqua, in qua myrrha maduerit, ut Dioscorid. tradit. Vera enim est rara inuentu, præcipuè syncera; nam in optima myrrha opocalpason inuenitur, ab optima myrrha diuersum, ut in Galbano Sagapeni, in casia

Lib. 5. Simp.

Lib. 9. c. ph. p.

Lib. 6. c. ph. p. & lib. 1. Antid.

A *in casia cinnamomum, & horum aliquid medium, quæ à se inuicem discernere is solus potest, qui sæpe ea observarit, adeò ut ex una sæpe sola nota internoscat. Nam Sagapenum ex Galbano odoris hircini speciem retinet: non habet autem proprietatem odoris cuiusdam, ut propriè dictum Sagapenum. Tamen in hoc Sagapeno & congenere Galbano parua est differentia ad medicamenti compositionem. Ambo enim conueniunt, qui aduersantur uirulentis & delcteriis: sed Galbanum minus Sagapeno. At opocalpason lethale est intra corpus sumptum: ob id sua ætate multos periisse scribit Galenus usu myrrhæ, quæ opocalpason habebat, à nonnullis de industria mistum myrrhæ, ut eam redderent laudatissimam. Nam sic mista, collirijsq; indita, pus citra rosionem discutit, ac interdum suffusionem incipientem substantia tenuem, siue ceratum, siue emplastrum, siue aliud medicamentum myrrham opocalpaso mistam recipiens oculo injcias. Myrrhæ igitur officinarum omnino adulteratæ parum tutus est usus in sumendis.*

Hactenus Gale. Lib. 1. Antido.

Styrax. Caput LXVIII.

STyrax lachryma est arboris malo cotoneæ similis. Præfertur sordescens, flauus, resinosus, albicantibus grumis, quàmplurimum in sua odoris gratia permanēs: qui dum mollitur, melleum liquorem reddit, qualis è Catabalis, Pisidia, & Cilicia deuehitur. Deterior niger, furfurosus, friabilis, canoq; situ obductus. Cæterùm lachryma inuenitur gummium similitudine, perlucida, & myrrhæ æmula, uerùm pauca manat. Adulteratur ligni scobe, quam uermiculi erodentes excusserunt, melle, & iridis sedimento, & quibusdam alijs. Alij ceram aut adipem odoribus imbutis, flagrantissimis solibus cum styrace subigunt, & per laxa cribri foramina in frigida aquâ uermiculos exprimunt, uenundantq; Styracem hunc, quoniam in uermiculorum speciem contrahatur, scoleciten cogminant, quem tanquam syncerum imperiti approbant, non animaduertentes ad præcipuam odoris fragrantiam: siquidem acer admodum est, qui adulterationis uitio caret. Styrax calfacit, emollit, & concoquit, medetur tussi, destillationibus, raucedini, grauedini, & interceptæ uoci, uuluæ præclusæ duritiaue laboranti conuenit, cit menses potu appositusq; aluũ leuiter mollit, si exiguum cum resina terebinthina catapotij modo deuoretur. mi-
B scetur utiliter discutientibus malagmatis, acopisq;. adoletur autem & igni torretur, ut fiat ex eo, uelut ex thure, fuligo, ad eadem conueniens ad quæ thuris fuligo: ex eo etiam in Syria styracinum oleum componitur, quod calfacit uehementer, & emollit, uerùm caput dolore afficit adgrauatq;, & soporem adfert.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Στύραξ. *Latini Græcum nomen retinuere.*

Officinæ perperam uocant storacem calamitam.

Lib. 8. simp. *Styrax lachryma est arboris Syriacæ, calfacit, mollit, coquit, tusses, catharros, coryzas, branchos: menses autem mouet sumptus & admotus. Styracis drachmam unam miscet Andromachus arteriacæ 13, lib. 7. comp. pharm. part.*

Lib. 1. Anti. *Adulteratur multis modis Dioscoridi: sed ab eo præscriptis notis dolus deprehenditur.*

Styrax calamites. *Styrax inijciendus theriacæ, qui ex Pamphilia in arundinibus affertur, hic autem pauciſsimus est, & tanto discrimine à copioso hoc Styrace uariat, quantùm falernum uinum ab eo, quod in tabernis uenditur. Tamen illius penuria, huius accipe quod calidissimum & odore & gustu ualidissimum est.*

Lib. 5. simp. ca. 18. *Styrax, ut crocus, myrrha, quantitate sunt deleteria: nam largus pota quædam dementant, quædã mentem auferunt, sed mensura apta alijs mista iuuant.*

Στύραξ ὁ ἄγριος, id est, Hispanum, cognominatur Actuario in Trochisco Neapolitæ.

Bdellium. Caput LXIX.

BDellium, alij bolchon appellant, alij madelcon, lachryma est saracenicæ * arboris. Probatur gustu amarum, translucidum, taurini glutinis in morem, intus pingue, liquescens facilè, ligni ac sordis expers, suffitu odoratum, ungui simile. Est etiamnum bdellij genus sordidum, nigrum, uberioribus glebis in offas conuolutum, aspalathi odore, ex India aduectum. defertur etiam à Petra oppido siccum, resinosum, liuescens, sed facultate secundum. Adulteratur gummi: sed ita uitiatum non perinde gustui amaritudinem repræsentat, nec usquèadeò suffitionibus odoratum,

* Quidam Scythicæ, aut Arabicæ.

ratum,calfacit & emollit duritias, & turgentia guttura, humidasq; hernias discutit,cum ieiuna saliua dilutum, uuluæ spiracula laxat appositu & suffitu. & partus humiditatesq; omneis extrahit,calculos potu comminuit.urinam mouet,tussientibus,à serpente percussis,utilissimè datur:ualet ad rupta,uulsa, laterum dolores, & discurfantes spiritus:malagmatis inseritur,quæ contra duritias & neruorum nodos prosunt:contusum resoluitur affuso uino aut aqua calida. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græci Βδέλλιον. *Latini bdellium arborem & ipsius lachrymam uocant, Græca appellatione: quo nomine & Germanis & Gallis cognita lachryma.*

Bdellium lachryma est arboris Sarracenicæ,calfacit,mollit & coquit,discutit mediocriter. Scythicum est acrius,resinosius ad emolliendum efficacius.Arabicum autem è petra delatum resinosum, liuescens,diluidius ,magis siccans quàm emolliens,nisi recens & humidum sit,& quod tundẽdo facilè molliescat, id enim idem pollet quod Scythicum.Tertium Indicum addit Dioscor. sordidum,nigrum,grandioribus glebis in offas conuolutum.Optimum uerò est,ligno,cortice,sordibus carens,ut taurinum gluten translucens, ob id bdellium clarum dicitur lib. 8.comp. phar. part.quo libro Democrates in quarto malagmate Bdellium onycha appellat,optimum bdellium,& quod incensum ac suffitum onychis Indicis conchilij testæ odorem referat. tale hic Dioscorides optimum esse dicit.In hodierna pharmacopoliorum bdellio nulla similitudo ad unguem conspicitur,ad onychem uerò aromaticam Indici conchilij testam,bdellium accensum odoris similitudinem habe re libentius crediderim,& eius rei periculum etiam facere possimus,si onychen aromaticum haberemus. Nam quæ Blattæ Byzantiæ uulgo appellantur,ut infrà audies,dubium apud me est, an ueri onyches existant, qui apud Dioscor:d.libro sequenti describuntur: sicut possibile est etiam bdellium officinarum non esse sincerum,ut certum ex suffitu utriusq; experimentum facere non queamus.



Thus. Caput LXX.

THus in ea gignitur Arabia,quæ thurifera cognominatur. Primatum tenet in eo genere masculum,stagonias appellatum,suapte natura rotundum. tale autem indiuiduum est,candidum cùm frangitur,intus pingue, in suffitu statim ardens. Indicum uerò fuluescit,& colore liuet,sed rotundum industria factitant: nam in quadrangulares formas dissectum fictilibus uersant,donec rotunditatem cõtrahat. uerùm huiusmodi thus tempore flauescit, quod atamũ aut lyagrum appellant Secundum locum habet Arabicum, & in Smilo nascens,quod aliqui copiscum uocant,minus multò & fuluius.Est & genus aliud,cui amomitæ cognomen est,alioqui candidum: quod dum mollitur,mastiches more digitis cedit. Adulteratur in itinere,pini resina & gummis, quod facilè deprehendi potest, siquidem suffitum gummi flammam non eiaculatur,& resina in fumum euanescit, thus uerò statim ardet:idem maleficium odor prodit. Ad calfaciendum & astringendum pollet.oculorum caliginem discutit.caua ulcera complet,& ad cicatricem perducit.cruenta uulnera glutinat,infrenatq; cunctas sanguinis eruptiones, etiamsi cerebri membranis effluat.ulcera quæ cacoëthe uocantur,& sedis & reliquarum partium permulcet tritum cum eo & lacte linamentum. formicantes uerrucas inter ini tia,impetigines q;,ex aceto & pice illitum,tollit.ambusta igni,pernionesq; cũ suillo adipe aut anserino,& ulcera in capite manantia cum nitro,si infricetur,sanat.paronychijs cum melle, auribus fractis cum pice,medetur. ad reliquos aurium dolores cum dulci uino infunditur.inflammatæ à partu mammæ cũ cimolia & rosaceo magna utilitate perungitur.additur ad arteriæ uiscerumq; medicamenta.prodest sanguinis excreationi potum. sed in secunda ualetudine haustum insaniam mouet,& largius cum uino potum interficit.In fictili mundo thus crematur,flagrante glebula succensum à lucerna,donec exuratur. post perfectam ustionem operire oportet usq; dum restinguatur,sic enim in cineres non redigitur. Aliqui ollulam æneo uase cauo circa medium perforato cingunt ad excipiendam fuliginem,ut in eius mentio nem mox ostendemus. alij crudo fictili luto oblito,& in fornacem indito,cremant. Fictili etiam nouo uiuacibus prunis torretur,dum non amplius bullet, aut pinguedinem uaporémue emittat: facilè enim comminuitur quod perustum non est. B

A NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè λίβανος. Latinè thus arbor lachrymam sibi cognominem fundens. In Officinis Latinam appellationem seruauit.

Germanis, Weirauch. Gallis Encens & labre dencens, dicitur.

Thus est lachryma Arabicæ arboris, calidum ordine secundo, siccum primo, modicè astringit, tergit imbecilliter, coquit phlegmonas, acrodynon est & sarcoticum, cicatricem remoratur, emplastri temperaturam iuuat, acribus mistum uehementiam illorum obtundit, pus mouet, quia calidum emplasticum, nullam eminentem astringendi uim sortitum, præcipuè pinguius & albius. Nam flauius siccat magis.

Primatum tenet in thuris genere masculum, quod λίβανον ἄρρεν Actuario dicitur, suapte natura rotundum, indiuiduum, candidum, cum frangitur intus pingue, in suffitu statim ardens. Dicit autem Dioscorides naturaliter rotundum, quod Galenus lib. 5. cap. 10. comp. pharma. ἄτομον uocat in quodam Aristarchi medicamento, nam sectum de industria rotundum fit, nimirum cum quadrangulari figura sectum ac in figulinâ conclectum, tamdiu obuoluitur, donec rotundum fiat, atq; hoc ὤτομον appellatur, illo deterius, ut contra ἄτομον appellationis. Dicuntur hæc genera etiam τιμῆον & ἄτιμον.

Thuris cortex. Caput LXXI.

PRæfertur thuris cortex crassus, pinguis, odoratus, recens, leuis, minimè scaber, sine membranis. Adulteratur admisto pini aut nucis eius cortice. sed horum index ignis est: siquidem reliqui cortices suffiti nequaquam incenduntur, sed sine odore fumum eructant. thuris uerò cortex ardet, & cum odoris fragrantia uaporem eiaculatur. thuris modo uritur, & uis eadem quæ thuri, sed ualidior astringentior q; Quare potu cruentis excreationibus, uuluis fluxione laborantibus, in pessо confert. ad cicatrices oculorum, & caua sordes q; efficax est. tostus scabris lippitudinibus auxiliatur.

Cortex thuris insigniter astringit, siccat ordine secundo, crassiorum est partium quàm thus, minimam habet acrimoniam, ardet igni cum odoris fragrantia.

B

Manna thuris. Caput LXXII.

MAnna thuris probatur candore, micarum frequentia, & puritate. Vim habet eandem quam & thus, sed inualidiusculam. Sunt qui cribrata pini resina, ac polline, aut cortice thuris contusi adulterant. sed hæc igne deprehenduntur. Neq; enim æquè suffitu aërium uaporem, sed fuliginosum & impurum expuit, & permistum suaueolentiæ halitus uirus habet.

EXPLICATIO.

Mannam, seu mannum thuris (ut lib. 9. comp. pha. part. bis leges) propriè micas thuris ex magnis fissiculis concussu elisas, à thure leuigato diuersas. Nam fragmenta quædam exigua corticis thuris ei mannæ inhærent, à quibus exiguum quiddam astrictionis assumpsit, qua differt à thure, quippe quo magis astringit, tamen etiam coquit, ut Galenus lib. 1. comp. pharm. part. & lib. 13. Meth. Dioscorides hîc mannam album puram & granulosam probat. Sorbonius Largus mannam thuris sæpenumero pollinem thuris appellat. Paulus uerò lib. 3. cap. 22. de cicatricibus & albugnibus oculorum μάννᾳ appellat etiam μαμμᾳρίᾳ, atq; ita etiam Aëtius uocat serm. 12. cap. 44. in fine.

Thuris fuligo. Caput LXXIII.

FVliginem thuris sic facito: Forcipicula, lucernis accensas singulatim thuris glebas, in nouam fictilem ollam concauam imponito, & æreo uase in medio perforato, detersa diligenter sorde, obtegito. alteram admoueto, ex altera eius parte aut utraq;, subiectis quaternûm digitorum altitudine lapillis, quò facilius perspici queat, si urantur, & qualocus capax fuerit, glebulas alias supponito, & antea quàm prorsus prior gleba restinguatur, aliam imponito, donec sufficientem fuliginem uidearis cogisse. Continuò tamen externæ æramenti partes spongia, aqua frigida madefacta, abstergantur: ita enim temperato æris feruore, fuligo omnis inhærebit, quæ alioqui per leuitatem decidua, thuris cineribus admiscetur. Derasa igitur fuligine, cinis cremati thuris seorsum substrahendus est. idem opus, quoad satisfactū sibi

ubi uidebitur, obeundum. Oculorũ inflammationes mitigat, fluxiones suspendit. A ulcera purgat. caua explet. carcinomata sistit. Simili modo è myrrha, resina, styrace, reliquisq; lachrymis, fuligo excipitur, ad eadem conueniens.

Alium modum quærendi thuris fuligînem, uide apud Victruuium de architectura. nescio tamen an aliquibus hodie in usu sit. Plura in annotationibus nostris in cap. 80. huius libri de fuligine liquidæ picis.

Picea & Pinus. Caput LXXIIII.

Nux pini.



Nux pini.



PInus & Picea generi eidem ascribũtur, sed quandam flagitant specierum distinctionem. arbores uulgo cognitæ: quarum cortex astringit. prodest tritus & illitus intertrigini, ulceribus summum corpus occupantibus, ambustisq;, cum spuma argenti & manna. ulcera delicatulorum acrimoniam recusantium, cerato myrtino exceptus, ad cicatricem perducit. tritus cum sutorio atramento serpentia cohibet. suffitu partus & secundas eiicit. potus aluum sistit. urinam mouet. Folia eorum trita & illita inflammationes leniunt, uulnera ab inflammatione uindicant. trita autem & decocta in aceto, feruenti collutione, dentiũ dolores mulcent. hepaticis utilia sunt, drachmæ pondere in aqua aut mulsa pota. Pineæ nucis cortex & folia potu idem præstant. Teda earum particulatim secta, si in aceto coquatur, & decocto dens colluatur, dolores leuat. ex his etiam fit spata acoporum pessorumq; compositionibus idonea. quinetiam earum crematarum fuligo ad librarij atramenti confectionem excipitur. ea circumlitionibus efficacissimè imponitur, quibus palpebras ornant, colorem q; mentiuntur. calliblephara Græci uocant. arrosis oculorum angulis, callosis glabrisq; genis, & collachrymationibus opitulatur. Pityides appellantur pinorum piceæq; fructus, qui in conis inueniuntur. Vim astrictoriam * habent, & aliquantum excalfacientem. tussi & pectoris uitijs auxiliantur, per se, aut ex mellesumpti. Nuces pineæ cùm repurgatæ manduntur, aut cum passo aut cucumeris semine bibuntur, urinam cient, acrimonias in renibus & uesica hebetant. stomachi rosiones leniunt. datæ cum portulacæ succo, uirium infirmitatem roborant. corruptorum quoq; humorum labem obtundunt. Pineæ nuces integræ recenter arboribus decerptæ in passo franguntur, & decoctæ, uetusti tussi ac tabitudini conferunt, si quotidie ex eo liquore terni cyathi bibantur. B

* Alij, cognendi.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Pinus Græcè πεύκη. Germanicè, Ein forchen/Arben/bringt frucht zuessen/so man pineen kernen nennet. Gallicè ung pin uocatur.

Piceam Græci πίτυν. Germani, Rot dannen, *ut quibusdam uidetur, alijs* Ein Fichtdannen. Galli ung abre du genre du pin appellant.

Pinus arbor uulgo nota, non nisi à uertice ramosa. folio pectinum modo dissecto promissoq;, ac mucrone aculeato, conis lignosis, frequenti nucamento in turbinatam effigiem compactilibus, in quibus nuclei singulis cameratis toris inclusæ. Officinæ pineas. Germani, Pineen kernen. Galli corix au pomes de pin, appellant. Sunt magni usus in Officinis.

Picea uerò larici simillima est, folio breui, sete proximo, crassiore tamen duroq;, ut cupressis, immortali uiore: ad laricis uerò comam collisa, rariore, sicciore, tenuioriq; ac magis algenti; rami statim à radice modici, uelut brachia lateribus inhærent, materie abieti proxima, frequens in Alpibus Coetijs uisitur, fundens resinam thuri usq; eo similem, ut pro eo sæpe fallat, & odor adest non ingratus. Galli du garipot nocant.

A *Nuces pineis similes, sed minores, ut & arbor tota pinu humilior gracilioráq;.*

Pinus & Picea, ut scribit Dioscorides, eidem adscribuntur generi: sed quandam flagitant specierum distinctionem: sic autem differt à pinu picea, quòd pinguior ac tenuior folio est, quodáq; minus alta, minusq; recta quàm pinus adsurgit: præterea & conum minorem ac magis algentem, nucleos quoq; resina perfusos obtinet. Vtriq; folium capillamenti modo prætenue, ac breui seta uillosum, crassiore, duráq; ceu cypressis. materies candida & abieti similior. Pinus ustis radicibus non repullulat. Picea repullulat, ut in Lesbo accidisse Theophrastus scribit, incenso Pyrrhei montis nemore, quod pinis scatebat.

Lentiscus. Caput LXXV.



B

LEntiscus nota arbor est, cui uis inest astringendi. semini enim, folio, ramo, cortici, radicibusq; cognatæ insunt uires. Liquamentum autem ita fieri solet: Folia, cortex & radix in aqua coquuntur, & ubi abundè cocta refrigerata sunt, folia abiiciuntur. aqua denuò coquitur, donec mellis habeat crassitudinem. Lentiscus sua adstringendi, dote, ualet aduersus sanguinis reiectiones, alui profluuia, & dysenterias in potu, item contra eruptionem sanguinis è uulua, & eiusdem aut sedis procidentia. Inunctum acaciæ & hypocisthidis uicem repræsentat. idem facit succus è tritis foliis. Decoctum fotu caua explet, & fracta ossa ferruminat. uuluæ fluxiones sistit. nomas arcet. urinam pellit. motus dentium collutione stabilit. Virentes surculi calamulorum uice dentibus repurgandis affricantur. Fit è semine oleum, quod prodest cùm quid astringi opus est. Lentiscus resinam gignit, quæ lentiscina cognominatur, & ab aliquibus mastiche. Pota utilis est sanguinem reiicientibus, & tussi ueteri. stomacho auxiliatur, sed ructum mouet. additur in dentifricia & illitiones faciei, ad nitorem cuti conciliandum. palpebras oculis incommodas replicat. manducata halitum oris commendat. gingiuas contrahit. Optima & copiosissima in insula Chio prouenit: Præfertur (nitedulæ modo) resplendescens, & candore Tyrrhenicæ ceræ similis, adulta, retorrida, friabilis, odorata, stridorem ædens. Viridis autem inferior est. Adulteratur thuris, resinæq; pineæ nucis mistura.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè Σχῖνος. *Latinè* Lentiscus. *Officinis incognita. In Germania non prouenit.*

Galli Lentisq; & Restringe Monspessuli *uocant.*

Arbor est roboris magnitudine, sorbi folio, terebinthi odore, acinis syluestris puniceæ rubentibus, ubi maturuerint nigris, tantisper dum coquuntur rufis. Fertur & alia iumpero similis.

Lentisci baccas Schinides *appellauit* Hippocrates.

Resinam lentiscus ubiq; sudat, mastichem uerò dictam in Chio tantùm insula ferè. Officinis Græco & Latino nomine cognita, Germanis & Gallis mastix appellata. Parum astringit, siccat sine morsu, calida & sicca ordine secundo, minimum est acris, tenuium maximè partium, stomachi intestinorum, hepatis imbecillitati & phlegmoni prodest. Laudatissima & copiosissima è Chio insula (unde Galeno Mastiche Chia passim dicitur) affertur.

Terebinthus.

Terebinthus. Caput LXXVI. A



TErebinthus cognita arbor est, cuius folia, & semen, & cortex astringunt, & ad eadē ad quæ lentiscus conueniunt, simili parata modo sumptaq;. Fructus esui aptus est, sed stomacho aduersatur. excalfacit. urinam mouet. uenerem excitat. contra phalangiorum morsus cōuenienter in uino bibitur. Resina eius ex Arabia petræa defertur. Prouenit etiam in Iudea, Syria, Cypro, Aphrica & Cycladibus insulis. sed præualet candida, perlucida, uitreo colore, & in cæruleum uergente, odorata, terebinthum olens. Terebinthina resinas omnes antecedit. proxima lentiscina, & è pinu, & abiete. has sequitur è picea & pineis nucibus resina. Natura omnibus calfacere, mollire, discutere, expurgare. tussi ac tabi conueniunt per se, aut in eclegmate ex melle. uitia pectoris expurgant. urinam cient. cruda concoquunt. uentrē emolliunt. palpebras commodissimè replicant, lepras tollunt, cum ærugine ac sutorio atramento, nitroq;: auribus saniem emanātibus cum melle & oleo, item in pruritu genitalium utiles. malagmatis, acopisq; admiscentur. laterum doloribus per se, illitu & appositu auxilio sunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Τερμινθος. Latinè Terebinthus.

Officinæ ueram Terebinthinam non habent, nam ea qua hodie passim utuntur, resina est Piceæ ac Tedæ. Germanis quoq; & Gallis hodie incognita, uulgarē Terpentin & Gloziet, Galli Termentini appellāt.

Terebinthus arbor, cuius picturam damus, iuxta Monspessulum nascitur, Pudis appellata. B

Terminthos arbor circa Idam Macedoniamq;, breuis, fruticosa & contorta: in Syria uerò magna & copiosa, decoraq; materie, lenta, nigra, lauri penè folio, oleæ flore, sed puniceo, baccis primùm herbaceis, mox rubris, & tandem maturitate nigrantibus, magnitudine fabæ, resinosis, sulphurosis, & radice ualida in profundum acta. Fert & folliculos emittentes quædam animalia ceu culices, lentoremq; resinosum, qui ex cortice erumpit, Ρητίνη Τερμινθινη Græcis dicta, hoc est, Terebinthi resina, cæterarum præstantissima, astringit manifestè, sed minus quàm mastiche: emollit autem magis, coquit, digerit. qualitate subamara, & partium tenuitate terget angustos meatus uasorum, & in eis oculorum obstructiones liberat. ob id putredinem prohibet, aut finit: & hepaticis probè miscetur, è profundo potentius trahit quàm cæteræ resinæ. Hæc aluum citra noxam soluit, & uiscera omnia: iecur, lienem, renes, pulmonem abstergit. Terebinthina Resina omnis ex Chio insula est præstantiß & odore & gustu cæteris præcellit. Chia igitur semper utenda, si haberi potest. Huius penuria Libyca, Pontica, & ex alijs regionibus optima est miscenda theriacæ & alijs medicamentis: non autem Libyca, tanquam omnium præstantissima cum Andromacho. Præstantior est alba, uel cœrulea, uel colore uitri, perlucida, odorata, & Terebinthum plus referens, qualis quæ ex insulis Cycladibus affertur: ob id Chiam quoq; Terebinthinam laudat Galenus. Minus laudata Cypria, Syriaca, Iudaica, Arabica, Aphrica, Libycam tamen, ut dixi, laudat Andromachus. Nunc Cypria Venetijs commendatur. Quæ autem pro Terebinthina resina uenditur, aut Lauricea est, aut Abietina, ut suprà monuimus.

Resinæ aliæ. Caput LXXVII.

LIquida resina è pinu & picea, à Gallia & Hetruria conuehi solet: atq; olim à Colophone petebatur: hinc Colophoniæ sibi cognomentum uendi cauit. A Gallia quoq; subalpina, quam uernaculo nomine laricem appellant incolæ. Ea in lictu. & per se, magnoperè prodest tussi ueteri. Colore inter se distant, siquidem alia candida est, alia oleosa, alia mellei liquoris similitudine, ut larigna. Cupressus etiā liquidam fundit resinam, quæ ad eadem pollet. Quæ uerò aridarum generi ascribūtur, quædam ex pineis nucibus, aliæ abiete, aliæ picea & pinu exierunt. Eligi debet longè omnium odoratissima, translucens, non retorrida, neq; diluta, quandam ce-

A Larix.



ræ faciem præbens, & friabilis. E picea & abiete resinæ cæteras antecedũt: odoratæ enim sunt, atq; thus odore imitantur. Præstantiores à Pityusa insula deferuntur, quæ secundùm Hispaniam sita est. Sed quæ è picea, nucibus pineis & cupresso manarunt, nihil ad illas, nec tantis uiribus potiuntur. Veruntamen eorundem gratia quorum & illæ sumi solent. Lentiscina terebinthinæ respondet. Vritur resina omnis liquida in uase quadruplæ capacitatis ad humorem qui infunditur. itaq; resinę cõgius, in duobus aquæ pluuiæ coquitur, subiectis leuibus prunis: resina assiduè mouetur, donec omnis odor aboleatur, & friabilis & retorrida reddatur, ac digitis cedat: cæterùm ubi refrixit, in fictile non picatum, quod aconitum uocant, id est, non illitum, recondi-
tur. Fiet etiam eximij candoris, si resina omnis eliquata præcoletur, quò fæculenta sordes excernatur. Vruntur quoque sine aqua, primùm lento igne, & ubi coire cœperunt, maior carbonum strues supponitur, & triduo citra intermissionem discoquuntur, usquedum antedictas naturæ suæ notas exuerint. mox ut dictum est, reponuntur. Aridas unius diei spacio decoxisse satis est. Vstæ odoratis malagmatibus, & acopis, & unguentorum co-
B lorationibus magnoperè utiles sunt. E resina perinde atque thure fuligo excipitur, ad circumlitiones idonea, quibus palpebras fucant, & colorem mentiuntur. prodest glabris genis, collachrymationibus, erosisq; oculorum angulis, ex ea fit atramentum scriptorium.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Resinæ inferiores Terebinthina in digerendo & attrahendo sicut pinea. Hartz von Forhen/ *Strobilina,* Hartz von Zirlin baum/ *Picea,* Von rot Dannen oder Fichten/ *Abietina,* Dennhartz. *Laricea,* von Lerchdannen. *Cyparissina,* von Cypreßbaum.

Resinarum mitissimæ sunt Terebinthina, Venedischer Terpentin (*nostra Laricina & Abietina officinis, sed infinitis partibus præstantior*) *Larix,* Vnser gemeyner Terpentin / oder Hartz von Lerchdannen.

Resinæ Terebinthinæ larix propemodum similis est, ob id illius penuria hac utendum: illa autem per omnia est melior quàm Colophonia, & quæ Phrycte dicitur.

Resinæ siue larix siue Terebinthina uocatæ, aduersus ulcera maligniora magis ualent.

Strobilina resinarum longè calidissima, & celerrimè siccans omnium moderatissima est, utraq; qualitate Terebinthina.

Pityinon, Physema priuatim dictum, genere etiam resina est, multò minus calida & sicca, quàm strobilina, media harum calore Abietina, liquida tamen diu durat, ut Colophonia, thus redolens, odore suaui ut abietina mediocri, quæ à nonnullis sola dicitur Colophonia, nascitur admodum modica, ob id est pretiosa.

Resinæ siccatæ pinguis experte fiunt: ob id emplastra bene adhærentia conficere non possunt, ut uiscosæ & liquidæ.

Humidissima est Larix altera: est enim Resina Larix dicta duplex, una Terebinthinæ omnino similis, altera calidior, liquidior, odoratu grauior & ingratior, gustu amarior, acrior, mordacior.

Quare satis est Terebinthinum omnibus medicamentis ulcera rectè curaturis miscere, in quibus curandis præcipuus est scopus non mordere.

Τερμινθινὴ πεφρυγμένη, retorrida. Lib. 8. comp. ph. part.

Arborum partibus præsertim truncis à germinatu incisis & scarificatis resinas elicimus.

Pix liquida, quam alij conum uocant, è pinguissimis pini piceæq; lignis congregatur. Optima est splendens, syncera, leuis. Contra uenena, phthisin, purulentam excreationem, tusses, suspiria, & pectoris humores, qui difficilè extussiũtur, efficax est, eclegmate cyathi mensura cum melle dato. tonsillarum & uuæ inflammationes, anginęq; utiliter perunguntur. purulentis auribus infunditur cum rosaceo, & illinitur cum trito sale serpentium morsibus. adiecta uerò pari cera scabros ungues extricat, impetigines q; emendat. uuluę duritias ac sedis tubercula discutit: cum farinaq; hordeacea & pueri impubis urina decocta, strumas rumpit. cohibet ulcera quæ serpunt, cum pineo cortice, aut sulphure, aut furfuribus illita. cæterùm cũ thure, myrrha manna & cerato profundos ulcerum sinus conglutinat. rimis sedis & pedum, magno auxilio illinitur, ulcera replet, & cum melle purgat. quin & cum uua passa & melle carbunculos, & putrida ulcera emarginat, disrumpitq; erodentibus medicamentis, quas septas uocant, probè immiscetur. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Κῶνος Graza Conum transfert. Marcellus uerò nucem pineã interpretatur, ut accipit Dioscorides, alijq; ueteres Græci. Galenus autem Conon arborem appellat, fructum eius, hoc est nucem, κόκκαλον, & σπόβολον, atq; hoc pacto apud Paulum accipi debet.

Accensis arboribus resinosis, ut pina, picea, larice, terebintho, teda, cedro, ex resinosa substantia igni parum siccata fit pix liquida, cui pòst supernatat pissanthum tenui consistentia, & facultate est astringente, ob id caniciem sine ulla noxa tardat. Vt pissæleon, id est, pix liquida cum oleo mista.

Germanicè, Schiffbech/ Pech.

Picinum oleum. Caput LXXIX.

E Pice fit quod pisselæon appellant, separato liquore aquoso, qui supernatat picis, sicut serum lacti. Nam expansa, quandiu pix coquitur, supra cortinam uellera pura madescunt, acceptoq; halitu eius exprimuntur in uas. Quas pix liquida, præbet utilitates. alopecias capillo replet cum farina hordeacea illitum: quibus pix medetur. iumentorum ulcera scabiemq; emendat. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Pissæleon, hoc est, oleum picatum, Galenus uocari in Asia dicit oleum cum liquida pice permixtum, quod ipsum neq; hic Dioscorides, neq; Paulus, neq; Plinius, ubi de pissæleo agunt, uolunt: sed pissæleon seu oleum picinum uocant id quod in pice liquida serosum superstat, & quod dum pix coquitur, pura supra tensa lana excipitur ex sublato uapore. Verum hoc ipsum Galenus ad superioris differentiam, non pissæleon uocari dicit, sed pissanthos, hoc est, picis florem. & Paulus lib. 3. cap. 74. ὀρρόπισσον idem appellat, hoc est, picis serum. Scribonius autem largus cap. 40. ait: picis florem, quod pissæleon appellant.

Fuligo liquidæ picis. Caput LXXX.

Fit hoc modo è liquida pice fuligo: In lucerna noua quæ ellychnium habeat, nõnihil picis incendito, lucernamq; fictili uase in clibani speciem conformato, superius in angustum fornicato, inferius perforato, ut clibani esse solent: operito, & adoleri sinito, consumptoq; liquore nouum infundito, quoad sufficientem usui fuliginem collegeris. Vis ei astringens, acrisq; usui est ad pigmenta quibus palpebras linunt & uenustant, & ad circumlitiones, item ubi glabris pilos restitui oportet, ad imbecilles lachrymososq; oculos: insuper ad eorundem ulcera non inutilis est.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè λιγνύς. Latinè fuligo. Officinæ latinum nomen usurpant. Germanicè Rüß.

Fuligo omnis exiccatoria est, ac perinde terrestris est essentiæ, habens quasdam etiam ignis, qui materiam combussit, reliquias, sed id pusillum est. Porrò tota natura terrena est, tenuium partium. Sed quæ specialim in ea differentiæ sunt, eæ pro usta materia eueniunt: ex acriore & calidiore, tali etiam proueniente fuligine, ex dulciore simili quoq; & hinc fuligine proueniente. Primùm enim thuris fuligine utuntur in oculariis medicinis mista, eas uidelicet quæ ad oculos etiamnum phlegmone tentatos accommodantur, atque etiam cum fluxione uexantur, & ulcera habent: nam & illa expurgat, & carne implet. Ad hæc usurpant quoq; eam ad facultates quas uocant calliblepharas. Præterea Terebinthinæ myrrhæq; fuligo molestia car-

A non aliter quàm thuris: sed styracis quodammodo uiolentior est: magis etiam picis liquidæ, qua etiam magis cedri. Porrò acrioribus utuntur ad uitia superciliorum, uocata ptila, & erosos oculorum angulos humidosq; citra phlegmonem. At mollioribus mitioribusq; tum ad hæc, tum ad ea ad quæ competere paulò superius diximus, thuris fulignem.

Pix arida. Caput LXXXI.

LIquida pix decocta in spissam coit, quam uocant aliqui palimpissam. quo in genere quædam uisci modo lentescit, boscas cognominata. altera sicca est Probatur pura, pinguis, odorata, subrufa, resinosa. Talis Brutia & Lycia, picis resinæq; simul naturam habentes. Calfactoriam uim habet. dura emollit. pus mouet. tubercula panosq; discutit. ulcera replet. uulneratis medicaminibus commodè permiscetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Si pix iterum coctione siccetur, Palimpissa dicitur ucteribus Græcis, sicca adeò, ut pulueriz ari possit: quales est Græca, etiam Colophonia, & Hispana, & Gallica dicta πίσσα βρύτια lib. 8. comp. phar. p. & hic Dioscoridi probatur & Lycia. Est etiam Dioscoridi ex ijsdem arboribus resina liquida & sicca.

Pix arida, Germanicè Griechisch bech/Spiegelhartz/Geigenhartz/gesotte Hartz/ uulgo dicitur.

Zopissa. Caput LXXXII.

ZOpissam aliqui aiunt derasam nauibus resinam cum cera, quam alij apochyma appellant. Ea dissipandi naturam habet: quoniam marino sale macerata sit. Alij pineam resinam hoc nomine uocauerunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Zopissa uocatur, ut Dioscorides quoq; testatur, derasa nauibus maritimis pix, efficatior omni pice & resina traditur: ad omnia quibus illæ prosunt, uidelicet adiecto salis callo. Optima à tyrocinio nauium eraditur cera nauibus, marino sale macerata. Additur in malagmata ad discutiendas collectiones.

B Bitumen. Caput LXXXIII.

BItumen Iudaicum cæteris anteponitur. Cuius probatio est, ut purpuræ modo splendeat, sitq; ponderosum, acualidum odorem uibret. nigrum autem & sordidum, uitiosum est. adulteratur pice. Gignitur in Phœnice, Babylone, Zacyntho, & Sydone. Liquidum inuenitur in Agragantino Siciliæ, fontibus innatans, quo utuntur ad lucernarum lumina, olei uice: Hallucinantur qui id Sicilicum oleum nominant: nanque liquidi bituminis genus esse constat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Asphaltos hic aut hæc, lib. 1. Antidotarum Galeni, id est, Bitumen, uerum est nigrum splendescens: aũ aquis innatat, molle: cùm siccatum est, pice sicca durius efficitur. calfacit, siccat ordine secundo. Optimum est ex mari mortuo, stagno salso in Cælosyria.

Vero asphalto, id est, bitumine in officinis caremus. Possumus autem ipsa mumia loco ipsius uti. Nam in Syria pauperes mortui bitumine implentur, uenduntur q; postea, Diuites autem Myrrha, aloë, croco, balsamo, alijsq; id genus condiuntur. Sed cùm propter illam hominum partem quæ secum admiscetur, inualidius necessariò, ac deterius multò reddatur, longè melius nobis fuerit, eo omisso, aut pice sicca uti, cùm eis dẽ ferè polleant facultatibus, aut petroleo, quod ex agro Siculo ad nos importatur, hoc enim inter Bituminis genera hic quoq; connumerat Dioscorides, quam Arabum Mumia, quæ licet ex bitumine, & alijs rebus confecta sit: ercdendum tamen est uitium potius attraxisse ab humani corporis situ, & putrefactione, & proprias uires, aut omnino, aut multum earum perdidisse, quàm nouas ex eo & ad medicinam præstantiores acquisiuisse, neque ita potentem esse ut antea, in exiccando.

Pissasphaltum. Caput LXXXIIII.

NAscitur in Apolloniatarum agro circa Epidaurum, quæ pissasphaltos appellatur. Ea Ceraunijs montibus deuoluta, impetu fluminis rapitur, æstuq; in litus expuitur, illic coacta in glebas, mistam bitumini picem redolet.

Pissasphaltus est Mumia Serapionis.

Naphtha.

Naphtha. Caput LXXXV. A

NAphtham uocant Babylonij, bituminis colamẽ, colore candidum. inuenitur etiam nigrum. Vis ei ignium rapax, ita ut ex spacio protinus in eam transiliant. Ad suffusiones oculorum, & albugines utilis. Bitumen omne discutit, glutinat, emollit, ab inflammatione tuetur. uuluarum procidentia, strangulationesq; olfactu, suffitu, impositu emendat. comitiales morbos suffitum deprehendit, gagatæ lapidis more purgationes mulierum cum uino & castorio potum elicit. tussim uetterem, & anhelitum adiuuat. serpentium morsibus, coxendicum laterumq; doloribus auxiliatur. datur cœliacis in catapotio deuorandum cum aceto potum, discutit sanguinem concretum. dysentericis cum ptisana liquatum infunditur. destillationibus suffitione medetur. mitigat dentium dolores oblitum. cæterùm pilos incommodos siccum replicat, specillo impositum. concalfactum autem & cum farina hordeacea, nitro & cera illitum, podagris, articulorum doloribus, lethargicisq; prodest. Piss. asphaltos eadem, quæ pix & bitumen, si misceantur, potest.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Plutarchus in gestis Alexandri Magni scribit: Peragrata uictaq; omni Babylone, quæ armis & imperio eius sine labore subito cesserat, nihil æquè cum regem admiratum fuisse, quàm in Ecbatanis: sic enim regionis eius pars quædam uocitatur, ubi scatet naphtha, Scribit in hunc sensum: In Ecbatanis autem admiratus præcipuè est ignis ueluti ex fonte continuè emergentis hiatum. & Naphthæ ex eo fluxum, qui non procul ab hiatu illo tanta eructatur copia, ut paludem faciat, cuius adeò ad trahendos ad se ignes tam facilis natura sit, ut ex interuallo &c. De naphtha Strabo lib. 15. meminit, cuius uerba adijciam: Liquidum bitumen, quod uocant naphtham, admirabilem habet naturam. Nam adiunctam ignem ilico corripit, & si corpus eo illitum igni admoueris, deflagrat, nec aqua ullo pacto extingui potest, sed magis ardet, nisi ualde multam superiniuderis: cœno, & aceto, & alumine, & uisco oppressum extinguitur. Vnde Alexandrum tradunt, experientiæ gratia, puero cuidam balneo Naphtham insperssisse, ac lucernam admouisse, ut puer totus deflagrasset, nisi circumstantes multa aqua flammas euicissent.

Cupressus. Caput LXXXVI. B



CVpressus refrigerat, & astringit. Cuius folia ex passo & exiguo myrrhæ pota, uesicæ rheumatismis, & urinæ difficultati auxiliantur. pilulæ autem ex uino tusæ in dysenteria, alui fluxione, tussi, & orthopnœa, aut si reiciatur sanguis, conuenientissimè bibuntur. earum decoctum eosdem præbet effectus. tusæ cum fico duritias emolliunt, nariumq; polypo medentur. in aceto coctæ & cum lupinis detritæ scabros ungues eiiciunt. hernias intestinorum prolapsu erumpentes illitu reprimunt. Folia eadem præstant. Pilulæ cum arboris coma suffitæ, culices abigere existimantur. folia trita & imposita, uulnera conglutinant. sanguinem supprimũt. capillum ex aceto tingunt. illinuntur per se aut cum polenta ignibus sacris, ulceribus quæ serpunt, carbunculis & oculorum inflammationibus. admota cum cerato stomachum corroborant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, κυπάρισσος. Latinè Cupressus.

Officinis Pilæ siue fructus cupressi, nomine nucis cypressi tantummodo cognitus. Germanicè Cypressen nuß.

Galli Cyprez appellant arborem, fructum uerò noyx de cyprez.

Didymus cupressos duplici nomine uocari solitas memoriæ prodidit: charitas, quòd oblectameuto nobis sint, & cyparissos à partu parilium ramulorum & fructuum, ἀπὸ κύειν παρίσους, hoc est, quòd ex æquo & ramos & fructus creat.

Cupressus

A Cupreſſus procera arbor eſt, caudice oblongo ac tereti, folio pini, ſed carnoſiore, amaro, nec ita pungenti. Fronde indeciua, odore uehementi. Semen conis innaſcitur prætenue, exile, & quaſi laricis fructui proximum, quod pilula ſua fatiſcente labitur, rara materie & macilenta: radice per ſumma ceſpitum uagante.

Cupreſſi pilulæ, quæ etiam Coni quibuſdam dicuntur, unde Coniferæ Cypariſſi, Verg. ſiccant ualenter ſine inſigni calore aut acrimonia: ob id hæ molles & recentes ulcera magna in duris corporibus glutinant, enterocelas iuuant.

Chamæcypariſſus.



B

Reſina è Cupreſſu manat, qua cùm res ſunt uncte, à carice uindicantur.

Eſt & coactæ breuitatis frutex, quem chamæcypariſſon, quaſi pumilam cupreſſum uocant, hortis familiarem, hunc ab odore formaq; foliorum eiuſdem nominaturæ arboris, Cypreſſen, uulgo nominamus, quòd in genere ſit pumilionum, & quaſi Cupreſſi uideretur abortus, folio incano & perenni. Sunt qui Chamæpytim, alij uerò qui adonium eſſe putent, quaſi abrotoni ſpeciem: tametſi Naſonis flos adonij purpureus eſt, huic uerò aureus. Pollet aduerſum omnium ſerpentium ſcorpionumq; uenena, ex uino potum. ſed de ea alio loco in ſequentibus amplius.

Iuniperus. Cap. LXXXVII.

IVniperi genera duo. altera maior, altera minor. utraq; acris eſt. excalfacit, & urinam mouet. accenſa ſerpentes fugat. Baccarum nonnullæ nucis iuglandis magnitudine nonnunquam grandeſcere, aliq; nucem Ponticam æquare inueniuntur, rotundæ, odoratæ, in mandendo dulces, ſubamaræ, quæ arceuthides etiam, id eſt, baccæ iuniperi, nominantur. Modicè calfaciunt & aſtringunt, ſtomacho utiles. contra pectoris uitia, tuſsim, inflationes, tormina, & ſerpentium ictus efficaciſsimè bibũtur. urinam cient, unde ruptis, conuulſis, & uuluæ ſtrangulatui ſubueniunt. folia acrimoniam habent, ideo tam ipſa quàm eorum ſuccus ex uino contra uiperarum morſus illini aut bibi prodeſt. Corticis cinis cum aqua illitus lepras eximit. ramenta ligni deuorata interficiunt.

Iuniperus.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè Ἀρκευθος, ἡ ἀρκευθὶς. Latinè Iuniperus uocatur: Officinæ Latinam appellationem retinuerunt.

Germanicè, Wecholter/Krametbeer, id eſt, turdorum grana uocantur, quòd fructibus eius turdi pingueſcant. Brabantis, Geneuerboom/Geneuer.

Galli arborem Geneure, baccas uerò, grain de geneure appellant.

Iuniperus Latinè dici uidetur, quòd iuniores & nouellos fructus pariat: ſola enim ferè arborum fœtus ſuos in biennium prorogat, qui nec matureſcunt quidem, nouis ſuperuenientibus.

Iuniperi fructus calidus ordine tertio, ſiue primo: ſed folia calida ſicca gradu tertio.

Iuniperi gummi nec Dioſcorides, nec Galenus memorant, fortè quòd

ad

ad nihil sit utile, ut Actuarius, Plinius. Subit uarò mirari, cur medicis hodie Arabas secutis, Sandaracha no- A
cetur, & suffitibus propè omnibus misceant, fluxiones à capite prohibentibus, cùm sit calidum, & plantæ ip-
sæ etiam umbra, non solo uapore sit grauis.

Vernigo dicitur Hermolao, uernix uulgo, quòd roro uerno magis concrescat. Scriptoribus in usu est
multo & pictoribus.

Herba Sabina. Caput LXXXVIII.



SAbina duorum generum est. Vna foliis cupresso simi-
lis, spinis horridior, grauiter olens, acris & feruens. ar-
bor est coactæ breuitatis, quæ sese magis in latitudinem
fundit. huius foliis nonnulli pro suffitu utuntur. Altera
tamarici folio similis est. Vtriusq; folia nomas sistunt. col-
lectiones illitu mitigant, & cum melle nigritias sordesq; re
purgant. carbunculos cum uino pota rumpunt. sanguinem
per urinam eliciunt. partus apposita extrahunt, & suffitu
idem præstant. unguentis calfacientibus immiscentur, &
priuatim gleucino.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Βραθύς καὶ Βάρυθρον.

Latinè, Sabina uel Sauina.

Officinæ Latinum nomen seruant. Germanis, Seuenbaum/ palm-
baum/ Seuenpalmen. Inferiori Germaniæ, Sauelboom.

Gallis, Sauimera & du sauier, dicitur.

Passim in hortis nascitur. Tertij est ordinis excalfacientium & desicca-
tium, & ex numero eorum, quæ uel maximè tenuium sunt partium.

Cedrus. Caput LXXXIX. B

CEdrus arbor magna est, ex qua picem colligunt, quæ credria uocatur. iuniperi
modo baccas parit, baccarum magnitudine, rotundas. Cedria optima myrti
est crassa, perlucida, grauis odoris, quæ dum effunditur, guttatim non dissipata coit.
Cui ea uis inest, ut defuncta corpora conseruet, & uiuentia corrumpat. qua ex causa
mortuorum uitam, aliqui appellauere. uestimenta quoque & pelles eximia calfaci-
endi & siccandi dote, corrumpit. magni ad oculária medicamenta usus. quippe illi-
ta oculis claritatem affert. albugines cicatricesq; detergit. instillata autem cum ace-
to, uermes aurium necat. cum hyssopi decocto infusa, sonitus sibilosq; sedat. cauis
dentium indita eos frangit, & dolores leuat. idem facit cùm ex aceto colluitur. per-
uncto ante coitum genitali abortiuum fieri constat. anginæ ea perunguntur. ton-
sillarum inflammationibus auxilio est. lendes pediculosq; illitu enecat. ceratæ mor
sibus cum sale impositæ subuenit. contra hausta leporis marini uenena, in passo sum
pta, auxiliatur. in elephantia, aut linctu, aut peruunctione proficit. pulmonum ulcera
purgat, & si cyathus eius sorbeatur, persanat. uermes & tineas subterindita necat.
& partus extrahit. Fit & oleum, à cedria separatum, dum coquitur, uelleribus supra
halitum eius expansis, ut in pice, eiusdem ad omnia usus. priuatim uehementer per-
unctum scabiem quadrupedum, canum, boumq; persanat: inhærentes ricinos ene-
cat. ulcera quæ ex tonsura acceperunt, ad cicatrices perducit. Cedrides cedri fructus
uocantur. Calfactoriam uim habent. stomacho aduersantur. auxilio sunt tussi, con
uulsis, ruptis, stranguriæ. menses ciunt. ex polline piperis poti. contra haustum lepo
rem marinum in uino sumuntur. serpentes fugantur, peruncto ex adipe ceruino, aut
medulla, corpore. in antidota adduntur. Fuliginem, quomodo ex pice, cõgeri opor
tet, quæ eandem quam picea fuligo uim præbet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, κέδρος. Latinè Cedrus. Officinis incognita.

Germanicè, Ein Zederbaum, omnino peregrina arbor. Gallis Cedre,

Cedrus

A Cedrus præterquàm nomine, omnino ferè ignota est, utpote alibi quàm trans maria nasci fastidiens. Optima classibus, nauigijs, & triremibus, neq; non domorum tectis: quippe cùm ipsi insit æternitas.

Plurima in Cylicia, Syriaq; prosilit: sed laudatissima in Creta, Aphrica, & Syriæ mõtibus, quæ imbi usq; eò crassescit (si Theophrasto credimus) ut quinq; hominum complexu cingi nequeat.

Dioscorides & Plinius Cedri usum damnant propter ancipitem naturam uiuentia corrumpendi, & defuncta conseruandi: cùm uitam auferat spirantibus, defunctisq; pro uita sit. ob hoc non censent interius sumendum. Huius tamen diuersitatis rationem perpulchrè Galenus innuit: quia tametsi adurat, ita ut ordine quarto calfacientium censeri meruerit, inter omnia tamen erodentia medicamenta, quæ Græci & septica & septas cognominant, infirmissimum esse constat. proinde uiuentibus admotum uitali calore adiuncto, adsumit uires & quasi accenditur, atq; ita iugulat: sed defunctis additum, putrilagnem exterit, & uitiosos humores depascit, quibus detractis corpora à labe corruptionis asserit.

Laurus. Caput XC.



B

LAurus quædam tenui folio constat: altera latiore. Vtraq; excalfactoriam naturam habet, & emollientem. unde decoctum earum in muliebres infessus additum, uuluæ & ueficæ uitijs conuenit. uirentia folia sensim substringũt. illita quoq; ac trita uesparum apiumq; ictibus opitulantur. eadem cum polenta & pane illita inflammationem omnẽ mitigant. sed pota stomachum effundũt, & uomitiones mouent. Lauri baccæ magis quàm folia calfaciunt. ergo in ecligmate tritæ cum melle uel passo prosunt abi, orthopnœæ, & omnibus thoracis rheumatismis. contra scorpionum ictus ex uino bibuntur. uitiligines emaculãt. succus baccarum utilissimè aurium dolori & grauitati instillatur, cum uino uetere, & rosaceo. in medicamenta autem adiiciuntur, quæ neruorum lassitudines reficiunt, acopa uocant: & ad unguenta quæ calfaciunt & discutiunt. Cortex rãdicis calculos rumpit. partus necat. hepaticis prodest, tribus obolis in uino odorato potus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Laurus arbor, Græcè Δάφνη. Lauri baccæ δάφνις.

Latinè Laurus arbor, & Lauri baccæ.

Officinæ Latinum nomen retinuerunt.

Germanicè, Lorberbaum/arbor: baccæ uerò, Lorberen.

Gallis ung Laurier & le fruct d' ung laurier, dicitur.

Lauri folia & fructus calfaciunt, & siccant uehementer, sed hæ magis quàm illa: leuiter astringere hic addit Dioscorides, quam uim & amaritudinem soli radicis cortici tribuit Galenus, qua calculos confringit.

Platanus. Caput XCI.

TEnerrima platani folia in uino decocta, mox illita, oculorũ fluxiones sistunt. tumores & inflammationes leuant. Decoctus cortex in aceto, dentes in dolore colluit. uirides pilulæ in uino potæ, serpentium morsibus auxiliantur. exceptæ autem adipe, igni ambustæ sanant. insidens foliorum pilularumq; lanugo, oculos & aures offendit.

Græcè,

Græcè, πλάτανος. Latinè Platanus, à latitudine foliorum dicta.
Germanicè, Ahorn. Gallicè Plaine, dicitur. Officinis peregrina & incognita. A
Platanus cùm adoleuit cubitorum est sexdecim, cortice crasso, fronde uitigineа, longo rubroq; pediculo, flosculo pallido, pilulis scabris, lanuginosis, minutis.



Fraxinus. Caput XCII.

FRaxinus arbor nota est, cuius foliorum succus, & ipsa peruncta, aut ex uino pota, uiperarum ictibus auxiliantur. corticis cinis ex aqua illitus lepras eximit. ligni ramenta scobemq; potu perniciem afferre tradunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Μελία. Latinè, Fraxinus.
Officinæ Latinum nomen seruant.
Germanicè, Ein äschbaum.
Gallicè Fraisne, dicitur.

Fraxinus arbor est procera, caudice tereti, leui cortice, spisso, tenui, rubro, ramis utrinq; pinnatis, foliis lauri, per ambitum leuiter serratis, non sine quodam marginis uel cacuminis aculeato callo, porracei coloris, semine minuto foliis ipsis incluso, amaro: radice multa, crassa & sublimi.

Actu facillima fraxinus: semen reddit post uindemiam & arcturum.

Populus. Caput XCIII.



POtus albæ populi cortex unciæ unius pondere, ischiadicis ac urinæ stillicidio prodest. Abortiuum fieri tradunt, si cum mulino rene bibatur. folia quoq; cum uino post purgationes pota, idem præstare produntur. tepens foliorum succus utiliter aurium dolori instillatur. pilulæ quæ primo foliorum partu exiliunt, illitæ cum melle, oculorum hebetudini medentur. Memoriæ prodiderunt, corticem albę populi & nigræ, particulatim cæsum, & sulcis stercoratis mandatum, omni tempore anni edules fungos proferre. Populi nigræ folia cum aceto illita magna utilitate podagricis doloribus illinuntur. Resinam populus fundit, quæ in malagmata additur. Semen potum ex aceto comitialibus utile est. Lachrymam populorum commemorant, quę in Padum amnem defluat, durari, accoire in succinum, quod electrum uocant, alij chrysophorum. id attritu iucundum odorem spirat, & aurum colore imitatur. tritum potumq; stomachi uentrisq; fluxiones sistit. B

NOMINA ET EXPLICATIO.


Græcè, Λεύκη.
Latinis populus alba.
Germanis, Sarbachbaum/mit weissen blettern vnden. Gallis, ung Peuplier.
Populus nigra, Græcè Αἴγειρος. Germanicè, Sarbachsbaum/Poplenbaum/Alberbaum.
Gallicè, du tremble & peuplier, dicitur.
Populus, ut Dioscorides tradit, duplex: λεύκη, id est, alba, & αἴγειρος Galenus, αἴγειρος Dioscorides, id est, nigra, ægyri ἄνθη, id est, flores, seu σφάιρια, id est, pilulæ, primo foliorum partu exilientia. Offi-

A cinis oculi populi. Germanis Alberspross dicuntur, calida primo à temperatis receſſit: nam ἐκ τῆς πρώτης ἀποστάσεως, Paulus & Manardus in Galeno legunt: licet ἐκ τῆς πρώτης, id eſt, in tertia habeat codex Aldinus, & ita legerit in Arabibus, unde uertit ustus interpres: & Oribaſius Græcus medicus libro ſecundo ad Eunaptum, & libro 15. ad Iulianum Cæſarem. Paulo ſiccior, quàm quòd humido & ſicco eſt temperatum: tenuium partium potius quàm craſſarum. Folia floribus ſunt ſimilia, ſed imbecilliora: & Reſina eius exigua floribus ſimilem habet facultatem, ſed calidiorem: ſemen floribus & reſinæ ſiccius, non multò calidius, ſed partium eſt tenuium. Folia λεύκης, id eſt, populi albæ media ſunt inter folia lauri calidiſſima, & folia ἀκίνδ herbæ refrigerantis Dioſcoridi, ſic enim libro ſecundo comp. pharma. legendum cenſuerim potius quàm ἄγνου, qui libro ſexto ſimplic. dictus eſt calidus ordine tertio, etiam ſi uetus interpres ex Arabibus eo loco habet agni caſti. λεύκης καρπὸς, id eſt, populi albæ fructus digerentis eſt facultatis, ibidem paulò antè.

Oculi populi. Neutra populus florere uidetur Hermola.

Guſtanti Manardo populum nigram & communem, uiſa eſt modicè aſtringere, poſtea minimum amara, odore non inſuaui, ſed languido. Ex eius igitur floribus Myracopum ſine unguentum populeum refrigerat, cùm præter adipem & populi oculos modicè calida, cætera habeat frigida, etiam magna parte ad ſupremos uſq; ordines.

Populus alba temperata ex aquæ tepidæ ſubſtantia, & terrea tenuata terget: eius flores multum acres nobis ſunt, ex hisq; uulgò fit unguentum populeum: licet acopum Διαγύδ apud Galenum & Paulum legatur, non dſg. λεύκης.



Succinum ſeu ſuccina gutta, à ſucco dicta, Græcis ἤλεκτρον, eſſe lachryma populi albæ, uel etiam nigræ quibuſdam uidetur, ab eiuſdem arboris reſina Dioſcoridi & Galeno dicta, differens & περυγαφέρος, id eſt, paleas trahens, quoq; uocatur: quam uim ei quoq; Galenus tribuit lib. 1. facultat. natura. quid tamen eſſe cenſuerit, nondum in eo legi. Plinius uerò lib. 37. cap. 9. Succinum ſcribit à quibuſdam pineæ generis arboribus, ut gummi à ceraſis excidere autumno, & largum mitti ex Germania ſeptentrionali, & inſulis maris Germanici, quod hodie nobis eſt compertiſsimum: ad hæc liquata igni ualentiore, quia à frigido intenſiore concreuit. pineam apertè olet, calidum primo gradu, ſiccum ſecundo, ſtomachum roborat, uomitum, nauſeam arcet. cordis palpitationi prodeſt. prauorum humorum ge-

B neration em prohibet.

Germani, Weiß vnd gelb Agſteyn/ & Bꝛeũſteyn.

Galli ambra uocant: uulgo in corollis precarijs frequens.

Macer. Caput XCIIII.



MAcer ex Barbaria aduehitur, cortex flauescens, craſſus, guſtu perquàm aſtringens, qui contra cruentas excreationes, dyſenterias & alui fluxiones bibitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Macer hoc loco Dioſcoridi eſt cortex flauescens, ſeu cum pallidio, rubens, radicis magnæ, nomine ſuæ arboris nobis incognitæ, craſſus guſtu, perquàm aſtringens, ex Barbaria allatus.

Galeno autem eſt cortex guſtu multum acerbo, cum leui quadam acrimonia, odorem iucundum redolens, ut pleraq; aromata. ſiccat ordine tertio, calore & frigore eſt temperatus. Ex Iudæa uerò affertur. Macis autem Arabum, cuius picturam damus, membrana eſt extima nucem Moſchatam propè totam uestiens, tenuis, rufa, aut flaua, interdum nigricans, aromatica, odore ſuaui, ſapore ſubacri, & minimum amaro, tenuium partium: calida ſicca tertio gradu, uentriculum roborat, concoctionem iuuat. Ex quibus liquet, Macis & Macer res planè diuerſas, licet odore, colore quadamtenus conueniant: & temperamento tamen differunt, niſi contendas in Dioſcoride & Galeni ſimplicibus mendatum eſſe, quod uix queas demonſtrare. Quòd ſi res ſunt diuerſæ, ut ex Plinio apertè patet, Macer hodie eſt incognitum: tamen pro Nicolai Macis Actuarius Μάκηρ reponit.

Vlmus. Caput XCV.

VLmi & folia & cortex & rami, uim habent ſpiſſandi. Folia trita ex aceto ad lepras efficaciter illinuntur. uulnera glutinant, ſed multò magis corticis tiliæ

Vlmus.



si fasciæ loco intorqueatur : nam in lori morem flecti potest. crassior cortex in uino aut aqua frigida unciatim potus, pituitas trahit. fracta ossa celerius solidescunt, si decocto foliorum corticis aut radicis foueantur. humor in folliculis enascens, prima germinis eruptione, cuti illitus nitorem inducit, faciemq; splendidiorem præstat. quidum siccatur, in animalia abit, quæ culicum formam gerunt. folia cùm tenerescunt cocta olerum more ad obsonia usurpantur. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Πτελέα.

Latinis Vlmus.

Germanis, Ylmerbaum/Rüſtbaum/Ryſtenbaum/Ylmen/Lindbaſt.

Gallis Orme appellatur.

Procera est arbor, folio indiuiduo, lente crenato, scabro, oblongiore quàm pyro, semen racemosum. in foliolis & petiolis gummi producit, & quoddam bestiolarum genus quod carpis dicunt, materia flaua, robusta, neruata, deformi, & quæ nihil præter cor habeat, uiridis, cæsu facilis, sicca difficilis, apud aquas facilis incrementi. B

Lignorum marcor. Caput XCVI.

EX caudicibus lignisq; ueteribus caries congeritur, quæ farinæ modo illita, ulcera purgat, & ad cicatricem perducit, serpentia cohibet, si cum pari aniso & uino subacta, linteisq; imposita, illinatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lignorum caries, præsertim ulmi, tumentia purgat ulcera, & explet, Germanicè Wurm meel *appellatur.*

Harundo. Caput XCVII.



IN harundinū genere quædam nastos, id est, farctior uocatur, ex qua sagittæ factitari solēt. alia fœmina, qua tibiarum ligulas efficiunt. alia quòd fistulis addicta sit, syringias: cui multum inest carnis, crebris cincta geniculis, ad librorū conscriptionem accommodata. alia crassa, concaua,

A apud amnes nascens, quæ à quibusdam cypria, ab aliis donax appellatur. aliaphrin gmites, seu uallatoria, gracilis, candicans, uulgo cognita: cuius trita radix pe ic, aut cum bulbis suis illita, ipicula aculeosq; corpore extrahit. luxata, li borumq; dolores cum aceto mulcet. uirentia folia tusa & imposita ignibus sacris, medentur, & cæteris inflammationibus. corticis cinere perunctæ cum aceto alopeciæ sanantur. paniculæ lanugo si aures intrauerit, exurdat. Eundem effectum implet harundo, quæ cypria dicitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis κάλαμος. *Latinis harundo, siue arundo appellatur.*

Officinæ Latinum nomen seruarunt. Germani, Roz. *Galli ung roseau uocant.*

Arundo principatum in aquaticis fruticibus tenet: Caule consurgit geniculato, tereti ac fistuloso, qui inse
C *nescens fissili inarescit ligno, in leue fastigium cacuminato, circa quod densius excrescit tomentum, ad faciendas culcitras non mutile: folia ex articulis alterno laterum gradu emergentia, membraneo calamum uestiunt cortice usq; ad medium internodium: hinc enim à cauo alarum sinu resupinantur, procumbentque languido promissiore comæ uel paniculæ pondusculo. Radix quoq; multis geniculatur articulis, fœcunda stirpe, ut quæ etiam uel adusta uel recisa latius numerosiusq; reuiresca.*

Papyrus. Caput XCVIII.

PApyrus qua chartæ fiunt, nullis non cognita, præcipuæ in medicina utilitatis ad laxandas fistulas, madefacta lino inuoluitur, usq; dum inaruerit: confricata enim atq; immissa in hiatum, humore completur, & in tumescendo fistulas aperit. Habet nescio quid alimenti radix: itaq; Aegyptij eam mandunt, succum tantùm deuorantes, & mansam expuunt. ipsis radicibus pro ligno utuntur. Crematæ papyri cinis depascentia ulcera cùm omnium partium, tum oris maximè, cohibet, uetus melius id combusta charta præstat.

EXPLICATIO.

Papyrus nascitur in paluſtribus Aegypti, aut quiescentibus Nili aquis ubi euagatæ stagnum, duo cubita
B *non excedunt gurgitum altitudine, brachiali radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiatum thyrsi modo cacumen includens, &c. Plura de papyro uide apud Theophrast. lib. 4. cap. 9.*

Fiebat apud ueteres è papyro charta, cuius ut in Europa nunc euanuit usus, ita nomen remansit. Etenim quam ex contritis hodie linteolis chartam passim conficiunt, iisdem quibus & illa cõmendata dotibus, quippe tenuitate, candore, læuore, densitate Niloticæ nostra charta non cedit, quam etiam uulgus illius imitatione papyrum uocat.

Non papyro hodie, qui nobis ignotus & peregrinus, sed spongia utimur ad laxandas quæ præclusæ sunt fistulas, & intumescendo ad introitum medicamentorum aperiendas.

Myrica. Caput XCIX.

MYrica seu tamarix, arbor uulgo cognita est, cùm apud nigras & stagnantes aquas enascatur, fructum quasi florem ferens compage muscosum. Aegyptus Syriaq; alteram gignunt mitiorem, syluestri cætera similem. fructum parit gallæ proximum, inæqualiter astringentem gustu, quo cõuenienter utimur uice gallæ in medicaminibus oculorum orisq;: datur cruentæ excreationi in potu, & cœliacis, & contra profluuia fœminarum, regium morbum, & phalangiorum morsus. illitus tumores inhibet. Cortex in eosdem usus adhibetur. Decoctum foliorum cum uino potum, lienem absumit. ad dolorem dentium in collutionibus salutare. & mulieribus fluxioni uuluæ opportunis in desessionibus. pthiriasi lendibusq; circumfusum prodest. abundantiam fœminarum sistit impositus arboris cinis. potorios calentes è caudice lienosis moliuntur, quò datus in his potus proficiat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Μυρίκη. *Latinis,* Myrice & Tamarix. *Officinis* Tamariscus.

Germanis & Gallis Tamarisc *nominatur.*

Tamarix seu Myrica, fructu, radice, foliis, extremis ramulis tergit, incidit sine manifesta siccatione, parum astringit, tenuium partium, lienem indurato cum aceto aut uino coctis prodest: fructus & cortex

Myrica.



ualentius astringunt. fructum tamen & A
succum, & non radicem, adhibet spleneticis
remedijs Galen. lib. 9. comp. pharma. part.
Quinetiam trunco in uascula uel potoria,
uel escaria cauato, lienem arcano quodam
odio suibus & hominibus longo usu absu-
mit.

Plinius contra Dioscoridem & Gale-
num, nullum fructum ferre dicit libro 16.
cap. 26. his uerbis: Fructum arborum solæ
nullum ferunt, hoc est, ne semen quidem, ta-
marix scopis tantùm nascens, populus, al-
nus, ulmus, &c. quod itaq; Dioscorides
dixit: καρπὸν ὥσπερ ἄνθος φέρειν
βριθὲς κατὰ τὴν σύσσειψ, idipsum
Plin. tum semen, tùm fructum esse aut dici
posse non putauit. Porrò calices fieri, ut
suprà quoq; monuimus, ex trunco myricæ
arboris solitos, qui spleneticis essent in usu
commodi, Dioscorides prodit. Sed ea gratia
hodie uina ex tamarisci uirgultis concin-
nantur in superiori Germania cisrhenana,
quæ spleneticis utiliter bibuntur, Tamari-
scina uulgo appellata: quod ut nouitium
inuentum adscribere uolui, quum facticij
huius uini Dioscorides inter tot genera, non
meminerit. & Democritus apud Constan-
tinum Cæsarem libro decimonono, capite
septimo, ad eandem rem uinum prunis My- B
ricæ superfusum, & sic potatum magis
probet.

Erica.



Erica. Caput C.

ERica fruticosa arbor, myricæ similis, longè minor, cu-
ius flore apes reprobum mel efficiunt. tam flos quàm
coma serpentium ictibus illitu medetur.

Græcis ἔρεικη. Latinis Erica. Officinis inusitata.
Germanis, Heyd. Gallis, Brugere.

Quidam esse putant, quam Galli rosmarinum aculeatum, uel potius io-
marinum appellant.

Ericæ digerentis plantæ flore potissimùm ac foliis utendum: semen etiam
adhibetur apud Galenum lib. 6. comp. pharm. par. Ericæ dictus sæpè lib. 9.
comp. pharm. part. in spleneticis.

Acacalis. Caput CI.

ACacalis fructus est nascentis in Aegypto fruticis, se
minis myricæ quadam tenus similis, cuius aqua in

A qua maduerit, ad collyria additur, quæ ad excitandam oculorum aciem conue-
niunt.

Hodie planè incognita: nomen frutici à nympha datum crediderim Acacali.

Rhamnus. Caput CII.

Rhamnus.



Vua crispa.



B

RHamnus fruticat in sepibus, ramos ferens rectos, & aculeos in acutæ spinæ modum, foliis paruis, oblongis, suppinguibus, teneris. Alterum ei genus candidius. tertium nigrioribus latioribusq; foliis constat, & quadam tenus rubentibus, cuius rami quinûm cubitorum longitudinem implent, spinosiores quidem, sed infirmioribus minusq; rigentibus aculeis. Fructum edit latum, cãdidum, tenuem, folliculari specie, uerticillo simílem. Omnium folia igni sacro, & serpentibus ulceribus, efficaciter illinuntur. Fama est, ramos huius ualuis fenestrísue impositos, ueneficia depellere.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Rhamnus frutex spinosus, apud ueteres tria habet fastigia. Ego Rhamni unum genus hoc puto, quod Galli burgam spinam, uel Neprum uocant. fructu myrti, foris nigro, intus uiridi, ob id ad colorem cum tingentibus idoneo. Germani, Creutzbeer/Wächerbeer/Ferbköner/Ferbbeer/appellant. Cortex arbori subniger, & nitidus quasi ceraso, intus uirens, post luteus, lignum extrà candidum, interiore medulla rubet: eo uallos arcus nostri fabricant. Audio etiam adhuc hodie Italis spinum ceruinum uocari, nam & ab iisdem Dioscorides spinam cerualem dici testatur.

Rhamni fastigijs genus aliud annumerandum in afflatu maris nascens, frutice nonnunquam arborescente, prælongis ramulis, qui rigidis armantur spinis aculei mucrone sæuientibus, foliis tamen æmula facie ligustrum exprimentibus, ut pro illis fallant, bacca folliculari specie, uerticillata. primùm candida, post maturitatem rubefactæ foris flaccida, intus rimosa, quam pastores pecorum pabulo decutiunt.

Sunt qui primum Rhamni genus arbitrantur hoc, quod officinæ uuam crispam, Germani Kreussilbeer. Galli uerò grosselles uocant. fruticosi namq; generis est, ramulis uietis, rectè spinarum mucrone horridis, flore ex herbido candicante, in frutetis & sepibus nascens: folia tamen non respondent, quæ circinatæ rotunditatis conspiciuntur, apij modo dissecta, frutice aculeato, acinis candidis, & à maturitate dulcibus, granosis, translucidis, ciborum condimentis expeditis.

Halimus. Caput CIII.

Halimus

HAlimus frutex est sepimentis idoneus, similis rhamno, sine spinis, foliis oleę, sed latioribus. nascitur in sepibus & maritimis. Folia decoquuntur ciborum gratia. radix conuulsa, rupta, torminaq; mitigat, drachmæ pondere in aqua mulsa pota. eadem lactis ubertatem facit. A

Halimus in magno nominum ambitu est. Ruellius arbitratur fruticem eum qui in Gallia uiuis sepibus frequens, blanceputa uulgo appellatur, Halimum esse, gustu subacerbo in salsilagnem tendente, quare mensis folia cùm tenerescunt non essent ingrata; tamen non esse edendo, cùm propè nimia habeantur olera.

Paliurus. Caput CIIII.



PAliurus frutex cognoscitur aculeatus, durus, cuius semen pingue & fuliginosum inuenitur. quod potum tussi opitulatur. uesicæ calculos comminuit. serpentium ictibus aduersatur. Folia & radix astrictoriam uim habent. quorum decoctum potu aluum sistit. urinam trahit. contra uenena & serpentium morsus auxiliatur. Radix recentia tubercula, tumoresq; omneis discutit, trita & imposita.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Παλίουρος. Latinè, Paliurus.
Officinis inusitata. Germanicè, Meelberin.
Gallicè aubepin, appellatur. aut saltem paliuri species est.

Apud nos paucis antea annis frutex inuenitur, qui etiam arboresceré possit, folio per ambitum laciniatim sinuato, rotundo, molli, ramis spini, quem album cognominant, modo maculatis baccis, rotundis, rubris, myrteis, longè maioribus, gustu iucundo, qui & uinum suauitate sua commendet. Condiuntur & grato ori cibo. Cœpit mea memoria propagari insita, quantum reor, albo spino. Qui colunt in hortis, uelut alienigenam & aduenam arborem, Myrobalanum appellant. Hanc esse putauerim, nullis ferè notis reclamantibus paliurum Africanam, eam præsertim quæ non siliquetur. Ruellius Paliuri genus esse conijcit fruticem aculeosum, uulgo Meelberin, Gallis Aubepinum, id est, album spinum. Fertur enim farina è fructu olim in fame quæsita, unde Germanicum nomen habet, quod sanè etiam de Paliuro tradunt ueteres. Item fruticem quendam rura Galliæ iuncum marinam, uel potius Iomarinum appellant, cui aliquantulum fauere delineatio uidetur, an tamen Paliurus sit, non ausim affirmare, quòd ei spina pro folio sit. B



Acuta spina. Cap. CV.

ACuta spina, quam pyrinam aut pityanthen aliqui uocant, arbor est pyrasto similis, spinosa ualde, & minor. baccas profert myrti, plenas, rubras, fragiles, & intus nucleum: radicē multifidam, altè descendentem. Huius baccæ potu aut cibo, alui profluuium, et abundantiam fœminarum sistunt. radix illita aculeos & spicula extrahit. abortū fieri tradunt, si ter radice uenter, aut seri sim feriatur, aut perungatur.

A Ribes. NOMINA ET EXPLICATIO.



Græcè, ὀξύακανθος, καὶ ὀξυάκανθος. Latinè acuta spina. Officinis Berberis, & Bugia.

Germanicè, Erbselen/Sauratich/Weinleglin, uocatur.

Galli, quòd huius acinis uinum exprimatur, spiniui netam appellant, alii qui acrem spinam.

Oxiacanthæ uel Oxiacanthi racemosæ bacculæ, dum maturuerunt rubentes, astringunt: uis eadem foliis, sed languidior. E baccis uinum exprimitur eodem ferè usu, quo uinum ex malo punico. Conduntur etiam uel melle uel sacharo ad restringendam sitim, depellendamq; febricitantium malicia. quorum morosum nimis palatum cibum ferre quemcunq; respuit. Elanguescens appetentia grato huius acore recreatur.

Frutex Arabibus Ribes dictus, huic planè congener, racemosus, acidus, acerbus, frigidus siccus secundo gradu, sitim extinguit, uomitũ & fluorem alui biliosum sistit, morbillis & uariolis, quas uocant, saluber: frutex à nobis posterium rubrum dicitur. Germanis dicitur S. Johans rreublin. Inferiori Germaniæ, Aelbesien/S. Jans besyrens/offt Druyrkens. Quid sit, frutex an herba, & quæ, ambigit Serapio in suis testimonijs. Succus ex his expressus, cum saccharo cydoniati modo coctus, est delicatissimus.

Ribes Damascenus Musæ additur, foliis rotundis, & magnis iisdem.

Rubus canis. Caput CVI.

FRutex est arboris instar, rubo longè maior. folia multò latiora myrto, firmis circa ramos spinis, flore candido, fructu oblongo, nucleo oliuæ simili, qui per maturitatẽ fuluescit, & flocculos intus continet. Fructus exemptis interioribus floccis arefactus, aluum sistit: feruefacti enim ij in uino, mox poti, arteriam infestant.

B

Rubus canis.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, κυνόσβατος. Latinè, Rubus canis. Officinæ cum syluestri Rosa confundunt. Germanicè, Hanbutten/Wickdorn/Strauch.

Gallicè ung eglantier sans odeur, in differentiã rosæ syluestris, appellatur.

Rubi, seu sentis, Græcè βάτος genera Theophrasto tria sunt: magnus seu rectus, humilis, & medius, qui suo loco declarabuntur. Batus magnus seu rectus, est Dioscoridis & Galeni κυνόσβατος, fructu oblongo per maturitatem rubente, cytino simili, quo ceu lanæ flocci arteriam si deuorentur infestant: huic foliis, fructu, rosa similis est cynosrhoda, Englentier Gallis dicta: & rosa frutex omnis, nisi quòd ferè gerit folia florũ magis multiplicia & maiora, arte opinor adiuta: sed Cynosbatos spinis hamatis horridior, rectior, et altior assurgit, odore caret, quẽ Cynosrhoda tota habet præstantissimum: rosa uerò frutex flore solo est odorata, nunc albo, nunc rubro, nunc amborum medio (incarnatum Galli, Germaniq; Leibfarb uocant) nunc etiam muschhatum.

Ligustrum.



Ligustrum. Cap. CVII.

LIgustrum arbor est oliuæ foliis circũ ramos, latioribus, mollioribus, & uirentioribus: flore candido, muscoso, odorato: semine sambuci, nigro. Optimũ nascitur in Canope & Ascalone. Folia astrictoriam uim habent: quare commanducata ulceribus oris medẽtur. illita feruidis inflammationibus, carbunculisq; prosunt. decocto

cocto eorundem igni ambusta fouentur. capillum rufant trita folia, quæ in radicu- A
læ succo maduerint. flos ex aceto fronti illitus capitis dolorem sedat. Cyprinum oleum quod exeo fit odoratum, excalfacit, emollit neruos, si quæ feruenti natura prædita sint, assumat.

Philyrea.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Ligustrum Plinij aliorumq; Latinorum, cuius picturam damus, omnes ferè hactenus Dioscoridis Cyprum interpretati sunt: sed illos nuper redarguit doctissimus uir Franciscus Massarius Venetus. Φίλυραν quidem tiliam esse demonstrans, ligustrum autem Φιλυρέαν, non cyprum. ut sequenti capite fusius.

Philyrea. Caput CVIII.

PHilyrea arbor est ligustri magnitudine, foliis oleæ, nigrioribus & latioribus, fructu lentisci, nigro, subdulci, racematim cohærente, asperis nascitur. Huius folia astringunt. ad eadem utilia ad quæ oleaster, cùm astrictione est opus: maximè ad oris ulcera, commanducata, aut si decocto colluantur. potà urinam ac menses cient.

Græcis φιλυρέα.
Plinio alijsq; Latinis Ligustrum.
Officinis saltem Germanico nomine cognita.
Germanis, Beynhölzlin/Mundtholtz/Hartrigel/Reinweiden/Beringert. Inferiori Germaniæ, Monthout/Rijngwilghe. B
Gallis Du troesne dicitur.

Philyra.



Φίλυρα Græcis. Tilia Latinis & Officinis. Germanis Linden/appellatur, alia ab hac, est arbor quæ hic Dioscoridi φιλυρέα uocatur, quod non animaduertentes uiri etiam nonnulli doctissimi, utrasq; arbores magno errore confundunt, quòd forma admodum discrepent, ut è Dioscoride & Theophrasto lib. 3. de plantarum historia cap. 10. inuicem collatis abundè constabit. Differunt itaq; inter se Philyra, quæ Tilia est, & Phillyrea, de qua in præsenti capite Dioscorides agit, neq; una uoce utraq; arbor significatur, sed diuersæ, quemadmodum ostendit nuper doctissimus uir Franciscus Massarius, ut suprà memini mus.

Cistus. Cap. CIX.

CIstus, quem aliqui citharon, aut cissaron uocant, ramosus frutex est, sed improcerus, folioſus, saxosis locis nascens, foliis rotundis, acerbis, hirsutis, flos masculo ut mali punicę, fœminæ albet: Vis astringens, unde flores in uino austero bis in die poti, prosunt dysentericis. & nomas per se illiti cohibent. uetustati ulcerũ, & igni ambustis cum cerato medentur. Hypocistis, erythranon *, aut cytinus nonnullis cognominata, iuxta cisti radices nascitur, floris punici similitudine. quędã flaua, alt. tera uirens, tertia candida. Liquatur acaciæ modo. Aliqui tamen exiccant, fractamq; macerant, & incoquunt, reliquaq; ut in Lycio prosequuntur. uires acaciæ habet, uerùm aliquantò magis siccat, & astringit. prodest dysenteri-

* Alij, orobethron.

cis,

Aricis,cœliacis,sanguinem excreantibus,fœminarum profluuio, & pota & indita.

EXPLICATIO.

Cistus frutex Germanis peregrinus. In quibusdam Galliæ montibus, & (ut aiunt) Patauinis hypocistinos uidere licet, & fruticem sub qua nascitur, ocymi folio, flore candido, quasi syluestris rosæ, radice lignosa, prædura, è cuius ferè medio hypocistis uelut infixa pullulat, cuius officinis succus est notior, quàm ut explicari mereatur.

Hypocisthis succus, & Hypocisthidis succus passim dicitur in lib. comp. phar. part. Hypocisthidis succus addita γλυκέως, id est, passi parte, macerat gummi, tragacantham, myrrham, thus, lib. 7. comp. phar. part.

Ladanum. Caput CX.

EST & alterum cisti genus, ledon à nonnullis appellatum, frutex simili modo nascens, longioribus foliis, & nigrioribus. quæ uerno tempore quiddam contrahunt pingue. foliorum uis astringens, atq; effectus cisti præbens. Fit ex eo quod ladanum dicitur: Siquidem cum cisti frondes pascuntur capræ, hirciq; pinguetudinem conspicuè barba carpunt, & suo lentore uillosis cruribus adhærescentem reportant: quam depectentes in colę, colantesq; coguntin offas, & ita recondunt. Alij uerò attractis funiculis, insidentem fruticibus lentorem abstergunt, conglomerantq; in ladanum. Maximè probatur odoratum, subuiride, facilè mollescens, pingue, quod renas non collegit, nec squalore obsitum est, resinosum, quale in Cypro gignitur. Arabicum uerò Libycumq; uilius. Natura ei spissandi, calfaciendi, mollicandi: ora uenarum patefacit. capillum fluentem continet, addito uino, myrrha, & myrteo oleo. cicatricibus decorem reddit, cum uino illitum, medetur aurium doloribus, cũ hydromelite aut rosaceo infusum. suffitu secundas eijcit. pessis immistum, uuluæ duritiem sanat, in medicamenta quæ dolorem tussimq; finiunt, & malagmata utiliter inferitur. aluum sistit cum uino uetere potum. & urinam ciet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cisthos, quæ alio nomine Lada & Ledon appellatur, frutex is est, unde capræ & hirci folia decerpentes, barbas ac uillos laterum succo eorum imbuunt, unde postea homines depectunt, quod Ladanum uocatur, offi-
Plinij error. cius optimè notum. Verùm Plinius haud in paruum errorem delapsus est, qui ob uocum cisti & cisthi uicinitatem, cisthum hunc hederæ speciem existimauit. At uerò Ladanum non tantùm ex barbis hircorum depecti, ut ueteres tradiderunt, sed alijs etiam modis inde colligi, apertè ostendit Galenus lib. 1. cap. 1. de com. phar. part. quum dicit non manifestum esse, an hoc solum Ladanum, quod ex hircorum barbis depectitur, in illud medicamentum, quod tradit, adhiberi uelit: & posibile esse per hanc speciem totum Ladani genus designari. Sed tamen nullum certum modum neq; hîc, neq; alibi quod sciam, eius colligendi prodit. Dioscorides certè hic unum aliquem amplius colligendi Ladani modum præscribit, qui funibus per forfices tractis contingit, ut licet eo modo glutinata pinguitudo postea ex ipsis funibus deradatur: quem modum etiam Plinius lib. 12. cap. 17. tradit. Quin & tertium quendam modum eius colligendi Plinius lib. 26. cap. 8. habet. per neruos in area lanis circundatos, atq; id fieri in Syria atq; Africa, unde etiam toxicum appellatur. Toxon enim arcum Græcis significat. Rufus porrò apud Erembos populos Ladanum illud prouenire dicit. Sunt autem Erembi Aethiopiæ populi, qui & Troglodytæ, utroq; simili nominis etymo appellantur. Galenus lib. 7. simpl. pharm. Cisthum qui & Ladanum, in calidioribus regionibus nasci dicit, non alterius generis ab eo qui in Asia prouenit, sed ob regionis proprietatem illud discussoriam habere caliditatem. & in hoc ab Asiano differre, quòd non solùm frigiditatem deposuerit, sed caliditatem assumpserit. Plinius lib. 12. cap. 17. apud Nabatæos Arabas hoc fieri scripsit, atq; mox uerum Ladanum Cypro insulæ attribuit, quæ sub illius fide relinquo.

Ebenus. Caput CXI.

EBENUS optima habetur Aethiopica & nigra, nullos habens uenarum discursus, factitij cornus læuore. cùm frangitur densa apparet, mordens gustu, atque astringens. suffitur iucundo odore supra carbones sine fumi tædio. recens autem ad ignem prolata, ob pinguitudinem accenditur, & trita ad cotem flauescit. Altera est Indica, internatis segmentis candicantibus, & modicè fuluis, item frequentibus maculis. cæterùm prior, bonitate antecedit. Apud quosdam sesamina, aut spinea lignea * consimilia pro ebeno uæneunt: quod discernitur ex eo, quòd fungosa sunt, et in purpureas assulas resoluuntur, nihil mordacitatis in gustu, nec redolentiæ in suffitu

* Alij, Syaminina, aut spina Indica.

Ebenus.



suffitu præferentia. Caliginem oculorum abA
sterget. ad ueteres destillationes, pustulasq; mirum in modum pollet. si quispiam facta ex eo coticula collyrijs utatur, melius proficiet. ad oculorum medicamenta efficax est, si scobes ramentáue uino Chio die noctuq; macerata, in collyria digerantur. nonnulli prætrita ipsa excolant, reliquaq; eundē in modum peragunt. alij pro uino aqua utuntur. Vritur in fictili nouo, donec in carbones redigatur. lauatur plumbi usti modo, & ita siccis scabrisq; lippitudinibus conducit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lignum, quod ea gens Barbara, quæ nobis transmittit, uernacula lingua Guaiacum appellat, ab Hispanis & Italis Sanctum, à Germanis Frantzosen holtz / Blatter holtz. Gallis Guaiac, dictum, Latinis uerò Indicum lignum appellatum. Ego cum aliquot doctis medicis Ebenum esse puto, uel omnino aliquam eius speciem. namq; per omnia descriptioni, quam de Ebeno hîc Dioscorides ponit, conuenire uidetur: præter enim soliditatem & retinentem duritiem, aquæ non supersidet: sed innata plurima terrestri substantia fundum petit, quod Ebeno tantùm præ cæteris arboribus attribuit Aristoteles. Triplex eius genus esse dicunt, & quod ex Aethiopia uenit, probatissimum esse & in Pompeij Mithridatico triumpho, primum Romanæ urbi spolium gratissimum & admirandum fuisse narrant. Radicem magis terra exertam, nigro colore, scribit Dioscorides, nihilominus tamen plerique neotericorum, à Theophrasto non dissidentes, apud Indos in altitudinem mediocrem arborescere, eorum qui ab India ueniunt, relatu adfirmant, crassicie corporis hominis, foliis plantaginis, sed minoribus paulò & rigidioribus, glandibus ad modum quercuum, & ueluti oliuis, ramorum extremitatibus inhiantibus. Et ex eo optimum censetur, quod recens satis, neq; admodum uetus & carioſum existit: tale etenim igni superimpositum, ob resinaceos fauos, quibus interius nigrum meditullium discriminatur, citius accenditur, & flammam agit: quo solo ligni bonitatem ab adulterato probare solent: laudatur item quod subB
citrino & buxeo est colore, quale est nostrum, quod passim in officinis diuenditur: & post detractum corticem, colore ad liuidum uergente: item quod in gustu præter astringentem saporem, etiam leniter linguam erosione mordicet. Lignum est satis calidum, morbis omnibus ex humore, præsertim frigido natis, salubre: nam acrimonia & amaritudine incidit, tenuat, terget, uacuat. De huius facultate mira doctissimus Anthonij Galli medici commentarius, his diebus paucis in lucem æditus, facit, ne mihi de hoc pluribus sit agendum: ut interim taceam Huttenum, Mathcolum, Massam, & alios quàmplurimos, qui uerbosissimè uires eius nobis inculcarunt, potissimùm in curanda lue Hispanica, siue potius Gallica: sed tamen etiam morbis alijs, præsertim frigidis, conferre, adeò est hodie persuasum, ut certatim eo etiam magnates uti gestiant.

Rosa. Caput CXII.





Rosa

A ROsa refrigerat & astringit, sed ficca multò magis. Succus recentibus foliis exprimitur, desectis forfice unguibus (sic appellantur candidæ foliorum partes) reliquum in pila premi & teri debet in umbra, donec cogatur, & ita ad oculorum circumlitiones recondi. Siccantur etiamnum folia rosarum, continuò uersata, ne muceãt, néue situs in ijs insideat. Aridis rosis & in uino decoctis expressus liquor, facit ad dolores capitis, aurium, oculorum, gingiuarum, sedis, recti intestini, ac uuluæ, pinna illitus aut infusus. eadem sine expressione tusa, præcordiorum inflammationibus, humidis stomachi uitijs, igni sacro illini prodest. siccis ac tritis femina *asperguntur, misceri solent uulnerarijs antidotis, atq; compositionibus, quas antheras uocant. Folia uruntur in calliblephara. Flos qui in medijs rosis inuenitur, siccatus, gingiuarum fluxionibus efficaciter inspergitur. Capita pota citam aluum, & cruentas reiectiones sistunt.

* Aliàs, femorũ intertrignes.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ῥόδον. Latinè & Officinis Rosa. Germanis, Rosen.
Gallicè une Rose, appellatur.
Rhodon autem Græcis, Plutarcho teste, nominatur, quòd largum odoris effluuium emittat.
Rosa omnis amara est atq; astringens, præcipuè rubra, à qua substantia refrigerat, siccat: flos autem eius astringit magis, proinde etiam siccat ualentius. Rosarum flores potius quàm rosas, quia imbecillam astrictionem habent, in Diabesasa ponit Herac. lib. 6. comp. pharm. part. Gale. & Andromachus in stomachicis, lib. eodem. Flos autem est pars interior, in qua semen est & capillus. Id semen uulgus Antheram uocat, cùm Anthera compositio sit Græcis, rosas siccas & alia recipiens: quin & sine rosarum flore Anthera medicamentum est. lib. 6. comp. pharma. part. Rosæ præstantissimæ sunt, quæ longè omnium sunt suauissimæ, et alijs rubicundiores. Siccandæ uerò sunt loco sublimi meridiano, quo solis radij penetrent, rosas tamen non tangant. Rosarum succus essentiæ est tenuissimæ, nam celeriter acescit, & lentore caret, & unguentorum omnino odores exoluit & obscurat. Ex Rosis calidissimæ uidentur Moschatæ: post has roseo colore insignes, incarnatæ nobis dictæ, Germanicè Leibfarb Rosen, quæ & cerebrum ualenter feriunt, paulò minus alba.

B Rosei pastilli. Caput CXIII.

PAstilli, quos rhodides uocant, hac ratione conficiuntur: Rosarum uiridium, quæ nullo antea humore madefactæ extabuerint, drachmæ quadraginta, Indicæ nardi drachmæ decem, myrrhæ drachmæ sex, tritæ digeruntur in pastillos, quatrium obolorum pondus æquent, siccatiq; in umbra, in fictili non picato, atq; obturato reconduntur. Alij adijciunt costi drachmas duas, iridis Illyricæ totidem, & uinum Chium cum melle miscent. Mulieribus monilium uice collo circumdato usui sunt, ad retundendum graue sudoris uirus: tritis etiam utuntur ad illitiones & diapasmata, quæ fiunt ad sudores coërcendos, ita ut à balneis inarescant corpora, deinde frigida aqua abluantur.

EXPLICATIO.

Officinæ sub nomine trochiscorum diarhodu alio modo parant, ab hoc non multum diuerso. ualidiores autem sunt omnibus his trochiscis, qui à rosis nomen acceperunt, qui à Mesue traduntur sub nomine trochiscorum de Rosis & Eupatorio.

Lycium. Caput CXIIII.

LYcium, quod aliqui pyxacanthan uocant, arbor est spinosa, ramis trium cubitorum, aut longioribus, foliis buxi, densis, fructu piperis, nigro. læui, amaro, densoq;, cortice pallido. nõ dissimili lycio madefacto, radicibus multis, obliquis*, lignosis. Nascitur plurimum in Cappadocia, Lycia, & plerisq; alijs locis. asperaloca amat. Succi extrahendi ratio hæc est: Rami cum radiculis tusi, & ante permultos dies macerati coquuntur, tum abiectis lignis itidem liquor, donec mellis crassitudo fiat. Adulteratur id lycium, adiecta decoctioni amurca, aut absinthij succo, aut felle bubulo. Innatans spuma inter coquendum exempta, oculorum medicamentis additur. reliquo ad alia utuntur. Simili modo fit lycium, semine expresso & insolato. Optimum quod uri potest, restinctumq; rubentem spumam ostendit glebis extrinsecus nigris, intus cùm fregeris rufis, odore minimè uiroso, cum amaritudine astringens,

* Alij, latis.

gens,crocino colore,cuiuſmodi Indicum eſt,cæteris præſtantius. Lycium aſtringit. A caliginem oculorum diſcutit.genarũ ſcabiem.pruritus,ueteresq; fluxiones ſanat. facit ad purulentas aureis, exulceratas gingiuas,tonſillas,labiorum fiſſuras,ſedis rimas,attritusq; illitum:cœliacis,dyſentericis,potum inditumq; cõuenit.datur ſanguinem excreãtibus & tuſsi,ex aqua.cõtra rabioſi canis morſus in catapotio deuoratur,aut in aqua bibitur.flauos facit pilos.reduuĩs,ulceribus quæ ſerpunt aut putrent,medetur.fœminarum profluuia appoſitũ ſiſtit.rabioſorum ictibus ex melle * potum,aut uice catapotĩ deuoratum,auxiliatur. Tradunt Indicum fieri lycium,ex frutice lonchitide appellato,ea ſpinarum generi aſcribitur, ramos rectos habens, ternũm cubitorum lõgitudine,maiorésue,rubo craſsiores,à radice numeroſos,frãctus cortex rubeſcit.folia oleæ ſimilia.Herba in aceto decocta proditur lienis inflã mationibus & regio morbo mederi : & fœminarum purgationes elicere. aſſeuerãt etiam crudam in potu,eoſdem effectus præſtare : ſemen cyatho dimidio potum pituitam expurgare : uenenis quoq; auxilio eſſe.

* Alij, lacte.

EXPLICATIO.

Lycium à Lycia regione dictum,& delatum, hic ſuccus eſt Pyxiacanthæ Dioſcoridi & Galeno liquidus,quo utebantur ad ſugillata,Phlegmonas oris & ſedis,herpetas,putredines,ulcera contumacia,aures purulentas ſiccat,& digerit ordine ſecundo,aſtringit,terget.Calore ſymmetris eſt proximum.Copioſum etiam eſt in Cappadocia: Indicum autem ad omnia eſt ualentius. Hæmarrhagiam à naribus Lycium ſiſtit,linamento impoſitum.Gal.lib.2.comp.phar.par.Lycium coquit,digerit,ut caſtorium. Indicum autem dico,nõ quod apud noſtros gentes naſcitur lib.4.comp.phar.part.Lycium etiam Aſrum dicitur lib.3.com.phar par. Spumam lycij appellat ex Solone,lib.eodem.Succo ex baccis Peryclimeni Lycium mentiuntur.Modus alius eſt in lib.de dynamibus, qui Galeno adſcribitur.

Pruna ſyluestria.



Acacia. Cap. CXV.

ACacia in Aegypto naſcit, ſpina inſtar arboris fruticoſa, non ſe in rectum attollens. B florem habet candidum,& ſemen lupino ſimile in folliculis: ex quo ſuccus expreſſus ſiccatur in umbra,niger ex maturo ſemine, ſubrufus ex uiridi. Eligatur modicè rufus & odoratus, ut in hac arbore eſſe poteſt.aliqui exprimunt ex foliis & ſemine ſuccum . Manat & gũmi ex ea ſpina.uis ei ad ſpiſſandum, refrigerãdumq; efficax. Succus oculorum medicamentis utilis.ualet ad ignem ſacrum, ulcera quæ ſerpunt,perniones,pterygia,& oris ulcera. procidentes oculos reprimit,menſium abundantiam ſiſtit. prociduam uuluã cohibet. citam aluum ſupprimit, aut potus aut ſubter inditus. capillos denigrat. lauatur oculorũ medicamentis,trito in aqua, mox effuſo quod concreuerat, donec pura extet aqua, & ita cogitur in paſtillos. uritur etiam in cruda fidelia, donec fictile fornacibus percoquatur: torreturq; in carbonum halitu perflata. Spinæ decoctum ſolutos artus fotu cõmittit.

A Præfertur eius ſpinæ gummi, quod in uermiculorum ſpeciem contrahatur, & uitri modo perluceat, ligni expers. proximum eſt candidum, ſordidum uerò ac reſino ſum inutile. Cutis meatus obſtruit, & medicamentorum, quibus admiſcetur, acri moniam hebetat. ambuſtis ex ouo illitum, puſtulas non patitur erumpere. Alterũ acaciæ genus in Cappadocia Pontoq; prouenit, Aegyptiæ ſpinæ ſimilitudine, lon gè minus, tenerius, humile, aculeorum uallo munitur, folia habens rutæ. ſemen lenti cula minus fert autumno, in loculis connexis, ternûm quaternúmue capacibus. Suc cus eius aſtringit. uiribus inferior, & ocularibus medicamentis inutilis.

EXPLICATIO.

Acacia ueterum ſuccus ex fructu ſeu ſemine, interdum & foliis ſpinæ Aegyptiæ expreſſus, in umbra ſic catus, ſiccat ordine tertio, refrigerat primo: ſecundo autem, ſi lotione leuem ſuam acrimoniam depoſuerit. Acacia κίσσα, lib. 7. comp. pharma. part. in dyacodio Heræ. Hæc tamen humidior uſurpari poteſt, ut in the riace leges apud Galenum.

Eligenda modicè rufa & odorata, quatenus illi datum eſt. Eius loco ex bacculis prunorum agreſtium co ctis ſuccum expreſſum teſſellatim conſectum inſolatumq; uſurpamus minimo errore, quia refrigerat, ſiccat, aſtringit ut ucterum acacia.

Ex hac Acacia Aegypti ſpina, ex cuius ſemine aut fructu ſuccum exprimi antè diximus, manat gummi in uermiculorum ſpeciem contractum, uitri modo perlucidum, purum, refrigerat, denſat.

Huius non meminit Galenus in Acacia lib. 6. ſimp uti nec Acaciæ nomen facit paulò pòſt in Acantha Ae gyptia ſeu Arabica (quo nomine ſolo Dioſcoridi uocatur) unde colligas licet, Accaciam & Acanthan Ae gyptiam ſeu Arabicam diuerſas eſſe in Aegypto ſpinas arbores. Tamen in libro comp. phar. frequenter legit κόμμι abſolutè tragachantæ coniunctum pro gummi Arabico, quod κόμμι βαβαϊκὸν uocat lib. 7. comp. pha. part. à Thebis opinor Aegypti centiſoribus. uti etiam Babylonicum quibuſdam dicitur, à Babylone Aegypti Arabiam attingentis, κόμμι ἄστραβικὸν perſæpe Actuarius uocat.

Vitex. Caput CXVI.

B 

VItex ſiue lygos, frutex eſt in arborem aſ ſurgẽs. naſcitur in fluminum ripis, aſpe risq; locis, ac torrentium alueis. ramos gerit prælongos, fructu peruicaces. folia oliuæ, ſed molliora. Duo genera eius. una harum album florem mittit cum purpureo: altera tantũ pur pureum, & ſemen, ut piper. Excalfactorias ui res habet, & adſtrictorias. ſemen eius potum uenenatis ictibus, aquæ quæ cutem ſubijt, lie noſisq; auxiliatur. lac euocat menſes ciet, dra chmę pondere in uino potum. genituram ex oluit. caput tentat, & ſoporem affert. decoctũ herbæ & ſeminis in deſeſsione, mulieribus uuluæ malo opportunis opitulatur. item in flammationibus. purgationes mouet ſemen cum pulegio potum, etiam ſuffitu uel appoſi tu. capitis dolorem diſſoluit illitum. inſtilla tur cũ aceto & oleo capiti in lethargo & phre nitide. folia ſuffitu aut ſubſtratu fugant vene nata. illita quoq; ſerpentium morſibus auxilio antur. teſtium duritias cum butyro & foliis ui tium emolliunt. rimas ſedis ſemen cum aqua illitũ mitigat: & cum foliis medetur luxatis uulneribuſq; uirgam qui manu teneat dũ iter facit, negatur intertriginem ſentire. Agnum, quaſi dicas caſtum, uocant Græci, quoniã ma tronæ in theſmophoriis Athenienſium caſti tatem cuſtodientes, foliis huius cubitus ſibi ſternunt, & lygon quaſi uimen, propter inuictam ferè ramorum flexitatem.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO. A

Græcè, ἄγνος. Latinè, Vitex. Officinis Agnus castus.
Germanicè, Abrahamsbaum/Keuschbaum/Schaffmüle.

Ἄγνος, id est, castus, quòd ad castitatem conferat, foliis & floribus sumptis & substractis, & semine frixo, uel non frixo: id enim sumptum, ut semen rutæ, nocturnas ueneris imaginationes cohibet. Galen. lib. 6. simp. & lib. 6. sanitatis tuendæ. Calfacit, siccat ordine tertio, acris est ac astringens, & substantiæ multum tenuis, flatus omnium maximè discutit. Ob id lege libro primo alimentorum, calfacit, non cum Græcis exemplaribus & ueteri interprete, refrigerat, quod effecta illis adscripta indicant. Agnus castus.

Item lib. 2. comp. phar. part. de cephalalgia ab æstu, ubi Agnum inter refrigerantia commemorat: & paulò pòst ubi Archigenis dicta distinguit, folia lauri calidissima: Agni uerò mediocriter refrigerant. Legerem non ἄγνος, sed ἀνίσος, quæ planta Dioscoridi refrigerat, & astringit, etiamsi Galenus fortè alibi nusquam ea herba sit usus. Neq; enim placet elusio, quòd per accidens refrigerat: id enim etiam foliis Lauri & calidis omnibus commune est.

Salix. Caput CXVII.



SAlix uulgò nota est. Cuius semen, folia, cortex & succus spissandi uim habent. trita folia cum exiguo pipere & uino pota, ilios fubueniunt. sumpta per se & cum aqua, præstant mulieribus ne concipiant. salignum semẽ in potu sanguinem expuentibus prodest. cortex eosdem præbet effectus. corticis cinis admisto aceto maceratus, illitu clauos & callos tollit. ex foliis & cortice succus cũ rosaceo in calyce punici calfactus, aurium doloribus auxiliatur. decocto eorum podagras foueri utilissimum. furfures purgat in corpore. Excipitur succus qui manat ex ea, cùm floret, excisò cortice. in plaga enim concretus humor inuenitur, qui ad purganda, quæ obstant oculis, suam uim præbet. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, ἰτέα. Latinis Salix.
Officinæ Latinum nomen seruarunt. Germanis, Weiden.
Gallis, Saulge, appellatur.

Salix uerò à saliendo dicta est, quòd ea celeritate crescat, ut quasi salire uideatur. Sic etiam Iteam quasi salicem uocauerunt Græci. Plura uide apud Theophrastum, per nos in alium atq; commodiorem ordinem redactum.

Sylueſtris olea. Caput CXVIII.

SYlueſtris oleæ, quam aliqui oleastrum appellant, alij Aethiopicam oliuam, folia astringunt. trita autem & imposita ignem sacrum, ulcera quæ serpunt, epinyctidas, carbunculos, reduuias, nomasq; cohibent, crustas emarginant cum melle illita, quinetiam sordida ulcera repurgant. inflãmationes panosq;, cũ melle impositæ discutiunt. cutem à capite uulsam conglutinant. oris ulceribus & priuatim infantium, commanducata medentur. Succus & decoctum eosdem habent effectus. sanguinis eruptiones, ac muliebre profluuium, admotus succus inhibet. uuæ oculorum, pustulisq; prodest. ulcera & ueteres defluxiones sistit: quapropter in collyria additur: ad genarum erosiones perquàm utilis. Exprimitur succus tusis foliis, affuso uino aut aqua, siccatusq; sole in pastillos digeritur. sed longè ualidior ad recondendum succus habetur, qui cum uino, quàm cum aqua expressus est, auribus subuenit, siue ulcerentur, siue pus effluat. Folia conuenienter cœliacis cum farina hordeacea illinuntur. uruntur cum floribus folia, ut spodij uicem cinis præstet. in cruda olla, oblito ore luto, usq; dum figlinum percoquatur: restincta q; uino & rursus subacta, eodem modo uruntur. postremò ceruſæ modo elota coguntur in pastillos. Huiusce modi cinerem in medicamentis oculorum constat spodio non cedere, sed eisdem

A Syluestris olea.



uiribus præditum esse putandum est. Fo-
liorum satiuæ oleæ eadem uis intelligi-
tur, sed aliquanto inferior: unde ocu-
laribus medicamentis ob suam mitio-
rem uim conuenientior est. Sudor ligno
uirenti accenso manans, illitu sanat li-
chenas, furfures & scabiem. Oleaginum
semen illitum medetur furfuribus, & ul
ceribus, quæ depascunt uorantq; quod
autem intra nucleum est, ex adipe & fa-
rina scabros ungues excutit. Colymba-
des tritæ & ambustis illitæ, pustulas gi-
gni prohibent. sordida ulcera purgant.
muriæ succus collutas gingiuas contra-
hit, & motus dentium firmat. Oliua fla-
ua & recens stomacho utilior est, uen-
tri difficilis. nigra autem & matura cor-
ruptioni opportuna est, stomacho ad-
uersatur. oculis non conuenit, capitis
dolorem mouet. arefacta illitu depasci
tia ulcera sistit, & carbunculos emargi-
nat. Oleum syluestris oliuę gingiuis pu-
tri uligine laborantibus colluitur. den-
tium mobilitates stabilit. calfacti fotus,
gingiuis fluxione laborãtibus utilis est.
lanam enim specillo circunligatam oleo
madefacere oportet, & gingiuis admo-
uere, donec albæ spectentur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κότινος, ἡ ἀγριέλαιος.

Latinè, Oleaster & syluestris olea. Officinis Latinum nomen retinet.

Germanicè, Wilder ölbaum. Gallicè, Oliuier sauuage, dicitur.

Syluestris olea fœcundior satiua, quod ferè syluestres habent, ceu cura fertilitatem mittente. Oleastro uita longior quàm oleæ, sed olympiæ longissima. Syluestris olea ex satiuæ nucleo nascitur. Mansuescere hanc densis curatalcis, aut omnino translatione mitem fieri, uix potest adduci Theophrastus ut credat.

Lachryma æthiopicæ oleę. Caput CXIX.

LAchryma quam æthiopica olea stillat, scammoniæ similis quadantenus est, ful
ua, stillis exilibus constans, mordax. quæ autem ammoniaci, aut gummi simi-
litudinem refert, colore nigricans, nec gustu mordens, superuacua est. Nostrates
oleæ, oleastriq;, similem lachrymam sudant, quæ commodè ad oculorum hebetudi
nes illinitur. cicatrices albugines q; illitu emendat. urinam & menses ciet. cauis den-
tium impressa, ad dolores efficax est. inter uenena scribitur. partus pellit. lepras &
impetigines sanat. Appellatur autem æthiopica & agrestis olea.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Gummi Elemi ab elæa, uel corruptè & enhærmum.

*Ex elæa, id est, olea Aethiopica & nostrate, inquit Dioscorides, & Italica Plinius, & oleastro lachryma
funditur scammonio similis, fulua, stillis exilibus constans, mordax. Similis autem hammoniaco, uel gummi, co
lore nigricans, morsus expers, inutilis. Explora an uerum sit Officinis.*

Amurca. Caput CXX.

AMurca expressæ oliuæ recrementum est. decocta in cupreo uase ad crassitudi
nem mellis astringit, cæteros præbens lycij effectus. insuper dentium dolori
& uulneribus, cum aceto, uino aut mulso cõmodè illinitur, additur in medicamenta
ocularia,


ocularia,& meatus inductu suo obstruentia.uetustate meliorem fieri constat. utiliter infunditur sedis,genitalium,ac uuluæ exulcerationi.si uerò cum omphacino recoquatur ad mellis crassitudinem,carioſos dentes extrahit. iumentorum scabiem decocto lupini & chamæleonte illitu sanat.cruda & recenti amurca podagras articulariosq; dolores foueri utilissimum.peruncta in uillosa pelle,& hydropicis imposita,tumoris molem reprimit. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Amurcam Græci ἄμοργην *appellant: nos amurcam aut sedimentum olei. Germanicè,* öl heffen/ trüb öl.

Quercus, Glans, Fagus, Ilex. Caput CXXI.

Viscum quercinum.




B



Fagus.



Ilex.



QVercus omnis adstrictoriam uim habet, præsertim liber qui cortici & ligno intercedit: quin etiam tunica putamini glandis subiecta. decoctum ex ijs datur dysentericis,cœliacis,sanguinem excreantibus. trita in pesso, fœminis fluxione uuluæ laborantibus subijcitur. Glandes eosdem effectus exhibent.urinam ciũt. capitis dolorem & flatus in cibum sumptæ pariunt. resistunt esitatæ uenenatorum ictibus.decoctum earũ & corticis cum lacte uaccino potum prodest contra toxica.intritæ crudæ, inflammationes illitu leniunt. ad duritias quas cacoëthe uocant, & malefica ulcera cum

A salsa axungia conueniunt. Ilignæ glandes uiribus quernas antecellunt. Fagus & ilex quercus generi assignantur, & consimile munus obeunt. Ilignæ radicis cortex cum aqua coctus dum mollitus intabescat, & tota nocte illitus, denigrat capillos, prius cimolia terra purgatos. Folia omnium tusa & trita tumoribus prosunt, & imbecillas membrorum partes corroborant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Quercus Græcis Δρύς. Officinis Latinum nomen seruauit. Germanis, Eychbaum.

ἥμερις. Gallis une chesne, appellatur. Existimatur dicta ueteribus etiam Hemeris, id est, placida. Notissima arbor est, procera, crassiori & asperiori caudice, ramosa, foliis profundè laciniatis. Glandes producit optimas & maximas, gallas item & uiscum.

Græcis Ἰξός. Latinis & Officinis uiscum. Germanis, Mystel/ & Affolter.

Gallis du guy, appellant. Calfacit cum acrimonia: plurima enim aërea & aquea, paucissima terrena constat. Igitur acrimonia in eo amaritudinem excellit.

Fagus Latinis. Græcis φηγός. Germanis, Buchbaum.

Gallis, Faus uocatur, expuncta litera g.

Fagus glandiferis arboribus annumeratur: tametsi fructu nihil glandi simillimum habeat. assurgit caudice crasso, & in orbem comoso, neq; ita procero: folio tenui & leuissimo, populo simili, celerrimè flauescente: & media plurimum parte supra hoc paruula gignitur bacca uiridis, fastigio aculeata. Glans eius dulcissima nucleis haud absimilis, triangula cute includitur, & parte postrema utrinq; lapidescit in duritiam, si uirilis sexus fuerit.

Ilex glandifera Græcis ὁ πρῖνος dicta, apud nos peregrina arbor est. Ilex uerò quæ aquifolia cognominatur, duplex existimatur: altera coccũ tinctorium ferens, officinis notissima, paruo frutice: altera magna, fructu inutili. Germanis, Stechend palmen. Gallis, hous & housson appellata, cuius picturam damus, &c.

Castaneæ. Caput CXXII.



B

Sardianæ glandes, quas aliqui castaneas, aut lopsima, aut glandes Iouis appellant, adstringunt, similesq; effectus præbent, præsertim tunica quæ carnem et corticem media intercursat. caro his qui ephemerum biberunt, conueniens est.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Καστανὰ, ἢ Διὸς βάλανος, ἢ λόπιμον.

Latinis Castanea, glans Sardiana, Iouis glans, appellatur.

Officinæ nucem Castaneam. Germani, Kesten/ Kastant.

Galli, Chastaignes & marrons, uocant.

Castaneæ autem à Castana Magnesiæ oppido, unde primùm adductæ sunt, nominatas esse constat. Sardianæ uerò glandes, quoniam in Sardinia optimè nascantur.

Adstringit & exiccat Castanea, haud secus quàm aliæ glandes. Calida uerò & sicca est primo ordine.

Castaneas inter cæteras appellationes Sardianas glandes & λόπιμα Græcis dici, hoc capite ostendit Dioscorides. & Galenus libro 2. de alimentis τὰ καστανὰ ἔνιοι καὶ λοπίμους ὀνομάζουσιν, inquit. Earum itaq; hispidum corticem in usum assumit Galenus lib. 1. ca. de comp phar. part uocatq; πώγωνα λοπίμου, id est, barbam castaneæ, id quod Plinius echinatum calicem dixit. Neq; alius quàm castaneæ cortex est, quem Aëtius βαλάνου κεστανῆς φλοιὸν appellat, sermone 8. cap. 73.

Galla. Caput CXXIII.

Galla fructus est quercus. Aliqua omphacitis appellatur, parua quidem, sed tu berosa, solida, nullo foramine peruia. altera plena, leuis, perforata. Eligi debet omphacitis, quæ efficacior est. Vtriusq; uis uehementer astringere. tritæ excrescentia in carne, fluxiones gingiuarum & uuæ, atq; oris ulcerationem cohibent. nucleus dentium cauernis inditus dolorem sedat. crematæ carbonibus donec ignescant,

Galla.



grent, & uino aut aceto aût acida muriâ extinctæ, sanguinem supprimunt. decoctum quibus insidere expedit, efficax est, & cõtra uuluas procidentes, fluxiones q; capillos denigrant, aceto aut aqua maceratæ. dysentericis cœliacisq; cũ uino aut aqua tritę conuenienter illinuntur, aut bibuntur. obsoniis addi debent, aut integræ in aqua præcoqui, in qua nonnihil excoquendum est, quod his affectibus conferat. in summa, his utendum ad astringenda, aut siccãda quæ opus sunt. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κηκίς. Latinè & Officinis Galla.

Germanicè, Gallöpffel.

Gallis, noix de galle, appellatur.

Galli tria gallæ genera ostendunt: primum periate galle, alterum galle de romaine, tertium galle legiere, appellant.

Gallarum genera hoc cap. Dioscorid. duo facit his uerbis: Altera ex his omphacitis appellatur, parua, nodosa, solida, non perforata. Altera uerò glabra, leuis & perforata. Galenus autem lib. 7. simpl. pharma. alteram simpliciter omphacitim appellari ait, alteram uerò flauam, & laxam ac magnam describit, & siccare quidem ut priorem tradit, sed tantò minus, quantò acerbæ qualitatis minus quàm prior complectitur. Ex quibus sanè uerbis plerique omnes qui omphacitin Gallam apud Græcos Medicos, Galenum, Dioscoridem, Paulum, ac alios legunt, nobis immaturam uertunt, tanquam sanè ea ipsa uoce ὀμφακίτιδ Θ, significetur, quum aliàs ὄμφαξ uua item q; oliua immatura, & ὀμφάκινον ex oliuis immaturis oleum appelletur.

Verùm nos non temerè ita uertimus, sed semper omphacitim diximus, ut qui non per hanc uocem immaturam Dioscoridi & Galeno ac Paulo dictum putamus, sed certum quoddam genus, quod Dioscorides ac Galenus alterum ex eis faciunt, quum immaturæ appellatio de utroq; genere intelligi possit, quod non ad iustam maturitatem peruenit, atq; ita accipio à Plinio dictum lib. 24. cap. 8. Immaturæ ex his ex aceto potæ lienem consumunt. Eædem crematæ & aceto salso extinctæ menses sistunt, uuluasq; procidentes fotu. Neque enim aliud est quod Dioscorides & Galenus de utroq; genere dixerunt, quod uidelicet ἴχμαμαι fiunt, si ignitis prunis urantur, & aceto aut uino, aut oxalmæ extinguantur. Quando igitur utraq; Galla suo tempore immatura est, & dicitur, minimè hæc certa alterius generis differentia putanda est, minimeq; pro omphacitide primo gallarum genere, immatura accipienda. Inquirendum itaq; est, quod genus gallarum sit omphacitis appellatum, alterum enim genus nemini non est notum, atq; id conabimur ex descriptione quam Dioscorides habet ex uere, singulis eius uerbis æstimatis. ὀμφακίτις, inquit, καλεῖται μικρὰ καὶ κονδυλώδης, στερεὰ, ἐγγυωνῆ Θ. Paruam itaq; primùm dicit, mox nodosam, Solidam deinde, & nõ perforatam tradit, ut planè hæ differentiæ sint, quas Plinius dixit. Nimirum alteram solidam, alteram perforatam, illam minorem, hanc maiorem. Nam albæ & nigræ differentiam Dioscorides non habet, & Galenus alterum genus, magnum scilicet, fuluum esse dicit, quòd fortasse primum candidius iuxta Plinium fuit. Sicut contrà appellationis Omphacitidis differentiam Plinius nusquam habet. Habemus itaq; non Gallam omphacitim esse paruam, nodosam, solidam, non perforatam: quæ certè immatura dici Latinis non potest, sicut neq; etiam est, sed in suo genere perfecta. Quæ igitur talis est? Ego sanè omphacitim gallam esse & appellari à Galeno, ac describi à Dioscoride puto, id quod cauum primum ex quercu enascitur, ex quo postea ipsa glans prodit, eiq; innascitur, quanquam id non perpetuò contingat, ut ex eo glans proueniat. atq; in hanc opinionem induxit me Paulus, qui libro 3. cap. de dysent. apertis uerbis docet, ὀμφακίτιν, id esse quod dixi. Est autem, inquit, cauum illud, ex quo glans quercina enascitur, quo coriarij utuntur. Euidens est descriptio rei quam uelit, & quum hoc amplius addat, eo coriarios uti, planè hoc indicat, quod hodie etiam usu uenire uidemus, quanquam utraq; galla à tinctoribus expetatur. B

Vtraq; Galla refrigerat ordine secundo, siccat tertiò, crassæ est essentiæ, astringit.

Rhus. Caput CXXIIII.

RHus quæ obsoniis aspergitur, ab aliquibus erythros appellata, semen est coriarij fruticis, sic uocati, quoniam coriorum infectores eo utãtur ad inspissandas pelles, arbuscula in petris nascens, binûm cubitorum altitudine, foliis oblõgis,

A Rhus. Sumach.



subrubentibus, in ambitu serratis, acino uuarum gracilium denso, magnitudine terebinthi, quadã tenus lato. Cuius corticosa tunica perquàm utilis est. folia uim habent astringendi, & acaciæ effectus præbent. decoctum capillos denigrat. dysentericis infunditur, & in potus eorũ infessusq; adꝫcitur. instillatur auribus purulentis. gangrænas & pterygia cohibent folia, ex aceto aut melle illita. Liquamentum fit ex aridis foliꝭ, ad crassitudinem mellis in aqua decoctis, ad eadem, ut lycium, conueniens. Semen eosdem effectus exhibet. cœliacorum, dysentericorumq; obsoniꝭ inspergitur. fracta, desquammata, liuidaq;, illitum ex aqua, ab inflammatione uindicat. linguæ asperitates cum melle abstergit. candida fœminarum profluuia sistit. hæmorrhoidas sanat, cum querno carbone intrito admotum. aqua in qua semen maduit decocta, cogitur coitq; efficacior ipso semine. Gummi defert, quod dentium cauis imprimitur, ad dolores finiendos.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis ῥοῦς ἐρυθρὸς καὶ μαγειρικός. Latinis Rhus erythros & Magiricus, quod obsonijs aspergeretur. Officinæ nomen à barbaris mendicatum, Sumach usurpant.

Rhus hic aut hæc, est fructus racemosus, cortice acido, astringente, repellente, nunc medicamentarius tantùm, olim etiam culinarius, pro sale obsonijs aspergebatur, stomacho ualde idoneus: alter uerò & coriarius densandis pellibus applicabatur. Ille etiam Syriacus & ruber, lib. 3. & lib. 6. comp. pharma. part. uterq; tamen musto austero incoctus stomachicum est medicamentum optimum, lib. 6. comp. pharm. part. Eius succus omphacij uice est in Gallia Narbonensi, in hortis Guilelmi Pelliserij, Episcopi Montispessulani longè omnium doctissimi & optimi.

B *Rhus erythros differt à byrsodepsico, quandoquidem utrunq; in pastillũ, pantolmion dictum, Medici diuersis ponderibus contra dysentericos & cruenta reijcientes requirunt.*

Palma. Caput CXXV.



PAlma in Aegypto gignitur. Ea medio maturitatis uigore, autumno decerpi solet, Arabici myrobalani similis, pomatis cognomine, colore uiridi, & odore mali cotonei. quod si ad maturitatem peruenire sinatur, phœnicobalanus fiet. Palma acerba est & adstringens. contra alui fœminarumq; profluuia, in uino austero bibitur. hæmorrhoidas sistit. uulnera glutinat illitu. Phœnicobalani recentes plus siccis adstringunt, capitis dolorem afferunt. copiosiores in cibo inebriant. sicciores sanguinem excreantibus, stomachicis & dysenteri cis utiles in cibo. illinuntur cum cotoneo & cerato œnanthino uesicæ uitijs. Cariotæ, præsertim esu, faucium asperitati medentur. Thebaicarum decoctum potu æstuationem sedat. uires recreat cum hydromelite ueteri sumptum. cibo idem faciũt. Fit ex eis uinum ad eadem conueniens. Decoctum per se potu & gargarizatione magnoperè astringit, & cohibet. Nuclei palmarum, cæterorum more, cremati in crudo fictili, & uino restincti, cinere loto, spodij uicẽ efficiunt, miscenturq; in calliblephara. quòd si non iustam ustionem acceperint, denuò cremandi. Vim adstringendi habent, & spiracula cutis obductu suo claudunt. contra oculorum uuam & pustulas, palpebrarum defluuia, cum nardo effectum præbent.

præbent. corporis excrescentias cum uino reprimunt. ulcera ad cicatricem perdu- A
cunt. Sed inter primas utiles ex palmis humilibus Aegyptiæ.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Φοῖνιξ. Latinè, Palma arbor.
Germanicè, Dattelbaum. Gallicè arbre de dattes, appellatur.
Fructus Palmæ, Græcis Δάκτυλος. Latinis palmula.
Officinis Dactyli. Germanis, Dattlen.
Gallis, dattes & figue royalle, dicuntur.

Ex palmulis caryotides celebrantur cibis, harum genera tria sunt: Nicolai, sorores. Græcis ἀδελφίδες. Patrisunt & Eunuchi Aristoteli genus Palmulæ, quod alij cnorchos uocant, quasi testiculares ac spadonias. Sunt & Margarides autore Plinio, palmæ breues, candidæ, rotundæ, acinis quàm balanis similiores: quare à margaritis nomen accepere.

Φοῖνιξ, ut hoc loco Dioscorides tradit, in Aegypto nascitur, uiridi colore, odore mali cotonei, medio maturitatis uigore per autumnum decerpi solet. Arabici Myrabolani similia, sine osse, quã Myrabolanum quoq; uocari Hermolaus affirmat. Πῶμα autem & ἄσταφις etiam Dioscoridi uocatur, quòd ex hoc fructu palmæ Aegyptiæ humidiore, acerbo, astringente, expresso, potus fit sitim sedans, Solino autore, qualis nobis ex pomis, pyris, sorbis. Hic autem fructus si usq; ad maturitatem in arbore sinatur, solibus nigricat, & φοινικο βάλανος uocatur.

Φοῖνιξ uerò palmæ ipsius fructus, præsertim dulcis, non paucam obtinet caliditatem: tamen desiccat, roborat, contrahit, stipat, densat, sumptus & admotus.

Hic autem fructus à palmæ Aegyptiæ fructu ex osse differt: nam hic os habet magnum & longum & durissimum, in quo semen, uel ustum & tritum ualenter digerit, lib. 6. comp. pharm. part. Dactylus à digitorum forma dicitur. ὀξυφοῖνιξ uerò dictus Actuario & alijs quibusdam Græcis recentioribus ab acido sapore, palmæ syluestris fructus, Tamar Indus, id est, Dactylus indus Barbaris. Germanis uerò Tamarinden/ Oxiphœnix. Tamar Indus. Phœnicobalanus. B
lanus, tamen os habet quod satũ arborem nobis produxit, alijs multis conueniunt & differunt, ut mox audiet; sed Oxyphœnix ueteribus indictus, cùm phœnicobalanus in his frequens sit. Oxyphœnix subniger, lucidus, tener, uillis tanquàm radicibus mistus, recens, pinguis, acido sapore. Quibus notis apparet, quantum conueniat cum Phœnicobalano, & quantum discrepet: ad hæc osse ut diximus, & usu hic recentiorum tantùm: ille etiam ueterum. Si frigidus est ueteratus, oxyphœnici debet miscerì masticbe uel macis uel spica nardi. Rà rò per se datur, picrocholis saluberrimum ad uncias quatuor dari potest: annis 10. seruatur.

Palma, elate. Caput CXXVI.

PAlma, quam aliqui elaten aut spatham appellant, fructus palmarum adhuc florentium, inuolucrum est calyx q̃, quo in spissamenta unguentarij utũtur. Optima habetur odorata, astringens, ponderosa, præclusa, intus pinguis. uis ei adstricto ria. sistit ulcera quæ depascunt. laxatos artus committit. trita miscetur cataplasmatis & malagmatis. prodest præcordijs, imbecilli stomacho, & iecinori affecto, mista conferentibus cataplasmatis. Eius decoctum subinde detersum, capillos denigrat, datur bibendum congruè, renum, ueficæ, & uiscerum uitijs. uuluæ ac uentris fluxiones sistit, scabiem cum resina & cera sanat. si uiginti diebus recens apponatur. Inuolutus q̃ in ea elate fructus, quem suo amplexu fouet, elate etiam uocari solet, & ab aliquibus borassus. Adstringit, & spathæ effectus præstat, non sic unguentis expetitus. Alba medulla caudicis recens in cibo, aut decocta, eadem facit quæ borassus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Non solùm summus cortex palmulæ (ut quibusdam placet) ἐλάτη appellatur, sed ipsum adeo recens palmulæ fructus germen, ut Galenus ait. Idem hìc Dioscorides indicat, καὶ ὁ περιεχόμενος δὲ ὑπὸ τοῦτο τοῦ κορμοῦ ἐλάτη καλεῖται, hoc est, contentus in ipso cortice fructus itidem elate dicitur. Cæterùm quod à Galeno ἐγκέφαλος in eadem palmula dicitur, id ab eodem 2. de alimentis, uertex & summitas palmæ appellatur. At uerò quod hìc à Dioscoride ἐγκάρδιον uocatur, omnino aliud est, medium uidelicet in eius ligno, tertium à cortice. ἐγκάρδιον enim uocabulo etiam aliàs medium alicuius rei, & quasi corculum aut medulla appellant, quomodo Græci Medici etiam ἐγκάρδιον τῆς σκίλλης, scillæ internam partem uocant. Ipse autem Plinius palmulæ ἐγκέφαλον, cerebrum dixit.

Malum

A

Malum punicum. Caput CXXVII.



MAlum punicum omne boni ſucci eſt, ſtomacho utile, perexiguum ſufficiens alimentum. Dulcia ſtomacho utiliora habentur, ſed aliquantulum in eo calorem gignunt. inflationes pariunt, unde in febri abdicantur. Acida adſtringunt. æſtuanti ſtomacho auxiliantur. & multò magis cõtra hunt, ac urinam cient. ora gingiuasq; lædunt. Vinoſa uerò mediam ſortiuntur naturam. Nuclei acinorum acidi punici in ſole ſiccati & obſonijs inſparſi, concoctiue, fluentem aluum ſtomachumq; ſiſtunt. cœleſti aqua madeſcunt, bibunturq; commodè ſanguinem excreantibus: ad deſeſſus dyſenteri-
corum, fœminarumq; fluxione uuluæ laborantium utiles ſunt. expreſſus nucleorũ ſuccus coquitur cum melle, ad oris, uirilitatis, & ſedis ulcera, nomas, reduuias, & ea quæ in corpore extuberant, aurium dolores & narium uitia, præſertim acidorum.

Cytinus. Huius flores cytini uocantur, qui adſtringunt, ſiccant, cohibent. ſanguinolenta glutinant. quas punicum, præſtant utilitates, humida gingiuarum uitia mobilesq; dentes decocto colluuntur. herniam prolapſu inteſtini erumpentem cataplaſmate repellunt. memoriæ tradunt, qui tres quàm minimos cytinos deuorauerit, nullam eo anno lippitudinem paſſurum. eliquatur hypociſtidis exemplo. Malicorium, aſperum eſt mali punici putamen, quod aliqui ſidion appellant. Id ſpiſſandi uim habet, &, quos cytini, præbet uſus. decoctum radicis potu latas uentris tineas pellit, et eadem euocat. Balauſtium ſylueſtris punici flos eſt, cytino ſimilis. cuius complura genera reperiuntur, candidum, fuluum, colore roſaceo. ſuccus ex eo exprimitur, hypociſtidis modo, cui adſtrictoria uis ineſt, eadẽ faciens quæ hypociſtis & cytinus.

Malicorium.

Balauſtium.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ῥοιὰ ἡ, apud nonnullos σίδη. Latinè, Mala punica. Officinis Granata. Germanicè, Granatbaum/arbor. Granatöpffel/fructus. Gallis arbor ung pomeir de granade, fructus pomier de granade, & Mygrenes, appellatur.

B *Malum granatum ſeu punicum triplex: dulce, acidum, & acidodulce, ſcilicet ſucco, ſaporis naturam ulribus refert: omnium tamen flos, cortex, nucleus aſtringit, ſed acidi & acerbi magis, dulcis multò minus: medij horum mediocriter. malicorium, id eſt, cortex nondum adulterum ſed perfectum propinquorum eſt nullor ad aſtringendum in ore affectus ex fluxione naſcentes.*

Balauſtiæ.



Balauſtium ſylueſtris punicæ flos, cytinus ſatiuæ & domeſticæ Dioſcoridi & Galeno, primogenita punicæ. Nã quando arbor florere deſinit, fructus ipſius apparet in mali Punici ſpeciem figuratus. Hi in fine ueris gignuntur, & meliores ſunt ex granatis acidis & acerbis, quia magis aſtringunt, ſic Ibidem. Ambo tamen inſigniter aſtringunt, refrigerant, ſiccant, craſſæ ſunt ſubſtantiæ: ambo etiam hodie à medicis cã Plinio Balauſtia, Germanis, Granat blũet. Gallis fluer de pome granade uocatur.

Myrtus. Caput CXXVIII.

MYrtus ſatiua nigra utilior eſt medicinæ, quàm candida, & in hoc genere multò magis montana. ſemen tamen imbecillius pariſ. Vis & myrti & ſeminis adſtringit. ſemen uiride aut aridum in cibo datur ſanguinem excreantibus, & ueſicæ eroſionibus. ſuccus uirentibus baccis expreſſus, eoſdem effectus exhibet. ſtomacho utilis. urinam cit. prodeſt contra phalangij morſum, & ſcorpionis ictus in mero. ſeminis decoctum capillum tingit. ius decocti in uino ulcera in extremis membris nata ſanat. oculorum inflammationes illitum cum polline polentæ lenit. contra ægilopas illinitur. crapulam arcet præſumptum uinum, quod feruefacto aliquantũ eius ſemine exprimatur, aliàs enim

acorem

Myrtus.



Myrtus Officinarum.



acorem contraheret. præstat idem seminis effectus. utile procidentię uuluarum in desessionibus, sedis uitijs, & fœminis fluxione uuluæ laborantibus. purgat furfures, ulcera capitis manantia, atq; eruptiones papularum fluentes continet. additur quoq; in medicamenta, quas libaras uocant, uti oleum quod ex folijs eius factum est. decoctum foliorum ad desessiones balnearum conuenit, & contra laxatos artus, & malè solidescentes. eo fracta ferruminationi repugnantia utilissimè fouentur. uitiliginem emendat. purulentis auribus infunditur, & capillos denigrat. Succus eadē efficit. Trita folia & ex aqua illita humidis ulceribus & partibus omnibus fluxione laborātibus, cœliacisq; prosunt. & admisto omphacino oleo, aut exiguo rosaceo cum uino, ad ulcera serpentia, ignem sacrum, testium inflammationes, opinyctidas, & condylomata. arentium foliorum farina utiliter inspargitur paronychijs, pterygijs, & contra alarum feminumq; perfusiones. cardiacorum sudores cohibet. folia cruda seu cremata cum cerato, ambustis, paronychijs, pterygijsq; medentur. Exprimitur folijs succus adfuso uetere uino aut aqua cœlesti, cuius recentis usus est, nam exiccatus planè cariem sentit, & uires amittit. A

Myrtidanum dicitur, adnatum inæquabile, uerrucosum intumescensq;, & cōcolor, quod perinde quasi manus myrti caudicem amplectitur. magis quàm myrtus astringit. tusum addito austerouino reponitur, coactumq; in pastillos siccatur in umbra: multò efficacius & folio & semine, cerato, pessis, insessionibus, cataplasmatis admistum, ubi astringendum aliquid est. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Μυρσίνη, uel Μυρσίνη. Latinis, Myrtus.

Officinis grana Myrti, Myrtilli.

Germanis, Welsch oder frembd Heydelbeer.

Gallis, Grain de Meurte, appellatur.

Myrtus Italiæ nota arbor, Duæ potißimùm eius species, nigra & alba: nigra folia habet, quæ in uiriditatem quandā intensam, & frè subobscurā tendunt, quæ nigredinem quandam præ se ferre uidentur: alba uerò uiriditatem habent magis apertam, quæ respectu intensæ uiriditatis albedo dici potest. In genere autem omnia ex myrto, quæ in usum medicorum ueniunt, feliciora & efficaciora in nigra sunt, quàm in alba.

Myrti utriusq; germina, folia, baccæ, succus constant substantia calida, tenui, & contraria illi frigida terrea, astringente magis sylvestris quàm satiua. Bacca Catoni Myrta, Murta Varroni. Myrtilli, Officinis, uulgo Welsch Heydelbeer.

Myrtus alba & nigra passim dicitur Galeno in comp. pharma. part.

Cerasia. Caput CXXIX.

CErasia aluo utilia sunt, si uiridia sumantur. eadem siccata illam sistunt. Gummi quod cerasi resudarit,

cum

A Cerasus. Cerasia.





B

Cerasiorum plura genera.

cum uino diluto tussi uetustę medetur. colorem commendat. uisum exacuit. appetentiam inuitat. idem ex uino potum calculosis auxilio est.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Κέρασις, κεράσιον.
Latinis, Cerasus & Cerasum fructus.
Germanis, Kirschbaum/Kirsen.
Gallis, Cerisier: fructus, une cerise.

Cerasia dicta sunt à ciuitate Ponti Cerasunte, unde primùm ea attulit L. Lucullus, ut autor est libro 15. Plinius, qui ait: Cerasi ante uictoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. At urbis anno sexcentesimo octogesimo, is primùm uexit è Ponto. Plura eorum genera inter quæ Aproniana maximè rubent. Nigerrima sunt Acti. Ceciliana uerò & rotunda. Iulianis gratus sapor, sed penè tantùm sub arbore sua, adeò teneres, ut gestatum non tolerent. Principatus Duracinis, quæ Campania Plinius appellat. Sunt & alia quæ tamen omnia alij sapore discernentes in tria genera contrahunt & discriminant, dulcia, austera, & acida: quorum dulcia uentrem molliunt & citissimè dilabuntur, maximè recentia, quia lubricos ac putridos gignunt humores, stomacho minus utilia sunt. Austera stomacho utiliora, adstringentia. Acida pituitosos & uiscidos stomacht humores incidunt, & ipsum confirmant, sitim sedant, & appetentiam excitant. In uniuersum, ut & hoc loco Dioscorides testatur, bonam faciunt aluum recentia, siccata sistunt. Et Plinius libro 23. idem tradens ait: Cerasa aluum mollium, stomacho inutilia. Eadem siccata, aluum sistunt: Vrinam ciunt. Inuenio apud autores si quis matutino roscida deuoret cum suis nucleis, in tantum leuari aluum, ut pedes morbo liberentur. Siccantur sole aut furnis, Saccharo ac melle condiuntur, ut quotannis apud nos fieri solet: quare uiderit Palladius quid dicat, cùm in Octobri mense ait: Cerasa non aliter quàm in sole usq; ad rugas siccata seruantur. Sed fortè hic seruandi modus tantùm suo æuo in usu consuetus fuit.

Siliquæ. Caput CXXX.

Siliquæ recentes stomacho aduersantur. aluum soluunt. eædem siccatæ sistunt, stomachoq; utiliores fiunt. urinam ciunt: sed præcipuè, quæ uinaceis condiuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κερατία, κερατωνία, ξυλοκερά τα. Latinis arbor siliqua. fructus xylocerata.
Officinis fructus corrupto uocabulo xylocaracta. Germanis, S. Johans brot.
Gallis, Carouge, appellatur.

Quod ad medicinam pertinet ferè nullo in usu sunt Siliquæ, soluunt tamen uirides, utpote humectiores aluum, quam resiccatæ sistunt, & tum quoq; stomacho utiliores esse ait, & urinam cientes Dioscorides, maximè eas quæ recentis acinis siue internis granis ipsarum edantur, ita enim existimo legendum, tametsi citra exemplaris uetustioris fidem id non asseuerantius astruam, nempè pro eo quod habetur in uulgatis exemplaribus omnibus, τὰ ἐν τῷ σεμφύλῳ σωνλυθέμενα, quæ uerba nullam certam sententiam exhibent. τὰ ἔντ☉ τ σεμφύλῳ ἐδιόμενα, ut sit id quod Plinius lib. 15. cap. 28. dixit. Quum in pluribus semina placeant, in siliqua damnantur. σέμφυλα porrò grana eius, sicut uinacea dici opinor, quanquam etiam solida retrimenta

Siliquæ.



retrimenta uuæ in torculari expreſſa, Galenus 2. de alimentis σταφυλὰς uocet, & alios radices uuarum ex ſarmentis enaſcentes ita appellare tradat. ſed σταφυλὰς pro oliuarum nucleis ſiue oſſiculis accipiuntur, Conſtantino Cæſare de agricultu. libro ſexto capit. 11. teſte. Galenus tamen loco iam citato, σταφυλὰς quidem oliuarum etiam dici fatetur oſſicula, ſed oleo iam expreſſo reliqua. A

Porrò quum in ſolidis illis uuæ retrimentis σταφυλὰς appellatis, tum ipſæ uuæ ollares dictæ ſternantur, uelut alio loco declaraui, tum etiam oliuæ ipſæ componantur, ita ut antequam exprimantur uiciſſim in uaſe cum oliuis reponantur, uelut idem Conſtā. Cæſar libro nono de agricultu. cap. 32.

Videtur mihi omnino fieri poſſe, ut eodem planè modo uelut oliuæ, etiam ipſæ ſiliquæ componantur ac adſeruentur, easq; ipſas τὰς ἐν τῷ σταφύλῳ σωρευθείσας, Dioſcorides appellauit, hoc eſt, Siliquas in retrimentis uuarum compoſitas & adſeruatas, atq; hæc ſententia mihi præ ſuperiore probatur.

Mala. Caput CXXXI.

FOlia, flores & germina cùm omnis mali, tum maximè cotoneæ, adſtringunt. Pomis acerbis adſtringendi uis ineſt, maturis uerò longè ſecus. Ex ijs uerna bilem gignunt. neruos omneis lædunt. inflationes pariunt. Cotonea ſtomacho utilia. B urinam cient. uerùm toſta mitiora habentur. proſunt cœliacis, dyſentericis, purulenta extuſsientibus, cholericis, præſertim cruda. maceratorum liquor, commodè in ſtomachi aut uentris fluxionibus potui datur. Succus crudorum aſſumptus orthopnoicis ſalutaris eſt. decocto fouentur uuluæ & ſedes ſi procidant. Cotonea quæ melle condiuntur, urinam mouent. mel autem ſibi conſtringentem illorum uim & inſpiſſantem aſciſcit. quæ cum melle coquuntur, ſtomacho atque ori gratiora ſunt, ſed minus inſpiſſant. cruda cataplaſmatis adijciuntur, ad cohibendam aluum, aut ſi ſtomachus æſtuet, aut in uomitiones effundatur, ad mammarum inflammationes, præduros lienes, & condylomata. Fit uinum ex ipſis tuſis expreſſis q; : ſed quò perduret, quindecim ſextarijs ſucci unus mellis adiungitur, alioquin in acorem degenerat. Prodeſt ad omnia quæ dicta ſunt. Fit & oleum ex ijs. quod melinum uocauimus, quo utimur quoties aſtringenti oleo eſt opus. Eligi oportet uera, quæ ſanè ſunt rotunda, & parua & odorata: quæ uerò ſtruthia dicuntur, magna quidem ſunt, ſed minus utilia. Flos & uiridis & ſiccus cataplaſmatis imponitur, ijs conueniens quæ aſtrictionem deſiderant, inflammationibus oculorum, reiectionibus ſanguinis contra citam aluum, & menſium impetus, in uino bibitur. Melimela uentrem molliunt, & ab eo animalia expellunt. ſtomacho negotium exhibent, æſtuoſa. Ea multis dulcia mala uocantur. Epirotica mala, quæ Latinè orbiculata dicuntur, ſtomacho utilia. ſiſtunt aluum. urinas euocant. malis tamen cotoneis inualidiora. Sylueſtria mala ſimilia ſunt uernis, & adſtringunt. ſanè in hunc uſum immatura omnia opus ſunt. Perſica poma matura tam ſtomacho quàm uentri utilia ſunt: acerba aluum cohibent, ſed ſicca uehementius. decoctum è ſiccis alui ſtomachiq; fluxiones ſiſtit. Armeniaca, quæ à Latinis præcocia dicuntur, minora ſunt ſupradictis, & ſtomacho utiliora. Medica mala aut cedromela, quæ Latini citria uocant, nemini non cognita. Arbor ipſa omnibus anni temporibus po-

A

Mala Cydonia.



Mala.



Melimela.



B

Epirotica.



mifera, aliis deciduis, aliis subnascentibus. malum oblongum est, rugosum, colore aurum imitans, cum grauitate odoratum. semen habet pyri. Id in uino potum uenenis resistit. aluum mouet. oris suauitatem commendat, decocto eius colluto, aut succo. estur in malacia mulieribus. uestiarijs impositum ab erosionis uitio uestes uindicare existimatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Μηλέα arbor, fructus μῆλον. Latinis, Malus, Malum.

Germanis, ein Apffelbaum, ein Apffel. Gallis, une pome, & ung pomier dicitur.

Malorum, sicut & pyrorum, infinita sunt genera, quorum copiosè meminit Plinius lib. 15.

Mala cydonia, quæ & cotonea dicuntur, mala sunt ex Creta insula aduecta, à cuius ciuitate Cydone dicta sunt Cydonia. Q. Serenus: Aut quæ poma Cydon Creteis mittit ab oris. Horum plura sunt genera. Nam sunt Chrysomela, quæ aurea mala interpretantur, à colore aureo, quem referunt. Sunt deinde minora & odoratius fragrantia, quæ Struthea uocantur. sunt item quæ à melleo sapore Melimela, & eadem à nascendi maturescendiq; celeritate uocantur mustea, uulgo uerò ab arborum paruitate, quòd pomiliæ sunt in quibus nascuntur, Nana appellatur &c. quæ genera lib. 15. à Plinio describuntur. Fit & uinum, mel & oleum è cydoniis, & cou-

& condimentum Cotoneatum, uulgo Quitten Latwerg. Gallis uerò contingnat, appellatum. Cæterùm cotonea cocta suauiora in cibo: Cruda & matura prosunt sanguinem excreantibus ac dysentericis, cholericis, cœliacis, ut Dioscorides testatur. A

Persica.



Persica nota sunt poma, uulgo Pfersich, Gallis de pesches dicta, è Persia ad nos translata, unde nomen habent. Nec unum eorum genus est, è quibus tamen ante alia in precio sunt, à duricie & soliditate dicta duracina, quibus corpus ligno adhæret auelliq; nequit, in reliquis facilè separatur. Plinius lib. 15. cap. 12. Persicorum palma duracinis. Nationum habent cognomen Gallica & Asiatica. Post autumnum matureſcunt, Aestate præcocia Germanis S. Johans Pfersich. Gallis abricot dicta, intra xxx. annos reperta tempore Plinij, & primò denarijs singula uenundata. Supernatia è Sabinis ueniunt, popularia undiq;. Pomum innocuum, expetitur ægris, nec aliud fugacius: longissimæ enim decerpto bidui mora est, cogitq; se uenundari. Paulus Aegineta lib. 1. Persica, inquit, mali succi sunt, acescunt & facilè corrumpuntur, ideoq; in prima mensa sumenda, quo deijciantur protinus, neq; propter moram in uentriculo corrumpantur. Præcocia uerò & rhodacina & Armenia, persicis meliora sunt, neq; enim acescunt, neq; similiter corrumpuntur, ac sunt etiam delectabiliora. Ex quibus illud etiam intelligi potest, quod Celsus lib. 2. tradit. Non quicquid boni succi est, protinus stomacho conuenire: neq; quicquid stomacho conuenit, protinus boni succi esse. Nec illud omittendum, uidelicet. Armeniaca non inter Persica à Palladio & alijs, sed pruna numerari à Plinio & Columellà.

Citria mala, quæ Dioscorides capite præsenti, Persica quoq; & Medica & Citromala, Plinius Assyria appellari dicit. Quorum uaria sunt genera, magnitudine potius quàm genere differentia, & ijsdem quasi uiribus dotata, odoratissima & uenenis aduersantia, præcipuè quòd priuatim & peculiariter Latinè Citrum. Germanicè, Judenapffel/Citrinat. Gallicè ung Citron uocatur, de quo Virgilius intellexit, cùm ait:


Felicis mali, quo non præstantius ullum,
Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ
Miscueruntq; herbis & non innoxia uerba. B

Citrum.



Estq; hoc pomum grande, & ut hîc Dioscorides illud describit, oblongum, rugosum, colore ad aurum inclinato, cum grauitate odoratum. Habentq; arborem toto anno fœcundam & superfœtatem, ut à Palladio etiam in Martio mense traditur, ubi ait: Quod ego in Sardinia, & in territorio Neapolitano in fundis meis comperi (quibus solum & cœlum tepidum est, & humor exundans) per gradus quosdam sibi semper poma succedere cum maturis se acerba substituant, acerborum uerò ætatem florentia consequantur, orbem quendam continuæ fœcunditatis sibi ministrante natura. Quæ omnia ferè etiam à Plinio

Pomerantzen.



Limonen.



A traduntur lib. 12. cap. 2. Verùm diuersis citri partibus, diuersæ insunt uires. Cortices enim calidi sunt: quæ intus est succus semiacidus: semen item calidum, autore Auicenna. Sed Paulus Aegineta lib. 7. dicit esse frigidum, & carnem eius crassum generare humorem, & pituitam adaugere, atq; refrigerare, & lib. 1. ait: Citrei mali extima pars acris est, quæ uerò ueluti carnis speciem præ se fert, licet esui sit idonea, uix tamen concoquitur. Id uerò quod intus continetur, siue acidum siue aqueum fuerit, uehementer infrigidat. Sunt præterea in citriorum & Medicorum censu minora quæ Auirantia ab aureo colore, Germanis Pomerantzen, Gallis durenges uocantur, duplici sapore prædita, dulci & acri. Sunt & citrigenum generis, quos Limones dicunt, Germani Limonen, Galli Limons, de quibus omnibus eadem ferè dici possunt, & de quorum utilitate eleganter & copiosè satis scribit poëta percelebris Iouianus Pontanus lib. 2. de hortis Hesperidum.

Pyra. Caput CXXXII.



PYrorum multa genera, quæ tamen omnia astringũt: proinde adduntur conuenienter in repellentia cataplasmata, decoctum è siccis & cruda ipsa aluum sistunt. ieiunos efficaciter lædunt. Achras pyrastri genus est, quod tardissimè ematurescit. Vim pyro astringentiorem habet, & ad eadem cõuenit. Astringunt etiam eius folia. Ligni pyrorum cinis efficaciter hisce auxiliatur, quos fungi strangulant. Aiunt fungos, si syluestria pyra cum eis coquantur, innoxios fieri.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis pyrus arbor ὄχνη, ἄπιος fructus ἄπιον, ὄχνη, uel ὄγχνη: Etsi hæc duo posteriora desyluestri potius dici uelint, παρὰ τὸ ἄγχειν.

Latinis Pyrus arbor. Pyrum fructus. Germanis, Byrbaum/Byr.

Gallis ung poirier, & une poire, dicitur.

Pyrorum innumera sunt genera, quæ copiosius à Plinio tractantur lib. 15. Cæterùm pyrorum omnium etiam ualentibus onerosus, ægris quoq; uini modo negatur, ut lib. 22. scribit Plinius: Decocta eadem mirè salubria & grata, Quæcunq; uerò cum melle decocta stomachum adiuuant, ipsa aduersantur boletis atque

B fungis, pellunq; pondere & pugnante succo.

Pyrum syluestre tardissimè maturescit. Comeditur, suspensumq; siccatur ad sistendam aluum, quod & decoctum eius potum præstat. Decoquuntur & folia cum pomo ad eosdem usus. Pyrorum ligni cinis contra fungos etiam nunc efficacius proficit.

Mespilus. Caput CXXXIII.



MEspilus, quę à nonnullis aronia uocatur, spinosa arbor est, folio acutę spinæ. fert pomum suaue, exiguum, tribus intus osiculis, qua ex causa id nõnulli tricoccon appellauere. tardè maturescit, esu astringit, stomacho gratum est, aluumq; supprimit. Alterum mespili genus in Italia nascitur, quod aliqui sentanium, alij epimelida uocant. arbor foliis mali, sed minoribus. pomum fert rotundum, esui aptum, umbilicolatiore: quod astringit, seroq; maturescit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Μέσπιλον, ἡ μεσπίλη.

Latinis Mespilus. Legitur & Mespila, fœm. gene.

Germanis, Mespelbaum/Mespel.

Gallis ung nesplier, meslier, appellatur.

Theophrastus Ideorũm secutus obseruationem, tria Mespili tradit fastigia. Dioscorides duplici genere contentus est, ita ut alia quã Theophrasto & Plinio mespili distinctio repræsentata est, & sanè qua dubitat, an Mespilum cum sorbo ueteres confuderint, quandoquidem altissimis connumerant, quod certè sorbo quàm mespilo nunc uocatæ, magis conueniat, nisi quis nostratem Mespilum chamæmespilum appellandam fortasse censeat.

Epimelis frequentissima est hodie ad syluam Hircyniam, fructus cuius unedo, uulgo Hetzbeer/appellatur. Hippocrates autem γυναικήιον. α. ἀμαμηλίδας uocat, uelut Galenus in glossis eiusdem testatur.

Lotus

Lotus arbor. Caput CXXXIIII.

A

LOtus arbor est uastæ magnitudinis, ferens baccam pipere maiorem, dulcem, cibis gratam, stomacho facilem. Aluum sistit baccis. ramentorum ligni decoctũ siue potu, siue infusione, dysentericis ac fœminis fluxione uuluæ laborantibus auxilio est. rufat capillos. citam aluum cohibet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græci, Λωτὸς δ' ἐν ἄφροι, Aphri, celtin. Latini fabam Græcam appellant. Italia hodie tum Amarenum, tũ pongeracum, tum uisciculum: quidam acrifolium, alij ciceragnem. Veteres fabam Syriacam, unde forsan Padi accolæ baccam Syriacam adhuc uocant: Romæ pultem Syriacam, Conomani hodie Calamum. Germanis hoc tempore incognita arbor. Faba Græca.

Λωτὸ ῥίνημα, id est, scobs Loti, ad sanguinis sputum usurpatur Actuario in ἐκλεκτοῖς: Galeno autem ad muliebre profluuium, dysenteriam, cœliacos affectus. Huius fructus etiam ualenter astringit.

In Galliæ partibus uulgo Alisa dicitur, & arbor ipsa Alisier.

Cornus. Caput CXXXV.

Cornus syluestris.





B

COrnus dura arbor est, baccas ferens oliuæ modo oblongas, quæ primùm uirent, dein per maturitatem rubescunt, aut ceræ colorem repræsentant. in cibo astringũt. profluuio alui atq; dysenteriæ salutares, siue in edulio, siue in defructo exhibeantur. Muria, ut oliuæ, condiuntur. Sanies, quam uirentia folia torrendo resudarunt, impetigini conuenienter illinitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κρανία. Latinè, Cornus.

Germanicè, Welsch Kirsen / Cornelbaum / Kurbelbaum / Thierlin baum.

Gallicè, Cornier, ou carmier, arbor: fructus, corne ou corme.

Cornus arbor nota est Germanis. Nam & apud Heluetios & Alsatas nascitur, & alijs etiam ad Herciniam syluam locis, & fructus eius ab illis, instar oliuæ, muria conditur, quod etiam Dioscorides fieri hoc loco tradidit, & Columella.

Cornus fœmina, quam etiam syluestrem cornum appellant Græcis Θηλυκρανέια. Germanis, Spinbelholtz & Faulbeer / dicitur, coriarijs expetitus frutex. Theophrasto, caudice fungoso & inutili assurgit, ob id Germanicam appellationem Faulholtz / sortita est, uirgulis instar amerinæ fruticat, autumnalibus baccis perquàm acerbis, & cunctis animantibus gustu intactis.

Sorba. Caput CXXXVI.

A



SOrba colorem luteum referentia prius quàm matu-
rescant, dissecta & sole siccata mandũtur, ut aluum si-
stant. eadem est functio molitorum farinę, si polentæ lo
co sumatur. quod & decoctum eorum in potu præstat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè ὄα, uel ὄη arbor, fructus ὄὖον.
Latinè sorbus arbor, sorbum fructus.
Germanis, äſchrößlin/Speierling/Spörbyren/Arlesber.
Gallis corma uel sorba, cormes, sed arbor cormier.

Sorba sunt fructus, malorũ pyrorumq; generi iure annumeranda, qũ-
bus quadruplex differentia, ut lib. 15. ca. 21. tradit Plinius. Alijs cuim co
rum rotunditas mali, alijs turbinatio pyri: alijs ouata species, ceu malo-
rum aliquibus. Hæc obnoxia acri odore & suauitate iucunda. Cæteris iu-
ni sapor. Generosissima aliquibus circa pediculos folia. Quarum genus
Torminale appellant, remedio tantùm probabile, assiduum prouentu, mi-
nimumq; pomo, arbore dissimili, foliis penè platani. Non ferunt ante tri-
matum ex ullo genere. Cato & sorba sæpe condi iubet. Seruantur etiam
diu hoc genere. ut in Ianuario tradit Palladius, lecta duriora, ac posita,
ubi mutescere cœperint, fictilibus usq; ad plenum conduntur urceolis, gy
pso desuper tectis & bipedanea scrobe loco suo sub sole mergũtur ere
peruerso, & desuper spissius terra calcatur. Item secta per partes siccan-
tur in sole, ut hoc loco Dioscorides tradit, & seruantur in uasculis in hy
bernum. Cùm uoluerimus uti, aqua fruenti macerata reuirescunt sapo-
re iucundo. Aliqui cum pediculis suis uiridia lecta suspendunt locis opa-
cis & siccis. Celsus sorba stomacho aptissima tradit, & aluum astrin-
gere, magisq; ea quæ torminalia uocantur. Martialis item sorborum uim
astringentem & naturam exprimit hoc disticho:

B

Sorba sumus molles durantia uentres,
Aptius hæc puero quàm tibi poma damus.

Et Q. Serenus uentris solutioni mederi docens, ait:

Proderit & pueris, quos dentis origo fatigat,
Castaneas coxisse nuces, & sorba uetusta.

Prunus. Caput CXXXVII.



PRunus arbor est nota, cuius pomum estur, sed stoma-
chum malè habet. aluum mollit. Syriaca pruna & pre
cipuè quæ Damasci gignuntur, exiccata stomacho utilia
sunt. aluum astringunt. Folia pruni in uino decocta collu-
tione & gargarizatu uuam, gingiuas, & tonsillas fluxio-
ne laboranteis reprimunt. præstant idem sylueſtrium
prunorum baccæ, post maturitatem exiccatæ. cum sapa
uerò decoctæ, stomacho utiliores reddũtur, aluumq; ma
gis astringunt. Gummi prunorum agglutinat. potum in
uino calculos comminuit. ex aceto quoq; illitum, lichenas
infantium sanat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, κοκκυμηλέα arbor: κοκκύμηλον fructus.
Latinè, prunus arbor: fructus prunum.
Officinæ Latinum nomen seruant.
Germanicè, pflaumen/Zwetschen.
Gallicè, prunier arbor, fructus une prune dicitur.

Ingens est, inquit lib. 15. Plinius, turba prunorum: uersicolor, nigra, cas-
dicans. Hordeacea appellata à comitatu frugis eius. Asinina cognominata
à uilitate, Nec non ab externa gente Armeniaca, quæ sola & odore com-
mendantur.

mendantur. Damascena à Syriæ Damasco cognominata. In uniuersum Pruna aluum molliunt. stomacho utilissimæ, sed brevi momento, ut ait Plinius. Dioscorides hîc uerò stomacho nocere dicit, & Damascena sicca stomacho accommodata esse, sed aluum cohibere, cùm manifestè & hæc soluant, licet minus quàm alia, ut Paulus Aegineta lib. 7. tradit. Martialis: Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ Sume, solent duri soluere uentris onus. Et Serenus: Sæpe cibi specie, uitio uel corporis ipso, Potibus aut duris restricta morabitur aluus. Vincitur talis mora gramine Mercuriali: Prunaq; conueniunt, quæ mittit clara Damascus. Sunt autem talia cæteris præstantiora & salubriora. Seruantur etiam pruna sole uel furnis siccata, & aliter. Palladius in Nouembri mense, Pruna, inquit, siccantur in sole per crates loco sicciore disposita. Hæc sunt quæ Damascena dicuntur. Alij in aqua marina uel in muria feruente recenter lecta pruna demergunt, & inde sublata, aut in furno tepido faciunt, aut in sole siccari. A

Arbutus. Caput CXXXVIII.



ARbutus siue unedo, arbor est cotoneæ malo non dissimilis, renui folio, cuius fructus pruni magnitudinem implet, nullo intus nucleo. huic memæcylo cognomen est. maturus aut flauet, aut rubescit. in esu acerosus. stomacho aduersatur, capitisq; dolorē mouet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, ἡ κόμαρος. Latinis Arbutus.
Germanis incognita. Gallis arbouces, dicitur.

Arbutus κόμαρος Græcis est. quæ arbor unà cum fructu suo, Memecylo Græcis appellato, acerbæ qualitatis est, & stomacho incommodat, ac capitis dolorem inducit, ut Galenus 7. simpl. phar. de ea prodit, & Dioscor. cap. præsenti: quod ipsum etiam de comp. phar. part. de ipso fructu Galenus perhibet, eaq; propter in capitis dolore febrili uitandū censet. Verùm Plinius lib. 15. cap. 24. ait: Vnedo pomum in honorū, ut cui nomen ex argumento sit unum tantùm edendi, duobus tamen hoc nominibus appellant Græci, Comarum & Memecylon, ex quo apparet totidem esse genera et apud nos: alio nomine arbutus uocatur. Quibus uerbis Plinius quatuor uoces, Vnedonem, Comarum, Memecylon, & arbutum, uni arbori ac fructui tradit, cuius tamen duo genera esse putat, atq; ita etiam libro 23. cap. 8. sentit. Arbutus, inquit, siue unedo, fructum fert difficilem concoctioni & stomacho inutilem. At uerò κόμαρον & arbutum eandem arborem esse, cuiusq; fructum Memecylon uocari, ex suprà citatis Galeni ac Dioscoridis præsenti capite clarum est. Vnedonem autem alium esse fructum, & non Comari siue arbuti, sed arboris Epimelidis appellatæ superius cap. 133. ex eodem Galeno ostendemus, Sexto namq; simplicium phar. de Epimelide, ἐπιμηλὶς inquit, acerba planta est, & ut dicere possis syluestris malus: appellatur autem à ruralibus in Italia ὀυνεδών, hoc est unedo, ac plurimum in Calabria nascitur. fructus eius acerbus, stomacho incommodus, & capitis dolorem inducens, nam peregrina qualitas quædam est ammixta. Quæ uerba ex Galeno etiam Paulus transcripsit, ut dubitari non debeat quin alia arbor sit ἐπιμηλὶς, quæ unà cum fructu suo in Italia unedo appellatur, & alia arbutus, cuius fructus Memecylon Græcis dicitur. atq; hoc propterea quòd diuersis locis eorundem mentio fiat, & hoc ab his autoribus, qui æquè ut Plinius in Italia uixerunt: quanquam Plinius innuat potius quàm exprimat, duo unedonis genera esse, ut uidelicet alterum de Memecylo, alterum de unedone accipi possit. Sed tamen mox leuiter satis dictum confundit, cùm ait: alio nomine arbutus uocatur. Quare certum est ipsum existimasse arbutum & unedonem Latinis esse, quod Comarus & Memecylon Græcis, atq; id, ut opinor, ob similem uim, quæ de Memecylo & unedone proditur. Verùm ex Galeni uerbis ostenditur, unedonem epimelidis fructum esse, Memecylon autem arbuti. Neq; refert fructuum & arborum appellationes singulatim inter se in suo genere confundi. Quin & libro 2. de alimentis idem Galenus manifestè inter comarum arborem, cuius fructus Memecylon appellatur. & inter arbustum aut sentem potius, quæ Epimelidas fert, & in Italia unedo appellatur, distinguit, ut certum sit duo diuersa genera unedonem & Memecylon esse, quorum αὐτόπτην Galenum fuisse credo, Plinium uerò, ut non adeò circa has res curiosum, ex Græcis tantùm transcripsisse, & in his, uelut multis alijs, eos non assequutum esse. Porrò Dioscorides suprà cap. 133. alterum genus Mespili in Italia nasci prodit, sed ab aliquibus ἐπιμηλὶς uocetur, ut ex eius uerbis Epimelis & unedo ex Mespilorum genere sint. Arbutus uerò & Comarus ac Memecylon sui generis, & ab eis diuersi existunt, ut suprà ostendimus cap. iam citato. B

A

Amygdalæ. Caput CXXXIX.





AMygdalæ amaræ dicum tritarum decoctum, uitia cutis in facie corrigit. illitæ nuces idem munus præstãt. menses admotæ ciunt, capitis dolori auxiliantur, illitu fronti aut temporibus cum aceto uel rosaceo, epinyctidas sanant, ex uino item putrescentia ulcera, & quæ serpunt. & morsus canum cũ melle. earum autem esu dolores finiuntur. aluum emolliũt, somnum faciunt. urinam cient. cõtra sanguinis rejectiones cum amylo assumuntur. renum uitijs & pulmonum inflammationibus ex aqua in potu aut eclegmate cũ resina terebinthina dantur: calculosis difficiliq; urinæ in passo auxiliantur, & illinctu cum melle & lacte, hepaticis, tussi, & inflationibus coli, nucis auellanæ magnitudine. quinis septentsue præsumptis ebrietatem non sentiunt potores. uulpes si cum quadã esca eas uorauerint, emoriuntur. Gummi eius calfacit & astringit. rejicientibus sanguinẽ, potum auxilio est. impetigines quæ summum corpus occuparunt, illitum cum aceto tollit. tussi uetustæ cum diluto uino potũ medetur. calculosis cum passo bibere prodest. E nucibus Græcis, dulces cibo idoneę: sed multò minus ualent in remedijs, quàm amaræ: attamen extenuant, urinam ciunt. recentium esu cum suo putamine, stomachi uitia emendantur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

B Græcè, ἀμυγδάλη. Latinè, Amygdala. Officinæ Latinum nomen seruarunt. Germani, Mandelbaum/Mandelkern. Galli des amandes appellant. *Amygdala amara incidunt, tenuant, tergunt, digerunt sine morsu: ob id ex pulmone excreationem crassorum & lentorum promouent, obstructum hepar, lienem, renem, colum à crassis & lentis humoribus expediunt. Amygdala dulcia sunt moderatè calida, leuiculâ tamen amaritudinem habent, sed à dulcedine occultatam, quæ tamen temporis spacio fit manifesta.*

Pistacia. Caput CXL.

Pistacia Germanica.





Pistacia.

Pistacia.



PIstacia, quę constat in Syria gigni, pineis nucibus similia sunt, & stomacho amica. trita cum uino contra serpentium ictus prosunt, siue edantur, siue bibantur. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Πιστάκια. Latinè pistacea, uel pistacia. Nicander Psittacia. Posidonius listacia uocauit.

Officini Fistici.

Germani, Welsch Bimpernüßlin.

Pistacia in Syria pronenit, ut Galenus quoq; scribit, à pineis nucibus non absimilia: stomacho accommodata. Galenus exiguum præstare alimentum pistacia tradit, confirmando dilatandoq; iecori haud inutilia: infractos enim humores excernunt: stomacho ne prosit Galenus incertum reliquit: Serapion Dioscoridis monitu tantùm recenset stomacho conuenire, atq; auellana magis excalfacere: quare & amygdalis calorificis amplius: Auicenna uerò phisticos hæc eadem nominans duobus integris numeris calere testatur, calidiores amygdala ac ipsa nuce: uerùm putauerim ego nucem auellanam Auicennam concepisse, etenim iuglandem tertio ordine calorificam scripsit, quod erroneum cùm sit, depraudtum de iuglande scribentem Auicennam ueri simile est: addidit ille, perexiguum nutrire pistacia, iecori peramica, stomachum non parum iuuare, quem nauseantem confirmant & muniunt.

Eam arborem, quam nomine pistaciorum Germanicorum adpinximus, omnino eam esse existimo, quæ Plinio Staphylodendros dicitur, arbor, ut ipse tradit, trans alpes, simillima aceri, alba in materia, siliquas ferens, & in ijs nucleos sapore nucis auellanæ. Germanis, Bimpernüßlin dicti. & figura & sapore parum à pistacijs differentes. B

Nux iuglans. Caput CXLI.







NVces iuglandes, quas nonnulli Persicas uocant, sunt difficiles concoctu, stomacho inutiles, biliosæ, capitis dolorem inferentes, tussientibus inimicæ, & nomituris

A uomituris ieiunis in cibō aptæ, cum ruta uerò & ficis præsumptæ, & à summo cibo, uenenis resistūt. nec minus si à ueneni hausturi comedantur. largius esitatę tineas latas pellūt. illinuntur mammarum inflammationi, abscessibus, luxatisq; cum mellis exiguo & ruta. cum cepa autem, sale & melle, canis hominisq; morsui proficiunt. tormina, cum calyce suo perustæ, & umbilico admotæ, sedant. Putamen cōbustum tritumq; in oleo & uino, infantium capite perunctо, nutrit capillum. alopecias replet. Sistunt menses nuclei usti, si triti ex uino admoueantur. idem è ueteribus, illiti carbunculis, gangrænis, & ægilopijs medentur. alopecijs commanducati & impositi præsenti sunt remedio. Nucibus tusis oleum exprimitur. Recentes stomacho innocentiores sunt, utpote suauiores. itaq; alio mistæ eximunt acrimoniam. liuores in corpore illitu tollunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.


Græcè, Καρυὸν βασιλικόν, ἢ ἐνδοῖον πηγάνα, καὶ πόντικήν.

Latinè, Nux Basilica, iuglans, Persica. Germanicè, Baum nuß/ Welsch nuß.

Gallicè, Vne noix.

Nux iuglans seu regia, nucleo est tenuium partium, ubi maruit, siccante etiam sine morsu, ex quo inuetere oleum ualenter digerit.

Nux Indica.



B

Nux Indica Actuario in diasatyrio & diaromato. Veteres huius non meminerunt.

Nuces auellanæ. Caput CXLII.



NVces auellanæ, quas & leptocaryas uocant, stomacho infestæ sunt. ipsæ tamen tritæ, & in aqua mulsa potæ, tussi ueteri medentur. tostæ & cum exiguo piperis potæ, destillationem concoquunt. crematarum cinis cum axungia aut adipe ursi perunctus alopecijs capillum reddit. Aiunt nonnulli usta earum putamina, & in cineris speciem redacta, cum oleo, cæsiorum oculorum pupillas infantibus denigrare, perfuso sincipite.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Λεπτοκάρυον, id est, nux tenuis, Pontica, Prænestina, Auellana, à locis ubi luxuriat, Ponto, Prænestе, Auellis, dicitur.

Germanicè, Haselnuß. Gallicè Noysette, ou melline. Plus habet terreæ & frigidæ substantiæ, ob id austerior iuglande. Nuces teneræ, rancidæ, ustæ, cinere digerunt & astringunt. Gale. lib. 6. part.

Morus. Caput CXLIII.

Morus



MOrus arbor nota est. cuius fructus aluum A
soluit. stomacho inutilis est, & facilè corruptionem sentit. Hoc idem præstat mori succus: decoctus autem æreo uase atq; insolatus, adstringentior redditur. facit ad fluxiones, nomas, & tonsillarum inflammationes, addito mellis exiguo. Sed insolescit uis eius, adiecto scissili alumine, galla, croco, & myrrha: item myricæ semine, iri, & thure. Immatura mori poma siccantur, tusaq; acinorum rhois uice obsonijs miscentur, ut cœliacos iuuẽt. Radicis cortex decoctus in aquã & potus aluum resoluit. latas uentris tineas excutit. his quoq; auxiliatur, qui aconitum hauserũt. Folia trita ex aceto illita, ambustis igni medentur, tinguntq; capillum, uitium & fici nigræ frondibus simul coctis in aqua cœlesti. Succus foliorum cyathi mensura potus contra phalangiorũ morsus auxilio est. Feruefacti corticis & foliorũ iure dentes aptissimè in dolore colluuntur. Radix circiter messem incisa, facto in ambitu scrobe, succum emittit, qui postridie concretus inueniri solet. Is in dolore dentium efficax est, tubercula discutit, & aluum purgat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè ἡ μορέα, ἡ συκάμινος & arbor, fructus uerò συκάμινα uoq. Latinè, Morus arbor: Morum fructus. Officinæ Latinum nomen seruauerunt.

Germanis, Maulber/ & Maulberbaum. Gallis ung meurier, & une meure dicitur.

Morum album Græcis ueteribus indictum uidetur & Latinis, præterquàm Ouidio, fortè quia per insitionem in populo albo gignitur: nigrum cantatissimum, & arbor, cuius foliis bombices pasti sericum nent pulchrius & splendidius, Mori tamen albæ folium ad hos alendos est mollius, eoq; hodie tota Italia utitur. B

Mori fructus ab eo quòd in stomachica pharmaca commodus est, apud nostrates nomen inuenit, Maulber/ appellatus.

Sycomorus. Caput CXLIIII.

SYcomorum aliqui etiam sycaminum, id est, morum, uocant, cuius fructus sycomorum etiam propter inefficacem gustum appellatur. arbor est magna, fico simili, frondosa, multo lacte abundans, foliis mori. pomum ter aut quater anno fert, nõ ramis, ut ficus, sed caudice ipso: caprifico non dissimile, dulcius grossis, sine granis interioribus, quod non maturescit, nisi ungue aut ferro scalpatur. Nascitur plurimum in Caria, Rhodo, locisq; non multi tritici feracibus, ubi prouentu fœcundo refstibilíq; iuuamentum adfert, cùm annonæ caritas premit. Pomum aluo utile est, sed perquàm exilem præbet alimoniam. Stomacho aduersatur. Succus primo uere tenera arbore, antequàm fructum ferat, eximitur, lapidis ictu summo cortice desquãmato. si enim altiore plaga uioletur cortex, nihil effluet. Spongia aut uellere lachryma excipitur, quæ siccata & in pastillos coacta fictili uase reponitur. Vis succi emollit. uulnera conglutinat. discutit collectiones coctioni repugnantes. bibitur etiam aut illinitur contra serpentium morsus, duratos lienes, stomachi dolores, & perfrictiones. celerrimè teredinem sentit. Gignitur & in Cypro arbor genere distans, quę cùm sit ulmus, prædita tamen est foliis sycomori, fructu pruni magnitudine, multò dulciore, supradictis cætera similis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sycomora eadem non sunt cum sycaminis siue moris appellatis, quanquàm Dioscorides hoc loco quoſdã etiam ipsam sycamorum sycaminum appellare prodat: Sycomorum enim Galenus, plantam umà cum fructuſe in Alexandria uidisse dicit, fructum quidem consimilem ficui paruæ albæ, eumq; in medio mororum & ficuum locari posse ait, unde etiam nomen sit adeptus, à similitudine uidelicet, quam ad utrumq; fructum habet.

A habet. Amplius autem ridiculos esse ait eos, qui sycomora dicta putent, quòd fatuis ficubus, hoc est, τοῖς μωροῖς σύκοις similes existant, per quæ uerba palàm est ab eo Dioscoridem notari, qui præsenti capite ait: καλεῖται δὲ καὶ ὁ ἀπ' αὐτῆς πάρπος συκόμωρα, οἷα τὸ ἄγονον φ γεύσεως. Videtur enim sentire Dioscorides ob debilem saporem sycomorum quasi fatuum ficum esse dictum. Sed & aliud mirum de hac arbore eodem loco Galenus prodit. Nempe generationem eius diuersam esse à reliquis arborum fructibus. Neq; ex uirgultis ac germinibus, sed ex ipsis ramis magnis ac stipite siue trunco enascitur. Sed in Græco exemplari corruptè legitur ἀκρεμόνων pro πρέμνου. Meminit huius arboris itemq; fructus eius, etiam Plinius, sed non sycomorum appellat, uerùm ficum Aegyptiam, libro decimotertio, capite septimo: Arbor inquit, moro similis folio, magnitudine, aspectu. Pomum fert nõ ramis, sed caudice ipso. idq; ipsum est ficus prædulcis, &c. & paulò pòst: Huic simulis quadantenus quæ uocatur Cypria ficus in Creta. Nam & illa in caudice fert pomum & ramis, quum in crassitudinem adolcuere.

Fici. Caput CXLV.

FIci maturæ recentes stomachum lædunt. aluum soluunt. sed facilè contracta ab eis fluxio sistitur. sudorem euocant papulasq; sitim sedant, calorem restinguũt.

Ficus.



B

* Alij, Croco.

siccis natura excalfaciendi. uires alunt, sed sitim magis stimulant. aluo utiles. rheumatismis uentris & stomachi contraria. gutturi autem, arteriæ, renibus, ueficæ, & ijs quos longa ualetudo decolorauit, anhelatoribus, hydropicis, comitialibus aptissimæ. feruefactæ cum hyssopo & potæ, thoracẽ purgant. tussi ueteri, diuturnisq; pulmonum uitijs conueniunt. aluum molliunt tuso cũ nitro & cnico*, dein manducatæ. decoctum arteriæ & tonsillarum inflãmationibus gargarizatu prodest. cum hordea cea farina cataplasmatis miscentur. & in muliebres forus cum fœnugræco & ptisana. cẽterùm cum rutã coctæ tormi nibus infunduntur. coctæ illitæq; duritias discutiunt. parotidas & furunculos emolliunt. panos ad maturationem perducunt, maximè nitro, iri aut calce addita. crudæ si cum antedictis tundantur, eadem efficiunt. cum mali corio, pterygia purgant. cum atramento sutorio, deploratis uerè tibiarũ fluxionibus, & cacoẽthicis ulceribus medentur. quin & cum uino decoctæ addito absinthio & hordeacea farina, utilissimè hydropicis illinuntur. crematæ cum cerato sanant perniones, prurigines, sonnitusq; si crudè terantur, & fi napi liquoreq; aliquo excepte

auribus

auribus instillentur. Tam syluestris quàm satiuæ fici lacteus succus coaguli modo lac contrahit, concretumq; dissoluit, ut acetum. exulcerat corpora, meatus aperit. soluit aluum uuluam recludit cum detrita nuce græca potus. menstrua ciet cum luteo oui appositus, aut Tyrrhenica cera. podagricorum cataplasmatis cum farina fœnigræci & aceto utilis lepras, lichenas, uitiligines, uitia cutis in facie, psoras, ulcera in capite manantia, cum polenta expurgat. instillatus plagæ, percussis à scorpione, uenenatorum ictibus & rabiosi canis morsibus auxiliatur. prodest dentium dolori lana exceptus, & cauis eorum additus, uerrucarum informicationes tollit cum adipe, circunlita in ambitu carne. Hoc idem præstat succus è teneris ramis syluestris fici, qui lacte prægnantes, silente adhuc oculo, tusi exprimuntur, & siccatus in umbra reponitur. Et lac & succus imponuntur exulceratoribus medicamentis. Decocti cum bubulis carnibus ramuli ficulni, facilem afferunt decoctionem. lac efficiunt quod magis soluat, si inter coquendum ficulneo furculo spathæ loco moueatur. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Συκῆ.
Latinè & Officinis ficus.
Germanis, Feigenbaum.
Gallis un figuier.

Ficuum plura traduntur genera, de quibus Plinius partim libro decimo tertio, partim 15. agit. Inter quæ sunt mariscæ uocatæ, grandiores & insipidiores, de quibus Martialis extat distichon hoc: Mariscæ ficus.

Infanti melimela dato, fatuasq; mariscas,
Nam mihi quæ nouit pingere, Chia sapit.

De qua chia eiusdem etiam est alterum distichon hoc:

Chia seni similis Baccho, quam Setia misit,
Ipsa merum senum portat, & ipsa salem.

Sunt deinde à locis etiam dictæ Coctana, de quibus etiam apud Martialem est distichon tale:

Hæc quæ torta tibi uenerunt condita mentha,
Si maiora forent Coctana, ficus erat. B

Item Caricæ, quicq; conscendenti nauim aduersus Parthos omen fecere M. Crasso uenales prædicantis uocem Caunæ. Quæ omnia in Albense rus è Syria intulit L. Vitellius, qui postea censor fuit, cùm legatus esset in ea prouincia nouissimis Tiberij Cæsaris temporibus. Inter quas iam nominatas Caricæ optimè siccantur: Vnde quidam siccas ficus Caricas nominant. Sicut item Aphricanæ à prouincia dictæ, quæ Romanis delendæ Carthaginis occasionem dederunt, libro 15. tradente Plinio. Cato nanq; perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotum securitatis anxius, cùm clamaret in omni Senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curia præcocem ex ea prouincia ficum, ostendensq; patribus: Interrogo uos, inquit, quando hoc pomum demptum putatis ex arbore? Cùm inter omnem reccns esse constaret. Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptum Carthagine, tam propè à muris habemus hostem. Statimq; sumptum est Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est: & unius pomi argumento euersa. Sunt præterea à prouentu eædem serotinæ & præcones, biferæ, alba ac nigra cum messe uindemiaq; maturescentes. Serotinæ sunt, & à corio appellatæ duro, duricoriæ. Grossi demum dicuntur fici antequàm maturescant. Sed de generalibus earum adhuc præsens satis. Ficis mollis omnibus tactus. Maturis frumenta intus. Succus maturescentibus lactis, percolatus mellis. Senescunt in arbore, anusq; distillant gummi modo lachrymam, siccanturq;. Panis simul & obsonij uicem siccatæ implent. Cæterùm quantum ad naturam earum attinet, Ficus multi alimenti sunt. Sed alienæ stomacho, inflant & aluum mouent, autore Celso, Maturæ recentesq; stomacho, testante Dioscoride, noxiæ sunt, Sanguinem malum generant, unde si multùm comedantur, pedunculos procreant, autore Paulo Aegineta & Oribasio.

Grossi. Caput CXLVI.

GRossi, quæ crinei nonnullis uocantur, coctæ, illitæ, strumas nodosq; omneis emolliunt. crudæ formicas, uerrucas & thymos, nitro farinaq; additis, tollunt. Folia eadem possunt. illita cum sale & aceto ulcera in capite manantia, epinyctidas & furfures sanant. ijs ficosæ extuberationes, & genarum scabritiæ perfricantur. Nigræ ficus foliis cauliculisq; candidæ uitiligines perunguntur. faciunt ad ca-

A



num morſus,& ulcera quæ ceria,id eſt,fauos,uocant.Groſsi cum ſylueſtris papaueris folijs oſſa extrahunt.furunculos cum cera diſcutiunt. contra muris aranei morſus,& ſcolopendræ uenena,cum eruo & uino illitæ,auxiliantur. Fit ex cinere ficus tam ſylueſtris quàm ſatiuæ lixiuium, crematis ramorum cauliculis, quod ſubinde macerari opus eſt & inueteraſcere : ſiquidem inter cauſtica intelligitur. Gangrænis prodeſt : nanq; expurgat & conſumit quæ excreſcunt. eoq; ſic utendum eſt : Spongia aſsiduè hoc lixiuio imbuta ſuperponitur.Interdum dyſentericis, & influxiones uetuſtas,& ſinus cuniculatim exedentes,magnosq; inſtillari conueniet.Etenim purgat,conglutinat,carne replet,& oras committit,non ſecus atq; emplaſtra quæ crudentis uulneribus injiciuntur : enæma uocant. bibitur ad diſcutiendum ſanguinem concretum, & contra præcipitationes,rupta,conuulſa,cum cyatho aquæ recenter colatum,addito olei exiguo.cœliacis,dyſentericis per ſe cyathus datus prodeſt uorum uitijs,conuulſionibus commodè illinitur ex oleo,utpotè quod ſudores moueat.aduerſus gypſi potum & phalangiorum morſus bibitur. Hæc eadem præſtant reliqua lixiuia,præſertim quernum.omnia tamen adſtringunt.

B NOMINA ET EXPLICATIO.

Groſsi dicuntur fici,qui non maturuerunt. Germanicè, Vnzeitig Feigen.

Perſea. Caput CXLVII.

PErſea arbor eſt in Aegypto, fructum ferens cibo idoneum,ſtomacho utilem,in quo phalangia cranocolapta nomine inueniuntur,præſertim in Thebaide. Arida folia in farinam redacta,illitu ſanguinis eruptiones ſiſtunt. Arborem hanc prodiderunt aliqui in Perſide exitioſam eſſe,tranſlatamq; in Aegyptum,mutata natura in cibos receptam.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sunt qui ex Nicandri interprete uulgaris pomi perſici arborem eandem eſſe uelint,quæ tum perſica,tum perſea dicitur,& pomum ipſum uenenatum cum cruciatu gigni in Perſia, in Aegyptum deinde translatum factum fuiſſe mitius & eſui aptum. Quod & Columella in carmine innuit, his uerſiculis:

Stipantur calathi pomis,quæ barbara Perſis
Miſerat (ut fama eſt) patrijs armata uenenis,
At nunc expoſiti paruo diſcrimine leti,
Ambroſios præbent ſuccos,oblita nocendi.

Verùm hoc falſum eſſe,& non de Perſici, cuius mentionem ſuprà fecimus,ſed Perſeæ arboris fructu, intelligi debere,oſtendit Plinius lib. 15. cap.12. Vbi ſic ſcribit : In totum quidem Perſica peregrina etiam Aſiæ Græciæq; eſſe ex nomine ipſo apparet,atq; ex Perſide aducta. Nam Perſicæ arbores ſerò & cum difficultate tranſiere,ut quæ in Rhodo nihil ferant,quòd primùm ab Aegypto earum fuerat hoſpitium. Falſum eſt uenenata cum cruciatu in Perſe gigni,& pœnarum cauſſa à regibus translata in Aegyptum,& terra mitigata. Id enim de perſea diligentiores tradunt,in quæ totum alia eſt : mixis rubeſcentibus ſimilis,nec extra orientem naſci uoluit. Eam quoq; eruditiores negauerunt ex Perſide propter ſupplicia translatam,ſed à Perſeo Memphi ſatum. Idem de perſeæ,& non perſici fructu teſtatur etiam hoc loco Dioſcorides, & Galenus lib. ſimpl. pharma. &c.

Iberis,

Iberis. Caput CXLVII.



IBeris siue cardamantica, folia habet nasturtij, uere uirentiora: caulem cubitalem, aut minorem. in incultis nascitur. æstate lacteum florem promit, quo tempore efficacior est. Radices duas nasturtio similes habet, calfacientes & adurentes. ipsę enim ischiadicis cum salsa axungia emplastri modo utiles, quaternis horis alligatæ, ut de in in balneas descendatur, & postea oleo cum lana locus perungatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Ἰβέρις, ἢ πεδὸ ἀμανλικὴ, ἢ ἀγριοκάρδαμον Græcis. Galeno & Paulo Lepidium minus.

Latinis Hiberis. Nasturtium agreste.

Germanis, Gauchblüm/ Wildkressen/ Steynkressen.

Iberis herba, à regione Iberia nomen inuenit, & uelut Galenus testatur, eadem est quæ Lepidion Græcis appellatur. Quo magis mirum est Dioscoridem hoc loco seorsim de Iberide tradere, & in 2. lib. seorsim de Lepidio, ut herba in ciborum usum ueniente: quanquàm sanè de Lepidij foliis testetur, eorum esse uim acrem & exulceratoriā, ut ea gratia ischiadicis commodum cataplasma exhibeatur. De Iberidis autem radicibus prodit planè auxilium Galen. lib. 10. de comp. pharma. part. à Damocrate præscriptum, quod uidelicet cum adipe suillo tusæ, Ischiadicis impositæ conducant. Paulus tamen Aegineta lib. 2. cap. 77. Iberidem & Lepidium, & agriocardamon pro eadem herba agnoscens, item foliorū usum ischiadicis præscribit, & si eo tempore, quo usus eius expetitur, folia non sint, tū demum corticem radicis, cum axungia ad emplastri formam tusum, imponendum Ischiadicis dicit. Damocrates autem foliorum Iberidis in hunc usum non meminit, sicut neq; Aëtius duodecimo, cap. 2. qui uersus Damocratis, sed tamen lege carminis soluta prodit, & Iberidem etiam Cardamum appellari dicit, propterea quòd odorem, & saporem, & figuram cardami, hoc est, nasturtij habeat. Id quod etiam Galenus lib. 7. simp. pha. de Lepidio testatur. Quare eadem est herba, Lepidion, Iberis, Cardamum & agriocardamon, siue nasturtium syluestre appellata. In Dioscoride tamen hoc loco ἔστιν ἢ περὶ πεδὸ ἀμανλικὴν, pro πεδὸ ἀμύνη, falsò legitur. Sicut descriptio quoq; corrupta est, μῆκος δὲ ὅσον πηχιαῖον ἢ ἐλαττον. Deest enim καυλοῦ uox, & πλέον: ut sic legatur, μῆκος δὲ καλὸ ὅσον πηχιαῖον πλέον ἢ ἐλαττον, & sic sententia uersuum Damocratis, qui sic habent: καυλὸν δ' αὐτὸν ὀνομάκος πήχεος μεπεδὸ τ' ἔλαττον καὶ πάλιν μακρῶ πλέον. Id est, Caulem cubitalis longitudinis gerit. Paulò maiorē aut rursus ampliorem &c. Nam & Aëtius sic describit. Sed & quod ad finem huius capitis habetur, καὶ ἐλαίου μετ' ἐξὸς τοῖς τόποις ἐπιχρίεσθω, corruptè legitur, pro καὶ ἔλαιον μετ' οἴνου τοῖς τόποις ἐπιχρίεσθω, hoc est, oleum cum uino locis illinatur. Sic enim faciendum apertè docet Damocrates loco superius citato, & Aëtius quoq;. Sed & Plinius libro 25. cap. 8. postea oleo & uino corpus perungatur dixit.

A

Lepidion.

B

Finis Libri Primi.

PEDANII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE MEDICINALI MATERIA, LIBER SECVNDVS. IOANNE RVELLIO SVESSIONENSI INterprete, cum figurarum debita appositione, & annotationibus, in singula capita.

Per Gualtherum H. Ryff. Argentinum, Medicum, ex doctissimorum uirorum lucubrationibus adiectis.

PRAEFATIO.

IN PRIMO, charissime Araæ, Libro, quem de medicinali materia condidimus, de aromatibus, oleis, unguentis, arboribus, & nascentibus ex eis succis, lachrymis, seminibusq; disseruimus. In hoc autem Secundo de animantibus, melle, lacte, adipe, frugibus, atq; oleribus explicabimus, subnexis herbaceis, quæ acri prædita sunt facultate, utpote quę cum ipsis cognatione iuncta sint: qualia allium, cepa, sinapi, intelliguntur. idq; ideo, ne cognatorum uires disiunxisse uideamur.

Echinus, siue Erinaceus. Caput I.

Erinaceus marinus. *Histrix.*

B

Erinaceus terrestris.



MArinus echinus stomacho uentriq; utilis est. urinam cit. huius testa cruda inassata, commodè medicamentis admiscetur, quæ psoras abstergunt, cremate uerò cinis sordida ulcera expurgat. luxuriantem carnem reprimit. Terrestris erinacei corium combustum alopecijs cum pice liquida aptissimè illinitur. asiccatũ corpus, & aceto mulso potum, renũ uitijs auxilio est. item aquę quæ cutem subijt, cõuulsionibus, elephantiæ & malè habitis, quos cachectos uocant. uiscerum fluxiones exiccat. eiusdem iecur fictili solibus excocto arefactum, ad eosdem usus utilissimè reconditur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Echinus inter uarias significationes suas significat etiam animal marinum, & piscem è testaceorum genere, erinaceus uulgo dictus: formâ orbicularis, spinis circumuallatus, quibus pro pedibus utitur in orbem se uoluendo, nec aliter ingreditur. Caro illi intus nulla, idq; illi peculiare, sed nigra quædam in omnibus uiscerum carnis spectantur. Meminit echini huius Martialis, hoc disticho:

Iste licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposita mollis echinus erit.

Verùm de Echinis, quorum etiam non unum genus est, autore lib. 4. de hist. ani. Aristotele: Plinius li. 9. ubi de sanguine carentibus agit piscibus, ait: Ex eodem genere sunt Echini, quibus spinæ pro pedibus. Ingredi est his in orbem uolui: itaq; detritis sæpe aculeis inueniuntur. Ex his echinometræ appellantur, quarum spinæ longissimæ, calices minimi. Nec omnibus idem uitreus color. Circa toronem candidi nascuntur, spina parua. Oua omnium amara, quina numero. Ora in medio corpore in terram uersa, Tradunt sæuitiã maris præsagire eos, correptisq; operiri lapillis, mobilitatemq; pondere stabilientes, uolunt uolutatione spinas atterere.

Quod

Quod ubi uidere nautici, statim pluribus anchoris nauigia infrenant. Echinus marinus stomacho accommodatus est, autore Dioscoride. Celsus quoq; aluum mouere testatur. Et Plinius lib. 32. ait: Echini ad calculos in cibis prosunt. Est & Echinus terrestre animal, cuniculi magnitudine, sed specie porcina, aculcis uallatus quemadmodum histrix est: ubi uerò sensit uenantem, contracto ore pedibusq;, ac parte omni inferiore, qua rarum & innocuam habet lanuginem, conuoluitur in formam pilæ, ne quid comprehendi possit præter aculeos: in desperatione uerò urinam ex se reddit tabicam, tergori suo spinisq; noxiam, propter hoc se capi gnarus. cute cuius expoliuntur lina, & uulgo ericium, Germanicè, Ein Igel, tam aquatilis quàm terrestris: Græca uox est, à Latinis erinaceus appellatus: quanquàm Theodorus echinum marinum ubiq; in Aristotele non aliter quàm echinum interpretatus est, Plinium fortè imitatus: attamen qui terrestris, Erinaceum conuertit. Histrix Erinaceo similis est. A

Hippocampus. Caput II.

Hippocampus marinum animal est exiguum. cuius cremati cinis exceptus, cũ liquida pice aut axungia seu amaracino unguento illitus, alopecias replet.

NOMINA ET EXPLICATIO.


Brevem paruumq; hunc piscem Dioscorides ait esse, & nihilominus magnitudinis notam illi coniuncta. Quod enim Græci Hippo, multis in natura adijcium, grande significat. Sed id sic intelligendum est, ut comparatum id animal olerum, aut arborum crucis, grande sit: marinis uerò beluis & piscibus, breue & paruum.

Purpura, buccina, eorumq; uolutæ. Caput III.

Purpura.



Buccina.



B

Voluta.



Purpura usta exiccat. dentes abstergit. excrescentias in carne cohibet. ulcera purgat, & ad cicatricem perducit. Eadem præstant concremata buccina, sed uehementius urunt. si quis salis plena, fictili crudo adurat, dentifricio conueniunt. ambustis utiliter illinuntur, quibus solui medicamentum non oportet. nam posteaquàm uulnus cicatricem duxerit, ipsum in testæ modum induratum, sponte sua decidet. Fit etiam calx è buccinis, ut in eius mentione demonstrabimus. Cionia uocantur purpurarum buccinorumq; mediæ partes, circa quas testæ uolumen clauiculatim intorquetur, cremata simili modo, maiorem purpuris buccinisq; facultatem urendi consequuntur, quoniam apprimendi naturam obtinent. Buccinorum carnes origratæ sunt, & stomacho utiles. sed aluum non molliunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Purpura Græcis porphyra uocata, Concha est è turbinatorum genere, aculeis clauata, lingua digitali, firma, torosa & ualida, duritia tanta ut conchas possit perforare, flore purpureo, qui nigrantis rosæ splendore sublucet, colorum omnium gratissimo, tingendis uestibus maximè expetito. Purpuram diu multumq; considerauit, cùm aliam conchã tandiu mordicus premeret, quoad suffocata hisceret. Conficiendi purpurei coloris rationem nostri homines ignorare putantur. Olim purpurarum testas confringebant, & carnes ad tinctu- Petrus Gillius.
ram condiebant, & aqua dilutas, & sordibus expurgatas, succensis ignibus in lebete coquebant, harum sanguis ab igne incalescens, fluebat, & efflorescebat, partimq; flaueſcebat, partim Cyaneo colore fiebat, partim in alium colorem conuertebatur, ac nimirum quid imponebatur, commutabatur in illius colorem. Massilienses hanc, & Muricem, & Buccinos uocant Bios.

A Ceryx à Plinio Latinè Murex, & Buccinum appellatiuè : Concha est clauiculatim intorta, & turbinata, scabra, sine aculeis, magnitudine purpuris inferior, Buccino turbinato, quo sonus editur, similis, excepto ore rotundo in margine inciso. Ergo eadem erit Buccini descriptio : nam est è genere turbinatorum Concha, sine aculeis, Buccino Concharum generi, quo sonus editur, similis, nisi rotundo ore differret, in margine inciso : Buccinum enim quo sonus editur, non est inciſum . Ligures Buccinos nunc uulgo Cornetos nominant : Maßilienſes Bios Cornetos : Græci quidem hac ætate Strophilidas. Speuſippus dicit ſimiles eſſe κυνάκας, καὶ πορφύρας, καὶ στροβιλὰς, ſiue ἀστροβιλὰς : Dercitus dicit, commodos eſſe ad reddendum ſonum. Officinæ hæc Concharum genera corrupto nomine Entale & Dentale appellant.

Ceryx. Murex. Entale & Dentale.

Mituli. Caput IIII.

MItuli laudatiſsimi in Ponto. Cremati eundem buccinis effectum præbent. priuatim plumbi more eloti, oculorum medicamentis cum melle utiles habentur. genarum craſsitudines abſumunt. albugines purgant, & cætera quæ oculis caliginem offundunt. carnes eorum ad canis morſus utiliſsimè imponuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Myes. Myes à Theodoro uertuntur Mituli, ſed quàm rectè, iudicare nondum audeo. Plautus tamen Myes in Rudente muſculos uidetur appellare : & Cornelius Celſus inter ea quæ aluum mouent, ſalſamenta pomi. Oſtrea, Pelorides, Echinos, Muſculos, & omnes ferè Conchulas. Equidem cum Græcis hominibus eos quos uulgò Veneti uocant Muſculos, & Cuniculos oſtenderem, dixerunt eſſe Mydia, hoc eſt, Muſculos. Athenæus tradit ſua ætate Tellinas, & Romanis Mitulos nominatos fuiſſe.

Tellinæ. Caput V.

REcentes tellinæ aluo utiles, ſed maximè ius earum. ſalitæ uruntur, tritæq; in cinerem & cum cedria inſtillatæ, auulſos pilos renaſci non patiuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Athenæus dicit Romanos ſua ætate Tellinam nominaſſe Mytulum. Marcellus, Dioſcoridis interpres, B Tellinas opinatur conchulas eſſe, quas memoria noſtra Tellinas Romani uocant. Sed Ariſtophanes grammaticus Tellinas patellis dicit ſimiles eſſe, eiſdemq; pueros pro cornibus uti ſolitos fuiſſe : à quibus longè diuerſæ ſole clarius uidentur eæ, quæ uulgo Tellinæ uocantur.

Chamæ. Caput VI.

CHamarum conchularumq; in exigua aqua decoctarum ius, aluum ciet. id cum uino aſſumitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Chamæ marinæ & uariæ & multiplices ſunt, nam aliæ aſperæ, aliæ leues : & hæ quidem digitorum compreſſu confringuntur, illæ uerò uel ægerrimè ſaxo conteruntur. Quædam ipſarum nigerrimæ ſunt, nonnullæ argentei coloris : ac quemadmodum eſt earum uarium & multiplex genus, ſic multas & diuerſas ſedes habent. Quædam enim in littoribus diſperſæ, iacent in arena, nonnullæ ſub algam ſubijciuntur, aliæ in humo commorantur, aliæ in ſaxis & ſtabulantur, & præfulciuntur, &c.

Vnguis odoratus. Caput VII.



Purpura.



VNguis ſiue onyx conchilij ſi gumentum eſt, ei ſimile quo purpura integitur, quod in Indiæ nardiferis lacubus inuenitur : ſuauem ideo ſpirans odorem, quòd conchylia inibi nardi pabulo uescantur. Colligitur poſteaquàm ſtagnantes aquæ æſtiuis ſqualoribus inaruerunt. Laudatiſsimus qui à rubro mari defertur, candicans, pinguis. Babylonicus nigrescit, atq; minor cõſpicitur. Ambo odoris

odoris gratia ſuffiuntur. ſed aliquatenus caſtoreum olent. ĩdem ſuffitu excitant fœminas uuluæ ſtrangulatu oppreſſas, comitiales q̃. poti uentrem molliunt. Crematum conchylium eadem efficit, quæ purpura & buccinum. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Galenus unguem odoratum, qui hoc loco Dioſcoridi ὄνυξ quoq; dicitur, Officinis uerò Arabica, aut certè barbara uoce, blattæ Byſantiæ, inter oſtraca ac teſtes purpurarum ac muricarum generatim comprehendit, eorundem enim uim habet, & præterea ſuffitu ab utero ſtrangulatas fœminas, & comitiali apprehenſos morbo excitat, quod tamen etiam de purpurarum teſtis Galenus 11. ſimp. pharma. tradit. Meminit eius onychis Plinius quoq; 22. cap. 2. quum ait: Inuenio apud quoſdam oſtracium, quod aliqui onychem uocant, hoc ſuffitum uuluæ pœnis mirè reſiſtere.


Βλάττα & Βλάττιον βύζαντα, appellatur Actuario in aurea Alexandrina, diamargarito calido, Unguis odoratus uel aromaticus, lib. 1. comp. pharm. part.

Cochleæ. Caput VIII.

Cochleæ terreſtres.




Cochleæ marinæ.



B

TErreſtres cochleæ ſtomacho utiles ſunt. & non facilè corrumpuntur. Optimæ Sardonicæ, Aphricanæ, Aſtypaleicæ, & quæ in Sicylia ac Chio gignuntur & quæ in Liguriæ alpibus, pomatiæ, id eſt, operculares, cognominatæ. Marina ſtomacho idonea, & facilè aluo excernitur. fluuiatilis uirus olet: quæ uerò uepribus frutetis q̃ glutinata cohæret, quam uocant nonnulli ſeſilon, uentrem & ſtomachum turbat, uomitiones excitat. Crematæ omnium teſtæ excalfaciendi & urendi

A Conchæ margaritiferæ.



naturam ſortiuntur. purgant lepras, uitiligines, dentesq; emendant oculorum cicatrices, & uitia cutis in facie, albugines, ac uiſus hebetudines, ſi cum carne ſua uſtę tæq; ex melle illinantur. crudæ cum tegumentis impoſitæ. aquæ inter cutem tumores exugunt. ſed non antè ſoluantur, quàm omnis hauriatur humor. podagricas inflammationes leniunt. impactos corpori aculeos illitæ euocant. menſes tritæ & admotæ ciunt. Carnes earum cum thure & myrrha illitæ, cùm uulnera alia, tum maximè quę nerui acceperunt, conglutinant. tritæ in aceto, ſanguinem naribus erumpentem infrenant. uiuæ corpus, & præſertim Aphricanæ, cum aceto deuoratum, ſtomachi dolores mitigat. trita cum teſta, uino & myrrha, ſi exiguum inde bibatur, coli ueſicæq; cruciatus ſanat. Terreſtris pilos incommodos replicat, ſi quis abraſo acumentore eius, pilum attingat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

B *Duo cochlearum genera ſunt. Aliæ namq; Aquatiles, quas Græci ſcombros, Latini turbines communi alio nomine uocant, quòd ex amplo in tenue deficiant in uertigmem tori. Aliæ ſunt terreſtres, quæ per hyemem terra delitescunt, uere prodeuntes, Græcè cochleæ & cochlia appellantur, teſta clauiculatim intorta: qua ut domicilio utuntur, quo ſe exerentes, quoniã oculis carent, bina cornicula prætentandi iter cauſſa protendunt, & ſi quid obſtaculi ſentiunt, reſiliunt. Plinius libro nono ubi de cruſtatorum ſanguine carentium genere agit: In eodem genere inquit, ſunt cochleæ, aquatiles, terreſtresq;, exerentes ſe domicilio: binaq; ceu cornua protendentes contrahentesq;, oculis carent, ideoq; corniculis prætentant iter. Ait uerò, ceu cornua, quoniam hæc non propriè cornua, ſed ſimilitudinariè tantùm dicuntur. Nam, ut idem lib. 11. dicit, Cornua multitis quidem & aquatilium & marinorum & ſerpentium uarijs data ſunt modis: ſed quæ iure cornua intelligantur quadrupedi tantùm generi.*

Cochleæ Germanis, Schnecken. Gallis eſcargotz, appellantur.

Limaces marinas uulgo aquatiles cochleas Maſſilienſes nuncupant, itemq; Cochlon Ariſtoteles animal teſtaceum aliud à limace tradit, quod Theodorus Vmbilicum conuertit, fortè hoc quod Officinæ oſtendunt nomine umbilici marini, cuius pictura hæc eſt.

Vmbilici marini.

Germanis faba marina à ſimilitudine, id eſt, Meer bonen, appellatur.

Petrus Gyllius ſcribit, ſe uidiſſe cochleam marinam, quæ ad eam magnitudinem accederet, ut tantum uini caperet, quantum piſcator exiccare uno prandio poſſet.

Cochleæ in cibo ſumptæ aluum mouent, autore Celſo, boni ſucci & ſtomacho idoneæ. Paulus Aegineta tamen mali ſucci eſſe dicit, eius libro 1. uerba ſunt hæc: Ius omnium quæ teſtis includuntur aluũ ducit: hanc ob cauſam terreſtres quoq; cochleæ uentrem ſoluunt.

At uerò duræ carnis & coctu difficilis ſunt, quæ licet nutriat, mali tamen ſucci eſt, quapropter nonnulli ius cum garo & oleo condiunt, atque ſic uentrem ſubducunt. Item ethicis proſunt: pectori & pulmoni siccori auxiliares.

Cancri. Caput IX.

Cancrorum




CAncrorum fluuiatilium exustorum cinis, qui duo cochlearia expleat, adiecto dimidio radicis gentianæ modo, triduo potus cum uino, magno perè prodest canis rabiosi morsibus. rimas pedum, sedisq; perniunculos, & carcinomata, cum decocto melle lenit. triti crudi, potiq; ex asinino lacte, auxiliantur contra serpentium phalangiorumq; morsus, atque scorpionum ictus: decocti autem & cum iure esitati, iis prosunt qui tabe conficiuntur, aut leporem marinum hauserunt. necant scorpiones triti, & cum ocimo admoti. Possunt eadem marini, uerùm inefficacius omnia præstant. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cancri ueris principio senectutem anguium modo exuunt, renouatione tergorum. His uita longa, pedes octoni omnibus in obliquum flexi. Fœminæ primus pes duplex, mari simplex. Præterea bina brachia, denticu-

Locusta marina.



Cancer marinus.



B

latis forcipibus, superior pars in primoribus his mouetur, inferiore immobili. Dextrum brachium omnibus maius. In pauore retrorsum pari uelocitate repunt. Autumno & Vere pinguescunt, & plenilunio magis. Aristot. lib. 4. de histo. ani. cancros uidetur appellare eos tantùm, quibus corpus rotundum est, cùm locustis, squillisq; longum sit.

Cæterùm cancri difficilis concoctionis sunt, cocti uerò asthmaticis & phthisicis prosunt: præstantq; ad ulcera fouenda materiam, euacuata testa, ipsorum carne ex cauda & chelis tusa: & per se quoq; mensis conueniunt, cocti ex uino & pipere, seu ex aqua, aceto & sale, aut ablata testa in oleo butyró ue

Fricti in sartagine, & præsertim parui aut teneri, qui senectutem iam primùm exuerunt. Germanis, Meuse ser dicti.

Terrestris.

A

Terrestris scorpio. Caput X.



TErrestris scorpio tritus & impositus, suæ plagæ remediũ est. quin estur assatus, ad eadem.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Aelianus, libro uariæ historiæ, plura Scorpionum genera esse scriptum reliquit: album, fuluum, nigrum, fumi colore, uiride, flammeum, quod omnium pessimum, uentrosum, caninicide, uolatile. In India enim uolatiles Megasthenes esse prodit, in uniuersum non coitu, sed humore ac calore concipiunt, singulis cauda sese complectentibus, nec oua, sed animal pariunt.

Oleum ex Scorpionibus paratum mirandarum uirium est, contra uenena omnia & pestilentia: de hoc oleo scribit Manardus se scire hominem hoc solo munitum, quantumuis sæuam pestilentiam nihili facere, sed eum & seruos suos unà secum uisentes pestilentia affectos, incolumes seruari: & sola unctione quosdam à sæuissimis uenenis potis liberatos. Duplici modo in officinis ex doctrina Mesue fieri solet. Prius ob scorpiones frigidum est: posterius ob aromata calidum & efficacius, non ob horum calorem & essentiæ tenuitatẽ Syluius. *(quibus aperit, incidit, tenuat, terget, perrumpit) sed etiam totius substantiæ scorpionum proprietate, & ut loquuntur forma specifica, qua utrunq; calculum renum & ueficæ frangit, illitum tantùm lumbis, si in renibus est: si uerò in uesica, pubi, perinæo, & iniecta etiam tum pauca in meatum urinarium. Modum parandi docet Mesue & Nicolaus.*

De Scorpione plura in sequentibus.

Marinus scorpio. Caput XI.

MArini scorpionis fel conuenit ad suffusiones oculorum, albugines & hebetudines.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cùm Scorpio & Scorpena eiusdem generis sint, multum tamen & colore & bonitate differunt. Nam Petrus Gillius. *scorpio ruffus & pelagius est, Scorpena nigra & littoralis, & suauitate longè Scorpione inferior: quod ipsum non modò ex antiquorum conscriptione accepi, sed certè palati sapientia expertus sum. Iam porrò non*

B *nullæ regiones Italiæ utrunq; Scorpenem appellant: & Græci à uero nomine aberrarunt, nam utrunq; Scorpium appellant: Massilienses ut nondum cessant rectè Scorpenam appellare, ita parum Massilicè Scorpium Rascassam nominant. Secundum Pastinacam & Draconem nihil in mari uenenatius: etenim in dorso & brachijs bene acutos robustos habet aculeos, quos si Sypontinus uidisset, non à similitudine terrestrium nomen duxisse scripsisset, sed ex eo potius, quòd quemadmodum terrenorum aculei, sic horum pernicioſi sint, nuncupatos esse.*

Draco marinus. Caput XII.



DRaco marinus dissectus & apertus impositus ęq; ictus spinæ suæ qua ferit, medela est.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO. A

Plinius lib. 32. Draconem à Dracunculo distinguit, huncq; dicit similem Gracculo esse, atq; in branchijs ad caudam spectantes aculeos habere, ciusq; ictum uenenatum esse. Hunc Dracunculum Aristoteles & Oppianus uocant draconem, & similiter Plinius ipse, cùm inquit libro 32. Draco marinus ad spinæ suæ, qua ferit uenenum, impositus prodest: quod idem hoc loco testatur Dioscorides.

Ab Ephippo uocatur Dracænis: ipsum arbitror esse, quem Ligures, & Massilienses, & Plinius ipse alio loco Araneum uocat. Hac ætate Græci Draconem, Sicuti & Neapolitani, Tragnam appellant, corrupte, quasi Dracenam. Secundum Pastinacam nihil in mari uenenatius: acutissimos in dorso habet aculeos, quos piscatores ab hoc capto statim abscindunt. Aculeos quoq; in branchijs habet ad caudam spectantes. Iam porrò eum qui ab Aristotele Araneus uocatur, multi Græci autores uenenatum esse tradunt: hunc uerò omnes scriptores, atq; ætatis nostræ piscatores cùm à Pastinaca discesserunt, omnium marinorum uenenatissimum esse asseuerant, &c. plura apud Petrum Gyllium.

Scolopendra. Caput XIII.

Scolopendra in oleo decocta si illinatur, auellit capillos. sed contactu pruritus facit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Scolopendra marina, terrestri perquàm similis est, quam primùm ut homo contigerit, statim pruritu mordetur, & simili atque is qui ab urtica terrestri pungitur, doloris sensu afficitur. Scolopendræ marinæ tactio piscatoribus quoq; infestissima est: postea enim quàm hamum hæc contigerit, nullus piscis ad hamatam escã accedit, quod huius tetro odore procul pellatur.

Scolopendra terrestris Germanis est, ein Mossel/ fuluum animalculum, sub lapidibus delitescens, multipes, ac uenenosum.

Torpedo piscis. Caput XIIII.

Marina torpedo diuturnis capitis doloribus admota, cruciatus uehementiam mulcet. eadem apposita euersam sedem prociduamq; cocrcet. B

EXPLICATIO.

Torpedinis piscis plani & cartilaginei torporem manus suæ tactione se periclitatum esse scribit Petrus Gyllius, minifide digniß. nec tantoperè sibi manum obtorpuisse quàm scriptores decantant, Torporemq; non maiò letalem non esse, sed non ita multò pòst euanescere. Venetijs, Ianuæ, Massiliæ, ac ubiq; putat gentium comedi. Massilienses Turpilliam corruptè uocant: Ligures, Tremorizam.

Viperæ. Caput XV.



Viperinæ carnes si coctæ edantur, claritatem oculis afferunt, neruorum uitijs auxiliantur, increscentes strumas reprimunt. detracta autem cute, caput caudaq;, quoniam carne uacant, amputari debent: quippe cõmentitium est, quòd præcipitur, certam utrinq; mensuram præcidi oportere. reliquum uerò corpus exemptis interaneis eiorum dissectumq; discoquitur cum oleo, uino, salis exiguo, & anetho. Aiunt ijs qui uiperas esitent, pediculos procreari, quod planè à ueritate abhorret. adijciunt aliqui longam senectutem agere, qui eo cibo uescuntur. Sal ex eis ad eadẽ conficitur, sed inefficacior est. uiua autem uipera in fictile nouum demittitur, adijciuntur salis caricumq; tritarum, singulatim quinq; sextarijs, mellis cyathi sex: mox fictilis operculum luto oblinitur, & fornacibus inassatur, donec sal in carbones redigatur, qui postea tritus in pulueris faciem, reconditur. Plerunq;, ut ori gratior fiat, immiscetur nardi spica, aut folium, aut malabathri momentum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græci Θηρίακα. Latini uiperas. Itali Marassas. Germani Brantschlangen & Vncken/ appellant. apud quos tamen rarò reperiuntur: caro earum siccat, ualenter digerit, mediocriter calfacit. Vis eius ad cutem perat, & ad eam expellit corporis excrementa, à quibus in multum cacochymis ingens numerus pediculorum prouenit, ut Galenus testatur contra mentem Dioscoridis lib. 11. simpl. De his plura apud Iacobum Sylium hac tempestate medicum præclarissimum, in præparatione Theriaces.

Senecta

A

Senecta anguium. Caput XVI.



SEnectus anguium in uino decocta dolori aurium, infusu, & detium collutione, auxilio est. addunt eam in medicamenta oculorum, sed præcipuè uiperinam.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Serpentis pellem Græci uocant senectam anguis. Plinius autem uernationem appellat, quòd tempore ueris senectutem depellat, ac nouam induat pellem. Germanis, ein Schlangen balck.

Lepus. Caput XVII.

Lepus. Cuniculus.





LEpus marinus loligini paruę similis est. qui per sese tritus, aut cum urtica marina illitus, capillos euellit. Terrestris leporis inassatum cerebrum manditur, iuuandis tremoribus qui ualetudine contracti sunt. affrictu aut cibo faciem infantibus dentitionem præstat. exustum caput & cum adipe ursino aut aceto illitum, alopeciarum inanitatibus medetur. Leporinum coagulum post triduum à concubitu potum, conceptum adimere, partusq; spem intercipere proditur. uuluæ & alui fluorem sistit. comitiales iuuat. contra uenena ex aceto bibitur, præsertim aduersus concretum lac, & uiperarum morsus. Sanguis eius si calidus illinatur, uitia cutis in facie, uitiliginem, lentigines q; sanat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lepus marinus in cœno gignitur, & sæpè unà cum Apicis capitur specie cochleæ, tegmine caudatæ ceruitur. Magni maris lepus (nam qui in alio mari nascitur antè dixi) ex omni parte ad terrem similitudinem accedit, præter pilos: nam terrestris pili & molles sunt, & B *ad tactum haud quaquàm resistentes. Contrà lius spinosi & erecti: hunc qui contigerit, læditur. sed de marino Lepore plura in sequentibus. Terrestris Leporis caro in cibis non paruæ laudis est etiam apud ueteres habita, ut Martialis distichon testatur:*

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

Leporum tria genera ferè sunt, ut tradit Varro lib. de Re rust. 3. Vnum pedibus primis humilibus, posterioribus altis, superiore parte pulca, uentre albo, auribus longis. Qui Latinis lepus, Germanis, Ein Haſe. Gallis ung lieure, dicitur. Alterius generis sunt, qui hoc ferè mutant, quòd toti candidi sunt. Tertij generis est, quod in Hispania nascitur, simile lepori ex quadam parte, sed humile, quod Latini Cuniculum, Germani, Ein Kunglin. Galli ung connin appellant. Lucius Belius putabat ab eo dictum leporem à celeritudine, quòd leuipes esset. Ego arbitror à Græco uocabulo antiquo, quòd eum Aëoles Bœotij leporem appellabant. Cuniculi dicti ab eo, quòd sub terra cuniculos ipsi facere soleant, ubi lateant in agris. Martialis:

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris,
Monstrauit tacitas hostibus ille uias.

De leporibus plura Plin. lib. 8. Leporum caro crassi succi est, sed in hoc à bobus & ouibus uincitur, autore Paulo Aegineta. Verùm quæ cuniculorum est, melius & facilius alit. Hippocrates ait: Caro leporina siccat, sistitq;, sed lotium mouet. Celsus leporem in media materia numerari debere dicit, & boni succi esse, alium adstringere, & urinam mouere.

Coagulum quod Germani Lyp & Keß lyp / uocant, uiscerum pars est, qua ad densandum lac utimur. Substantia & mucilago quædam superflua lacti coagulato quodammodo simulis in uentribus, & certis animalium ueteris genita & appensa. habent autem ungula omnia ruminantia, & inter dentata utrinq; lepus. Quò uetustius coagulum est, eò præstantius. Tale profluuio alui mederi præcipuè potest, &c. Plin. uerò libro 11. cap. 41. Dasipodis coagulo hoc tantum asserit, inquiens: Coagulum inutile leporis, hœdi laudatum, præcipuè tamen dasipodis, quod & profluuio alij medetur, unius utrinq; dentatorum.

Pastinaca marina. Caput XVIII.

MArinæ pastinacæ radius, qui eius cauda enatus aduersis squammis reflectitur, dentium dolorem mitigat: nam eos frangit & euocat.

NOMINA

Pastinaca marina.



A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Pastinaca piscis planus cartilagineus, radium digiti, interdum semipedis longitudine, ad similitudinem serræ dentatum, dentibus reflexis, in cauda habet: quo nihil usquam pestilentius mare generat. Ligures uocant Serrasam: Massilienses Glorinum: Siculi Bastonacam corruptè, quasi Pastinacam: detracto radio in littore Ligustico ac Gallico comeditur. Aliàs Germanis uocatur ein Roch.

Sepia. Caput XIX.

SEpiæ coctæ dum estur atramentum, ægrè concoquitur. aluum mollit. collyriis è testa factis conuenienter genarum scabritiæ perfricantur. ustum in sua testa donec id quod crustosum est abscedat, postea tritum expurgat uitiligines, furfures, dentes, & uitia cutis in facie. elotum in medicamenta oculorum addi solet. contra albugines, oculis iumentorum efficaciter inspiratur. pterygia oculorum absumit, cum sale tritum & iniectum. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sepia è piscium sanguine carentium & mollium genere est, eiusdem similitudinis cum loligine, octonis pedibus, solidum intus quoddam insertum continens, quod Sepium uocant. Sepiarum generis mares, ut Plinius scribit, uarij & nigriores, constantiæq; maioris: percussæ tridente fœminæ auxiliantur, At fœmina icto mare fugit. Ambo autem ubi sensere se apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine his est, infuscata aqua absconduntur, quod & Oppianus testatur Halieuticon lib. 3. cùm ait:

Sepia.



Quin & natiua fœcunda est sepia fraude.
Est liquor in tumida concretus turbidus aluo,
Qui fiscus piceam superat caligine massam:
Conditus hic humor nutritur corpore, præsens
Auxilium miseræ, subita formidine capta
Atras emittit guttas, & polluit æquor,
Obscuratq; uias ponti tenebrosa cruore
Permixto sanies piscantis lumina turbans,
Auertit uisum, & prospectum surripit omnem.
Hæc facili cursu per tinctas æquoris undas,
Effugit horrendos pisces, hominemq; sagacem,
Loligo atq; alijs, qui findunt aëra pisces,
Tales inuenium artes: non est liquor ater:
Illi purpureos potius de corpore fundunt
Humores: sed fraude pares astuq; putantur.

Cæterùm Sepiæ atramentum, autore Celso, uentrem mouet. Ipsa elixa sepia mollis est & suauis, & facilè concoquitur, & bonam aluum facit. Succus uerò ipsius sanguinem extenuat & mouet per hæmorrhoidas, ut autor est Diphilus, referente Massario. Paulus tamen Aegineta difficilis coctionis esse tradit, inquiens: Molles pisces, ut polypi, sepiæ, loligines duri sunt, coctioniq; renituntur, præsertim polypi. atq; salsum quodammodo habent humorem. Si uerò coctione uincantur, haud parum alimenti corpori præbent. Sepiam aliqui uocãt ein Blacfisch.


A Falco marinus.



Est & aliud marini piscis genus, à similitudine, falco marinus, Germanicè, Meer oder Seefalck/nominatum, consimule testudini, aculeatum quasi scutum tergore gerens, in uentre fuluum. alas unà cum capite rubras habet, rostro cæruleo. uenter unà cum cruribus pallidè rubens. In tantam excrescit magnitudinem, ut duo homines terra uix attollere possint. Supinè iacens ægrè consurgit. Et natat, & uolat desuper aquas.

Mullus piscis. Cap. XX.

MVllorum assiduo cibo aciem oculorum hebetari constat. Is marini draconis, aranei, ac scorpionis morsibus medetur, si crudus atq; dissectus admoueatur.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Mullus piscis est magnitudine modica, gemina barba inferiore labro insignitus, à qua uulgo barbonem, & Marro Rei Rusticæ lib. ultimo ad finem, barbatum mullum, & Græci gneatida. quòd uerò ter pariat in anno, Triglen uocant. Olim etiam in precio habitus. De quo plura apud Plinium in libro 9. & 32. cap. 8. Is etsi piscis est, haud quaquam in uulgus ignotus, tamen in sermone Latino ignotius esset nihil, nisi Ausonius suo carmine, quod Mosellam inscripsit, illustrasset:

Tuq; per obliqui fauces uexate Saraui,
Quabus terna fremunt scopulosis ostia pilis,
Cum defluxisti famæ maioris in amnem
Liberior, laxos exercès Barbe natatus.
B Tu melior peiore æuo: tibi contigit omni
Spirantum ex numero non illaudata senectus.

Hippopotamus. Caput XXI.

HIppopotami testes exiccati ac triti, contra serpentium morsus bibuntur.

Hippopotami, qui & Hippocampi quibus dam dicuntur. Capite & collo equino, & rostro oblongo sunt, ab eorumq; fronte tanquam equorum coma propendet, & eo loco quo equi iubam habent, pilis differt. fluuiatilium. cauda draconis speciem similitudinemq; gerit.

Ligures & Massilienses uocant Caballos marinos.

Fiber. Caput XXII.

FIber ancipitis uitæ animal, plerunq; cum piscibus & cancris ex aqua uictum capessit. Huius testes serpentium uenenis aduersantur, sternutamenta mouent, & in uniuersum uarios obtinent usus. siquidem menses ac partus ciunt, duabus drachmis cum pulegio poti. partus secundasq; ejiciunt. contra inflationes, tormina,

Fiber. Lutra.



singultus, uenena, ixiamq; ex aceto bibuntur. lethargicos, & utcunq; ueterno obdormiscentes excitant infusi. cum aceto autem & rosaceo, olfactu & odoris suffitu, idem faciunt. poti & illiti prosunt tremulis, conuulsionibus, & omnibus neruorum uitijs. in summa, calfactoriam uim habent. Eligi debent testes qui ex uno ortu connexi sunt (fieri enim non potest, ut gemini folliculi in una membrana coniuncti reperiantur) liquore intus ueluti ceroso, odore graui, & uirus redolente, gustu acri, mordente, ac friabili, naturalibus tunicis circundato. Quem fraude aliqui corrumpunt, conijcientes in follem gummi, aut ammoniacũ cum sanguine & castorio subactũ, & ita exiccãtes. Vanũ est quod traditur, testes ab ipsis euelli, & à sese abijci, cũ uenatu

uenatu urgentur: siquidem tangi nequeunt, ita, ut in sue, substricti. Operæ autem A
precium est, diuisa pelle melleum liquorem cum cuestiente tunica assumere, & sic-
catum potui dare.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Testes Castoris, seu castorium, calfacit, siccat, est tenuium ualde partium, coquit dispositiones cõtumaces & scirrosas. Eligendi qui ex uno principio committuntur, & quibus est intus liquor ceroſus, friabilis, odore grauis & uirus olente, gustu acri & mordaci. Ex quibus duobus suspicari possis, substantia nobis esse aduertissimos, nulli autem uel admotum uel sumptum est perniciosum castorcum. Pontici Castores sunt præstantissimi, quod & Virgilius meminit lib. 7. Georg.

Nec inepti qui ad Matronam, uulgo la Merne, Galliæ fluuium, crebrò capiuntur, mirabili spectaculo animalia, cauda piscosa, soleæ æmula, pilo supernè canino, alibi lutræ, pedibus anterioribus anseris, sed uncatis, similiæ posterioribus, auribus minimis, rotundis, dente ualidissimo, adunco, prælongo, seta oris cornea, architectura in fossa sua mirabili.

Castoreum nigrum, fœtidum, rancidum, die uno necare affirmat Auicenna. Castoreum è Perside fermè ad nos defertur: syncerum enim tanta ui odoris est præditum, ut olfacienti uesicam castorij, sanguinem è naribus eliciat. Seruatur annis decem.

Germanis, Ein Byber. Gallis Biure. Fiber metathesi dictus.

Lutræ animalis fibro similis testes idem pollere addit Hermol.

Mustela. Caput XXIII.

MVstela quæ in domibus nostris oberrat, ambusta exenteratur, & inueterata sale, in umbra siccatur. Ea binis drachmis cum uino pota aduersus omnia serpentium uenena præsentaneo est remedio. toxico, simili sumpta modo, resistit. eius uentriculus coriandro farctus inueteratusq; percussis à serpente, & comitialibus potu auxiliatur. cremata in fictili podagricis confert, cinere ex aceto illito. sanguine perunctæ strumæ iuuantur. comitialibus etiam prodest.

Wisel. Iltis. Marder. B





Mustela nomen πολύσημον est, quæ πολυσημίας magni nominis uiros decepit. Plinius appellatione Mustelæ, & Galen. ictida complectitur. Nam quod Aristoteles scribit, ὅταν γαλὴ ὄφεσι μάχηται ἐπιθεῖσα πήγανον, hoc Plinius penè ad uerbum transtulit, cùm ait: Mustella cum serpentibus dimicatura, ruta ore gerit. & lib. 29. cap. 4. quas Aristoteles ictidas uocauit, has ipse quoq; Mustellas uocat. Ita enim scribit: Mustellarum duo genera, alterum syluestre. distant magnitudine. Græci uocant ictidas. Ex his locis iam satis liquet Mustellam esse Plinio generale nomen, & Latinis Mustellam dici animal, quod Græcis γαλῆ & ἰκτῖς dicitur. Mustellas uerò illas quas Græci Galas uocant, opinor à uulgo appellari Vuisellas, Herminas, seu Hermellas. Galli penè eodem nomine dicunt Herminas, Vuisellas autem fouinos appellant seu Martusellos, à quibus etiam Frettæ intra Galas ponuntur. Nam Frettæ sunt opinor illa animalia, quæ Galli Furones uocant, & Latini uiuerras. Pueri uiuerris utuntur ad extrahendas de parietum nidis auiculas. Immittuntur & in caua arborum, & inde auiculas unguibus referunt. Prætereà in uenatione cuniculorum utitur Viuerris, ut Plinius refert, qui ita scribit: Magna propter uenatum eorum Viuerris gratia est, immittunt eas in specus, qui sunt multiformes in terra. Vnde & nomen animali, scilicet cuniculo. Galæ igitur genus esse constat. Vuisellæ, Hermellæ, & Viuerræ Galorum species, sed Vuisellæ sunt domesticæ Galæ, Hermellæ uerò & uiuerræ syluestres. Cæterùm ictidum duo genera sunt: alterum Galli pariter Germanis uocant Mardram, alterum genus Germani Iltis dicunt, uoce ni fallor à Græco nomine deriuata, Ictis, conuerso c. in l. fit Iltis, & Galli hoc genus uulgari lingua uocant ung putois, quòd uidelicet hoc animal puteat. Quòd uerò Mustellæ nomen tam latè pateat, ex etymologia uocabuli accidisse puto. Nam apparet Mustellam esse nomen cõpositum ex nomine μῦς, id est, mus, & σέλλω. inde ἐπισέλλω, id est, surripio, ut dicatur mustella, quasi murium fur, seu raptor. Germanicè, ein Meußdieb. Mustella quoq; uocatur auis quæ mures uenatur, & mustella piscis est, quem Græcè γαλεὸν, uulgo Lampetram & Lampredam corruptè uocant, quia perimde, atq; gulæ serpentes persequitur, ita & galeus piscis uenenatum piscem Pastinacam dictum persequitur, Et

Carolus Figulus. Hermellæ.

A quidam recentiores uiri, citra controuersiam doctissimi, mustellam pro fele usurparunt, inter quos est Marcellus Virgilius, Dioscoridis interpres & commentator, is enim scribens in caput præsens, satis indicat se per Mustellam domesticam, intelligere feles seu cattos, cùm totum hoc caput non πρὸς τῆς ἀέλυρου, ἀλλὰ πρὸς τὴν γαλῆς, intelligi debeat. Quòd autem Virgilius Marcellus Mustellam & felem promiscuè usurpauit, indicio esse poterunt ipsius annotationes in caput de lychnide. Nam inibi multa narrat de felibus, & postea addit se de felibus copiosius scripsisse in hoc secundo uolumine, præsenti capite, ubi de Mustellis agitur. Idem in capite de Ruta uertit, ut debuit, ἀιλούρους, feles. At Aristoteles ait, Aeluros & galas esse diuersi generis animãtia. hic uerò tam fœdus error ex eo manauit, quòd plerique arbitrati fuerint γαλᾶς esse felem siue catos, & cùm legebant præsens caput in Dioscoride de domestica Mustella, imaginabantur esse felem siue catum. Et Erasmus multis in locis γαλὴν uertit felem, utpote in prouerbio: γαλὴ τραχηλοσία, id est, feles Tarteßia. Et in prouerbio: γαλῆς κροκωτὸν. Feli crocoton. Ipse tamen ingenuè fatetur, se dubitare an rectè uerterit. Verba Erasmi sunt hæc in prouerbio suprà citato. Porrò uox hæc γαλὴ, felemne significet an Mustellã, an quem uulgo cattum appellant, quoniam inter eruditos controuersum est, relinquo alijs iudicandũ. Hìc Erasmus uidetur innuere aliud esse felem, aliud esse Mustellam, & aliud esse cattũ, & sequitur fortasse hac in re Columellam, cui felis est bellua illa quam suprà diximus Fouinum appellari, mustellam autem fortasitan capit prò ictide. Nec dubium est, quin felis sit animal quod Græci ἀίλουρον, & quod uulgo ab æstu, catum nominant, &c. Sit igitur catum posthac, Galem & ictida esse mustellam, & elurum esse felem seu catum, uulgo ein Meuser/oder Katz.

Ranæ. Caput XXIIII.

CONtra omnium serpentium uenena pro antidoto sunt ranæ, si ex sale & oleo decoctæ edantur, iusq; earum itidem sorbeatur. contra inueteratos tendinum rigores pollent. illitus earum cinis, profluentis sanguinis impetus sistit. explendis alopecijs inanitatibus ex liquida pice illinitur. uiridium ranarum cruor auulsos genis pilos renasci prohibet, in uestigia euulsorum instillatus. decoctæ in aceto & aqua, dentium dolores collutione leniit.

Rana. Buso.



B NOMINA ET EXPLICATIO.

Ranarum plura genera: alia est rana quæ dicitur phrynos, hoc est rubeta: perniciosa item chersidros, cunctarum grandissima. Buffo quibusdam dicta, Germanis ein Krott & pogg. Apocynon quoque dicunt, quòd canum impetus cohibeat: aliud genus dictũ Calamites. Est & palustris rana, dicta elobatrachon Græcis. Germanis, ein Frosch. Gallis une raine, & une grenoille. Aristoteles, ranas omnes telmaticos dicit, aut lymnæos.

Hodie passim ex ranis palustribus oleum parant officinæ. Podagræ calenti admouerunt quidam, sed nullo fructu. Neq; enim frigiditas in eo magnà esse potest à ranarum capitibus, coquendo coctione tam longa, & ea in oleo sesamino, alteratis. Rectius meo iudicio ranæ uirides in syluis crebræ, unguibus reptantes in altissimas quasq; arbores, & sub noctem brexantes (uox enim earum unica est, brex) oleo uiolato, uel omphacino, ad hos usus incoquerentur. Quas manibus uiuas hodie ex more tenent ad refrigerium febre acuta aliqua ardentes. croisser Gallis. Germanis, Laubfrösch/dictas, quarum meminisse uidetur Galenus lib. 10. simpl.

Silurus. Caput XXV.



SIlurus recens in cibo nutrit, & facilem præbet aluum. sale uerò conditus, minimum suppeditat alimentum. arteriam expurgat, & uocem expedit. illita saliti caro, aculeos & infixa corpori spicula extrahit. muria eius incipientibus dysenterijs prodest, si in desidentium fotus adijciatur: fluxiones siquidem ad summa cutis elicit. ischiadicis infusa medetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Silurus pisces in fluminibus, priuatimq; in Nylo, thynnos, in mari præcipua magnitudine æquans. Hunc quidam Sturionem, Germanis, ein Stör, dictum esse putarunt, sed falsò. Silurus enim maleficus & dentatus est, cùm sturio neq; dentatus neq; maleficus sit. Plinius lib. 9. ait: Silurus grassatur ubicunq; est, omne animal appetens, equos innatantes sæpe demergens, præcipuè in Mæno Germaniæ amne prope Lisboum. in cibo aluũ mollit silurus è iure eodem Plinio autore lib. 32. Item cùm cæteri omnes mares suis fœminis sint præstantiores. Silurus fœmina præstat suo mari.

Smarides.

Smarides. Caput XXVI.

A

SMaridis piſcis caput exuſtum, excreſcentes ulcerum oras puluillosq; reprimit. nomas cohibet. thymos clauosq; abſumit. caro non ſecus atq; ſalſamentū prodeſt à ſcorpione percuſsis, aut à cane demorſis.

EXPLICATIO.

Vide annotationes noſtras ex Petro Gyllio, in cap. 27. proximè ſequens.

Mænæ. Caput XXVII.

MEenarum ex capitibus cinis ſi illinatur, calloſas ſedis rimas abolet. eius etiam garum oris putrilagines collutione ſedat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Mæna piſciculus, hyberno tempore candidus, æſtiuo cerulea uarietate pictus. Ligures Mænulum, Maſſilienſes Medolam uocant, neq; modò ſpeciei uerumetiam generis nomen eſſe ex eo conijcio, quòd uarium & multiplex eſt earum genus, aliæ in utroq; latere nigram maculam orbiculatam habent, quas ij qui Adriaticum ſinum accolunt, uulgo Mænas Selanas appellant: aliæ Leucomændes, hoc eſt, albæ Mænæ, à Græcis Smaridas uocant. Maſſilienſes, Gerres: Neopolitani Cerres, per c. quos Theodorus ſecutus Smarides cerros uidetur conuertiſſe, non Gerres. de quibus Martialis, ueluti utilibus piſcibus, ita ait:

Alec.



Fuiſſe Gerres, aut inutiles Mænas. Theodorus Mænidas, in Ariſtotele Mænas & Alece, & Mænidia, id eſt, Mænas paruulas Aleculas appellat, ut Alecula nomen generis ſit, hoc idem Latinè ſignificans, quod Græcè, ut Hermolaus putat, Anthracides, hoc eſt, piſces qui ſuccenſis carbonibus commodè coqui poſſint, cuiuſmodi ſunt Smarides & Mænæ: Equidem ipſe generatim piſciculos ignobiles ſignificari, ex Columellæ arbitror, qui Aleculas riuales piſciculos, ignobiles uocauit, atq; alios piſces ſale exeſos, Arencos nuncupatos, Thryſis ſimiles: itemq; ſunt Mænæ Boopes appellatæ, quas Græci adhuc rectè Boopas uocant. Ligures & Maſſilienſes, Bogas corruptè nominant.

Gobius. Caput XXVIII.

B

GObius recens in ſuillum uentrem coniectus, ſi conſuta rima in duodecim aquæ ſextarijs, donec duo ſuperſint, decoquatur, excolatus & ſub diuo refrigeratus, potui detur, aluus ſine moleſtia deſcitur: illitus contrà ſerpentium canumq; morſus auxilio eſt.

Gobiorum multiplex eſt genus: alij paluſtres, alij ſaxatiles, uulgo Goacæ uocati, quos Cothonas, ſicut Nicander inquit, Siculi appellant: quoſdam alios Gobioni ſaxatili propemodum ſimiles, Ariſtoteles Cortos nominat, quos adhuc nonnulli Coranos nuncupant.

Thunnus. Caput XXIX.

COnditanei thunni caro, quam omotarichon uocāt, ſumptā ijs auxiliatur, quos uipera, nomine preſter, momorderit. ſed oportet uinum quàmplurimum ſubinde cogantur haurire, ita ut uomitione reddatur. contra acrimonias eſitatorum maximè ualet. canum morſibus utiliſsimè illinitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Thynni pelamidum generis eſſe uidentur, nam ut Ariſtoteles lib. 6. de Hiſtoria animalium ait, Limarijs Thunni prouectiore ætate, anno eſſe putantur uno. Et Plinius lib. 9. Pelamides, inquit, cùm annuum exceſſere tempus, Thynni uocantur. quod falſum eſſe, nec ex Pelamidibus unquam fieri Thinnos, ſibi piſcatores Ligures & Maſſilienſes apertè oſtendiſſe ſcribit Petrus Gyllius, harum rerum peritiſſimus, quarum rationes in aliud tempus reijcit, lib. de Gallicis nominibus piſcium. Eſt item thynnorum generis, qui uocatur pompylus, hunc Maſſilienſes piſcatores haud ignorantes, corruptè Pampalum uocant.

Garum. Caput XXX.

GArum omne, quod ex piſcibus carnibusq; ſale maceratis liquamen eſt, ſi ex eo fotus fiat, depaſcentia ulcera ſiſtit. morſis à cane medetur. dyſentericis atque iſchiadicis infunditur: nonnullis, ut exulcerata adurat: alijs autem, ad laceſſenda quæ ulcera non ſenſerunt.

A NOMINA ET EXPLICATIO.

Quid ſit garus ſiue garũ, docet nos Plinius naturalis hiſtoriæ lib. 31. cap. 7. ubi inquit: Aliud etiam ũ liquoris exquiſiti genus eſt, quod garon uocauere, quæ inteſtinis piſcium cæteriſq; abijcienda eſſent, ſale maceratis, ut ſit illa putreſcentium ſanies. Hoc olim conficiebatur ex piſce, quem Græci garon uocabant, Nunc ſcombro piſce laudatiſſimum in finibus Carthaginis, Spartariæ & Cetarijs, ſociorum appellatur. Nec liquor ullus penè præter unguenta maiore in precio eſſe cœpit, nobilitatis etiam gentibus: fiebat etiam ex alijs piſcibus, ut plura apud Plinium loco iam citato. Sunt item qui coctorum piſcium ius garum uocant, & ita, ut in uetuſto quodam manuſcripto codice, ſed incerto autore, reperi, confici præcipitur. Confectio gari: Sume piſces minores ſalſos, aut ſi ſalſi non fuerint, ſaliuntur pauco ſale, & mitte ex illis ſextarium unum, & de bono uino ſextarios tres, & coque in æreo uaſe, uſq; dum duæ partes conſumantur, & tertia remaneat, tum cola per ſaccum uſq; ad claritatem, & refrigeratum mitte in uitream ampullam, & utere. Cæterum ex ſiluro piſce aliquando etiam fieri ſolitum, teſtatum reliquit Cælius Aurelianus medicus, Chronicorum, ſiue tardarũ paſſionum lib. 2. cap. 1. de paralyſi, cum ait; Garum quod appellamus liquamen ex piſce ſiluro confectum. Deinde quamuis liquaminis uocabulo garum intelligat Apicius, Latino tamen nomine aliquando caruiſſe teſtis eſt Auſonius in epiſtola ad Paulinum, his uerbis: Scis autem me ad nomen muriæ, quod in uſu uulgi eſt, nec ſolere, nec poſſe dicere, cùm ſcientiſſimi ueterum, & Græca uocabula faſtidientes, Latinum in gari appellatione non habeant, ſed quocunq; nomine loquar, liquor iſte ſociorum appellatur. Quod reliquum eſt, non modò ex piſcibus, & eorum extis, ſed ex animalibus ſalſis fiebat garum, liquor ſcilicet ex ſalſura eorum exudatus fluens, & aquæ modo ſupernatans, ut hoc loco Dioſcorides tradit. Differt autem ab Alece garum, quòd alex imperfecta nec colata fex eſt. Horatius: Quo fece primus & alex.

Gari confectio.

Halme. Differt item ab Halme, id eſt, muria: quòd garum ſanies inteſtinorum piſcium eſt: Halme uerò muries & ſalſugo piſcium inueteratorum, hoc eſt, ius ſalſum, in quo ſeruantur, Germanis Lac dictum. Meminit utriuſq; Martialis, muriæ quidem hoc diſticho:

Antipolitani, fateor, ſum filia Thynni,
Eſſem ſi Scombri, non tibi miſſa forem.

Gari uerò ſociorum hoc altero:

Expirantis adhuc Scombri de ſanguine primo
Accipe ſeroſum munera chara garum.

B

Ius piſcium. Caput XXXI.

REcentium piſcium ius, modò per ſe, modò ex uino potum, aluum ſubducit, priuatim ad hunc uſum conficitur è phycidibus & ſcorpionibus, & iulide, è percis, & recentibus alijs ſaxatilibus, nec uirus reſipientibus, ſimpliciter cum aqua, oleo & aneth̃o.

Zomos, id eſt, piſcium ius, conficitur apud Paulum lib. 7. ex his qui teſtacea cute integuntur. tellinis, hiatulis, & conchulis, ius quoq; ueteris galli (apud eundem) cum ſale diutiſſimè excocti, uentrem ſubducit. è contrario gallinæ ius comprimit.


Cimices lectularij. Caput XXXII.

CImices, qui in cubilibus enaſcuntur, cauis fabarum incluſi, ſi ante febrium ſignificationes ſepteni deuorentur, quartanis auxilio ſunt. & citra fabas ſumpti, percuſsis ab aſpide proſunt. uuluarum exanimationes olfactu reuocant. potui cum uino aut aceto, adhærentes ſanguiſugas abigunt. triti & urinariæ fiſtulæ impoſiti, urinæ anguſtias leuant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cimices Germanis Wantzen. Gallis à tetro odore, punaiſes dicuntur. fœdiſſimum animal, hoſtis nocturnus, nam in lectis quietem dormituris adimit, & putridum odorem ingenerat tangentibus eum. Etſi tamen fœdiſſimum animal ſit, non tamen ui medica caret, ut apud Plin. lib. 29. cap. 4. traditur.

Millepeda. Caput XXXIII.



MIllepedæ, quæ ſub aquario uaſe ſtabulantur, animalia ſunt multis pedibus nitentia, quæ contacta manu contrahuntur in orbem. hæ ex uino potæ difficili urinæ, & regio morbo auxiliantur. millepedas illini anginis cum melle utiliſsimum. tritæ, & in corticem mali punici

punici calfactæ, doloribus aurium, addito rosaceo, conuenienter instillantur. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Animalia quæ Græcis ὄνοι, & ἵππουροι, & πολύποδες, hoc est, asselli, & Latinis millepedæ ac multipeda, Germanis Esel, appellantur, satis nota sunt, ut quæ non solùm sub hydrijs & aquarijs uasis, uelut hic ait, nascuntur, sed ubiq; in locis humectis, uelut cellariorum parietibus & fenestris, pluuia aut tempestate materiis aliàs fusci & ad gryseum declinantes, Dioscorides etiam hoc loco κανθαροειδεῖς appellat, Galenus κανθάρους, id est, fabas à similitudine Asianas uocari dicit. Marcellus uerò Cutiones, ob cutis, ut uidetur, duritiam & soliditatem, cap. 8. & 9. nominat. Et Plinius 29. cap. ult. Millepeda, ab alijs centipeda aut multipeda dicta, animal est è uermibus terræ, pilosum, multis pedibus armatum, repens, tactuq; contrahens se, oniscum Græci uocant, alij tilon. Quare manifestarium incurrunt errorē, qui ὀνίσκους uermes terrenos esse credunt, quòd hi in Italia Niscli, quasi corrupta ex Græca uoce, uulgo appellantur, quum uermes terreni longè alia animalia sint, &c. de his plura infrà cap. 59. Oniscꝰ.

Blatta pistrinaria. Caput XXXIIII.



BLattæ eius quæ in pistrinis inuenitur, interanea trita aut cũ oleo decocta, aurium dolores instillatu mitigant.

Plin. lib. 29. cap. ult. blattarũ tria genera facit, his uerbis: Hoc quoq; animal inter pudẽda est, inquit, sed propter admirationem naturæ, priscorumq; curæ, totum in hoc loco explicandum. Plura earum genera ferunt. Molles quas in oleo decoctas, nerucis efficaciter illini experti sunt. Alterum genus Mylocion appellauere, circa molas ferè nascens. Has capite detracto attritas, lepras sanasse, Musa & Picton in exemplis reliquerunt. Tertium genus & odoris tædio inuisum, exacuta clune, cum piscaleo sanare ulcera aliàs insanabilia, &c. Germani, Grillen & Heymchen, appellant.

Pulmones. Caput XXXV.



POdagras pernionesq; emendat pulmo marinus recens tritus & illitus. Suillus & agninus ursinusq; pulmo impositu, attritus à calceamentis contractos, ab inflammatione tuetur. B Vulpinus uerò si arefactus bibatur, suspiriosos adiuuat. adeps quoq; liquefactus, infususq;, auris dolorem finit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Pulmones marini sua sponte nascuntur, cùm natant, Cirros ex imo, more polypi, emittunt: quòd autem speciem quandam mulieris uuluæ repræsentant, tota iccirco Italia eos turpibus nominibus appellat, ut nulla ratione scriptis honestè mandari queant. Ligures nominant, Capellos marinos: Massilienses, Carneos pileos: cùm iacent omaso similes sunt: cùm eriguntur, pulmones uidentur: Adeò omnino lucidi & uitrei sunt, ut sine sectione interiora omnia uidere possis: ac quamuis fluctibus in littus expulsi, nullo negotio capiũtur: tamen cùm non sint esculenti, à prætereuntibus præclarè contemnuntur.

Pulmonem uulpis siccatum potumq; asthmaticis Galenus, phthisicis uerò ob eandem totius substantiæ similaritatem saluberrimum, omnes propè practici inculcant.

Genitale cerui. Caput XXXVI.



GEnitale cerui tritum & in uino potum, à uipera demorsis auxiliatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cerui genitale, Asininum iecur, ungula asini, lichenes equorum (Germanicè, Der Kamp) ungulæ caprarum, iecur caprinum, apri, canis rabiosi, uteres soleæ uetera mentariorum, nota omnia nulla explicatione opus habent.

Vngula asini. Cap. XXXVII.



VNgularum asini cinis per dies multos binis cochlearibus potus, proditur comitiales adiuuare. eædem oleo subactæ strumas discutiunt, & illitæ pernionibus medentur. Caprinarum cinere peruncta ex aceto alopeciæ sanantur.

A

Lichenes equorum. Caput XXXVIII.

κατ' ἐπίγυαφιν, non ἐπιγραφὴν.



LIchenes sunt in equorũ genibus, & * super ungulas in flexu hã rum partium indurati calli, qui triti & in aceto poti, comitialibus mederi traduntur.

Iocinera. Caput XXXIX.



ASini iecur inassatum esu comitialibus prodest. ueruntamen ieiunis edendum præcipitur. Capræ uerò inassati decidua sanie, inungi luscios prodest, & dũ coquitur, apertos oculos ha litu eius uaporari. prodest in cibo tostum ad eadem. Tradunt hirci ni iecinoris cibo comitiales deprehendi.

Aprinum recens si arefactum teratur, ex uino potum contra serpentium uolucrumq; morsus auxilio est. Iecur canis, qui rabie exagitatur, tostum & in cibo ab emorsis sumptum, ne tententur metu aquæ tueri creditur. Vtuntur autem ad arcendos aquæ pauores dente eo, qui caninus dicitur. hunc à cane qui momordit exemptum, & folliculo inditum, pro amuleto brachio adnectunt. Inueteratum autem salemergi iecur, ex hydromelite binis ligulis potum secundas pellit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Caput extorum iecur est, dextra in parte situm. Aegrè concoquitur, crassos generat humores, appetentiam tollit, lactentium tamen iocinera minus insalubria putantur, & adhuc minus gallinacea & anserina, amtumq; & porcina. Paulus lib. 1. *Paulus Aegineta: Cor & iecur crassi succi sunt, coctu difficilia, & tardè transmittuntur. Sed suillum iecur bonitate cæteris præstat. Celsus tamen libro secundo, omne iecur boni succi esse dicit.*

Iecur lupi in medicamentum ex eupatorio hepaticum sæpe indidi, nec multò efficacius ob id comperi. Hepaticos tamen ipsum tota substantia iuuare, sufficientem se habere experientiam scribit libro octauo compopharma. part. Gal. Puluerem quoq; ex eo in hydrope cum uino albo in dies aliquot manè potum, inter secreta quædam remedia reponunt nonnulli. Hepar tamen uulpis aridum ex oxymelite potum, splenicis imponit Archigenes apud Galenum lib. 9. compo. pharma. part. Hepati calidò sicco salubre existimo hepar raiæ, cithari, id est, rousſctæ, & hepati, id est, aquilæ maris, & si qua sunt alia in piscibus similia.

B

Coria ueteramentaria. Caput XL.

VEteris corij cremati illitus cinis ambusta igni, intertrigines, necnon calceamẽtorum attritus sanat.

Gallinæ. Caput XLI.

Gallus. Gallina. Caput.



DIssectæ gallinę, & adhuc calentes appositæ, serpentium morsibus auxiliantur. sed idem tidem alias sufficere oportet. Earum cerebellum in uino bibendum datur contra serpentium morsus. sanguinem à cerebri membrana profluentem sistit. Quæ interiore uentriculi galli sinu residet membrana, secti in laminas cornus specie similis (ea uerò inter coquendum abijci solet) siccatur, tritaq; in uino conuenientissimè stomachicis datur in potu. Ius è uetere gallinaceo aluum deijcit, abiectis itaq; interaneis salem conijci oportet, & consuto uentre decoqui in uiginti sextarijs aquæ, donec ad tres heminas redigantur. totum id refrigeratum sub diuo, datur. Aliqui incoquunt olus marinum, mercurialem, cnicum, aut filiculam. Crudos humores crassosq; atram bilem, & strigmenta elicit. prodest longis febribus, suspirijs, articularijs morbis, & inflationibus stomachi.

NOMINA ET EXPLICATIO. Varro

Varro Rei rusticæ libro 3. cap. 9. ait, è gallinarum generibus proprio nomine uocantur fœminæ, quæ sunt villaticæ Gallinæ, Germanicè, Hennen. Gallicè geline: mares Galli. Germa. uerò ein Han. Gallicè ung coq: capi semimares, quòd sunt castrati, German. ein Capaun, Gallicè ung chapou. Et Columella libro octauo, capite secundo ait: Cohortales fœminæ propriè appellantur gallinæ: mares autem galli: semimares capi, qui hoc nomine uocantur, cùm sint castrati, libidinis abolendæ causa, nec tamen id patiuntur amissis genitalibus, sed ferro candente calcaribus inustis, quæ cum ignea ui consumpta sunt, facta ulcera dum cõsanescant, figulina creta liniuntur. Capi caro laudabilis est, temperata, boni alimenti, & sanguinis generatiua. Horum testiculi nunquam improbantur, cùm aliorum animalium sint indigestibiles & cacochymi, digesti autem bene nutrientes. Gallorum autem optimi, præsertim saginatorum, qui & suaues sunt, & probum alimentum corpori præbent, autore Paulo Aegineta. A

Ouorum natura. Caput XLII.



OVum molliculum plus alit sorbili, & durum plus molli. Luteum oui, contra oculorum dolores utile est. inassatũ sedis inflammationibus prodest, cum croco & rosaceo: & condylomatis, cum meliloto. cum uua autem fruticis eius, quem rhoa dicunt, aut galla, in patinis frigitur, ut cibo aluos sistat, per se etiam offerri solet. Candidum oui crudum refrigerat. spiramenta cutis occludit. inflammationes oculorum infusum lenit. ambusta, si statim eo perungatur, pustulas non sentiunt. faciem à solis adustione tuetur. fronti impositum cum thure fluxiones arcet, auertitq; inflammationes oculorum lana exceptum, addito rosaceo, melle & uino, mitigat. utiliter contra hęmorrhoidis serpentis morsus crudum sorbetur. summè tepidum, prodest uesicæ rosionibus, renum exulcerationibus, gutturis scabritiæ, reiectionibus sanguinis, destillationibus, & thoracis rheumatismis.

EXPLICATIO.

Dum de ouis loquimur, gallinarum ouа potißimùm intelligimus, quæ gratioris saporis in communi ciborum usu sunt, & de quorum ad ganeam delectu sic præcipit Horatius: B

Longa quibus facies ouis erit, illa memento
Vt succi melioris, & ut magis alba rotundis
Ponere: namq; marem cohibent callosa uitellum.

Cibos quot modis iuuent, notum est. Nullus alius cibus, ait Plinius, qui in ægritudine plus alat, neq; oneret: simulq; uini usum & cibi habeat. Ouum durum, inquit Celsius, ualentißimæ materiæ est: molle uerò uel sorbile, imbecillißimæ.

Et Dioscorides quoq; hoc loco molle magis nutrire quàm sorbile testatur, & molli rursum quod durum est. Sed de ouis quid sentiat Paulus, uide lib. 1. Seruari ouа in tomento, aut hyeme in paleis, æstate in furfuribus utilißimum tradit Plinius. Sale exinaniri creduntur. Et inter alios custodiendi modos dicit Columella nonnullos solida, multos etiam fresa faba coaggerare. Germani ouum ein Ey. Galli ung ocuf, appellant.

Cicadæ. Caput XLIII.

CIcadæ quæ inassatæ manduntur, uesicæ doloribus prosunt.

Cicadæ nostræ Germaniæ peregrina ac incognita animalia, hæ unæ omnino in animalium genere ore carent. prolixum quiddam compactum, in diuisumq; gerunt, simile ei quod linguæ speciem refert, in ijs quibus aculeus in ore, eoq; ipso rorem hauriunt, alimentum unum & peculiare. Excrementum cicadis nullum in aluo reperitur. Plura earum sunt genera, quæ magnitudinis modo differunt, ut Aristoteles lib. de historia animalium copiosius tradit. Cordus ait in Italia reperiri in ficuum arboribus.

Locustæ. Caput XLIIII.



LOcustæ odoris suffitu urinæ difficultates adiuuant. præsertim quæ fœminas malè habent. earum carnes nullo sunt in usu. Est & quoddam genus locustæ, quæ asiracos aut onos dicitur, sine pennis, prælongis cruribus. exiccata autem si ex uino bibatur, contra scorpionis morsus magnoperè proderit, hac abundè uescuntur Aphri, qui Leptin incolunt.

A *Locustæ Germanis, Hewschrecken. Gallis saulterelles dicuntur.*

Locusta est insecti generis, uolucre animal. Italis uulgo Caballeta dicta, quæ pedes ultimos habet longissimos, & cætera.

Osifragus. Caput XLV.



VEnter eius auis quam Latini osifragum appellant, particulatim potus, calculos cum lotio pellere proditur.

Osifraga auis ex genere aquilarum, Germaniæ peregrina est, hanc quoque uim quam illi Dioscorides attribuit, nostri medici motacillæ adscribunt.

Galerita. Caput XLVI.

Alauda. 

GAlerita auicula est parua, apicem in uertice, pauonis modo, gestans. quæ assa in cibo sumpta, cœliacos adiuuat.

Galeritam alij alaudam, Germani uerò, Ein Waldlerch uocant, hæc auis Romanæ legioni nomen dedit: nam apud Romanos alauda dicta est. Galli galeam siue galeritam, alaudam uocant, quare milites galeati à Romanis dicti alaudæ. Itaq; cùm Cæsar ex Gallis conscriberet legionem, alaudam appellauit. Omnia uerò quæ hoc capite Dioscorides de alauda scribit, illud falsò attribuit Serapion Arabs upupæ.

Hirundines. Caput XLVII.



DIssectis crescente luna pullis hirundinis, qui primo partu excluſi sunt, in uentre eorum lapillos offendes: è quibus duos, unum colore uarium, alterum purum eximes. ij priusquã terram attigerint, in iuuẽcæ corio, aut ceruina pelle brachio aut collo adalligati, comitialibus proderunt, & sæpe prorsus eos recreabunt. Hirundines, uti ficedulæ, in cibo, acici uisus medicamentum præbent. tam pullorum quàm matrum in fictili olla crematarum cinis cũ melle oblitus, oculis claritatem adfert. anginæ eo commodè perunguntur. uuæ & tonsillarum inflammationibus hoc cinere succurritur. & ipsę & pulli exiccati, si drachmæ pondere ex aqua bibantur, hos iuuant qui anginæ morbo conflictantur.

B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cinis recens hirundinum in diabesa sa recipitur. Pulli hirundinum cum primis in fictili super prunas usti, diachelidonium stomachicũ ad Anginas Andromacho faciunt, apud Galenum. Hirundinum stercus acre, & digerens, ut aliorum animalium magis, minus.

Aristoteles ait in Samo albam nasci Hirundinem, cuius oculos si quis pupugerit, statim quidem excæcatur, pòst uerò uisum recipit, & sicut ille dicit, sic acutè quemadmodum à principio uidet.

Cinis pullorum hirundinum medetur anginæ, ut hoc loco Dioscorides testatur, & Celsus lib. 4. scriptum reliquit. Hirundinis cerebrum ex melle illitum ad suffusiones facit.

Hirundo Germanis, ein Schwalb/ dicitur.

Ebur. Caput XLVIII.



EBoris scobe illito paronychia sanantur. Vim adstringẽdi ebur obtinet.

Ebur tota substantia cor roborare, & conceptum iuuare, practicis scribitur. frigidũ siccum primo gradu. Germanis, Helffantbeyn.

Suillus talus. Cap. XLIX.



SVis talus comburitur, dum è nigro albescat. qui tritus & potus inflationibus coli, longisq; torminibus medetur.

Ceruinum cornu. Caput L.

Ceruini



CEruini cornus cinis elotus, binis ligulis A
cepotus prodest dysentericis, excreantibus sanguinem, cœliacis, regio morbo, & uesicæ doloribus cũ tragacantha. fœminis fluxione uuluæ laborantibus, cum liquore huic rei ac commodato. Cerui cornu contusum, crudo fictili lutò circumlitò, & in furnum indito: uritur donec albescat. id cadmiæ modo elotum, ulceribus oculorum & defluxionibus salutare est, infrictum dentes expurgat. crudi cornus suffiti nidore serpentes fugan tur. feruefactum in aceto, si eo gingiuæ colluantur, maxillarum à dentitione dolorem adimit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cornibus cerui & capræ ustis, & (si opus est) lotis utimur ad dentium candorem, gingiuas mollitie fluidas, dysenteriam, fluxiones in oculos, oculorum ulcera, quia tergent sine rosione: tamen nec dolorem lenium, nec coquunt, quia frigida sicca.

Ceruinum cornu, Germanis Hirtzhorn. Gallis corne de cerf.

Eruca. Caput LI.

ERucis quæ in oleribus gignuntur, cum oleo peruncti, à uenenatis bestijs feriri negantur.

EXPLICATIO.

Erucæ uermes sunt frõdes arborum erodentes, quare ab erodendo erucæ dictæ uolunt: aliqui Græcorum erucam Chryselidem uocant. Germani ein Raup/ & Holtzwurm.

Cantharides. Caput LII.



EFrumentis cõgestæ cantharides ad recondendum idoneæ sunt. quæ fictili uase non picato conduntur, & raro linteo obligato ore, & deorsum conuerso suspenduntur super aceti feruentis quàm acerrimi halitum, donec æstu exanimentur, postea lino transfixæ reponuntur. Potentissimæ omnes uariæ, luteis lineis, quas in pennis transuersas habent, promissoq; corpore crassæ, ac blattarum modo perpingues. sed inertes ac imbecillæ, quæ unius sunt coloris. B

EXPLICATIO.

Totis utitur Galenus ad psoras, lepras. Hippocrates caput & pedes aufert, lib. de fœminarum morbis. Hæ uesicam ulcerant solæ, ureticis autem salubriter miscentur.

Bupreſtes, & pinorum erucæ. Caput LIII.



SImili modo reconduntur bupreſtes, genera quædam cantharidum, & pinorum erucæ, quæ supra cribrum suspensum feruenti cinere paulisper intostæ, reponuntur. uis omnium communis erodere, ulcerare, calorem elicere. qua de causa admiscentur medicamentis, quæ lepras, ferasq; lichenas & carcinomata sanant. menses ciunt pessis emollientibus additæ. Aliqui cantharidas antidotis impositas, aquæ subter cutem auxiliari prodiderunt: argumento, quòd urinam moueant. Alij pennas pedesq; contra potarum uenenorum remedio esse tradiderunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Bupreſtes uulgò ein Knöllster/ quòd boues rumpantur hoc animante, sic dictæ. Pini erucæ, Die würm von Fichten/ appellatæ, non ut cæteræ, pini frondes, sed ipsum lignum sub cortice erodunt. Luscinijs gratissimus cibus.

Salamandra

A Salamandra. Caput LIIII.



SAlamandra lacertæ genus est, iners, uarium, quod frustra creditum est ignibus nouri. Vim habet erodentem, calfactoriam, exulcerantem. additur, ut cantharis, in medicamenta, quorum uis est exesse, & lepras abolere, similiq; modo reconditur. liquefacta * in oleo pilos euellit, exenterata, detractis pedibus & capite in melle seruatur ad eundem usum.

* Alij, crematæ cinis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Salamandra non continuò, nec semper in igne uiuit, ut hoc loco Dioscorides quoq; testatur, sed aliquantulum in eo durare potest, nec est adeò ignotum animans: Imò illud, quod Germanicè ein Olm, uel Moll, cuius picturam damus, appellatur. Et falsum est ex eius pilis, quos nullos habet, inextinguibilem telam fieri. Nam huiusmodi materia est uel ex Amiantho lapide, uel ex quodam apud Plinium lini genere, si non & id Amiantho lapidi idem fuerit.

Araneus. Caput LV.



ARaneus, quem holcum, alij lycon, id est, lupum uocant, subactus cum splenio, & linteo illitus, prolatusq; utrisq; temporibus aut fronti, tertianos circuitus persanat. tela eius imposita sanguinem sistit. uulnera quę summam cutem occuparunt, ab inflammationis iniuria uindicat. Est & alterum aranei genus, qui candidam, tenuem, densamq; telam orditur, quem in aluta ligatum, & lacerto appensum, quartanis circuitibus mederi narrant. decoctus ex rosaceo & infusus, aurium doloribus auxiliatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

B *Græcè*, Ἀράχνη. *Latinè*, *Araneus*. *Germanicè*, ein Spinn.
Araneorum plura genera uide apud Hermolaum Barbarum, in Coroll.

Lacerta. Caput LVI.



LAcertæ caput intritum & appositum, aculeos & omnia corpori infixa extrahit. uaros *, formicantes uerrucas, & pensiles, quas acrochordonas uocãt, tollit. ie cur exesis dentibus cõiectum dolores finit. si diuulsa admoueatur, ictis à scorpione leuamentum præstat.

* Alij, clauos.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lacertum & lacerta, utroq; genere dicitur. Iuuamenta eius lege apud Plinium lib. 8. cap. 39. Græcè σαῦρα. Germanicè, ein Eydechs, dicitur. Quanquàm est & genus herbæ Saura Plutoni sacra, de qua in Nicandro.

Seps. Caput LVII.



SEps, quam aliqui lacertam chalcidicam uocarunt, in uino porra morsus suos sanat.

EXPLICATIO.

Seps ideo etiam Chalcis appellatur, quòd à quibusdam lineis, æris speciem, similitudinemq; gerentibus, eius dorsum distinguatur. Itemq; ad octo palmorum longitudinem accedit, tum in Syria, & Libya, & Cypro nascitur, in saxis domesticam sedem solet habere.

Scincus. Caput LVIII.

SCincus aut Aegypti, aut Indiæ, aut rubri maris alumnus, quamuis inueniatur in Lydia Mauritaniæ. Est autem terrestris crocodilus sui generis. Sale inueteratus cum nasturtio. aiunt carnes, quæ renes amplectãtur, id sibi uirium uendicasse, ut si drachmæ pondere bibantur, uenerem accẽdant. uerùm decocto lentis cum melle

ant

aut semine lactucæ cum aqua poto, ueneris cupiditates inhibentur. additur in antidota. A

Scincus, siue Crocodilus terrestris.



Stinci Officinarum.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Recens scincorum, crocodilorum terrestrium, tanquàm pudendum ad uenerem intendentes quidam bibunt: alij sumen quoque & caudam assumunt: unde compositio est Actuario diascincu. Officinæ corruptè stincum marinum uocant, & aliud genus lacertæ ostendunt in paludibus & cœno uiuens, à uero crocodilo longè diuersum.

Terreni uermes. Caput LIX. B

Terreni uermes impositi, præcisos neruos glutinant, tertianas discutiunt: decocti cum anserino adipe, infusi, affectis auribus medentur. cum oleo autem decocti, si in contrariam aurem instillentur, dentium doloribus præstant auxilium. triti in potu ex passo urinam ciunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

τῆς ἐντερας, hoc est, intestina terræ, Græcis. Plinio autem & Latinis uermes terreni. Germanis Regen würm dicuntur. similes sunt lumbricis, qui aluo & intestinis innascuntur, ἕλμινθες στρογγύλαι, id est, rotundi Græcis appellati, quare permiserunt sibi etiam uermes terrenos lumbricos appellare, magno errore si quis in rei medicæ usu, pro uerme terreno lumbricum ex aluo humano adsumat, quum uermes terreni exigendis ex aluo lumbricis, in potu ab Aëtio præbeantur.

Mus araneus. Caput LX.

Mvs araneus dissectus & impositus, sui morsus ueneficia luit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Mus araneus, qui Germanicè Ein Spitzmauß dicitur, si in orbitam inciderit, tanquam uinculis capitur, ac moritur: ei qui ab eo sit morsus remedio est, ut Dioscorides tradit, terra ex orbitarum transitu sumpta, eáq; simul ut uulnus aspersum sit, statim sanatur.

Mures. Caput LXI.





Mvres, qui in domibus oberrant, concisos scorpionum plagis utilissimè imponi, in confesso est. si inassatos infantes ederint, oris saliuam exiccari promittunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

A *Plura esse murium genera liquet, ut Pontici, alpini, herinacei pungentibus pilis. Omnium autem naturæ murium Aristot. sexto naturæ animalium meminit his: Murium mirabilis est præter cætera animalia, cium numero, tum celeritate. Iam enim fœmina prægnante in uase milliario aliquando occupata, paulò pòst reserato uase, musculi numero uiginti & centum reperti sunt. Hæc ille, & multa id genus: qui plura uolet, locum habet quem adeat.*

Murium capitum caudarumq; cinere ex melle inunctis, claritatẽ uisus restitui dicunt, multoq; magis gliris aut muris syluestris cinere.

Lac. Caput LXII.



LAc generatim omne boni succi est. corpus alit. aluũ emollit. stomachum & intestina inflatione uexat. uernum tamen dilutius æstiuo habetur. & è uiridi pabulo aluum magis emollit. Probatur autem candidum, æquali crassitudine, quod ungui instillatum cogitur. aluũ minus tentat caprinum, quoniam pecus hoc adstringentibus pabulis, robore, lentisco, & oleaginis frondibus, & terebintho magna ex parte uescitur, inde stomacho accommodatissimum reddi solet. ouillum autem dulce, crassum, & prępingue, non usq; adeò utile stomacho. Bubulum tamen, asininum, & equinum, uentri magis idonea, sed ipsum turbant. Quibus in locis pecora scammoniam, ueratrum, clematidem, aut mercurialem pascuntur, lac omne uentrem & stomachum subuertit: quale in Iustinis montibus esse, à nobis proditum est. Siquidem capræ quibus candidum ueratrum pabulo fuerit, primo foliorum partu euomunt, & eorum lac haustum nauseam creat, & stomachum in uomitiones effundit. uentrem adstringit lac omne decoctũ, præcipueq; candentibus calculis marinis exustũ: & in summa, omnibus auxiliatur internis exulcerationibus, præsertim faucium, pulmonis, interaneorum, uesicæ & renum: foris

De hoc suprà lib. 1. cap. 9.

B uerò contra pruritum cutis, eruptiones papularum, & uitiatos corporis succos, recens cum melle crudo, addito sale, datur exigua aqua dilutũ. minus inflat quodcunq; semel feruefactum. decoctũ cum calculis marinis ad dimidias, ulcerosas uentris fluxiones adiuuat. Lac quodcunq; serum continet implicitum: quod ubi discessit, à lumus deiectionem moliri, ut melancholicis, comitialibus, lepris, elephantijs, & erupentibus toto corpore papulis. Ex omni lacte fit, quod schistum, id est, scissile, appellant. Lac autem fictili nouo feruet, ramoq; ficulneo recenti mouetur, insparsis, post quàm bis aut ter efferbuerit, totidem acetimulsi cyathis, quot sunt heminę lactis. ita enim serescens liquidum ab eo diuiditur, quod in caseum concreuit. sed cùm feruet, ne superfundatur, conueniet spongia ex frigida continuò fictilis labrum detergere, sextariumq; argenteum frigidæ aquæ plenum demittere. Bibitur heminis per intervalla singulis, usq; ad quinas, ita ut intercedentibus spacijs potantes ambulent. Lac autem recens efficax est contra rosiones ustionesq;, ab exitialibus medicamentis factas, uti à cantharidibus, aut salamãdra, bupreste, aut pinorum eruca, hyoscyamo, doryenio, aconito, aut ephemero: præsertim bubulum ad id eximiè confert. gargarizatur autem exulceratis faucibus, tonsillisq;. Asininum peculiariter collutos dentes gingiuasq; stabilit. fluxiones alui, si ulcera sentiantur, teneſmosq;, ouillum, bubulũ aut caprinum cum marinis lapillis decoctum, sistit per se autem & cum hordeaceo, ptisana aut halicaceo cremore infusum magnoperè intestinorum rosiones mitigat. exulceratæ uuluæ immittitur. Humanum lac dulcissimum est, & maximè alit. mammis autem exuctum, prodest tabi, & stomachi rosionibus. contra haustum leporem marinum præsidio est. oculis cruore ex ictu suffusis, cum thuris polline instillatur. podagricis utile est cum meconio & cerato illitum. Lac omne reſpuendum splenicis, hepaticis, comitialibus, uertiginosis, & neruorum uitio laborantibus, febriculosis, & capite dolentibus: nisi si quis interdum purgationis gratia, ut ostendimus, schistum præbeat. Primiparæ canis lacte peruncti os narrant glabrescere. potum contra uenena antidoti uicem obtinet. abortus mortuos expellit.

NOMINA

Lac lauat, terget sero emplasticum est butyro & caseo: ob hæc acres & mordaces fluxiones obtundit, recens utendum. A

Caseus. Caput LXIII.



CAseus recens sine sale sumptus alit. stomacho utilis est, & facilè in membra delegatur, corpus auget, aluum modicè emollit. alius tamen alio præstantior, pro natura lactis à quo cõficitur. decoctus autem & expressus, deinde inassatus, aluum sistit, illitus, oculorum inflammationibus & sugillatis prodest. Qui uerò recens salitus est, minus alimenti præbet, corpus aptè minuit, stomacho aduersatur, negotium uentri interaneisq; exhibet. uetustiore sistitur aluus. Sero quod à caseo manauit, quamoptimè canes aluntur. Quod hippacen uocant, caseus est equinus. ea uirus redolet, magnoperè alit, bubuloq; proportione respondet. Nec desunt qui hippacen, equinum coagulum appellarint.

Caseus recens refrigerat, repellit, siccat, uulnera etiam magna glutinat. Ex uetustate uerò acer, cùm per se decocto subactus, tophos eliquat & aperit.

Butyrum, & eius fuligo. Caput LXIIII.



E Lacte pinguissimo probatum fit butyrum, quale ouillum est. fit & ex caprino, agitato in uasis lacte, donec pingue separetur. Butyrum natura oleosum est & emolliens*: unde largius epotum, uentrem resoluit. prodest, ubi oleũ non adfuerit, contra uenena. cum melle si infricetur, dentitiones adiuuat. gingiuarum pruritus, & oris ulcera infantibus emẽdat. illitum foris capaciora alimentorum facit corpora, & ab albidis pustulis per summa scatentibus asserit. contra inflammationes & duritias uuluæ, quod nec uirus resipit. nec uetustatem sentit, butyrum efficax est. dysentericis, & coli ex ulcerationibus infunditur. in medicamenta addi solet quæ pus mouent, utile præsertim cùm nerui, aut cerebri membranæ, ueficæ ceruix, uulnera acceperint. id autẽ purgat, replet, carnem creat. ab aspide percussis utilissimè imponitur. recens obsonijs additum olei uicem pensat. & adipis uice fungitur in bellarijs. Colligendæ ex eo fuliginis ratio hæc est: Butyrum in lucernam nouam ingestum accenditur, fictiliq; operculato quod supernè in siphunculi speciem desinat, & infima parte cuniculos clibani modo habeat, crematur, & subinde aliud in absumpti locum suffici-
tur, dum coaceruetur fuliginis modus, quem facere institueris. penna pòst deradi-
tur ad usus. Eius effectus est in medicamentis oculorum, exiccare & adstringere. fluxiones cohibet, & ulcera celeriter ad cicatricem perducit. B

*Aliàs, lactis sui facultate præditum.

Butyrum Germanis Butter/ & Anckẽ. Gallis buyre. Hispanis manteca dicta, minimum terget, ut decoctum Glycyrhizæ: coquit item & digerit, bubonas, parotydes, oris phlegmonas in pueris & mulieribus, gingiuas puerorum cum dolore dentientium crebro illitu tenuat, quantum mel: idem lacti canino, & leporis cerebello tribuit Archigenes. Expuitionem Butyrum promouet (maximè cum melle aut Saccharo) in pleuritide & peripneumonia, quos affectus etiam coquit.

In unguentis potissimum fulignis usus est. Fumi par est, quæ parieti inhæret: quippe fuligmem fumum crassiorem condensatum uocamus, Germani Rüß.

Medicina lanarum. Caput LXV.

SVccidæ lanæ molles, è collo fœminibusq; laudatissimę habentur. Subueniunt in ter initia uulneribus, percussis, desquãmatis, liuidis, ossibus fractis, aceto, oleo aut uino imbutæ. siquidem facilè succos combibunt quibus immerguntur. & ob pecudum sordem, sic enim œsypum uocant, emolliũt. capitis, stomachi, aliarumq; partium doloribus, cum aceto & rosaceo efficaciter imponuntur. Crematarum lanarum cinis crustas obducit, excrescentias in carne cohibet, & ulcera ad cicatricem

A 

perducit. Mundæ autem & carptæ, in fictili crudo, cæterorũ more, uruntur. Nec secus fimbriati marinarum purpurarum flocculi cremari solent. Aliqui cum sordibus lanas carpunt, & melle irrigant, eodemq; modo urunt. Alij in fictili oris patuli, uerucula inter se distantia componunt, & concerptas carminatasq; lanas oleo ita suffusas, ut ne stillare quidẽ possint, assulis tedæ subiectis, & eisdem lanisq; permutatim interstratis, leuiter succendunt, & ustas tollunt. quòd si è teda pix, pinguitudóue ulla profluxit, collecta reconditur. Lauatur ad oculorum medicamenta. cinerem in labellis, aqua addita, manibus confricant, & considere patiuntur: idq; sæpius, mutantes aquam donec linguam adstringat, nec mordeat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Conferunt humano generi lanæ, tum ad tuendum corpus à frigore, tum ad sanitatem ualent, potissimum succidæ: quas ita describit Varro libro Rei rusticæ, cap. ult. Tonsuræ tempus inter æquinoctium ad uernũ & solstitium, cùm sudare inceperint oues, à quo sudore recens lana tonsa succida est appellata, Germanicè Schmutzig wollen/robe vngewaschen wollen/ *&c. Lanæ igitur huiusmodi plurima præstant remedia ex oleo uinoq; aut aceto, prout quæq; mulceri, moderari opus sit, & astringi laxariue.*

Lana succida & sordida contusis utilis ob œsypium: lota uerò est uice linamenti capiti: usta autẽ acris, calida sicca, tenuium partium.

Oesypum. Caput LXVI.

OEsypum uocant Græci, succidarum lanarum pinguitudinem, Cuius parandi ratio hæc est: Succidæ molles, radicula nõ curatæ, calida aqua lauantur, & quibuscunq; sordibus expressis, & in labellum oris ampli coniectis, aqua infunditur, magnoq; impetu ligula, uti respumet, agitatur, aut lignea rude ualidiusculè conteritur, quò largius sordida spuma colligi possit. deinde marina respergitur. & consi-
B dente pingui quod supernatabat, collectoq; in altero fictili uase, denuò aqua in labellum fusa agitatur. spuma iterum mari perfunditur, & demum eximitur. hoc tandem sæpe fieri solet, dum consumpta pinguitudine nihil prorsus spumæ extet, collectũ œsypum manibus emollitur, & si qua insedit spurcitia, confestim demitur: excluditq; sensim omni aqua, recentiq; affusa, manibus misceatur, donec admotum linguæ œsypum, astringat leuiter, nec mordeat, atq; pingue candidumq; spectetur, tum in fictili uase conditur. Verùm omnia feruido sole fiant. Nonnulli excolatum pingue frigida aqua eluunt, & manibus, non secus atq; ceratum mulieres, confricant: ita enim candidius redditur. Alij elotis lanis & sordibus quibuscunq; exemptis, ad lento igni in æneo uase ex aqua decoctis, pingue quod supernatat collectũ, aqua, ut diximus, lauant: colatumq; in fictilem patellam, quæ calidam aquam contineat, linteo operiunt, atq; soli mandant, donec candidum fiat, & satis crassum. Alij bidui spacio aquam effundunt, nouamq; adijciunt. Melius est leue, radicula non curatum, quod succidarum uirus oleat, & si manu in concha fricetur cum aqua frigida, albescat, nihil in se duri aut concreti habens, ueluti quod cerato aut adipe adulteratur. Oesypum excalfacit, explet ulcera, & emollit, præsertim sedis ac uuluæ, cum melilloto & butyro. in uellere appositum, menses & partus euocat. ulcera non aurium mòdò sanat, sed & genitalium cum anserino adipe. contra erosos angulos oculorum, scabiososq; genas quæ occalluerunt, & ciliorum defluuia, efficax est. In testa noua torretur, donec redactum in cinerem pinguitudinem amittat. Ex eo etiã fuligo colligitur, uti demonstrauimus, quæ in oculorum medicamenta commodè addi solet.

Oesypus est succidarum lanarum pinguetudo, ut Dioscorides præsenti capite docet: ὕσσωπος, & ὑσσωπον ὑγρὸν apud Paulum aliquoties legitur, unde opinor practicis consuetudo appellandi hyssopum humidũ, pro œsypum, uolentibus ab hyssopo herba separare: ὄισυπον autem Galeno cum Dioscoride semper dicitur.

Coagulum. Caput LXVII.

Leporis

LEporis coagulum tribus obolis ex uino,uenenatorum morsibus,cœliacis,dysentericis,& fœminis fluxione uuluæ laborantibus, ac reiectionibus à pectore,auxiliatur.sanguinem in grumos concretum discutit. post menstruas purgationes appositum uuluæ cum butyro, præstat mulieribus ut concipiant.potum uerò partus enecat,& à puerperio,pariendi spem adimit. Equi coagulum,quam hippacen aliqui uocant,priuatim cœliacis dysentericisq; conuenit. Hœdi, agni,hinnuli, capreæ laticornis, & dorci,apri,cerui,uituli,bubalicq; coagula similes naturas sortiuntur.contra aconiti potum in uino,& concretum lac in aceto,conuenienter assumuntur.Hinnuli priuatim triduo à purgationibus admotum, partus spem interpit.Vituli marini,castorei uires repræsentat.comitialibus,strangulatis uuluis,potu cõferre existimatur.Sed si sit uituli marini, hoc experimentum est: aqua inspergi tur,qua paulisper cum alterius animantis,tum præcipuè agni coagulum , maduerit.nam si erit syncerum,statim liquescit in aquam: sin minus, consimile permanet. Excipitur autem catulis,qui nondum natare possunt. in summa, coagulum omne dissipata cogit,& coacta dissoluit. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Coagulum omne,Germanis Rymm/lypp/& Käß lypp,appellatum, ex lactis in uentriculo primo corruptione acre,digerit,siccat. Lac aut sanguinem in uentriculo coagulatum dissoluit: leporinum omnium est præstantissimum. Qui igitur menses immodicos cum Practicis & Medicorum uulgo queat sistere, cùm calidum sit uitandum,ubi sanguine fluit,aut fluxurus est?

Adeps. Caput LXVIII.

ADeps anserinus aut gallinaceus recens & sine sale conditus , ad uuluæ uitia proficit.sale inueteratus,& qui temporis spacio acrimoniam cõcepit, uuluę inimicus est.Recens exemptis membranis in fictilem ollam demissus, quæ altero tã toperè capacior sit,quantus sit modus adipis,quem curare instituerís,obstructo diligenter uase,flagrantissimo soli exponitur,eliquescens inde humor in fictile alterum excolatur,donec adeps omnis absumatur,mox loco uehementer frigido recõditur,& ad usus digeritur. Alij fictile fulciunt super aquam calidam, aut tenuem & elanguidam prunam, quæ solis uicem penset. Est & alia curandi ratio : Exemptis membranis teritur, coniectusq; in ollam eliquatur , adiecto minuti salis momento, mox lineo colo transfusus reponitur. Vtiliter in medicamenta additur,quæ lassitudines & fatigationes leuant.Suillus adeps & ursinus hoc curantur modo : Recens, præpinguis,renibus potissimùm detractus,in largiore aqua cœlesti & quàm frigidissima,exemptis tunicis,diligentissimè manibus confricatur, & exprimendo fertus,in aquam demergitur,& subditis leuibus prunis spatha mouetur, eliquatusq; colo transfunditur in aquam: ubi uerò refrixit, & guttatim aquam omnem excludere primi,quò facilius fæculentum uirus pessum eat: postea in pilam spongia madefactam transfunditur: ubi coire cœpit,residens in imo sordes eximitur . tertiò citra aquam eliquatur,repurgatusq; fictili bene operculato,perquàm frigidis locis reponitur.Hircinum seuum,ouillum,ceruinumq; ita curato : Elotum ex his quod cunq; tunicis,ut in suilli mentione dictum est,exemptis,pilæ emolliendum tradito,ac manibus fricato,affusa paulatim aqua, donec ne amplius quidem cruentum uirus excernatur,aut pingue aliquod innatet,sed nitida spectetur. deinde in ollam fictilem conficito,& adiecta aqua ut supereminеat,leui pruna liquefacito,& moueto, atq; in aquam colato : cumq; refrixerit,iterum in loto fictili eliquato,& quæ antè diximus facito.tertiò sine aqua liquefactum,in perfusam liquore pilam colato, refrigeratũq; ut in suilli ratione diximus,recondito. Bubulum autem seuum, renibus maximè detractum,exemptis membranis,aqua marina ex alto petita eluendum est,mox in pila tundendum diligenter,affusa maris aqua: cùm uerò dissolutum fuerit,in fictilem ollam conficiendum,& marina aqua,quæ non minus dodrante supereminеat, proluendum:decoquendum donec omnis aboleatur odor,additis ad singulas seui Attici minas,quaternis Tyrrhenicæ ceræ drachmis: excolatumq;,detractis quę pes- B

A sum ierant sordibus, in nouo fictili reponendum, opertumq; soli interdiu credendum, ut ad candorem reducatur, & odoris uirus euanescat. Priuatim taurorum pinguedine sic curari debet: Renibus euulsum pingue profluente amnis aqua abluito, detractisq; tunicis, fictili nouo postquàm exiguum salem insperseris, liquefacito, deinde in nitentem aquam excolato, & ubi concrescere cœpit, manibus iterum confricando uehementer lauato, aqua sæpius infusa, refusaq; donec quamoptimè elotũ uideatur. rursus in olla cum pari modo uini odorati decoquito, & cùm iterum efferbuerit, dempto ab igni uase, ibidem finito pernoctare. postridie si grauiter adhuc oleat, noua olla repetitum, uino odorato perfundatur. eadem quę prius fiant, dum omne uirus euanescat. Colliquatur & sine sale, præsertim affectionum earum causa, quibus sal aduersari solet, sed ita paratum non magnoperè albescit. Eodem modo parandorum ac leonum* pinguia curari oportet. Taurinum autem & uitulinum pingue, necnon ceruinum, atq; etiam huius animalis medulla, odoramentis imbuitur hac ratione: Pingue quod odoratum reddi debet, demptis, quo diximus modo, membranis, elotum & uino quàm odoratissimo, nulla maris aqua diluto, feruefactum, pernoctare finitur: alterum id genus uinum eadem mensura infunditur, colliquatur, & exquisitè colatur, nouemq; eius heminis, iunci Arabici septem drachmæ adiiciuntur. Quòd si ipsum odoris fragrantioris fieri uoles, quadraginta floris eiusdem drachmæ, cum paribus palmæ, calami, & casiæ modis adduntur, & xylobalsami, aspalathi singulæ drachmæ, cinnamomi, cardamomi, & nardi, singulæ unciæ. omnia exactius tunduntur, & affuso uino odorato, in uase operto, quod supra carbones firmiter collocatum sit ter efferuescũt, & semoto ab igni uase inibi pernoctant. postridie uinum effunditur, aliudq; generis eiusdem adiicitur ter simili modo bene cõferuescat, deinde matutinis exempto adipe uinũ effundatur, & abluto uase, si quid imo subsidens hæsit, detergatur: postremò eliquatum pingue & excolatum, ad usus reconditur. Hoc autem modo odoramentis imbuitur, quod antea curatum est, uerùm antè dicta prius inspissari solent, quò facilius sibi odoramentorum uires adsciscãt. Itaq; assumens quod cunq; horum uoles, cum uino feruefacito, impositis unà myrti

B ramulis, serpyllo, cypero, item aspalatho plenius tuso. aliqui tamen ad hunc usum, uno duntaxat horum contenti sunt. cùm autem ter efferbuit, exemptũ leniter, & linteo colatum, aromatis, uti expositum est, imbuitur. Adipibus spissamenta sic fiunt (quemcunq; acceperis, oportet ut recens tundatur) Syncerus & sanguinis expers adeps, reliquas habens notas, quas sæpe retulimus, in ollam nouam demittitur, infuso uino albo, uetere, odorato, quod semipedis altitudinem superet. lento igni feruescat, dum uernaculus odor aboleatur. planeq; uinum redoleat. at ubi depositò uase refrixit, duæ adipis minæ in ollam mittuntur, & duo uini eiusdem sextarii, & semunis Loti, eius inquam, cuius è ligno ludicræ tibiæ factitantur, tusi minæ quatuor adiiciuntur, lento igni subinde miscendo decoquũtur, cumq; odoris uirus euanuerit, excolatusq; adeps refrixerit, una contusi aspalathi mina, cum amaracini floris minis quatuor, & uetere uino subigitur. nocte una hæc odorem rapiunt, combibũntue. postridie in fictilem ollam tricõgialem ea omnia cum adipe iniecta, additis sextariis tribus uini unà feruescunt, quousq; & uim & odorem spissamentorum adeps ipse contraxerit, qui eliquescens colatur, & reponitur. Quòd si maiorem odoris fragrantiam efflagites, drachmas octo quã pinguissimæ myrrhæ uino macerato, quod multos in annos asseruatum est, misceto. Gallinaceus anferinusq; sic odoribus imbui solent: Cuiusuis eorum percurati sextarii duo fictili olla excipiuntur. erysipetri, xylobalsami, palmæ elatæ, & calami planè contusi, singulorum sescuncia admiscetur. uini Lesbii ueteris cyathus unus adiicitur, ea ter efferuescunt prunis, mox uase sublato ab igne, die noctuq; refrigerantur. postridie liquata per linteum crassum, mundum, in uas excolantur. ubi uerò adeps coierit, concha excipitur, fictiliq; nouo dẽsius aperto perfrigidis locis reponitur. Hyberno tempore id instituere oportet, æstate siquidem pinguia non coguntur. Nec desunt qui Tyrrhenicæ ceræ momentum adiiciunt, quò facilius in unum corpus omnia coalescãt. Eadem ratione suillus adeps & ursinus, cæteriq; id genus, odoramentis imbuuntur. Verùm sampsuchi odorem adeps ipse repræsentabit hoc modo: Curati quamoptimè adipis, præsertim taurini, mina una, tempestiuiq; sampsuchi exquisitè confracti sesquimina mi-

scentur,

* Quidam addunt: suis agrestis, camelorum, equorum, & similia.

scentur, & inspersо largiore uino digeruntur in offas, quæ in uase cooperto nocte A
quiescunt. matutinis in fictili olla leuiusculo igni, affusa aqua, leuiter coquuntur, dumq; suum adeps odorem exuerit, defæcatus ac bene opertus, nocte tota permanet: postero die detersa sorde quæ pessum ierat, sampsuchi, ut dictum est, cotusi iterum sesquimina priori pastillo adiicitur, eodemq; modo in offas cogitur: aliis quę diximus peractis, decoquitur & colatur, & si qua fundo hæsit spurcitia, deraditur, & rigido loco reconditur. Si quis tamen incuratum adipem anserinum, gallinaceũ, aut uitulinum, à putredine tueri uelit, ita faciundum est: Quemuis adipem diligenter elotum & siccatum in umbra super cribrum, per lintea munda manibus uehementer exprimat, linoq; consutum umbroso in loco suspendat, & post multos dies noua charta inuolutum, frigido loco recondat. Pinguia autem indito melle uindicantur à putredinis uitio. uis omnium est excalfacere, mollire, rarefacere. Taurinus adeps, bubulus & uitulinus aliquantum adstringunt. earundem uiriũ compos leoninus, nam resistere eum aiunt iis, qui insidias moliũtur. ceruino, elephantinoq; perunctos, serpentes fugiunt. adstringentior est caprinus, qua ex causa decoctus cũ polenta, rhoe & caseo, dysentericis datur, & cũ ptisanæ succo infunditur, ius decocti phthisicis in sorbitionibus prodest. datur quoq; utiliter iis, qui cantharidum uenena hauserunt. hircinus, ut ualidissimè discutiat, podagricis auxiliatur, cum fimo capræ & croco impositus. huic proportione respondet ouillus. Suillus uerò contra uuluæ & sedis uitia idoneus est ambustis igni medetur. è sue uetustissimus quisq; sale conditus excalfacit, & emollit, elotus uino pleuriticis prodest. cinere aut calce exceptus inflammationibus, fistulis, ac tumoribus succurrit. asininum tradunt cicatrices corpori concolores reddere. anserinus gallinaceusq; conueniunt muliebribus malis, & ad labiorũ rimas, ad mangonizandam faciem, & contra aurium dolores. urſinũ constat raptos uitio alopeciæ capillos restituere, pernionibus subuenire. uulpinus medetur aurium doloribus. Fluuiatilium piscium pinguia perunctis oculis claritatem afferunt, si in sole liquescant, & melli admisceantur. uiperæ adeps contra oculorum hebetudines suffusionesq; efficax est, addita cedria, melle Attico, & pari oleo uetere. pilos alis euulsos perunctis radicibus recẽs & per se illitus obliterat, B atq; renasci non patitur.

Adeps seu pinguedo, Germanis Feyſt/fettigkeyt/& ſchmaltz. Gallis de la greſſe appellata, calefacit, humectat magis uel minus, pro uaria animalium natura. Leoninus calidiſs ſiccißimus, id est, minimum humidus, potentißimè omnium digerit, ob acrem multamq; caliditatem, & partium tenuitatem, ob id ſcirrhis et inueteratis tumoribus tantùm aptus. Pardinus ei proximus, pardino urſinus, taurinus urſino uicinus, ſed tãto quàm ſuillus calidior ſiccior, quanto minus leonino est calidius ſiccius: ab utroq; enim ex æquo diſtat, in amborum medio conſtitutus.

Suillus autem omnium propè humidißimus. Caprinus, præcipuè hircinus, craßior taurino, ob id celerrimè conreſcit.

Inter taurinum & ſuillum fuerint uulpinus alopecias ſanans, caninus, melinus, felinus, cuniculinus, equinus, ſuccinus, camelinus, uitulinus.

Anſerinus maximè tenuium partium, ob id in uolucrum genere præſtat ad ſcirrhi curationem: Gallinaceus illi proximus. Adeps humanus omnium est temperatißimus. Iidem uetuſtate calidiores & ſicciores euadunt ut oleum, mel, uinum.

Reponitur aũt incuratus, lotus, ſiccatus in umbra, uel exemptis pelliculis fuſus ſole uel igni in uaſe duplici. Adeps cerui nullo medicamentorum mollientium est inferior.

Medulla. Caput LXIX.

LAudatiſsima est ceruina, mox uitulina, post hanc taurina, dein caprina, & ouilla. Colliguntur æstatis exitu, cùm appetit autumnus: quippe cum aliis anni temporibus concrementum sanguinis, & ueluti caro friabilis, in ossibus inueniatur. nec facilè cognosci potest, ni quis eam ossibus extrahat & recondat. Omnes medullæ molliunt, calfaciunt, rarefaciunt, ulcera explent. ceruina perunctos uenenata fugiunt. Curantur recentes, adipis modo, aquæ respersu subactæ, selectisq; ossibus tantisper elotæ, & in linteum expressæ, donec aqua syncera emanet: & detersa sorde pinna, si qua innatet, liquatæ in duplicato uase in pilam exprimuntur, & ubi coierẽ, omni fece, quę ad ima sidit, derasa, fictili nouo reponũtur. quòd si libet incuratas

A reponere, facito omnia quæ de anserum & gallinarum adipe demonstrauimus.

Medulla Germanis Marck. Gallis de la moelle dicitur: calfacit, rarefacit, emollit scirrhos quarumuis partium, præcipuè ceruina, & post hanc uitulina. Taurina, hircina acrior & siccior est. Loco fœco & edito septentrionem spectanti reponitur, cum foliis lauri siccis, ne putrescant, aut situm ducant: quæ iniuria in locis humidis meridiem spectantibus eis accidit: sunt qui reponant bifariam adipum modo.

Fel. Caput LXX.

FEl omne curatur hoc modo: Recens præligato ore folliculi lino tandiu demissum in feruentem aquam, dum quis spacium trium stadiorum percurraret, mox exemptum siccatur umbroso loco, aspergine non redolente. Sed quod ad oculorum medicamenta adhiberi solet, ligatum lino in uitreum uas, quod mel habeat, immittitur. circunuoluto ad os uasis lini principio, & aperto uase reconditur: est enim uis omnium acris & excalfaciens. Intensis tamen & remissis uiribus differunt. siquidem præstantius in effectu esse uidetur uel marini scorpionis, & piscis qui callionymus appellatur, marinæ testudinis, hyænæq;, item perdicis, aquilæ, gallinç candidę, & syluestris capræ, quod priuatim prodest contra suffusiones incipientes, & oculorum caligines, argemas, & genarum scabritias, ouillo, suillo, hircino, atq; ursino, taurinum multò efficacius. Felle omni perfacilem, præsertim infantibus, deiectionem quis mollietur, si intinctum eo tomentum aut fimbriam sedi subiiciat. priuatim taurino angi næ cum melle perunguntur. sedis ulcera sanat, & ad cicatricem usq; perducit. idem auribus fractis & purulẽtis cum muliebri lacte aut caprino instillatum medetur. & sibilo earundem ex porri succo admisceri insuevit, uulneratis emplastris & circũlinitionibus, quæ contra uenenata parantur. phagedænicis ulceribus, colis & scroti doloribus, ex melle prodest, lepras, furfures cum nitro & terra cimolia quàm optimè purgat. ouillum & ursinum contra eadẽ pollent, uerùm inefficacius hæc præstant. ursinum eclegmate comitiales adiuuat. fel testudinum anginis, & in ore infantium nomis, prodest. naribus inditum comitiales erigit. sylvestrium caprarum felle peculiariter peruncti luscitosi sanantur. hircinum idem obit munus. thymia abolet, & luxuriantes elephanticorum extuberationes illitu reprimit. suillum autem contra aurium ulcera, reliquaq; omnia, magno usu assumitur.

B

Felle animalium, ob acrimoniã & calorem, solo uix utimur, præterquàm ad aperiendas hæmorrhoidas; sed collyrijs, trochiscis, alijsq; remedijs miscemus.

Lib. Tobiæ. *Fella piscium oculis sunt tutiora, ut eorundem hepata ficco hepati salubriora.*

Sanguis. Caput LXXI.



SAnguis anseris, anatis & hœdi, utilissimè in antidota miscentur. Palumbi autem, turturis & columbæ, necnon perdicis, oculis cruore suffusis, & recẽtibus eorum uulneribus, luscitosisq; illinuntur. peculiariter columbę sanguis, cruorem membranis cerebri erumpentem inhibet. Hirci, caprę, cerui & leporis sanguis inanitus sartagine, dysenterias & cœliacorum profluuia sistit. in uino potus contra toxica efficax est. Leporinus sanguis ita ut tepet illitus, uitia cutis in facie, lentigines q; emaculat. Caninus commodè ab his bibitur, quos efferata in rabiem bestia momorderit: contra epotum toxicum auxilio est. Testudinis terrestris sanguinem epotum tradunt prodesse comitialibus. marinæ autem testudinis cum uino & leporis coagulo cuminoq; contra serpentium morsus, & hausta rubetæ uenena, conuenienter bibitur. Taurinus cum polenta illitus, duritias discutit, emollitq;. Sanguis equarum* quæ admissuram expertæ sunt, in medicamenta additur quæ erodunt, septica uocant, Sanguine chamæleonis genarum palpebras euelli creditum est. Hoc enim uiridium ranarum sanguine præstatur. Menstruæ sanguis fœminarum, circunlitu conceptum inhibere existimatur: aut si omnino mulier menstrua supergrediatur. Leuat podagræ dolores, & ignem sacrum illitus.

* Alij, equorum admissariorum.

Sanguis hirci quadrimi, bene habiti, aliquandiu nutriti uino albo, fœniculo, seseli, lauro, & cæteris, calcum

tum frangentibus, Augusto mense iugulati, medius effluens (nam primus tenuior, postremus crassior putatur) uase uitreo receptus, tectus linteo raro, sole siccatus, etiam cum myrrha, foliis lauri, & similibus, calculum potenter frangere dicitur Tralliano, Auicennæ, & cæteris practicis. Huic quandiu ab animali calet coquendi absessus uim tantùm tribuit Galen. lib. 10. simp. qualem caprino, taurino, & cæteris calidis humidis modicè. A

Quòd si hircinus sanguis adamantem frangit, sed calidus tantùm ab animali: sic lapidem calidus tantùm potus fregerit. Quod & sanguinem uulpinum ex uena secta potum præstare audio. Ne autem coaguletur, Xenocratis exemplo, miscere possis acetum feruefactum, aut coagulum.

Hirci quoq; capri, cerui, leporis, sanguinem sartagine frixum, dysentericorum & cœliacorum profluuiũ sistere tantùm hoc capite docet Dioscorides, non addit calculum frangere, quæ uis tenuibus conuenit, cum illorum animalium sanguis substantia crassa & terrea, & cum calore siccatorio, dysenterias sanet.

Sanguis ex secta uena sinistra profluens lieni affecto infricatur Archigeni, lib. 9. comp. phar. part.

Antidotum de sanguinibus quomodo parari debeat, uide apud Manardum.

Fimum. Caput LXXII.

ARmentariæ bouis fimum si recens admoueatur, uulnerum inflammationes mitigat, foliis autem inuoluitur, & calfactum cinere feruenti superponitur coxendicis cruciatus fotu compescit. illitum ex aceto duritias, panos & strumas discutit. priuatim suffitu fimi, quod à masculo boue redditum est, procidentes uuluæ reprimuntur, accensi nidore culices abiguntur. Fimum caprarum, præsertim in mõtibus degentium, potum in uino, regium morbum emendat. menses cit cum odoramentis hausturn. & partus euocat. tritum in farinam, & impositum lanis cum thure, fœminarum profluuia sistit. cæterosq; sanguinis impetus ex aceto cohibet. mederatur alopecijs exustum, & cum aceto aut oxymelite illitum. cum axungia uerò impositum, his qui podagra tentantur, auxilio est. Caprillum in aceto decoctum imponitur serpentium morsibus, ulceribus quæ serpunt, igni sacro, & parotidibus. Vtilem ischiadici ustionem hunc in modum accipiunt: In eo interstitio ubi pollex brachia li committitur, caua ueluti lacuna subsidet, in qua lana oleo imbuta substernitur, de B inde sigillatim feruentes stercoris caprini pilulæ imponuntur, dum uapor per brachium ad coxam sentiatur peruenire. & coxendicis dolorem mitigare. adustio id genus Arabica appellatur. Quillum illitum sanat epinyctidas, clauos, pensiles uerrucas, thymos, & ambusta ex aceto igni, rosaceo cerato exceptum. Fimum suis syluestris aridum, in aqua aut uino potum, reiectiones sanguinis sistit. uetustũ lateris dolorem mulcet. ad rupta & conuulsa ex aceto bibitur. luxatis cum cerato rosaceo medetur. Tam asinorum quàm equorum fimum siue crudum siue crematũ, addito aceto, sanguinis eruptiones cohibet. armentarij, qui herba pascitur, siccum fimum liquatum in uino, mox potum, contra scorpionum ictus magnoperè auxiliatur. Columbinum uehementiùs & excalfacit & urit. cum hordeacea farina mixtum strumas ex aceto discutit. carbunculos emarginat, tritum cum melle, lini semine & oleo. ambustis igni medetur. Gallinaceum uerò omnia eadem, sed efficacius præstat. priuatim tamen contra uenena fungorum, & coli cruciatus ex aceto aut uino bibitur. Ciconiæ fimum, si ex aqua hauriatur, comitialibus prodesse credunt. Vulturini fimi nidore partus excuti produntur. Murinum detritum cum aceto, & illitum, alopecijs medetur. cum thure & mulso calculos expellit. subditæ infantibus muscerdę, alui dejectionem promouent. Caninum quod flagrantissimo canis sydere fuerit exceptũ, cum uino aut aqua potum, sistit aluum. Humanum stercus illitum, uulnera ab inflammatione uindicat, & obiter intumescere non patitur, sed ea statim glutinat. ficco ex melle anginæ perungi commodissimè traduntur. Terrestris crocodili fimum, crocodileam uocant, quæ mulieribus colorem nutrit in facie, nitoremq; seruat. Optima est candidissima & friabilis, amyli modo, minimè ponderosa, in humore statim elinquescens, quæ cùm teritur, fermenti acorem quadam tenus refert. Adulterant eã sturnorum fimo, quos captos oryza pascunt, ipsumq; non dissimile uendunt. Alij amylum aut cimoliam miscent, & adscito anchusæ colore per rarum cribrum paulatim exprimunt, ut se contrahat in uermiculorum speciem: qui siccati pro crocodilea ueneunt. Inter omnes conuenire inuenio, humanum stercus caninumq; gutturi impositum, anginis auxiliari.

Tria

A *Tria genera fimi Columella ſecundo libro memoriæ mandauit eſſe: quod ex auibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus fit, ubi de hac re plura. Item apud Plinium lib. 17. cap. 10.*

Vrina. Caput LXXIII.



HVmanam urinam ſuam cuiq; bibere, contra uiperæ morſus, ac uenena, incipientemq; aquam intercutē proderit. ſcorpionis, uiperæ marinorum, draconisq; morſus ea conuenientiſsimè fouentur. Canina ad perfunden dos canis morſus idonea eſt. pruritus & lepras nitro addito expurgat. ſed uetus, ulcera capitis manantia, furfures, pſoras, & feruidas eruptiones, multò magis abſtergit nomas, & præcipuè genitalium, cohibet. auribus infuſa manans pus ſupprimit: decoctaq; in calyce mali punici, earum uermiculos abigit. Pueri impubis reſorpta uri na, orthopnoicis auxiliatur. decocta in æreo uaſe cum melle emendat cicatrices, argema, caligines q; ex ea & cupro idoneum auri ferrumen conficiunt. Quod in urina ſubſidit, illitu ignem ſacrum mitigat. feruefactum cum cyprino, inditumq; uuluæ dolores mulcet. ſtrangulatus leuat. genas deterget. oculorum cicatrices expurgat. Taurina, ſi cum myrrha inſtilletur, aurium dolores lenit. Aprina uiribus eiidem prædita eſt. priuatim comminuit ueſicæ calculos, & potu expellit. Caprina ad aquā quæ cutem ſubint, cum nardi ſpica quotidie binis cyathis cum aqua bibitur. urināq; per aluum extrahit. aurium doloribus inſtillata medetur. Aſinina traditur renum uitijs mederi. Lyncis urinam, quam lyncurium appellant, ſimulac excernitur, glaciari coireūe in calculi duritiam, uulgò creditum eſt. quare quod de ea proditū eſt, uanum eſſe conuincitur. eſt enim quod à nonnullis uocatur ſuccinum pterygopho ron, ideo dictum quòd pennas ad ſe alliciat. Id potum ex aqua, ſtomacho aluoq; fluxione laborāti conuenit. Aſininæ urinæ potu renum uitia ſanari traduntur*.

* Hæc clauſula abundat.

B Cornarius. *Galenus huiuſmodi impura medicamenta ſtercoris & urinæ, ut ingenuo & honeſtate mundiciei ſtudioſo uiro meritò abominanda improbat: præſertim circa caput & faciem adhibenda, quo magis indignè frendus eſt aliquarum urinarum, uel etiam humanarum potus, ex quo tamen peſtilentia graſſante in Syria, quidā conualuiſſe uidebantur, Galeno tradente ac aſſeuerante: item orthopnœæ gratia, pueri urinam bibere, non eſt neceſſe, quum alia ſint multa pharmaca huic malo commoda, & quidam etiam eo poto opem non ſenſerint. Verùm tam abominanda medicamenta etiam hodie durant apud aniculas quaſdam, & uulgus fortè potioribus & purioribus indignum, non modò in peſte, & orthopnœa, ac anheloſis, uerùm etiam in alijs tum uētris, tum inteſtinorum morbis, & præſertim in doloribus coli, utpote quòd uomitus irritando, & deiectiones concitando, omne uitium ualenter expurgent, uelut etiam Marcellus cap. 27. teſtatur.*

Mel. Caput LXXIIII.



PRincipem locum obtinet mel, quod Atticę regiò nis eſt, præcipuè ex Hymetto, mox Cycladibus inſulis, & è Sicilia, cognomine hybleum. Magis probatur dulcius & acre, odoratius, ſubflauum, nec humectum, graue, & minimè fluxum, quod obſequacē lentitiam non facilè abrumpitur, tractumq; reſilit in digitos. Mel abſtergendi uim habet. ora uenarū aperit humores euocat, qua ratione in ſordida ulcera ſinuſq; commodiſsimè infunditur. decoctum atq; impoſitū, abſcedentem carnem glutinat. medetur impē tigini coctū cum liquido alumine, & illitum. item auriū ſonitui & dolori, cum ſolli li* ſale trito, tepidum inſtillatur. lendes & fœda capitis animalia illitū *necat. nudā glandē recutitis operit, præſertim quę circuncisione aperta nō eſt, ſi melle præputiū à balineo triginta diebus emolliatur. oculorum caliginē diſcutit. faucibus, tonſillis, anginæ collutum gargarizatúmue medetur, urinam ciet. auxiliatur tuſsi, & à ſerpente percuſsis. contra hauſtum meconium, cum roſaceo calidum aſſumitur. aduerſus uenena fungorum, & rabioſi canis morſus linctum aut potum proficit. crudū tamē aluum


* Quidam, crematō.
* Collutum, alij.

aluum inflat. tussim lacessit, & ea de re despumati usus aptior est. Primatum tenet in A
mellis genere uernum, deinde æstiuum: hybernum uerò, utpotè quod crassius consistet, deterrimum reputatur, ceraginis halitum expirat: * Quod in Sardinia gignitur * Alij, ceraginē
mel, amarum est, quoniam apes inibi absinthio uescantur: quo uitia cutis in facie & faciundæ idoneum.
maculæ aptissimè perunguntur. Heraclīæ in Ponto quibusdam anni temporibus, propria quorundam florum dote, mel conflatur, quod qui edere, mente abalienantur, ac sudore diffluunt. Remedio sunt, esitata ruta, & salsamenta, aut epotum multa mouet. Quod cum costo illitum, fœminarum cutem emendat, & cum sale fugillationes rapit. Est & aliud concreti mellis genus, quod saccharon nominatur. In India uerò & felici Arabia in arundinibus inuenitur. salis modo coactum est, dentibus, ut sal, fragile, aluo idoneum, & stomacho utile si aqua dilutum bibatur. uexatæ uesicæ renibusq; auxiliatur. illitum ea discutit, quæ tenebras oculorum pupillis offundunt.

Mel Germanis Honig. Gallis du Myel dicitur, in succorum censum referri potest: quod autem est calidum, sit cum ordine secundo, ut medicamentum: ut alimentum uerò, & dum actu nutrit, calidum humidum libro tertio com. terget, alit, coquit, putredini resistit, ut uinum, non cogendo substantiam corporum, quibus exhibetur, uti sal, sed siccando, tergendo, ora aperiendo, transitus purgando. Vrinas mouet, stomachum subuertit, obid non miscendum remedijs uomentium: intemperies frigidas humidas tutò sanat, calidis siccis seu biliosis est aduersissimum, sinuosa ulcera glutinat. Coctum & despumatum minus acre, & tergens redditur, sed magis nutriens. Mel medicamentis miscetur, uel crudum, uel coctum, uel solum despumatū, uel cum his coquendum, aut solum despumandum, aut ut crudum maneat. Cùm autem despumandum est, coquitur supra prunas aut flammam lignorum aridorum, & sine fumo.

Mel optimum sit purum adeò, ut totum perluceat, odorum, flauum, acerrimum, dulcissimum, gustanti iucundum, consistentia nec crassa, nec liquida: sed tam sibi cohærens, ut continuitatem suam quasi linea longissima non interrisum seruet, si digito attrollitur. Idem coquendo paucam spumam remittit, nec thymum improbè olet. Album etiam ex Gallia Narbonensi præstantissimum affertur, & pallidum magis est primo apum melli simile. Sachar autem, ut uocant, & ipsum mellis species, ex India, & felici Arabia aduectū, in calamis, (ut hoc loco Dioscoridis tradit) concrescit, minus dulce quàm nostras: similiter tamen tergit, siccat, digerit, nec imi B
micum stomacho est, nec sitim affert, ut nostras: quæ res ipsum à melle substantia differre ostendit. Idem sal Indus quibusdam dictus uidetur, ui solis gutta extra cannas extracta & densata.

Idem zuchara Arabum re ipsa esse apparet, solo differens compositionis modo per coctionem & expressionem: noto quidem Varroni & Straboni. ignorato autem Dioscoridi, Galeno, Plinio. Nec tibi difficile fuerit rationes eluere eorum, qui Sacharum Græcorum à zuchara Arabum diuersum contendunt. Actuarius Sachar ubiq; scribit pro Arabum zuchara, uoce ab his suo more ex Græcis deprauata: aut fortasse cōtrà, cūres ea fuerit Arabica, Græci ex his nomen mutuati sunt. Sacharum rubrum est ipsa uelut spuma sachari, spurcitiem coctione deponentis, calidius & acrius sacharo, uti spuma mellis, melli. Germani zerfallen zucker. Galli Cassonade, appellant.



Cera. Caput LXXV.



CEra optima est subfulua, subpinguis, pura, odorata, & halitum quadam tenus melleum referens, natione Pontica, aut Cretica. secundum locū obtinet candicans, & suapte natura pinguis. Candida fit hoc modo: Ex ea radunt album syncerumq;, atq; transfundunt in uas, quod satis habeat marinæ ex alto petitæ, inspersoq; nitri momento decoquunt. cumq; iterum tertióue inferbuit, separatum uas refrigerant, ac ceræ pastillum eximunt, detersa sorde, si qua fortè adhæsit. tum denuò indita noua maris aqua feruet, uti retulimus, & uase dempto ex igne, fundum ollulæ nouę aqua frigida madefactum, in ceram summam suspensa manu intingūt, quò celerius concrescat, & quàm minima portio extrahatur. susceptо primo ceræ orbiculo, iterum uasis imum aqua refrigeratum, tantisper in ceram immitti debet, dū tota excipiatur. orbiculi lino cōsuti, interuacāte spacio, suspen-

A ſuſpenduntur,& interdiu,continuo ſub ſole,noctu ſub luna aſperguntur,uſq; dum perfectè albeſcant.uerùm ſi eximius ille candor deſideretur,eadem factitari,& iden tidem recoqui operæprecium eſt.Nec deſunt qui pro marina, in muria quàm acer rima ſemel aut iterum excoquant,dein laguncula tenui,rotunda,anſam habente,ex trahunt,poſtea orbiculos,ſubſtrato affatim ceſpite herboſo,inſolant,donec cando rem ſummum contraxerit.Præcipiunt hoc obeundum munus uere, cùm ſol remiſſa uehementia humorem pariat,ut non facilè liquetur.Cera omnis mollit,calfacit,mo dicè explet corporea.datur in ſorbitione dyſentericis.ac milij magnitudine,decem grana ceræ hauſta,lac in nutricibus non patiuntur coagulari.

Cera calidi frigidi,humidi ſicci quodammodo media,craſſæ eſſentiæ,emplaſtica,debiliter coquit admota, habet paulum quiddam digerentis calidæq; potentiæ, quæ melli plurimùm inerat. Materia ob id eſt aliorum medicamentorum,& refrigerantium.Ea aut lutea eſt,aut fuſca,aut alba:& hæc aut natura,ut Pontica aper tè acris,aut ablutione,ut Tyrrhenica,& noſtra acrimoniæ expers.Cæteri colores ſunt aſcitij, ut uiridis ab ærugine,ruber ab anchuſa uel cinabrio uulgari,nigra à fuligine tedæ,charta uſta, aut atramento, à quibus miſtis uires mutat,Germani Wachs.Galli de la cire appellant,κηρὸς κεντὸς,id eſt,cera ſtacte,& ſtillatitia,initio lib.2.comp.pharma.gen.legitur.

Propolis. Caput LXXVI.



PRopolis eligi debet flaua,odorata,ſtyracem referens,in ue hementi ariditate mollis,& maſtiches more ductilis. Ma gnoperè calfacit & euocat. aculeos & omnia infixa corpori extrahit. in ue tere tuſsi ſuffita proficit. impetigines admota tollit, ea in aluearíorum foribus ceroſæ natu

B ræ inuenitur.

Propolis Germanis Vorſtoß *uel* bett. *Eſt enim,quo apes in nouis aluearib. primùm aſperas partes & rimas oblinunt. unde Varro tertio rei Ruſticæ Propolim uocat,quod apes faciunt ante fo ramen introitus porrectũ in alueum, maximè æſta te,fauorum ſtabilimentũ,quo omnes frigoris, aut iniuriæ aditus obſtruuntur. magni ad medicami na uſus.*

Triticum. Cap. LXXVII.

OPtima è tritici generibus ad ſe cundæ ualetudinis uſus haben tur,quæ recentia & iam perfectè adul ta,colorem luteum referunt. dein ſe quuntur trimeſtria, quæ nonnullis ſi tania nominatur.Itaq; cruda in cibis te retes tineas gignunt. canum morſibus proſunt,manſa & impoſita.confectus eorũ ſimilagine panis, plus alit quàm cibarius. è trimeſtrium farina panis le uiorem cibum præbet, & qui facilè in membra demandetur. farina eorum cum hyoſcyami ſucco illinitur aduerſus neruorum fluxiones, quas Græci rheumatiſmos uocant.item contra interaneorum inflationes.lentigines ex aceto



aceto mulso tollit. furfures autem in acri aceto decocti*, turgentes mammas sedãt. A uiperarum ictibus auxiliantur, & torminosis prosunt. Farinaceum fermentũ caldaciendi extrahendiq; uim habet. priuatim callos pedum, clauosq; extenuat, & cæte
ra tubercula furũculosq; ex sale concoquit, & aperit. Sitaniorum farina contra ue
nenatos ictus cum aceto aut uino commodissimè illinitur. eadem si decocta in glutini modum delingatur, cruentis excreationibus proderit. contra tussim & exasperatas arterias, cum mentha & butyro decocta, efficax est. Tritici pollen si ex aqua mulsa, aut hydrelæo decoquatur, omnem discutit inflammationem. Panis & crudus & coctus cum aqua mulsa inflammationes omneis illitu mulcet: cùm emolliat, & quadam tenus refrigeret: sed herbis succisue huic rei accommodatis admisceatur. Vetus panis aridus, adiectis conuenientibus, citam aluum cohibet. recens, muria maceratus, illitu uetustas impetigines sanat. Glutinum ex similagine & polline, quo chartæ glutinantur, sanguinem excreantibus prodest, si liquidum ac tepidum cochlearis mensura detur sorbendum.

* *Quidam addunt: Calẽtesq; lepras illiti auferunt, incipientesq; inflammationes omnes itidem illiti leniũt, in rutæ decocto, etiam.*

Græcè, Πυρός. Latinè, Triticum. Germanis, Weyssen. Gallicè, Ble. Fourment.

Triticum plures includit differentias, ut robum, siligneum, sitanium. Triticum uerò dicitur, quòd tritum ex spicis sit, ut autor est M. Varro.

Triticum quod cibariorum aut panificij gratia agricolæ serunt, huius plura sunt genera, quæ gentes fecerunt, à quibus nomen acceperunt, ut Italicum, Siculum, Aphricum, & alia, sed qui scrupulosè obseruant, tria statuunt genera. Primum Robus, Latinè: Græcè ὁ κάλλις & πυρός, χόνδρος &. Germanicè, Der schön-ei. Δεύτερον, πάρα γαλύνω. uel τρίμηνον, quod post sationem tertio mense maturescit, & metitur. Dicitur & de hordeo, & de farre. Inueniuntur autem bimestria, sed circa Thracium sinum, quæ quadragesimo, quàm sata sunt, die metuntur. Eorum autem postremorum agricolis usus gratissimus est. Nam ubi propter aquas aliámue causam matura satio est omissa, præsidium ab hoc petatur. Hoc tritici genus Germani Amelkorn, fortè ab amylo, quod inde fit præstantissimum. Galli Martium uocant, quod à Martio in quo satũ est, tertio inde mense maturescat. id quod tamen in nostro orbe non fit, in quo Martio mense satum, quinto tandem, hoc est, Iulio mense metitur. Tertium tritici genus non undiquaq; notum, Germanis, Welscher weyssen, & Weyssenkolb, dicitur, in Alsatia copiosè gignitur. Sunt qui hoc frumenti genus Columellæ & Plinij B siligneum esse putant, diuersum tamen à Laconica siligine, quæ sine crista est, rectam habens spicam, nunquã maturescens, iumentorum pabulum, &c.



Hordeum. Caput LXXVIII.

HOrdeum optimum est candidum purumq;. id minus quàm triticum alit. Ptisana tamen ob cremorem in decoctione redditũ, plus alimenti præbet, quàm polenta ex hordeo facta. contra acrimonias atq; gutturis scabritias, exulcerationesq; pollet. quibus etiam triticea ptisana præsidio est, sed plus alit, magisq; urinam mouet. lac abundè suppeditat, si cum fœniculi semine decocta sorbeatur. Hordeum abstergit. urinam ciet. inflationẽ parit. stomacho aduersatur. tumores concoquit. Farina hordeaca decoquitur in mulsa aqua cum fico, ut inflammationes collectionesq; discutiat. duritias cum resina & fimo columbarum concoquit. cum meliloto autẽ & papaueris calyce dolores finit, qui latus excruciant. aduersus intestinorum inflationes cum lini semine, fœnogræco, & ruta illini iuuat. strumas cum pice liquida, cera, oleo, & impubis pueri urina, ad concoctionem perducit: Et cum myrto aut uino, aut malicorio, aut syluestribus pyris, aut rubo, alui profluuia sistit. podagricis inflammationibus, cum cotoneis aut aceto prodest. decocta in acri aceto, modo quo hordeaceum cataplasma, & calida imposita, lepris medetur. Cremor uerò farinæ ex aqua, atq; cum pice & oleo decoctus, puri mouendo est. cum aceto subactus itidem & cum pice contra articulorum fluxiones prodest. Farina ex his aluum cohibet, inflammationesq; mitigat.

A 

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, κριθὴ πρόμινος. Latinè Hordeum Cereale. Officinis antiquum nomen retinuit. Germanicè, Gerſten. Gallicè, Orge, dicitur.

Hordeum in duo genera diſtinguitur: κριθὴ ἑξάστιχος, quod & Cantherinum uidetur dictum, quia folliculo caſtratum eruſcatur. Germani, Groß gerſt. Galli mundum uocant hordeum, non ſponte granum gluma concidit. Alterum genus hordei κριθὴ δίστιχος, id eſt, hordeum diſtichum & Galatinum. Germanis, Sommer gerſten, & Kleyn gerſt. Gallis orge, dicitur, ponderis & candoris eximij, adeò, ut tritico mixtum egregia cibaria familiæ præbeat. Eſt et hordeum trimeſtre, κριθὴ τρίμηνος, Summer gerſten, & ſecurgeon, ou ſceurgeon, quaſi ſuccurſus gentium, Gallis dicta.

Hordeum quod tundendo deglubitur, ac ſuo cortice caſtratur, mundatum hordeum Officinæ, Germani, Gerolte gerſten/uocant: tunditur enim hoc, nec molitur.



Zythum. Caput LXXIX.

EX hordeo potus fit, cui Zytho nomen eſt: is urinam ciet, renes & neruos tentat. membranis, præſertim cerebrum ueſtientibus, officit. inflationem parit. uitioſum ſuccum creat. elephantiaſin gignit. perfuſum Zytho cibus, obſequioſum & operi tractabile redditur.

EXPLICATIO.

Ex hordeo & hodie paſſim potio conficitur, in quibus regionibus uini penuria eſt, quem Dionyſium apud Aegyptios primùm inueniſſe ferunt. Quæ de cauſa apud Poëtas Peluſianus potus nuncupatur. Eſt autem ueluti uinum quoddam, ſed factitium. Suidas zythum uinum ex hordeaceum nominat, quòd ſit ceruiſia ex hordeo cocta, uicem uini natiui gerens. Sophocles autem & Aeſchylus id genus uini ex hordeo factum, non zython, ſed βρυτὸν uocant. Quod rurſus Helanicus ex oryza fieri commemorat. Hiſpani Ceriam, Germani Byer, Galli Berium, uocant.

Zea ſimplex.

Dicoccon.

B 

Curmi. Cap. LXXX.

FIt & ex hordeo potus, quem curmi nominant, eoq; ſæpè potu pro uino utuntur: uerùm dolorem capitis mouet, malum ſuccum gignit, neruis nocet. Conſimilia etiam potus genera ex tritico fieri ſolent, in Iberia, quę occidentem ſpectat, & Britannia.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hoc item fortaſſe ſit hordeacea ceruiſia. Poſidonius homo Stoicus, non curmi, ſed corma maluit appellare, à curmite tradit. Dioſcorides addidit, Hiſpaniam quoque occidentalem & Britanniam, ex tritico ſimiles potus excogitare. Germa. Weyſſen bier/dict bier, appellatur. Nec alios ex fruge fieri, niſi ſupradictos inueniat, qui nationes has exactè conſuluerit.

Zea, ſeu ſemen. Caput LXXXI.

ZEa duorum generum eſt. una ſimplex, altera in geminis putaminibus grana bina iuncta gerit, ob id dicoccos appellatur. plus quàm hordeum alit, ori grata, digeritur in panificia, minus quã triticum alens.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO. A

Græcè, Ζέα. Latinè, Zea.

Germanis, Tünckel/quod Græcè μονόκοκκον. quod δίκοκκον Græcis, Germa. Spelts/S. peters Korn/Bliken/Rinkorn. Galli Espeltra, & de l' espeautre appellant. Apud Campanos priuatim semen uocatur, ubi bis anno seritur. Hanc Homerus non parum illustrat, quando aruum ζοῦδ ωρον nominaret, quod nonnulli quasi uitam donans, latinitate donarunt, sed ijdem à Plinio non probantur. Cæterùm eadem sæpe simplex est propter unum granum, sæpe δίκοκκος propter duo grana, siue geminum granum duobus utriculis coniunctum, ut hoc loco Dioscorides testatur, ex qua olim alica fiebat, sicut pòst ex hordeo.

Crassior farina. Caput LXXXII.

CRimnon crassior est ex zea triticoq; farina, ex qua pultem faciunt. Abundè calit. facilè * conficitur. aluum uehementius astringit, si zea, ex qua fit, prius torreatur. * Aliàs, ægrè.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Crimnon hoc loco Dioscoridi pars est crassulenta farinæ, tritici atq; zeæ. Sunt qui suspicentur crimnum farinæ cremorem esse, ut succus à cremore differat sola crassitudine. Cornelius Celsius cremorem ferè pro succo usurpauit. Crimnon hordei genus est Photioni, & cyceonis Homerici liquamentum. Hippocrates crimnoderas urinas, pro crassis, & ad similitudinem farinæ tritici corpulentis accepit, ut Galenus testatur. Germani Crimnum uoce parum mutata, Grieß, siue Grieß, appellant. Crimnon.

Siligo. Caput LXXXIII.

Rocken.



EIdē generi siligo adscribitur, sed minus aliquāto nutrit. in panes, ut zea, cogitur. Fit quoq; è siligine crassior farina, quam Græci crimnon uocitant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Plin. lib. 18. de silligne ait: Siligneum dixerim propriè tritici delicias, cādor est, & sine uirtute, & sine pondere. Et mox pòst ait: E siligne laudatissimus panis, pistrinarumq; opera laudatissima. Præcellit in Italia, si Campana pisis natæ misceatur. Ruffior illa: at Pisana candidior, ponderosior uerò Cretica. Panis siligneus, quem siligniten Græci uocant, omni alio magis alit, ut autor est Paulus Aegineta. E quibus omnibus facilè apparet, siligneum hanc à ueteribus celebratam longè aliud esse à frumento, quod nostra ætate siligneum, Germanicè Rocken/uocamus, ex quo panis conficitur niger & plebeius. Et ab aliquibus Tipha, ab alijs olyra creditur. Cùm tamen id genus frumenti sit, quod secale & farrago Plinio dicitur lib. 18. cap. 16. Cuius pictura hæc est. B

Athera. Cap. LXXXIIII.

AThera ex zea fit tenuissimè molita. est autem sorbitio, quasi liquida pulticula, infantibus conueniens, & cataplasmatis efficax.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Atheram è zea fieri tenuiter emolita hoc loco Dioscorides asserit, & insorbitiones decoctum pulticulæ dilutioris modo, infantibus utile, unde Germanis Kinderbapp/dicitur. Aëtius ex Amylo constare prodit. Iulius Pollux Atheram uocat pultem è mileacea farina. Est autē puls, quod Germanicè, Ein mūß oder bappen, appellamus, cibus ex farre in puluerem & farinam redacto factus, de quo Plin. lib. 18. capit. 8.

Tragos. Caput LXXXV.

TRagos quandam halicæ frugis figuram gerit. multò minus quàm zea nutrit, quod multū aceris habeat: quare ægrius conficitur, aluumq; magis emollit.

A Hamelkorn.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Tragus cerealis, ut ab herba distinguatur, frumenti genus, aspectu similis alicæ seu chondro: granum eius compluribus glumis uestiri refert Galenus, & ob id minus zea nutrire, ægrè in uentriculo conuinci, & aluum magis emollire.

Græcè, Τράγος.
Latinè, Tragus cerealis.
Germanicè, Hamelkorn.
Gallicè, *duble turguet, dicitur.*

Auena. Cap. LXXXVI.

AVena genicula quædam habet. folio & stipula triticum imitatur, & in cacuminibus dependentes paruulas ueluti locustas bipedes gerit, in quibus semen continetur, utile ad cataplasmata, uti hordeum. pulse huius aluus sistitur. prodest tussientibus in sorbitione succus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Auena genus est, cuius duæ referuntur species: quarum una folio & stipula triticum imitatur, in cacuminibus semina habet ampla, alba & ualde pilosa, ex quibus

Bromos.

B



Aegilops.



Auena.



Finis

bimæ crustæ nigrantes producunt: ex uidetur esse, quam Theophrastus ἀεγίλωπα, appellauit. Germani A
Weiß haber/& Niderländisch haber/uocant. Altera est, quæ ab hoc βρώμῳ, ab alijs ἀεγίλωψ di-
cta Germanis Schwartz haber/Bleyn haber/superiori non dissimilis folio, stipula & semine, quòd hue
minus est, neq; ita pilosum & uber. Apud nos iumentorũ pabulo potius quàm hominum cibo nascitur, Cogi-
tur tamen in panes, quando extrema urget fames. Videtur tamen Plinius Germanos nonnihil notare barbari
ei propter pultem, quam nominamus auenaceam, cuius & Dioscorides hoc loco meminit, Germani uocant
Kin habermüß/& haberbret.

Oryza. Caput LXXXVII.



ORyza frugum generis est, in palustribus riguisq; nascens. Mediocriter alit, sed aluum suprimit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ὄρυζα. Latinè, Oryza.
Officinis & uulgo Risum. Germanicè, Reiß.
Gallis Ris, appellatur.

Frumenti genus est notum, non pauci usus in cibo. Ex hoc ptissana etiam conficitur. Vnde illud Horatij: *Sume hoc ptissanarum oryzæ.* Plin. lib. 18. Italici, inquit, maximè oryza gaudent, ex qua ptisanam con ficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo. Oryza ægrè concoquitur, aluum supprimit, & modicas in nutrien do uires habet, ut hoc loco Dioscorides testatur, & Paul. Aegineta tradit. Celsus inter res boni succi, & quæ crassiorem pituitam faciunt, enumerat, & his quæ imbecillis materiæ sunt, annumerari posse dicit. Est & al-
terum genus oryzæ, quod oryza minor, Germanicè, Himelbrot/& Schwaden/dicitur.

Halica. Caput LXXXVIII.

HAlica fit ex zea, quam dicoccon appellauimus. plus alit quàm oryza. aluũ ma-
gis cohibet, stomacho longè utilior. decocta in aceto illitaq; lepras tollit. un-
guium scabritias extricat. incipientibus ægilopijs medetur, decoctum dysentericis, B
quos excruciat dolor, infusum, idoneum est.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Alica siue Halica, nunc frugis genus est, nunc ex fruge facta farina, & inde pulticula uel sorbitio. Pro fu-
ga accipitur à Plinio, lib. 18 cap. 7. ubi de frumentis per tempora satis agens, inquit: Aliqui uerna, milium, pa
nicum, lentem, cicer, alicam appellant. Et non longè pòst ait: Tunicæ frumento plures, hordeum maximè nu
dum & alica. Celsus item lib. 2. cap 17. Cumq; panificia, inquit, omnia firmissima sint: elota tamen quædam
genera frumenti, ut alica, oryza, ptisana, uel ex eisdem facta sorbitio, uel pulticula, & aqua quoq; madens pa
nis, imbecillissimis annumerari potest. Item cap. 19. Boni succi sunt triticum, siligo, alica, oryza, amylum. Et
iterum cap. 29. Pulticula uel ex alica, uel ex panico, uel ex milio, itemq; ex iisdem sorbitio. Est autem farris
adorei genus, quod Halicastrum etiam, ut putamus, uocat Columella lib. 2. cap. 6. ubi de farris generibus a-
gens, sic scriptum reliquit: Adorei autem plerunq; uidimus in usu genera quatuor. Far, quod appellatur Clu
sinum, candoris nitidi. Far, quod uocatur uernunculum rutilum, atq; alterum candidum, sed utrunq; maioris
ponderis quàm clusinum. Semen trimestre, quod dicitur halicastrum, idq; pondere, & bonitate est præcipu-
um. Et hoc alicam esse uolunt, Græcorum chondro haud absimilem, teste Paulo Aegineta, qui lib. 1. cap. de fru
mentaceis ait: Alica in reliquis quidem chondro haud absimilis est: sed aluum magis supprimit. Demum ha-
lica pro pulte etiam accipitur à Plinio & alijs, quæ in sanitatis usu & medicina locum habuit, sed diuersis
locis diuersimode præparata, ceu ex Plinio lib. 18. cap. 11. patet, ubi uaria eius genera & conficiendi modos
ponit, & è zea, quæ semen dicitur, fieri tradit, quemadmodum & hoc loco Dioscor. Fiebat etiam ex hordeo,
cuius conficiendi ratio docetur ab Apicio, quæ tamen facilior est, & paratior, quam in Iunio mense docet Pal
ladius, his uerbis: Hordeum seminaturum, cui adhue supereſt aliquid de uirore, per manipulos ligabis, & tor
rebis in furno, ut facilè mota possit infringi, & in modio uno salis aliquantum dum molitur, miscere curabis,
ac seruabis.

Milium. Caput LXXXIX.

MIlium in panes coactum, minus cæteris frugibus alit. sistit pulte sua aluum. Vri
nam cit. Torretur miliũ, feruensq; in sacco ponitur, ut torminibus, reliquisq;
doloribus, si foueatur, auxilio sit.

A Sorg.



B Milium.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè κέγχρος. Recentioribus Græcis μῖλον. Strabonis κεγχρὶς. Hippocrati παστὰλη.

Latinis Milium, à milliaria ſumma.

Germanis, Hyrſen.

Gallis du millet, appellatur.

Ex milio quoq; panem fieri Columella teſtatur, qui priuſquã refrigeſcat, ſine tædio potest abſumi: quo non parum ſe oblectant Campani. Plinius rurſus Sarmatarum gentes tradidit maximè pulte miliacea ali, quæ & Germanis hodie uſitatiſſima eſt, adeoq; penè in pauperũ culina quotidiana, quemadmodum Rugis, quos ſub Pomeranorum uocabulo complectimur (Germanicè die Rugianer) puls auenacea. Illius autem purgamentum ſicut & panici & ſeſami applauda, dicitur non aliter in frumento palea. apud Plinium lib. 18. cap. 10.

Milium Indicum.



Milium Indicum in Italiam Neronis principatu conuectum, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adoleſcit ad pedes

Panicum.



pedes altitudine septem, prægrandibus culmis, lobas uocant: omnium frugum fertilißimum, ex uno grano ternu sextarij gignuntur. Hodie apud nos paßim in hortis ostentationis gratia serunt, grano pisum æquante, atra, stipula arundinea, quanûm apud nos seminatur pedum proceritate, & frumentum Sarracenicum, Germanicè, Türckisch Korn/uel Indisch Korn/appellant. Græcè uerò κέγχρος ἰνδικός, cuius pictura hæc est. A

Quatuor huius Milij Indici genera reperiuntur. Quoddam enim grana rufa, quoddam uerò purpurea, aliquod subcandida grana profert. Spicarum siue paniculorum etiamin ijs est diuersitas: etsi enim omnes muricæ sint, tamen alia candidos, alia luteos, alia purpureos, prout scilicet grana colorata erum, flores obtinent. Aliàs quod ad formam attinet, in ijs nulla est differentia.

Panicum. Caput XC.

PAnicum frumentaceis seminibus annumeratur, milio simile. eodemq; modo in panes subigitur. eosdem habet usus. minus tamen & nutrit & stringit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè ὁ ἕλυμος. Latinè, Panicum, à paniculis, in quibus semen est.

Germanicè, Pfenich/& Fuchßschwantz. Gallicè Paniz, dicitur.

Panicum milij similitudine prosilit, denis ut plurimum solijs luxurians, culmo penè in surculum extenuato, nutante, rubido paniculorũ fastigio. prædensis acernato granis, aliàs purpureis, aliàs rufis, aliàs nigris, item & candidis.

Sesamum.



B

Sesama. Caput XCI.

SEsama stomacho inutilis cibus. halitus grauitatem facit, quoties inter manendum commissuris dentium inhæsit. neruorum crassitiem illitu discutit. medetur auribus fractis, ambustis, inflammationibus, coli doloribus, & ex rasta morsibus. capitis dolores, qui ex æstuatione concitantur, ex rosaceo lenit. eadem efficit herba decocta in uino. præsertim inflammationibus oculorũ doloribusq; prodest. ex ea fit oleũ, quo Aegyptij utuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σήσαμον.
Latinè, Sesamum.
Officinæ sesamum uocant.
Germani, Leindotter.
Gallicè du sesama, de la iugoline.

Sesamum nunc penè intercidit, quod multis in locis ignoratur, quod tamen Columella & Plinius, ex medicis Galenus, et ante hunc Dioscorides capite

A *præsenti collaudant. Veteribus sanè omnibus, ut pleraq; alia, notißimum erat, ut ipse Dioscorides, qui in herbarum pictura diligentißimus est, ista ipsa γνώρισμα, id est, nota indicat. Ideo talium historiam præter morem plerunq; neglexit, ex qua colligeremus, quodnam certum esset seminum genus. Sunt enim paucæ seminum cerealium notæ, aut sæpe nullæ, quibus dinosci possint, adeò ut frugem ipsam non certo uocabulo nominare liceat, ex qua panis quotidianus conficitur. Ita uidemus in pleriſq; sola nomina nobis restare: ut suprà quoq; ostendimus.*

Lolium. Caput XCII.



B

LOlium quod inter segetes nascitur, molitum, illitu nomas, putrescentia ulcera, gangrænasq; emarginat. sanat cum raphanis, sale & aceto feros lichenas: & ex aceto & sulphure uiuo, lepras. strumas quoq; discutit, cum fimo columbino & lini semine decoctum in uino. rumpit quæ ægrius ad coctionem perducitur. decoctum ex aqua mulsa utilissimè ischiadicis illinitur, si cum polenta, thure, myrrha, aut croco suffiatur, conceptionem adiuuat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, αἶρα.
Latinis, Lolium.
Germanis, Küweyſſen/ Lulch.
Gallis, Iuayra. yuroie, teuille, gaſſe, dicitur.
Lolium fit ex corruptis seminibus tritici & hordei, inebriat & uertigines facit. unde prouerbium: Lolio uictitat, quod Plinius inter frugum morbos potius quàm terræ pestes numerat. à nonnullis zizanion appellatur.

Amylum. Cap. XCIII.

AMylum ex eo appellatum est, quòd sine mola fiat. Optimum ex trimestri, natione Creticum aut Aegyptium. Ratio faciundi amyli hæc est: Purgatum trimestre triticum madescit quinquies die, & si fieri potest, nocte: cùm emollitum fuerit, effunditur sensim, sine agitatione, aqua, quò minus cremor utilis unà excludatur: ubi mollissimum esse uidetur, mutata aqua pedibus calcari oportet: rursus infusa, teri: tum demum enatantes ibi furfures incerniculo eximendi, reliquumq; quallo sportisq; siccatum tegulis nouis confestim torreatur flagrantissimo in sole. namq; si paulisper udum maneat, acorem concipit. Contra fluxiones oculorum, pustulas, cauaq; ulcera efficax est. sanguinis reiectiones potu cohibet. Exasperatas fauces lenit. lacti atq; obsoniis admiscetur. Fit etiam amylum ex zea, quæ maceratur ac eluitur uno aut altero die, & subactæ farinæ modo manibus subigitur, pressaq; feruentissimo in sole, ut antè retulimus, exiccatur. nullius in medicina usus, ad alia tamen conueniens.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Amylum factitium est & frumenti medulla, arte præparata, appellatum ab eo quòd sine mola fiat, sicq; ex omni tritico & siligine, optimum autem ex trimestri, ut Dioscorides tradit. Inuentio eius Chio insulæ debetur, ut lib. 18. Plinius tradit, unde & laudatißimum. Post quod maximè laudatur Creticum, mox Aegyptiacum. probatur leuitate, leuore, candore, atq; ut recens sit. E siligine quomodo fieret, docet Cato libri sui cap. 87. Conficitur item ex zea, ut hoc loco Dioscorides testatur. Est item frugis genus aliquando significans amylum, ex quo fit illud factitium. In qua significatione Celsus accipit lib. 2. ubi id cum alijs quibusdam inter ea, quæ boni succi sunt, & stomacho aptißima, commemorat. Germanicè Amidum/ Amlung/ & Kraffmel. Gallis quoq; amydum dicitur.

Fœnumgræcum. Caput XCIIII.

FOenigræci farina uim habet emolliendi discutiendiq; in aqua mulsa decocta aduersus tam internas, quàm externas inflammationes efficaciter illinitur. lienem cum aceto & nitro extenuat. succus decocti eius fœminarum malis subuenit: &

Fœnumgræcum.



Fœnogræcum ſyluestre.



& ſiue tumor, ſiue A
præcluſio ſit uuluæ, fouentur, & inſidẽt. Fœnigræci in aqua decocti cremor expreſſus, capillos, furfures, & manantia capitis ulcera purgat. locos dilatat & emollit, ſi cũ anſerino adipe peſsi uice ſubĩjcia tur. uiride cum aceto utiliſsimum imbecillibus locis, & ulcera ſentientibus. decoctũ eius prodeſt aduerſus teneſmos fœtidamq; dyſenterico rum proluuiem. Oleum quod eo exprimitur, & myrto, capillos & genitalium cicatrices abſtergit.

NOMINA ET explicatio.

Græcis Τῆλις, κεραΐτις, αἰγόκερως, βόκερος. B
Fœnumgræcum, Latinis & Officinis.

Germanis, Fenigrec/& Bockshorn. *Gallis fenigrec, & ſenegreue, dicitur.*

Fœnum Græcum inter fruges eſt. Plinius & Varro Silicam, & Siliculam dici teſtantur: Columella ſiliquam ſimpliciter uocat. Vis eius ſiccare, mollire, diſſolucre, teſtante Plinio libro 24. ad finem. Nec dubitatur, quin decoctum eius utiliſsimum ſit uuluis, interaneisq; exulceratis: ſicuti ſemen articulis atq; præcordijs: ſumitur & ſorbitio è farina ad pectus exulceratum, longamq; tuſsim. Diu decoquitur, donec amaritudo deſinat: poſtea mel additur. Siccum primo gradu, calidum ſecundo, lib. 8. ſimpl. calidum autem mediocriter, ob id digerere dicitur, lib. 1. comp. pharm. part. Namis gradus eſt medius inter ſummum & omnino temperatum, quod nec calidum abſolutè, nec frigidum iure dixeris: phlegmonas ardentes irritat & exacerbat, minus calidas & duras digerendo ſanat. Paulus Acgineta lib. 1. calfaciendi, uentremq; ſubducendi uim illi tribuit, ſi ante alios cibos ſumptum fuerit.

Eſt & Fœnigræci ſyluestre genus quoddam, Quibuſdam Trifolium minus, ſiue lotus ſyluestris dictum. Germanis, Wild fenogrec/uel Steyn wicken/nominatum. Folijs trifolij utrinq; obſitum, humi recumbẽs, floſculis albicantibus, ad ſimilitudinem orobi, è quibus folliculi incurui, oblongi fiunt, ſemen continentes angulatum, fœnigræci modo, guſtu orobi. Innaſcitur uepribus montibus, & iuxta uias. Vim habet, uti alia trifolia & linum, molliendi, repercutiendi, ac ſedandi dolores apoſtematum.

Linum. Caput XCV.

LInum uulgo notum eſt. cuius ſemen eaſdem quas fœnumgræcum uires habet. diſcutit & emollit omnem intus foriſq; inflammationem, cum melle, oleo, exiguaq; aqua decoctum, aut melle cocto exceptum. uitia cutis in facie uarosq; crudum tollit. illitum cum nitro & ficulneo cinere, parotidas duritiasq; diſcutit. ulcera quæ ſerpunt, fauosq;, cum uino decoctum expurgat. ungues ſcabros eximit, cum pari modo naſturtij & mellis. uitia pectoris extrahit, ſi ex melle in eclegmatis uicem ſubſtituatur. tuſsim lenit. uenerem ſtimulat, ſi farina piperis & melle exceptum, pro placenta largius adſumatur.

Huius

A Linum.



Huius decoctum interaneorum uuluæq; erosionibus immittitur. alui excrementa euocat. ad uuluæ inflammationes in desessionibus perquàm utile.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè Linum Λίνον.

Latinis & Officinis linum.

Germanis, Lein/& Flachs.

Gallis du lin, appellatur.

Λινόσπερμον, id est, lini semen, Germanicè Leinsamen/humido & sicco quodammodò temperatum, calidum autem quodammodò ordine primo: flatuosum est etiam si frigatur, adeò plenum est humiditate recrementitia. Quia igitur calidum, humidum, flatuosum, semen homini generat. Lini semen torrefactum terget, ut ptisana & farina fabarum, lib. 7. comp. pharma.

Lini semen tepidè calidum, ut chamæmelum. Lini semen in aqua coctum refrigerantem succum gignit. Linospermon & succus rosarum frigidioris media temperie sunt naturæ, sed non ita multò, quum potius caloris sunt tepidi.

Lini semen refrigerat, siccat. Linospermon tanquam frigidissimum uitandum asthmaticis censet Galenus, ut meconium. Mandragoram, hyoscyamum, cicutam, psyllium. Linospermon urinas exiguè mouet: frixum autem uretica magis fit, & aluum magis sistit esu.

Cicer. Caput XCVI.

Album. Rubrum.

B



CIcer satiuum aluo idonee cum est. urinam ciet. inflationem parit. colorem cõmendat. menses ac partus expellit. lac auget. cum eruo decoctum illinitur ad inflammationes testium, uerrucosas informicationes, ad scabiem, ulcera capitis manantia, impetigines q; contra carcinomata, & ulcera quę cacoethe uocantur, cum melle & hordeo prodest. Alterum genus arietinũ nominatur. utrunq; cit urinas, dato cũ rore marino, hydropicis aut regio morbo laborãtibus, eorum decocto. Lædũt ea exulceratam uesicam, & renes: in uerrucarum formicantium pensiliumq; genere, prima luna singulis granis singulas tangunt, eaq; grana linteolo deligata abijci post se præcipiunt, ita decidere eas arbitrantur. Syluestre cicer foliis satiuo simile est. odore acri, sed semine discrepat. idq; quod satiuum præstat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cicer legumen est, cuius differentiæ plures, magnitudine, figura, colore, sapore. Est enim arietino capiti simile, unde ita appellatur, Græcis κριός, Germanis Kichern/Kichererbs/Ziſererbs, Gallis Ciche, uel pois chiches,

uices, dictum, album nigrumq; est. Et columbinum, quod alij Venereum, Columella Punicum uocat, candidū, rotundum, leue, arietino minus, quo religio peruiglijs adhibet. Est & cicercula, Græcis ὁ λάθυρος, ut Theodorus è Theophrasto reddidit. Columella tamen eandem ciceram & cicerculam uocat, Gallis cerre, uel pisa cerra. Quanquam & aracum sic uocant. Martinus Gregorius interpretatur Iesse: inæquales angulos habens, ueluti pisum. Dulcissimum autem id quod eruo simillimum, firmiusq; quod nigrum & ruffum, quàm quod album: autor lib. 18. Pli. Paulus Aegineta lib. 1. de his sic tradit: Cicera inflant, abstergunt genitale semen augent, Venerem stimulant, calculum terunt. At fricta flatum quidem emittunt, sed difficulter concoquuntur. A

Faba. Caput XCVII.

Faba inuersa.



Faba.



FAba inflationem excitat. ægrè concoquitur. tumultuosa somnia facit, tussi confert, carnem gignit *, media calidi frigidiq; natura. decocta in posca, & cum suo cortice esitata, dysenterias & cœliacorum profluuia sistit. contra uomitiones conuenienter manditur. inflatio leuior contrahitur, si aqua prior inter coquendum abijciatur. uiridis plus negocij stomacho exhibet, maioremq; flatum parit. Lomentum eius & per se, & cum polenta illitum, inflammationes quas uulnus excitauit, mitigat. cicatrices concolores facit. turgentes grumoso lacte mammas, etiam si inflāmatione tententur, adiuuat. lac restinguit. furunculos, sugillata, paro tidasq; cum fœnigræci farina & melle discutit. cùm rosa autem, thure & oui candido, procidentes oculos, tumores, uuasq; reprimit. subactum uino, suffusiones & ictus oculorum recreat. Manducata sine cortice faba, ad auertendas fluxiones fronti illinitur. decocta in uino testium collectiones sanat. quò tardius pubes erumpat, pueris imo uentri illinitur. uitiligines purgat. Fabarum cortice illiti capilli, qui post euulsionem renascuntur, gracilescunt, & minus alimenti capessunt. cum polenta, sciſſo alumine, & uetere oleo impositi cortices, strumas discutiunt. decocto earum lanæ inficiuntur. Faba dempto cortice in illas parteis diuisa, in quas suapte natura scinditur, imponi solet sanguinis defluxionibus ab hirudine concitatis: nanq; eas supprimit, si semisecta apprimatur. * Hoc quidam carent. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κύαμος. Latinis & Officinis faba.
Germanis, Bon. Gallicè febue, dicitur.

Faba nostris non ita damnatur, quemadmodum olim à Pythagora, maximè cùm fresa fuerit, hoc est, quæ mola leuiter confracta & decorticata fuerit. Altera enim solida dicitur, quæ adhuc integra & cum cute est. Fabalia. Fabalia uerò sunt cortices & siliquæ, de quibus Columella inquit, se audisse ueteres rusticos malle matura fabalia, quàm fructum trimestrem, cuius ratio ex Plin. colligitur. Nam siliquæ caulesq; gratissimo sunt pabulo pecori. Folliculi uerò eius apud Festum ualuuli dicuntur, sed quod in summo fabæ nigricat, hilum est.

Faba inuersa, quæ uocatur Germanis Gewandtbonen, uel Baumbonen, quasi uirgultis innascitur: foliis trifolij. Altero anno fructificat.

Faba Aegyptia. Caput XCVIII.

Aegyptia

A AEgyptia faba, quam aliqui Ponticam uocant, in Aegypto plerumq; prouenit. in Asiæ etiam Ciliciæq; lacubus inuenitur. Folia habet ampla, etiam si ad arborum frondes* comparentur: caulem cubitalem, digiti crassitudine: florem roseum, dupla papaueris amplitudine. & ubi flore exuitur, fert folliculos uesparum fauis similes, in quibus faba supra operculum, bullantis ampullæ modo, prominet. Cyborion ideo nominant, id est, arculam, quoniam seratur ipsa, humenti glebæ mandata, & ita in aquam demissa. Radice firmatur harundine crassiore, quæ cruda coctáue estur. ei colocasiæ nomen est. Faba uirens mandatur, & exiccata nigrescit. uulgarem magnitudine superat. Adstringendi facultatem obtinet, & stomacho utilem, dysentericis, cœliacisq; prodest, insparso, polentę uice, lomento. datur quoq; in pulte. Cortices in uino mulso decocti, si terni inde cyathi bibantur, magis proficient. Facit ad aurium dolorem, quod in earum medio uiride spectatur, gustu amarum, si tritum & cum rosaceo coctum instilletur.

* Alij, galeri modo.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Colocasia. *Plinius totam plantam Aegyptiæ Fabæ colocasiæ nomine intelligit: quam lib. 21. sic depingit: In Aegypto nobilissima est colocasia, quam cyamon uocant aliqui. Hanc à Nilo metunt: caule cùm coctus est harenoso in mandendo. Thyrso autem qui inter folia emicat, spectabilis, foliis latissimis, etiam si arbores comparentur, ad similitudinem eorum quam personatiam in nostris amnibus uocamus: ad eoq; nihil suis dotibus gaudet, ut implexis colocasiæ foliis in uariam speciem uasorum potare gratissimum habeant, unde illud Horatij: Ciboriū exple. Et Strabo geographiæ lib 17. ait: In Aegypti lacubus ac paludibus biblus nascitur, et Aegyptia faba, ex qua Ciborium fit (& paucis interpositis ipsam describentibus uerbis ait:) oblectantur autem mirum in modum scaphis Thalamegis densissima fabeta subeuntes, & eorum foliis lumbrati, quæ adeò magna sunt, ut poculorum & catinorum usum præbeant. Habent enim concauitatem quandam ad id idoneam: unde Alexandrinæ officinæ ijs plenæ sunt, & ut uasis utuntur.*

Faba & semen ipsum quod amarum est, uiride ægrè concoquitur, exigui nutrimenti est, & inflat. Siccatum tamen minorem inflandi uim habet, autore Theophrasto & Athenæo.

B



* Alij, emollit.

Lens. Caput XCIX.

LEns frequenti cibo aciem oculorum obtundit. ægrè concoquitur, stomachum malè habet, eumq; & intestina inflat, sed aluum cum cortice cocta sistit*. Præstat in cibo quæ facillimè coquitur, nihil atri in macerationè reddens. uim habet adstringendi, qua ex caussa aluum cohibet. si detracto antea cortice discoquatur accuratè, primaq; aqua inter coquendum effundatur (quippe primum id decoctum uentrem resoluit) somnia tumultuosa excitat. capiti, neruis, ac pulmoni inutilis. melius suo fungetur munere contra alui fluxiones, addito cum aceto intybo, aut portulaca, aut beta nigra, aut baccis myrti, aut putamine punici, aut aridis rosis, aut mespilis, sorbisue, pyris Thebanis, aut malis cotoneis, aut cichorio, aut plantagine, aut gallis integris, quæ post decoctionem abñciuntur, uel uua rum rhois, quæ obsonijs insparguntur. uerū acetum cum eo diligenter percoqui debet, aliàs aluum conturbat. Contra subuersionem stomachi, triginta grana lentis delibrata deuorari proderit. decocta cum polenta, & illita, podagras lenit, sinus cum melle glutinat, crustas rumpit, ulcera purgat. decocta in aceto duritias & strumas discutit. cum cotoneo aut meliloto medetur inflammationibus oculorum, sedisq;, addito rosaceo: sed in amplo sinu aut inflammationibus

tionibus fedis,quæ maius remedium exigunt,cum putamine punici,ac ficcis rosis, A
adiecto melle,decoquitur.nomis quæ in gangrænam euaserunt,adiuncta maris a-
qua,pustulis,& his quæ serpunt,igni sacro,pernionibusq;,ut antea dictum est. con
tra mammas in quibus lac in grumos coijt,& præ nimia sui copia profunditur,co-
cta in aqua maris,& illita auxiliatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lenticula,quæ & lens,Germanis,Linsen. Gallis Lentile.

Græcis uerò, quia edendo est, φακὸς ἐδώδιμος, dicitur,leguminis genus est,cuius duo genera in Aegypto dicit esse lib.18.cap.12.Plinius. Alterum rotundius,nigriusq; : Alterum sua figura. Vnde uario usu trãs latum est in lenticulas nomen.Inuento apud autores æquanimitatem fieri uescentibus ea. Laudatur maximè quæ apud Pelusium nascitur oppidum. Vnde illud Vergilij: Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis. Et Ausonius in monosyllabis ait: Et Pelusiaco de semine planta,teres lens. Martialis item: Accipe Niliacam Pelusia munera lentem.Vilior est alica,tarior illa faba. Optima ut Plin. lib.22.cap. ultimo tradit, quæ facillimè coquitur,eaq; quæ maximè aquam absorbet. Aciem oculorum & stomachum inflat,sed aluum sistit in cibo,magisq; discocta aqua cœlesti.Eadem soluit minus percocta.Propter dissolutionem stomach.30. gra ualentis deuorantur.Celsus ipsam inter ea quæ aluum adstringunt,enumerat,his uerbis: Lenticula cui uel Betta uel Intubus,uel ambubeia,uel Plantago adiecta est: magisq; etiam si illa antè fricta est.

Phasioli. Caput C.



PHasioli inflant,spiritus cient.ægrè coquuntur. uirides cibo aluum emolliũt, ad uomitiones idonei.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Phaselus differt à phascolo,& phasiolo,ac ochro,quem Gaza nunc ciceram,nunc eruilium transtulit,super quo multum hodie inter clarissimos Medicos controuertitur. Annumerantur autem non tam leguminibus,quàm iumentorum pabulo. Ea igitur uisa est mihi ratio,cur uilem Verg.mancuparit.Editur tamen in quibusdam regionibus in modũ phacoptisanæ,id est,Ereborum cremore,cuius & Plinius meminit. B

Eruum satiuum.



Eruum. Cap. CI.

ERuum paruus frutex omnibus cognitus,angusto folio,tenuis, semina in ualuulis habẽs, è quibus farina fit, nomine eruina,ad medendi usus conueniens:eruum capiti onerosum est.aluum subturbat.sanguinem per urinam extrahit.elixo boues saginantur.Parandæ farinæ ratio hæc est: uberiora grana candidaq; deliguntur, permiscendoq; aqua respergunturdonec sufficienter combibant: postea torrentur, usq; dum hians cortex disrumpatur:molitaq; farinario cribro incernuntur: postremò farina recondítur.Hæc aluo utilis est. urinã ciet. meliorem colorem efficit. sanguinẽ per uesicam aut aluum cum torminibus elicit,si largius in cibo aut potu assumatur. ulcera cum melle purgat. lentigines & uitia cutis in facie,& maculas, totumq; corpus emendat.nomas,gangrænas, duritiásq; serpere non patitur. mammarũ duritias emollit.atra ulcera quæ therio mata uocant,fauosq; emarginat.carbũculos rumpit.cũ uino subacta illitu mox

A sibus uiperarum, canum, hominumq; medetur. urinæ difficultates, teneſmosq; ex aceto mitigat. Eruum tabidis, qui alimentum non ſentiunt, toſtum, & ad nucis magnitudinem melle exceptum, ſumptumq;, conuenit. Eius cremor perniones, & pruritus in toto corpore, ſanat fouendo.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, ὄροβος. Latinis & Officinis, Eruum, ab eruendo dicitur.

Germanus peregrinum. In Gallia Narbonenſi, ers.

Eruum calidum primo ordine, ſiccum ſecundo, amarum proinde, incîdit, terget, obſtructiones liberat, lotio uſu ſanguinem per urinas euocat, præſertim ruſum. Nam Eruum non candidum, ſed ruſum uehementer amarum eſt, candidum dulcius. lib. Antid.

Gal. lib. 8. ſimp.

Lupini. Caput CII.



B

SAtiuus lupinus notus eſt. Cuius farina cum melle delinctu, aut potu, uentris animalia expellit. ipſi quoq; macerati, & cum ſua amaritudine eſitati, eadem efficiunt. Decoctum eorum idem munus præſtat, cum ruta & pipere potũ. quare lienoſis prodeſt. eodem ulcera tetra, quæ theriomata uocant, gangrænas, incipientem ſcabiem, eruptiones puſtularum, ulcera in capite manantia, uitiligines, maculasq; foluere utiliſsimum, menſes & partus extrahit, cum myrrha & melle ſubditum in uellere. Eorum farina cutẽ liuoresq; corrigit. inflammationes cum polenta & aqua mitigat. tubercula, & coxendicum cruciatus ex aceto lenit. ſtrumas in aceto cocta illita q; diſſipat. carbunculos rumpit. Decocti cœleſti aqua, donec in cremorem lenteſcant, faciem abſtergunt. medentur pecorum ſcabiei, cum radice nigri chamæleontis, ita ut tepente decocto abluantur. Cit urinam radix cum aqua cocta. Lupini triti, ubi maceratu dulceſcere cœperint, cum aceto poti, faſtidium detrahunt, & cibi auiditatẽ faciunt. Gignuntur & ſylueſtres lupini, ſatiuis ſimiles, ſed omnino minores, qui eadem quæ ſatiui poſſunt.


NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, θέρμοι, οἱ. Latinis Lupini, quòd inſtar lupi terræ ſit appetens: ad quod & nomenclatura Germanorum alludit.

Officinæ genuinum nomen retinuere. Germanis, Feigbonen/Wolffsſchoten/Wickbonen. Gallis Lupini, dicuntur.

Lupinus eſt ſatiuus, idemq; uel dulcis, uel amarus: agreſtis uerò minor, ſed amarior, & ad omnia ualentior domeſtico, terget, tenuat, incidit, digerit, ſiccat ſine morſu: uitiligines, pſoras, achoras, ulcera cacoëthe ſanat, lumbricos necat ſumptus & admotus, iecur & lienem purgat, phymata, cheradas, liuida ex aceto uel poſca, uel oxymelite, pro ægri natura, & affectus uarietate, coctus digerit.

Rapum. Cap. CIII.



DEcocta rapi radix alit. inflationem parit, humentem ac fluxam carnem creat. uenerem ſt mulat decocto podagræ, perniones q; fouentur: contrito q; rapo atque impoſito iuuantur: ſi excauatæ radici roſaceum ceratum adigatur, & feruenti cinere eliqueſcat, exulceratis pruriombus proficiet. Cymæ eius decoctæ manduntur, & urinam ciunt. ſemen antidotis & theriacis, præſertim quæ ſenſum doloris auferunt, anodyna uocant, idoneum eſt potum contra uenena ſalutare eſt. Venerem concitat rapum. muria conditum, minus alimenti ſufficit, ſed multò magis appetentiã recreat.

Sylueſtre

Rapum syluestre.



Sylueſtre rapum in aruis naſcitur, frutico ſum, in cubiti altitudi A
nem aſſurgens, ramoſum, læue. in cacumine folia fert læuia, digi
tali latitudine, aut maiora: & fructum in ſiliquis calyculatis.
cumq; eorum inuolucra aperiuntur, alia intus ſiliqua ſpecta-
tur, quæ quandã capitis ſpeciem præbet, in qua ſemina paruu-
la cõcipiuntur, foris nigra, intus alba. Additur in medicamẽta
quibus ad detergendã cutẽ in facie, totoq; corpore utimur, præ
ſertim quæ ex lupini aut erui, tritici aut lolij farina, fieri ſolent.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, ῥάφυς. Latinis & Officinis Rapum, uel Rapa.
Germanis, Rüben. Gallis ung nauea.

Rapæ notæ ſunt & in cottidiano cibi uſu. Quondam ut alia ſalgama etiam cõ
diebantur: quarum condiendarum modum unum tradit in Decembri menſe Palla-
dius. Alium etiam modum habes apud Columellam lib. 12. cap. 54. Apud nos nunc
integra, reſecta herba in fõſſis ſubterraneis, ſubſtratis nucum aut aliarum arborũ
fõlijs, & coopertis adſeruantur: aut integra & deterſa, leuiterq; cocta cum alijs
oleribus ac pomis ac pyris in muria infuſa, in uaſis ſeruantur, pondere impoſito ut
ius ſupernatet. Interdum etiam leuiter cocta et munitißimè conciſa, ſaleq; plurimo
aſperſa, in doliolis ſeruantur.

Rapum ſyluestre, quod Græcis ῥαφυλὶς ἄγριος, Germanicè, Rapuntzlen. Gallis Raponcen, appellatur. Deſcribitur enim cubitali altitudine conſurgere, frutico ſum, in cacuminibus leue, fõlio glabro, longitudine digitali, aut interdum maiore. Fructum fert in ſiliquis caliculatis, dumq; ſeminum inuolucra debiſcunt, alia in tus capitulata cõtinetur ſiliqua, in qua paruula ſemina concipiuntur, foris nigra, ſed quæ fracta candicent.

Napum. Caput CIIII.

Raue de ſauoye.

Napus bunias.

B





Napus bunias ſyluestris.



Raue de Lymoſin.



A Cocta napi radix * inflat, modicùm alit. semen eius potum uenenorum uires hebetat: antidotis admiscetur. Conditur sale radix.

* Potius, Napus & eius radix cocta.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Βραβικὰς. Latinis & Officinis, Napus. Germanis, Steckrüben/satiuus, Trucken steckrüben/syluestris, Wald steckrüben. Gallis, Rouonnete, nauceau, Raue ronde de sauoye, ou de Limosin.

Eadem quæ rapa uires obtinent. nam congeneres sunt rapis, à quibus longitudine imprimis differunt. Plura eorum genera. Palma Romæ, ut libro 19. scribit Plinius, Amiternis datur, deinde Nursinis, tertia nostratibus. Hunc illud Martialis de napis: Hos Amiternus ager felicibus educat hortis, Nursinas poteris parcius esse pilas. Condiuntur etiam raparum modo, condituræq; rationem docet Col. libro 12.

Radix. Caput CV.

Raphanus syluestris.



Raphanus.

B

RAdix, quę Græcis raphanus dicitur, excalfacit. flatus gignit. ori suauis est, sed stomacho aduersatur. ructus ciet. urinam pellit. aluo aptior. summo tamẽ cibo sumi debet, quò magis eius distributionem adiuuet. cum autem prę sumitur, cibũ suspendit, quare uomituris cõmodissimè datur ante cibũ. sensuum aciẽ excitat: decocta cõtra ueterem tussim, & pituitæ crassitiẽ in pectore, efficax est cortex ex aceto mulso, celerius uomitiones mouet. hydropicis commodissimè illinitur. lienosis utilis sugillata cum melle rapit, & nomas emolitur. cõtra uiperarũ ictus auxiliatur. alopecias ad pilũ reducit. lẽtigines cum loliacea farina emẽdat his q fungis strangulantur, tã cibo quàm potu salutaris est. Semẽ uomitiones facit, urinã mouet, mẽses cit, lienem extenuat, cũ aceto illitũ gangrenas ualidissimè emarginat, coctũ cũ aceto mulso, anginis perquàm utiliter gargarizatur. cõtra cerastis morsus, potũ ex uino, auxilio est. Syluestris raphani, quã Romani amoraciã uocãt, folia satiuo similia, sed magis lampsanã imitantur. radix gracilis, tenera, subacris. Tam folium quàm radix in olera recipitur. sed hæc excalfacit, urinam concitat, æstuosa est.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, ῥάφανος, ὁ. Latinis & Officinis Radix, Raphanus. German. Rätich. Gallis, Refort. quasi radix fortis dicitur. Raphanus apud antiquiores Græcos pro Crambe, id est, brassica accipitur, apud posteriores uerò cũ Græcos cũ Latinos radicem significat, quæ comeditur, & quã radiculã uocat Celsus. Cui similitudo est plurima, ut inquit lib. 19. Plin. & uis mira obligandi spiritũ, laxandi q; ructũ, ob id cibus illiberalibus utiq; se proximè olus mandatur. Aegypto mirè celebratur propter olei fertilitatẽ, quod de semine eius faciũt. Frigore adeò gaudet, ut in Germania, præcipuè in agro Argentinensi, infantiũ puerorũ magnitudinẽ æquet. Vtilissimi in cibis hyberno tẽpore existimantur: ijdemq; dẽtibus semper inimici, quoniã atterant. Mirumq; omnibus uehementiam saporis inesse, Cæsar de agricultura lib. 12. cap. 22 ex Florentino. Succus ipsorum ex aquâ acceptus, boletis & uenenis resistit. Si uerò raphani succo quis manus suas probè illinat ac confricet, intrepidè & citra periculum reptilia ac serpentes apprehendet. Dulces erunt, quorum semen in uino, aut uuarum passarum succo fuerit maceratum. Raphanus syluestris, cuius pictura hæc est, Græcis Ἀγρία, ἡ ἀκανθώδης, πρὸς θεοφράστου, Latinis, Amoracia. Germanis, Bederich/dicitur.

Siser.

Siser. Caput CVI.

Siser.



SIser uulgo cognitum. Cuius radix decocta ori grata est, & stomacho utilis, urinam ciet, & appetentiam inuitat. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σίσαρον.
Latinè, Sisaron & Siser.
Germanis, Geirlin/ & Girgelin.
Gallicè, Cheruy.

Plinius libro 19. mox post pastinacæ genera sic scribit: Siser & ipsum Tiberius princeps nobilitauit, flagitans omnibus annis è Germania. Geldubа, appellatur Castellum Rheno impositum, ubi generositas præcipua. Ex quo apparet frigidis locis conuenire. Inest longitudine neruus, qui in decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relicta, quæ mulso in cibis temperata etiam in gratiam uertitur. Et lib. 20. idem ait: Stomachum excitat, fastidium abstergit siser.

Lapathum, siue rumex. Cap. CVII.

Lapathum acutum.



Oxalis. B



EX generibus rumicis, oxylapathum uocant, quod in acutum tendit, prædura habens extrema, non nisi paludibus nascens. alius est satiuus, illi dissimilis. tertium genus syluestre, paruum, plantagini proximum, humile & tenerum. quartum est, quod alij oxalida, alij anaxyrida, aut lapathon uocãt. folia eius syluestri ac exiguo rumici similia, caule non magno. semine subacuto, rubente, acri, in caule & agnatis appendicibus emicante. Omnium decocto olere aluus emollitur. crudi illitu melicerides, rosaceo aut croco adiecto, discutiuntur. Syluestris & oxylapathi, & eius quam oxalida nominant, semen ex aqua aut uino utiliter bibitur cõtra dysenterias, & cœliacorum affectus, stomachi fastidia, scorpionum ictus. quod si quis in potu præsumat, nihil molesti ex ictu patietur. Radices ex aceto coctæ aut illitæ crudæ, lepras, impetigines, & scabrosos ungues persanant. sed antea locus aceto & nitro in sole perfricandus est. pruritus corporis decoctum earum sedat, si fo

A ueatur,aut in ſolijs balnearum confricetur.coctæ in uino & inſtillatæ,aurium dentiuḿq; dolorem mulcent.ſtrumas parotidaśq; diſcutiunt. lienem cum aceto extenuant.aliqui amoliendis ſtrumis radicum geſtamine utuntur, eas collo appendentes tritæ & admotæ fœminarum profluuia ſiſtunt.cum uino autem potæ, regio morbo medentur.calculos ueſicæ comminuunt.menſes cient.ſcorpionum ictibus auxiliantur. Hippolapathon olus eſt magnum, in paludibus naſcens.eaſdem habet uires quas ſupradicta rumicis genera.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lapathi ſiue lapatij(utrunq; enim dicitur) plura ſunt genera; Vnum quod oxylapathon,quaſi acutum lapatium,uocatur. Germanis,Lendewurtz/Wengel oder Wendelwurtz.Gallis, Herbe aux trigneulx appellata,paluſtribus locis naſcens,ſolijs duris, & in cacumine acutis.

Secundum genus eſt hortenſe,Λάπαθον κηπαῖον Græcis Zam̃ Lendenkraut/Germanis. de la lampe apud Allobroges dictum priori omnino diſſimile,folia habens lata,ſimilia betæ.

Tertium genus eſt agreſte,Græcis Λάπαθον ἄγριον. Germanis,Breyt Sauramppfer,breue.plantagini ſimile,molle,& in terra iacens.

Rhabarbara monachorum.



B

Quartum poſtremò eſt,quod quidam ab aciditate ſaporis oxalida appellant,alij amaxyrida, aut agreſte lapathum.

Græcis ὀξαλίς.

Officinis acetoſella. Cretes oxynidam uulgo dicunt.

Germani, Spießampher dicunt, cuius folia tertio generi ſimilia ſunt, & eius caulis non adeò grandis eſt, ſemen acuminatum, colore rubro, ſapore acri, quod in caule & adnatis naſcitur.

Eſt & quod Hippolapathon, id eſt, grande lapathum à Græcis uocatum.grande olus in paluſtribus naſcens.

Sunt quĩ Monachorum Rhabarbarum, ſic hodie tam quam peregrina & incognitã res,appellatum. ſpeciem Rumicis ſiue Lapathi eſſe contendunt,cuius picturã ſuprà. Plinius hæc genera aliter tradere uidetur libro 20.cap.2.Lapathum digerit modicè, oxylapathum digerit, & repellit,utriuſq; ſemen leuiter aſtringit, unde dyſenterias & diarrhœas ſanat, præcipuè oxylapathi. Hippolapathum,quod in aquis omnino naſcitur, eadem præſtat,ſed imbecillius: idem uerò ualentius fuerit in hortos hodie translatum.

Lampſana. Cap. CVIII.

LAmpſana ſylueſtre olus eſt. plus alit quàm rumex,& ſtomacho utilius, cuius folia cauleśq; coquuntur in cibo.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,Λαμψάνη. Latinè,Lampſana, holus ſylueſtre.

Germanis,Wild kôl/Wild ſenffkraut/Weiß Heyderich.

Rura Galliæ Sanuas albas,quaſi ſylueſtres napos uocant,de ſanues blanches.

Bunium. Caput CIX.

BVnium caulem emittit quadrangulum,& in eo folioſos ramulos,tenues,prætenuibus foliolis & floſculis ſcatentes,longitudine digitali: folia propter radicem,apio ſimilia,ſed multò tenuiora,& quæ modo quodam folia tribuli imitentur.

Bunium.



tur. flores anethi. semen odoratum, minus hyoscya A
mo. Excalfacit bunium. urinam ciet. secundas detrahit. lieni, renibus & uesicæ utile. eo humenti ari dóue utuntur, exempto radice & caulibus succo, ex aqua multa.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Βούνιον. Latinè, Bunium.
Germanis, S. Barbaren kraut.
Gallis herbe au charpentier, dicitur.

Vulnerariam herbam esse, & temperamentum eius & experientia docet. His uerò potissimùm ulceribus medetur, quæ impura sunt, & in quibus caro supercrescens fuerit: nam quia ualenter siccat, ideo sordes extergere, & carnes minuere potest.

Blitum. Caput CX.



BLitum estur oleris modo. aluo utile est. nullius in medicina usus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Βλίτον, & Βλῆτυ.
Latinis, Blitum.
Officinæ cum beta confundunt.
Germanis, Mayer.
Gallis Porrete rouge, Tourgon in Narbonensi agro, du blit, breyon apud Sabaudos.

Blitum imbecilliter refrigerat & humectat, libro 2. comp pharma. in secundo recessu à temperatis, lib. 6. simp. iam uulgare est.

Malua. Caput CXI.

MAlua satiua esui longè aptior syluestri, stomacho aduersatur. aluum iuuat: sed multò magis caules. interaneis & uesicæ utilis. cruda folia cum salis exiguo manducata, ęgilopas ex melle sanant. uerùm cùm cicatricem trahere cœperint, ea demum citra salem utendum est. contra aculeatos apium uesparumq; ictus, illita efficax est. eadem cruda cum oleo trita perunctis, non feriuntur. ulcera manantia in capite, furfuresq; cum urina sanat. sacris ignibus & ambustis decocta folia, tritaq;, utilissimè ex oleo imponuntur. Eius decoctum uuluas insessione mollit. prodest erosionibus uesicæ, & intestinorum, uuluæ, sedisq; clystere infusum. ius decoctæ cũ radice sua, contra omnia uenena auxiliatur, si continuò à bibentibus reuomatur. contra phalangiorum morsus remedio est. lac euocat. semen in uino potum, addito loti syluestris semine, uesicæ cruciatus lenit.

A



Malua satiua.



B



Malua minor.
Braun Gensbappel

NOMINA ET EXplicatio.

Quæ maiores, aut minores dicantur maluæ, satis ex Plinio lib. 20. capit. 21. colligere licebit, ubi de maluis et earum generibus agens, sic scribit: In magnis laudibus malua est utraq; & satiua & syluestris. Duo genera earum amplitudine folij discernuntur. Maiorem Græci Malopen uocant in satiuis, alteram ab emolliendo uentre dictam putant malachen. E syluestribus, cui grande folium & radices albæ, althea uocatur, ab excellentia effectus à quibusdam archestalthea. Ex quibus Plinij uerbis colligitur, maluas bifariam inter se diuidi, sumq; prima & præcipua illarum genera duo. Satiua siue hortensis, Græcis Μαλάχη

Μαλάχη κηπαία: Germanis, Römisch bappel dicta, & syluestris, Μαλάχη ἄγριος. Germanis, Gemeyn bappel, appellata. Quarum utraq; iterum in alia duo secernitur. Prior quidem illa in satiuam & hortensem, quæ in hortis ad ciborum usum serebatur, & qua pro olere utebantur: & in eam quæ locis incultis nascitur syluestris, quæ etiam edendo fuit sed minus quam alia. Posterior autem quæ syluestris est, duabus illis undiq; procerior, & altius à terra erigitur: & in hortis crassior arborescit, unde à Galeno anadendro malache, quasi arborea seu arborescens malua, Germanis uerò, Ertröſen/ & Herbſtroſen/ uocatur. Quartum maluæ genus, quod itidem syluestre est, Germanicè Roſsbappel dicitur. Galli maluã Maule, appellant, arboreſcentem uerò roſes doultre mer, id est, rosas ultramarinas. A

Maluas aluum mollire, testatur etiam Martialis, hoc disticho:

Vtere lactucis, & mollibus utere Maluis:
Nam faciem durum Phœbe cacantis habes.

Et Paulus Aegineta lib. 1. inter oleraceas culenta non connumerat, & aluum subducere testatur, cùm ait: Maluæ frigerat quidem, sed obscurè, magis uerò humectat, atq; ob uiscositatem aluum ducit.

Nec his tantùm contenta est dotibus, sed dici horas insuper nobis ostendit, ad solem circumagendo folia, ut testatur Theophrastus & Columella. Quam ob causam etiam ab aliquibus heliostrophos uocata est, ut refert Apuleius.

Atriplex. Caput CXII.



ATriplicem aliqui chrysolachanon uocãt. cognitũ olus est. Duo eius genera: syluestre & satiuũ. coctũ estur, tu olus. aluũ mollit. panos discutit, siue crudũ, siue coctum illinatur. semen cum aqua mulsa potũ, regium morbum sanat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Ἀτράφαξις, πηγάνου ἄγριος αὐξωνις.
Latinis, Atriplex, Veteribus Atriplexum.
Germanis, Burckhart/ Jam mitren.
Gallis bonnes dames arroches bonnes femmes, fõllete, à gustu insipido.
Syluestris atriplex, ἀτράφαξις ἄγρια Græcis. B
Germanis, Scheißmalter/ Wilden burckhart/ Myſtmulten/ dicitur.

Non parum miror, Bertrutium Bononiensem ut doctiß. ita etiam accuratißimum in docendo uirum, in numerum laudatarum herbarum recensuisse Atriplicem, quum adeò parum commoda sit stomacho, ut non contentus Galenus hãc herbam cum oleo & garo miscuisse, ob eam causam acetum quoq; addat, quò facilius citiusq; secedat è stomacho. Eadem ille gratia blitum quoq; condit ob humorem aquosum utriq; familiarem. Atriplex tamen in maiore neglectu fuit olim, si fides habenda Plinio est, quippe accusatum à Pythagora fuit olim, tanquam faceret hydropicos, morbumq; regium, & pallorem: coqui præterea difficilimè, & in hortis nihil nasci iuxta id, nisi languidum, culpauit. Addidere Dionysius & Diocles, plurimos ex eo gigni morbos, nec nisi mutata sæpius, aqua coquendum, stomacho contrarium esse, lentigines & papulas gignere, &c.

Brassica. Caput CXIII.

Brassica sessilis.



BRassica satiua aluo est idonea, si modò leuiter feruefacta edatur: nam percocta aluum sistit. sed multò magis bis cocta, aut quæ in lixiuio coquitur. stomachum autem malè habet. acrior est æstiua. in Aegypto propter amaritudinem non estur. cæcutientibus & tremulis esse prodest. summo cibo sumpta crapulam discutit, & uinum noxam restinguit. melior stomachocyma: sed acrior, & ad ciendam urinam ualidior. ea condita stomacho inimica est. aluum conturbat. Crudus succus cum nitro & iride deuoratus, aluum emollit. cum uino quoq; epotus uiperarum morsibus auxiliatur. cum fœnigræc farina, podagris & articulorum uitijs illinitur. prodest & sordidis ulceribus, & uetustis, illitus, caput purgat naribus infusus. menses extrahit, cum loliacea farina inditus. Folia per sese illita, aut cum polenta trita, conferunt inflammationibus, tumoribusq;

epinyctidas,

A Crambe. Braſsica criſpa.





epinyctidas, ignem ſacrum, leprasq; ſanat. carbunculos ex ſale rumpunt. fluentes capillos retinẽt. cocta, addito melle, aduersus depaſcentia ulcera, gangrænasq; ualent. lienoſisq; ex aceto cruda proſunt. mãſa, deuorato ſucco, retuſam uocem inſtaurant. Decoctum eius potu, aluum & menſes ciet. Flos poſt conceptionẽ in peſſo ſubditus, partum abortu uitiat. Semen eius, præſertim quæ in Aegypto naſcitur, potum tineas repellit. in antidota theriaca additur. faciei cutem lentigines q; expurgat. Virentes cauliculi cum radice cremati, & adipe porci uetuſto excepti, diuturnos laterum dolores mitigant.

Criſpa apifolia.

B



NOMINA ET EXPLICATIO.

Braſsica, ut Cato dicit, antiſtat, & ad ſalutem tempora conſeſe ſemper cum calore, & rigore arido, ſimul & humido, & dulci, & amaro, & acri. Quatuor earum genera. Prima eſt leuis, quæ nominatur λάπα. Germanicè, Breyter Kol. grandibus & latis foliis, caule magno: ualidam hæc habet naturam, & uim magnam: Altera eſt criſpa, quæ à ſimilitudine apij, σελινοειδὴς Græcis, Germanis Krauſer Kol, uocatur: hæc eſt & aſpectu & natura bona ad curationem, ualidiorq; eſt quàm quæ ſupra ſcripta eſt. Item eſt tertia, quæ κεφάλη, uocatur, minutis caulibus, tenuioribus foliis, ob id Germanis, Kleiner Kol dicta, acerrima omnium eſt iſtarum, tenui ſucco uehementiſſima. Eſt & quartum genus, Græcè κεφάλη πεφαλωτὴ. Latinis Braſsica lacuturris, uel tertia, aut ſeſſilis, ſiue Capitata. Germanis, Cappis Kraut. Gallis, Capini uel cabini coles, nonnulis albi, uocata. Reliqua Braſsicæ genera Galli communi uocabulo choils, id eſt, caules, appellant. Caulis enim etſi dicatur in herbis roburipſum ſiue ſtirpes, ſæpius tamen ob ſui caulis ac thyrſi magnitudinem, pro braſsica ſumitur.

Eſt autem Braſsicæ peculiaris quædam uis contra uina, ut Dioſcorides hoc loco tradit, ebrietatis & crapulæ noxas tollit, à cibo ſumpta: imò & Plinius hiſtoriæ naturalis lib. 20. Græcorum opiniones referens, ſcribit Braſsicam uino aduerſari, ut inimicam uitibus: antecedente quidem cibis caueri ebrietatem propter ſumpta, crapulam diſcuti, Cuius rei rationem ex Ariſtotele colligere licet in problematis. Amplius de Braſsica ſcribit Plinius lib. 19. cap. 8 & lib. 17. cap. 24. Braſsica eſculenta ſapore nitroſo, parum acri, ſiccat, tergit, ſumpta & admota, induratas phlegmonas digerit, lepras terget, ulcera etiam maligna glutinat. Cinis uſtorum eius caulium ſiccitate eſt cauſtica, cum adipe ueteri miſtus, ueteratos laterum dolores diſcutit.

Braſsica ſyluestris. Cap. CXIIII.

Syluestris

Weiß heyderich.



Gůt heynrich.



SYlueſtris braſsica, maritimis prę ruptisq; locis magna ex parte gignitur: ſatiuę ſimilis, ſed candidior, hirſutiorq;, amara. cuius cyma in lixiuia cocta, ori non inſuauis. Folia illitu uulnera conglutinant, & inflammationes tumoresq; diſcutiunt. A

NOMINA ET EXplicatio.

Hæc uidetur eadem herba eſſe, de qua ſuprà cap. CVII. egimus.

Germanis, Weiß Heyderich, uel ut alij uolunt, Gůtheynrich.

Braſsicæ ſylueſtris ſemen maximè tenuat, efficaciter ſiccat, & digerit lib. 4. comp. pharma. part.

Braſsica. Cap. CXV.

MArina braſsica à ſatiua prorſus abhorret, quòd folia ferat rotundę ariſtolochię, prælonga, tenuia: ſingula à ramulis rubentibus exeunt, ſingulari, ut hedera, pediculo. albo B ſucco prædita eſt, ſed pauco, ſalſo guſtu, & aliquantum amaro, pingui concretu. Herba in totum ſtomacho inimica, acris. uehementiſsimè aluum ciet, in cibo cocta. coquitur propter acrimoniam cũ pingui carne.

Soldanella.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Κράμβη θαλαδία.

Latinis, Braſsica marina.

Officinis Soldanella.

Germanis, Meerkól.

Gallis Soldana, appellatur.

Braſsica marina ſubſalſa, & ſubamara, uentrem deiicit, & cætera præſtat, quæ has qualitates ſequi conſueuere.

Beta. Caput CXVI.

BEta duorum generum eſt. è quibus nigra coquitur cum lenticula, ut uentrem ſiſtat, quod magis radice eius præſtatur. candida aluo utilis eſt. utraq; tamen propter nitroſum humorem, quem habet in ſe, noxij ſucci eſt. Vnde ſuccus earum cum melle naribus indi-

rus, caput purgat, aurium doloribus auxiliatur. Decoctum radicis & foliorum, furfures lendesq; deterget. perniones fotu mitigat. crudis foliis uitiligines, nitro antè perfrictas: alopeciarum manitates, ſcalpello prius exaſperatas: atq; depaſcẽtia ulcera, illini prodeſt. eruptionibus papularum, igni ſacro, ambuſtisq;, cocta medetur.

NOMINA

A NOMINA ET EXPLICATIO.

Beta. Beta nigra.



B Beta hortensiorum leuissima. Vnde illud Martialis: Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ, O quàm sæpe petet uina, piperq; cocus. Eius duo genera: nigra, quæ Græcis, σεύτλον μέλαν. Germanis, Roter mangolt / in inferiori Saxonia Rot rüben, ob radicis magnitudinem exuberantem: & altera alba, quæ Græcis, Σεύτλον, λευκὸν, τεύτλιον, τεύλις. Germanis, Weiß mangolt. Gallis Peres, dicitur & altera præfertur, melioris q; succi est, autore lib 8. Theophrasto. Mira differentia si uera est, inquit, lib. 19. Plinius, candidis solui aluos, modicè nigris inhiberi. Et cum brassica corrumpitur in dolio uini sapor, odore betæ, foliis demetsis restitui. Medici innocentiorem quàm olus esse iudicauere, quam ob rem appositas memini deglutire etiam religio est, utq; ualidæ potius in cibo sint. Semina ijs natura & oleris, & capite ipso exilientis. Nã ut Paulus Aegineta lib. 1. ait: Bliti, Lactucæ, atriplicis, maluæ, & betæ planta humida, asparagi uerò succus est. Per asparagum autem intelligit, quod primum, & nondum in folia explicitum earum plantarum ex terra prodit germen, &c. Nec sine remedio est utraq; Beta, uiridis, alba, & nigra, nitrosæ est facultatis, qua digerit sine calore manifesto, terget, per nares purgat, alba & hæc ualentior: nigra substringit, præsertim radice: coquendo has uires exuit.

Asparagus quid.

Lib. 8. simp. & lib. 6. pha. par.

Portulaca. Caput CXVII.

POrtulacæ uis astringit. capitis doloribus, inflammationibus oculorum, cæterisq;, cũ polenta imponitur. ardoribus stomachi, sanguinis fluxioni, ueficæ doloribus, auxilio est. commanducata, dentium stupores sedat. stomachi & intestinorum æstuationem, fluxionesq; mulcet. renes & ueficam adiuuat, etiam si erosionem sentiant ueneris

Portulaca satiua.



Portulaca sylvestris.

ueneris impetus exoluit. succus epotus simili effectu prodest, in febribus ualens. contra teretes uentris tineas, cruentam excreationem, dysenteriam, hæmorrhoidas, & profluuia sanguinis, percocta efficax est. item cõtra sepis morsus. oculatibus medicamẽtis utilissimè commiscetur. interaneis fluxione laborantibus atq; uulua rũ erosionibus infunditur contra dolores, quos æstus excitauit, caput ex rosaceo & oleo fouetur. eruptiones papularum in capite, cum uino emendat. uulneribus quæ ad tyderationem spectant ex polenta illinitur. A

NOMINA ET explicatio.

Portulaca, Græcis ἀνδράχνη. B

Latinis & officinis Portulaca. Germanis, Burtzelkraut/Burtzelen/Burgelen/Gronsel. Brabantis, Porceleyne. Gallis, Pourpier, Porcelles.

Portulaca in duas species distribuitur. Vna in hortis emicat cauliculis teretibus, in altum erectis, lentè uergentibus in punicum, foliis pinguibus, à tergo candidis, gustu subsulso, semine nigro, in herbaceis calycibus collecto. Alia sponte sua in uitibus nascitur, & ternis quaternisue coliculis in terra sessilibus serpit, cultáq; latius uagatur, folio carnoso, uerùm turbinatiore, cætera priori consimilis.

Portulaca frigida ordine tertio, humida secundo, subaustera: fluxiones biliosas, & æstus febriles maximè cohibet sumpta, & admota, Hæmodium, id est, dentium stuporem non omnem, sed eum solum, quæ ab acerbis, austeris, acidis est nata, sanat, quia ab his asperè exiccata lenit, & replet humiditate lenta: uel quia suo lentore aciculo hærens ac subiens, acorem illum sibi affinem sapore ex dente extrahit, ut Aristoteli placet, huius autem effecti omnibus cogniti causam inexplicabilem, & soli Deo notam, scribit Aphrodiseus mitio problematum suorum. Gal. lib. 2. c. ph. part. & lib. 6. simpl. & de optima secta.

Asparagi. Caput CXVIII.

COrruda siue sylvestris asparagus uulgaris est notitiæ. Huius cauliculi in cibo cocti uentrem emolliunt, urinam cient. Radicis decoctum contra urinæ difficultatem, regium morbum, renum uitia, & coxendicum cruciatus, in potu proficit. cum uino autem, phalangiorum morsibus auxiliatur. si decocti succus super dente contineatur, eius dolori medetur. semen potum ad eadem ualet. canes, ut aiunt, si decoctum bibant, emoriuntur. Asparagum etiam nasci prodiderunt, arietis corni bus contusis, atq; defossis. quod, quantum equidem sentio, planè à uarietate abhorret. Altilis autem asparagus multis ramis fruticat, foliis fœniculi, longis, numerosis: radice rotunda, grandi, spongiam habente. Huius teneri cauliculi triti in uino albo, renum dolores sedant. assus autem coctúsue, urinæ stillicidium, difficultatem q̃, & dysenterias mitigat. Radix cum uino aut aceto cocta, luxatos artus mulcet. deco-

A

Asparagi.



Syluim.

B

cta cum ficis aut ciceribus, sumpta, re
gium morbum sanat: coxendicis cru
ciatus stranguriamq; leuat. alligata
radix, aut haustum eius decoctum, cō
ceptum adimit, & sterilitatem aufert.

NOMINA ET EX-
plicatio.

Asparagus, uel Athenienſium more per ph.
Aſpharagus, uel etiam apheresi, Sparagus, gene
ratim quidem est coliculus tenerior herbe, frutis
cis, arboris, ad fructum & semen increscens ſpe
ciatim uerò herba uulgo nota, eaq; duplex, radi-
ce utilis & semine, ad detergendas renum & he
patis obstructiones. Regij, qui in hortis nascitur,
& Helij, id est, palustris, meminit Galenus lib.
2. alimentorum: & huius etiam initio libro 1.
comp. pharmaco. part. ad icterum: & illius libro
5. simpl. Petræi autem libro 6. simpl. qui post in-
uentos altiles asparagos, Corruda propriè dici-
tur: Polluci autem syluestris asparagus, Hic
multò est satiuo efficacior.

In asparago mas à fœmina semine separatur.

Asparagus Græcis ἀσπάραγος.

Officinis genuinum nomen seruauit.

Germanis, Spargen.

In inferiori Germania, Corraelcruyt.

Gallis Esparge, dicitur.

Plantago. Cap. CXIX.

Maior.



Minor.



Duo

Media.



DVo plãtaginis genera. minor folia habet an A
gustiora, minora, molliora, leuiora, & tenuiora: caule anguloso, in terra sessili: floribus pallidis: semine summis caulibus emicante. altera maior, lætior, uirentiorq; latis constans foliis, oleracei generis. cuius caulis cubiti altitudinem petit, angulosus, subruber, à medio ad uerticem tenui semine circundatus, radicibus nititur teneris, hirsutis, candidis, digitum crassitudine æquantibus. Nascitur in lacunosis, sepibus & locis humidis. multò utilior magna est. Vim habent folia exicatoriam, constringentem. quare omnibus malignis ulceribus, & fluxioni opportunis atq; elephãticis, sordidisq; illita prosunt. profluuia sanguinis, ulcera quæ serpunt, epinyctidas, carbunculos, nomasq; cohibent. uetera ulcera & inæqualia cicatrice obducunt. chironia sanant. sinus conglutinant. morsibus canis, ambustis igni, inflammationibus, panis, parotidibus, strumis, ægilopijs, illita cum sale prosunt. Coctum cum aceto & sale olus, dysentericis, cœliacisq; sumptum subuenit. datur & in locum betæ cum lenticula coctum, & ad aquam intercutem, cui leucophlegmatię nomẽ est. datur & herba decocta post aridas epulas, sic ut media antecedat. comitialibus & suspiriosis data proficit. Foliorũ succus, colluta subinde oris ulcera, purgat. cum cimolia aut ceruſa igni sacro medetur. fistulis infusus prodest. lippitudinibus & aurium doloribus idem succus instillatur. additur quoq; in oculorum collyria. gingiuis cruore suffusis, & sanguinis reiectionibus, potu confert. clystere dysenterici infunditur. contra tabem datur in potu aduersus strangulationes uuluæ, in uellere subijcitur, etiam si uulua fluxione laboret. Semẽ ex uino potum alui fluxiones & sanguinis excreationes sistit. Decocta radix & manducatu, & collutione, dentium dolores sedat. eadem cum foliis, ulceribus renum & uesicæ in passo datur. Ferunt treis radices cum tribus uini cyathis, & pari aquæ modo, tertianis auxiliari: & quatuor, quartanis. Sunt qui radicis gestamine, discutiendis strumis utantur. B

Sium.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Duo hoc loco plantaginis genera facit Dioscorides paruã, Græcis ἀρνόγλωσσον & μείζων. Latinis, Plantago minor. Officinis quinqueneruia. Brabantis, Hondtßribbe/Wechbree. Germanis, Spitz wegerich. Gallis, Lanceola dicta. Alteram magnam & hac efficatiorem. Græcis, ἀρνόγλωσσος &: Latinus & Officinis, Plantago maior, latifolia, septineruia. Germanis, Breyt wegrich. Gallis du plantain, appellatur.

Præterea est tertiũ nobis Arnoglossum uel Arnoglossa, Plantago media Latinis, Germanis, Rot wegrich, folio rotundiore, sessili, hirsuto, in usu medicorũ frequentißimum. Plantago refrigerat, siccat ordine secundo, astringit, repellit, digerit, ob hæc ulcera recentia & uetera etiam rebellia glutinat, hæmorrhagiam sistit, fluxiones & putredines, & ab his dysenterias coërcet, hepatis & renum obstructiones tollit. Semen & radix eadem præstant, sed siccant magis, refrigerãt minus, ad hæc semini adest essentiæ tenuitas.

Lauer, seu Sium. Cap. CXX.

SIon in aquis inuenitur, frutice pingui, recto, foliis latis, olusatro similibus, sed minoribus, & odoratis. Quæ cruda cocta q; esu calculos rumpunt, atq; excernunt. urinas cient. mẽses

A. *Sisymbrium.*



& partus extrahunt. dysentericis in cibo auxiliatur. De sio Crateuas tradit, herbam esse fruticis specie, pauca folia ferẽtem, rotunda, maiora quàm menthæ, nigra, & ad erucam accedentia.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ζίον. Latinè, *Sium, lauer.* Recentioribus Betula.
Germanis, Wassermerck/ Wasserponge. Gallis de la berle, dicitur.

Sisymbrium. Cap. CXXI.

Sisymbrium, alij serpyllum syluestre uocant, in solo inculto nascitur, menthæ hortensis similitudine, odoratius, latiore folio. Inseritur coronis. calfaciendi uim habet. contra stillicidia urinæ, calculosq; semen ex uino bibitur. tormina & singultus sedat. folia in capitis dolore, fronti aut temporibus illinuntur. item contra uesparum apiumq; ictus. uomitiones potu cohibet. Alterum sisymbrij genus, quod aliqui cardaminam, alij sion appellant: ea herba riguis gaudet, & eisdem in locis, quibus sion, prouenit. quæ ideo nonnullis cardamina nominatur, quòd gustu cardamum, id est, nasturtiũ, repræsentet: folia primùm rotunda prodeunt, adulta erucæ modo finduntur. Id excalfacit, urinas mouet. crudum estur. purgat lentigines, cutisq; uitia in facie, noctibus impositum, matutinisq; detractum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sisymbrij hoc loco duo genera facit Dioscorides. Vnum quod in aridis, & locis incultis nascitur.
Græcis, Σισύμβριον.

B Officinis, Menta rubea, uel aquatica: item Thymbrea: Germanis, Balsamkraut/ Rotebachmüntz/ Wassermüntz.

Alterum, quod in aquosis nascitur, Græcis Σισύμβριον ἕτερον. *& Cardamina à nasturtij sapore.*

Officinæ nasturtium aquaticum uocant, & cressionem.
Germani, Wasserkressig/ Brunnkressig. Galli, Du cresson.

Sisymbrium primùm excalfacit, atq; reficcat in tertio ordine. Alterum autem quum siccum est, itidem tertij ordinis est excalfacientium, & exiccantiũ: quum humidum & uiride, secũdi.

Sisymbrium, primùm tenuium partium est, digerentis, calefacientis, & exiccantis facultatis. Semen quoq; eius tenuium partium est, & calidum. Quocirca ipsum quidam cum uino exhibent singultientibus, & tormina patientibus.

Sisymbrium, quod quidam Cardaminam uocant, quandoquidem Cardamo, id est, nasturtio simile quiddam gustu præfert, eadem ferè potest.

Crithmum. Cap. CXXII.

Crithmum, seu potius, ut aliqui, crithamon, fruticosa & undiq; foliosa herbula est, cubiti altitudinem ferè petens. Nascitur in maritimis, & petrosis: foliis pinguibus, numerosis, albicantibus, ueluti portulacæ, latioribus & longioribus, salso gustu. flores cãdidi sunt, & semẽ, ceu rorismarini, odoratũ, molle, rotundũ, quod siccatum rumpitur. habet intus tritici modo nucleum. radices digiti crassitudine, tres aut quatuor: grati odoris & iucũdi. Radix, semẽ & folia

Crithmum.



Incocta



incocta uino, potu urinæ difficultati & regio morbo auxiliantur: menſes cient. eſtur crudũ coctúmue in olere. ſeruatur etiam in muria. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κρίθμος. Latinè, Crethmus, ſeu Crithamus. Officinis, Creta marina, & baccula, ſeu bacillæ. Germanis, Bacillen. Gallis Bacille, ou fenoil marin.

Defertur ad nos Crethmus ſale & aceto conditus. Verùm de conditura non ſatis inter Plinium & Columellam cõuenit: quandoquidem Plinius unà cum Dioſcoride ſeruandum in muria olus prodidit: contrà, Columella portulacæ, & bati muriam non conuenire contendit.

Neq; pugnare iſta mihi uidentur, cũ Plinius de crithmo ſeu bati muria loquatur, unà cum Dioſcoride, qui ſatiuæ nullam rationem habuit: Columellæ tantùm altilis & hortenſianæ condituram proſecutus eſt.

Coronopus. Cap. CXXIII.

COronopus oblonga herbula eſt, per terram repens, fiſsis foliis. coquitur in olere. radicem habet tenuem, adſtringentem, quæ in cibo cœliacis facit. Prouenit in aggeribus, & locis incultis, & ſecus uias.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Coronopus, ſiue, ſi dicere malis, cornicis pedẽ, inter aculeatas ſponteq; naſcentes herbas Theophraſtus retulit. Interim tamen medicinæ ad uſum ſeri Plinius commemorat, qui oblongam eſſe herbam cum fiſſuris, cauliculis per terram ſerpentibus, deſignauit. Leonicenus, Capriolam uulgo dici cenſet: nonnunquam & ſanguinariam, quòd indita naribus ſanguinem eliciat. B

Græcis, κορωνόπους. Germanis, Kraenfůß/ Rappenfůß/ Hundszan/ dicitur. Brabantis, Hertſhoren/ Craeynen/ uel Rauenuoet.

Galliæ olitores nunc dentem canis, ab acumine folij uocant, quanquam eodem nomine gramen appellẽt. uulgari eorum lingua, la dent de chien.

Sonchus ſatiuus.



Sonchus. Cap. CXXIIII.

SOnchi duo genera. ſylueſtrior quidã eſt, & magis ſpinis horret: alter teneritate quadam molleſcit, cibis expetitus, anguloſo caule, inani, interdum rubente: foliis in ambitu per interualla diſſectis. Vtriuſq; uis refrigerat, modicè adſtringit, unde æſtuanti ſtomacho & inflammationibus illiti proſunt. Succus eorum ſtomachi roſiones ſorbitione mitigat. lac elicit. in uellere appoſitus, ſedis ac uuluæ collectionibus opitulatur, tam herba quàm radix illita uibratis à ſcorpione ictibus ſubuenit. Alter ſonchus tenerior, arboris inſtar, latis conſtans foliis.

A Sonchus syluestris. Genßdistel.



B

caulem in ramos exeuntem folia distinguunt: sed ad eadem pollet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hodie tria genera Sonchi nouimus. Primi generis Sonchum, qui candidus, tener & esculentus est, Dioscorides Cicerbitam à Romanis dici prodidit, quod nomen adhuc hodie in Hetruria seruatur. Herbarijs nonnullis leporis palatium dicitur. Fortassis eadem Apuleio lactuca leporina fuerit. Veneti lactucinos indigetant. Græcis, σόγχος ἐδώδιμος. Germanis, Hasenköl. Inferiori Germaniæ pro diuersitate generum, uarijs nominibus appellantur, ut: Meckweye/Lacteroenen/Gansendistel/Hasenlattouwe Gallis lacterones, uel potius lasserones, Du laceron. Sonchus syluestris hic & niger, & sterilis est, Græcis σόγχος τραχύς Germanis, Wilder hasenköl/Genßdistel/Moß. Sonchi genus tertium est tenerum, arborescens, latiore folio, in quo ramosum caulem folia intersecant. Hic à Sonchi Dioscoride describitur. Plura in capite sequenti.

Seris, siue intybus. Caput CXXV.

SEris duum generum est: altera satiua, altera syluestris, quæ picris & cichorion uocatur: latioribus foliis constat, stomacho quàm hortensis utilior. quæ iterum in duas species digeritur: una folio latiore prodit, lactucarum simillima: altera angustiore est folio, & gustu amara. utraq; refrigerat, & astringit. stomacho utilissima. aluum sistit cocta, si cum aceto adsumatur. syluestres stomacho meliores, quandoquidem æstuantem ipsum, & quem imbecillitas uexet, cibo leniunt. cardiacis per se, aut cum polenta, utiliter illinuntur. podagris, & oculorum inflammationibus auxilio sunt. herba cum radice illita, percussis à scorpione subuenit. igni sacro cum polenta medetur. succus cum cerusa & aceto, ualet ad illitus eorum, quæ refrigerationem desiderant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Intybum, uel intybus satiuus, Græcis κιχώριον κηπευτόν, ἢ σέρις. Officinis cichorea hortensis. Germanis, Zame wegweiß. Gallis, Cichorea, ou endiue: huius generis est scariola.

Intubus erraticus, Κιχώριον ἄγριον, πικρίς, Græcis. Germanus, Wegweiß/Wegwart. Gallis cichorea sauuage, dicitur.

Cichorium, Romana lingua intybum olus dicitur. Gal. lib. 2. comp. phar. part. Id uerò & reliquæ seros species,

Cichorium Latifolium satiuum.



A

B Cichorea sati-ua.

ſpecies,foliorum magnitudine,& cultu diſtinctæ, ſæ cultatibus parum diſcrepant,niſi quòd agreſtia ſatiuis ſint ſicciora & amariora. Omnia enim hæc ſubamara ſunt,ſubfrigida,modicè aſtringentia: & in his multa humiditas miſta ſiccitatem extinguit. Ob hæc hepatis intemperiem calidam tum ſolam, tũ cum corruptis humoribus & ichoribus maximè iuuant refrigerando, roborando,ſimam eius partem & gibbam obſtructione liberando: præſertim ſi cum uino albo bibatur, & cum melle, ſic enim illos humores per urinas pellunt: nec frigidum multũ lædunt,ut alia permulta quæ ſunt frigida humida ſine amaritudine & aſtrictione: ſumuntur ſucco,decocto,puluere.lib.8.comp.pha.part.

Condrilla. Cap. CXXVI.

COndrilla,quam aliqui cichorion,alij ſerin appellant,caulẽ,flores & folia

N 4

A A Condrilla.



B

habet cichorio similia. qua ex causa nonnulli syluestris intubi speciem esse pronunciarunt: uerùm tenuior tota est. in cuius ramulis, gummi mastiches simillimum, tuberculo fabæ inueniri solet. quod cum myrrha tritum, & linteo appositum, instar oliuæ, fœminarum menses trahit. Tusa cum radicibus herba, adiecto melle, diuiditur in pastillos, qui nitro admisti uitiligines emaculant. Gummi inordinatos pilos replicat. quod item tenera radix efficit, si intincta succo acus, pilis admoueatur. contra uiperas in uino potu proficit. Succus decoctæ, in uino, aut per sese potus, aluum sistit. Aliud habetur condrillæ genus, folium ferens oblongum, circumrosum, humi sparsum, caulem succo mordentem lacteo: radice tenui, rotunda, leui, uegeta, flauescente, succosa. Cuius & caulis & folia concoquendi uim habent. succus incommodos palpebrarum pilos reflectit. Nascitur in lætis & cultis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Condrilla omnis, & sonchus, & Hieraceum utrunq; sereos species etiam Galeno putata, & sereos ac cichorij nomine etiam ab alijs dignata (licet Condrillam non seri iungat, lib. 2. Alimentorum) ut forma & temperatura sunt affines, sic uiribus minimè discrepant. Ob id ea tanquam congeneria iungit & hoc loco Dioscorides. Pro intubo autem uulgus Endiuiam re & nomine corrupit, ut pro seri scariolam, quasi scriolam dicere tentauit.

Cucurbita. Caput CXXVII.

Rotunda.



Longa.



CVcurbita esui apta: cruda trita illitu tumores & abscessus mitigat. Ramenta eius infantibus contra capitis ardorem, quam syriasin uocant, in fincipite illinuntur. oculorum inflammationes podagrasq; refrigerant. Succus è ramentis tusis per se, aut cum rosaceo infusus, aurium doloribus auxiliatur. adustiones cutis in ardenti febre illitu adiuuat. totius feruefactæ & expressæ succus, cum melle exiguo & nitro

nitro potus, aluum leniter resoluit. Vinum in cucurbitam recentem excauatam infusum, si mistum sub diuo teneatur, potu aluum leuigabit. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κολοκυνθη. Latinè, Cucurbita. Officinis genuinum nomen seruauit.
Germanis, Kürbs. Brabantis, Canwoorde. Gallis Courge, dicitur.

Cucurbitarum duo genera sunt: longæ & rotundæ. Cibis quò longiores tenuioresq́; eò gratiores, & ob id salubriores, quæ pendendo creuere, minimumq́; feminis tales habent, duricia eius in cibi gratiam terminante. Rotundæ uasorum usum præbent. Sed de his plura apud Plin. lib. 19. De uiribus eius dicit Paulus Aegineta, quòd refrigerat, & humectat, atq; aluum mouet. sed paulum alimenti præbet. Chrysippus Medicus, ut lib. 20. refert Plinius, declamabat eo in cibis. Sed omnium consensu stomacho utilissimæ iudicantur, & interanearum, uesicarum exulcerationibus.

Cucumer satiuus.

Citrullus.



Cucumis satiuus.



Caput CXXVIII.

Cucumis marinus.



Pepo. B



SAtiuus cucumis aluo & stomacho perquàm utilis habetur. refrigerat, qui corruptionem nõ sentit. ueficæ prodest. olfactu reuocat, quos animus liquerit. Semen modicè urinam mouet.

A Melopepo.



mouet. cum lacte aut passo, ueficæ exulce-
rationibus subuenit. Illita cum uino fo-
lia, morsus canum sanant: & epinyctidas,
cum melle. Peponis caro in cibis, urinam
cit. inflammationes oculorum illita sedat.
Ramenta eius contra adustionem infanti-
um, quam syriasin uocant, sincipiti impo-
nuntur. fronti admota, oculorum fluxio-
nes auertunt. Succus cum semine, adiecta
farina, siccatus in sole cogitur in smegma
ta, quæ faciem repurgant, & nitorem affe
runt. Radix sicca, & ex hydromelite pota
drachmæ pondere, uomitionem mouet. Si
quisquam moderatè secundum cœnã uo-
mere cupiat, geminis obolis sit contentus.
sanat quoq; illita cum melle ulcera concre
ta in modum faui, quæ ceria uocant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cucumeres, qui priuatim & conuenienter hoc nomine uocantur, Germanis dicuntur Gotcken/ & Gürcken/ Cucumeren. *Brabantis,* Concommeren.

Græcis, Σίκυος ἥμερος. *Gallis,* Coucumbre.

Sunt enim & alij in cucumerum censu, suis etiam priuatim designati nominibus, ueluti citrini, & citrulli nunc dicti: item pepones & melones. De quibus omnibus Plin. lib. 19. cap. 5. Quod autem de cucumere, & cucurbita dicit, crescere qua cogantur forma, id etiam ab Hippocrate libro de seminis genitalis natura prius proditum est, ubi ait: Si quis cucumim cucurbitámue iam defloreſcentem, matrisq; pediculo adhærescentem in paruo uasculo mittat, cauo uasis illius par simili sue redditur. Si uerò quis eundem in maiore uasculo mittat, quod probè cucumim cucurbitámue capiat (quod tamen matus quàm cucumis natura non sit) cucumis par similisq; cauo huius etiam uasis erit. Nam cùm crescit cauo illius uasis hæret, & innititur. Cunctaq; nascentia semper fermè crescunt, & habent, quemadmodum ea quis cogat, &c. Cucumerum generis sunt, ut diximus, tũ pepones, tum melones, figura tantùm & quantitate differentes. Pepones quidem uocantur, cùm magnitudine excesſere, aut in lõgitudinem processerunt. In rotundum uerò effigiati & mali fõmam referentes, melopepones ex pepone & malo facto nomine, dicuntur, & hi sunt quos in Martio Mense Melones uocat Paladius, quo nomine etiam nunc in communi usu sunt, &c.

B Lactuca.



Lactucæ. Cap. CXXIX.

Lactuca sessilis, uel exaulis.



LActucæ satiuæ, quibus natura refrigeratrix ineſt, stomacho gratæ habentur, somnũ con
ciliant.

cilliant.aluum emolliunt.lac euocant,uerùm decoctæ magis alunt.ſtomachicis illo- A
tas eſſe prodeſt. Epotum ſemen,aſsiduas libidinum imaginationes in ſomno com-
peſcit,& ueneri refragatur. Ipſæ uerò frequentiores in cibo,claritati oculorum of-
ficiunt.inflammationibus & ignibus ſacris opitulantur.muriâ condiuntur. cùm in
caulem exierunt,uim quandã nanciſcuntur,ſucco aut lacti ſylueſtris lactucę ſimilẽ.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lactuca latecaulis.



Lactuca Græcis Θριδακίς, ἢ θριδακίνη. uulgo apud recentiores Græcos, μαϊδούλιον. Officinis lactuca Latino nomine. Germanis, Lactich. Brabantis, Lattow. Gallis, Laictue nuncupatur.nota herba eſt.

Lactuca dicta,ut in Ianuario menſe tradit Palladius, quòd abundantia lactis exuberet. Huius diuerſas ob cauſſas, diuerſo etiam tempore uarius fuit uſus. Antiquitus enim,quòd ebrietati obluctaretur,eamq; prohiberet, in cœnæ fine ſumebatur: pòſt uerò ad conciliandam appetentiam,in cœnæ principio ſumi cœpta eſt. Vnde illud Martialis extat: Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum, Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

Hac nunc quoq; æſtiuo tempore plurimùm utimur in acetarijs. Herba multùm ſalubris. Vnde Columella in carmine: Iamq; ſalutari properet lactuca ſapore, Triſtia quæ releuet longi faſtidia morbi.

Et Paulus Aegineta lib.1 ipſam optimi ſucci ſanguinem facere teſtatur. Plura eius genera à Columella & Plinio traduntur: eſt enim Lactuca,cuius diminutiuum lactucula,quam Græcis thridacinum uocari ſuprà diximus. Germanis, Gemeyner Lattich. Gallis laictues appellata. Eſt & Lactuca laticaulis apud Theophraſtum, ἡ πλατύκαυλος θριδακίνη appellata, & tertium genus. Lactuca ſeſſilis, quã eandem cũ ſequenti exiſtimo,ſcilicet Lactucam excaulem,Græcis θριδακὶς ἄκαυλος, Pythagoricis ὄνου χιον, mulieribus ἀσυλὶς. Germanis, Krauß lattich mit köpflin/& Römiſcher lattich dicta, &c. Eſt quidẽ natura omnibus refrigeratrix,ideo æſtate gratæ,à ſtomacho faſtidium auferunt,cibiq; appetentiam faciunt. Celſus ſomno aptam dicit, &c.

Lactuca ſylueſtris. Caput CXXX. B

Endiuia Officinarum.

Endtuien.





Sylueſtris

A SYlueſtris lactuca ſatiuæ ſimilis eſt, ſed longior caulis, & candidiora folia, graciliora, & aſperiora. amaro guſtu eſt, & uiribus aliquantum papaueri ſimilis. unde lacteum eius ſuccum aliqui meconio permiſcuerunt. Aquam per aluum elicit, potus in aceto mulſo ſuccus ad duos obolos. argema caliginem q; repurgat. cõtra adustiones efficaciter illinitur cum lacte mulierum. in ſumma, ſomnum allicit. doloris leuamentum præſtat. menſes trahit. contra ſcorpionum & phalangiorum ictus bibitur. Semen, non aliter quàm ſatiuæ, libidinum imaginationes in ſomno amolitur, ac uenerem arcet. Succus ad eadem ualet, ſed uiribus infirmior. Reponitur in fictili nouo lac eius, antea, ut in alijs liquaminibus moris eſt, inſolatum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lactuca ſylueſtris, niſi ſenſus me deficiat, eſt quæ paſſim ab Officinis noſtris nunc Endiuia dicitur, Lactucella, Cicerbita.

Germanis, Endiuien/Genſſzung/Leberdiſtel/Antiffien.

Gallis uerò Endiue, cùm in aruis naſcatur ſponte, & uinearum limitibus, folio cùm adoleuit per oras acleato, dorſo ſpiculis inhorreſcente, quaſi prona carinæ parte echinata, ſupina leniore, nonnunquam cùm ienuit laciniatim ſerrato, caulibus bicubitali proceritate conſurgentibus, hirtis, flore luteo, ſucco candido, amaro, acri, ideo linguam & os aliquantulum uellicante. huius uti ſatiuæ ſemen occulitur lanugine. Decoctum huius Saccharo condiunt Officinæ, cuius tantus increbuit uſus, ut nulla non ferè ſiniſtra ualetudine à medicis præbeatur, utinam tam ſalubriter, quàm inſcitè.

Gingidium. Caput CXXXI.

B





GIngidium, aliqui Iepidion, in Syria & Cilicia plerunq; naſcitur, herbula ſylueſtri paſtinacæ ſimilis, tenuior, & amarior: radice parua, candicante, ſubamara. Olus hoc crudum, coctum, conditúmue eſtur magna ſtomachi utilitate. urinam cit. decoctum ex uino potum ueſicæ prodeſt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Τυγχίστερ. Latinis & Officinis Cerefolium: pro cherephyllon.

Germanis, Kerbelkraut/Körffel. Gallis Cerfueil, dicitur.

Paulus Aegineta gingidion ſcandici ſimile fecit, aſtringente ui & amaritudine non pauca præditum, ſtomacho non ingratum: quare ieiunia mediaſq; commodè faciat ex aceto, non tamen magnoperè nutrit. Galenus, quòd nonnihil amaroris & aſtringentiæ guſtui repræſentet, refrigerante ui ſimul & calfaciente donatum cenſet, & ab utraq; ſiccandi naturam ſortiri.

Scandix.



Scandix. Ca. CXXXII.

SCandix, syluestre olus est amarum, subacre, quod crudum coctúmue manditur. stomacho & uentri utile. decoctum in potu, uesicæ, renibus, & iecinori confert.

NOMINA ET EXplicatio.

Græcè, Σκάνδιξ.

Latinè, Scandix.

Officinæ imprudenter inter dauci genera referunt.

Germanis, Wild mozen/ *dicitur.*

Notissima olim omnibus Græcis scandix fuit, quæ toties Athenis in theatro risum & plausum excitauit. Vulgare & sua sponte nascens incultis plerunq; locis olus est, plebis cibus in quotidianum pulmentum: foliis gingidij uel anthriſci, sed maioribus & minus odoratis, gustu acri subamaroq;, nec aliter huius facies ab autoribus designatur.



Caucalis.

Caput CXXXIII.

CAucalis, quam alij syluestre daucum uocant, cauliculo est dodrantali, aut maiore, subhirsuto: foliis apio similibus, fœniculi modo per extrema multifidis, hispidisq; : candida in cacumine umbella, suauiter olente. Crudum coctúmue olus B estur. urinam mouet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Καυκαλίς.

Latinè, Caucalis.

Officinis pimpinella hirsuta.

Germanis, Rauher bibinell/ *dicitur.*

Brabantis, Beuernelle.

Huius herbæ radix foris nigra, intus alba est, cùm rapitur, cœrulcum succum resudans. Galenus apud aliquos syluestre daucum nominari tradit, non à similitudine, ut aliqui credunt, quasi rudimentum quoddam esset nascentis dauci, sed quòd & gustu & uiribus id imitetur. eium, ut inquit, modo eodem excalfaciat, exiccet & propellat urinam.

Eruca. Cap. CXXXIIII.

CRuda eruca uenerem largiore cibo cõcitat. semen eodem effectu prodest. urinam cit. cõcoctioni prodest, aluo perquàm cõmodata. semine ad condimenta utuntur. quod, uti in longum tempus asseruetur, adiecto lacte aut aceto, digerunt in pastillos. Gignitur etiamnum syluestris eruca, maximè in Iberia, quæ occidentem spectat, cuius semine pro sinapi incolæ utuntur. urinam uehementius pellit. multò satiua acrior.

NOMINA ET EXPLICATIO.

A

Sinapi aquaticum, luteū, maius.
Geel groß Wasser senff

Eruca satiua.

Sylueſtris



B

Sinapi aquaticum, album, minus.
Weiß Kleyn Wasserſenff.

Irion, Nobilis Eruca.
Eiſenkraut/weiblin.



Eruca

Eruca Germanis dicitur Wetſſer ſenffſamen. Brabantis, Moſtaertcruyt. Gallis, Roquette. A
Herba eſt in acetarijs & ciborum uſu non infrequens: cui, ut libro 20. teſtatur Plinius, in condiendis obſonijs tanta eſt ſuauitas, ut Græci εὐζωμον appellauerint. Hæc uenerem impendiò excitat. Vnde Martialis: Et uenerem reuocans eruca morantem. Et Columella: Excitet ut Veneri tardos eruca maritos, quod idem Dioſcorides hoc loco teſtatur. Adhæc Plinius libro 19. ait: Eruca præcipuè frigorum contemptrix, diuerſæ eſt quàm lactuca naturæ. Concitatrix Veneris, iccirco iungitur illi ferè in cibis, ut nimio frigori par feruor immixtus temperamentum æquet. Et Marcellus Medicus libro de medicamentis experimentis cap. 33. inquit: Ad abundantiam ſeminis præparandam erucam decoctam bibat, quoties quiſq; inopia ſeminis ſe laborare perſpexerit, uel potius aßiduè incoctam manducet: & mox pòſt, tale medicamentum ponit: Erucæ ſeminis ſcrupulos 2. teres ſingula diligenter & permiſcebis, atq; inde globulos facies ad formam nucis auellanæ: & cùm opus fuerit ſingulos liquefactos, in caprino lacte potabis, ſi uenerem uolueris accendi. Sunt & alia uaria erucæ genera hic depicta, quæ & inter Naſturtia aquatica referuntur.

Ocimum. Caput CXXXV.



OCimum uulgo cognitum. Id copioſiore cibo oculorum aciem hebetat. aluum mollit. ſpiritum mouet. urinã pellit. lac euocat. ægrè tamen conficitur. illitum cum polline polentæ, aceto & roſaceo, pulmonũ * inflammationibus auxilio eſt. draconis marini & ſcorpionis ictibus per ſe prodeſt: & cum uino Chio oculorum doloribus. Succus uiſus caliginem abſtergit. deſtillationes exiccat. Semen potum conuenit atram bilem gignentibus, difficili urinę, inflatisq; naribus hauſtum, ſubinde mouet ſternutamenta: quod idem herba efficit: ſed oculos premi neceſſum eſt, cùm ſternutamentum urget. Sunt qui in cibis abdicandũ cenſeant, quandoquidem manducatum, & in ſole poſitum, uermiculos creat. Aphri autem adijciunt, ſi feriantur à ſcorpione, qui ocimum ederint, nullo conflictari dolore. * Hæc dictio alijs deeſt. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ὤκιμον. Latinè, Ocimum. Germanis, Zeydenkorn/Grütz/Bauchweytzen. Gallis de la dragee aux cheual.

Rura noſtra ocimum ferunt, frugem in agris folio hederaceo, ſanguineum colorem præferẽte, ſcapo grandi per faſtigia paniculas exerente, triangulis, rariuſculè coacceruatis granis, quæ foliaceis membranis correpta delitẽtur. Hanc, quoniam auorum noſtrorũ memoria è Græcia uel Aſia uenerit, Turcicum frumentũ, ſiue Zeydniſch korn, uulgari lingua nominant. Ea pecudem omnem cæteraq; ueterina, quàm optimè ſaginant, & in candidiſſimam teruntur moluntúrue farinam, quæ cùm annonæ premit inopia, in panificia ſubinde cogitur. Cùm ematuruit granum, ſuis apludis explicitum ſagnæ glandis nucleo ſimile naſcitur, quod incoquunt ruſtici, ut bubus, iumentis, pecudibuſq; cedat in pabulum, cuius uſu uehementer gliſcit ſagina, mirè enim ab eiſdem expetitur. Iam agri pleriq; in Germania & Gallia hac fruge rubent. Ruellius uidetur hanc frugem facere Eryſimum cereale.

A



Orobanche. Caput CXXXVI.

OROBANCHE cauliculus eſt ſeſquipedalis, & interdum maior, ſubruber, hirſutus, tener, ſine folio, pinguis: flore ſubalbido, & in luteum uergente: radice digiti craſſitudine, &, cùm ariditate flacceſcit caulis, fiſtuloſa. Hanc inter quædam legumina naſci conſtat, & ea ſtrangulare, unde orobanche ſibi cognomentum uſurpauit. Eſtur, ut olus, cruda, & in patinis, aſparagi modo, decocta. legumē tis addita, coctionem accelerare creditur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ὀροβάγχη.

Latinè, Orobanche, quòd eruum ſtrangulet, alimentum ſuffurando.

Germanis, Vnkraut der Wicken. Ertzenwürger.

Gallis Tigne, appellatur.

Forſan hæc fuerit, quam abſurdiſſima quorundam imperitia, neſcio unde, hypociſtin audet appellare.

Barbula hirci. Cap. CXXXVII.

BArbula hirci, quę ab aliis comeuocatur, breui eſt caule: foliis croci: radice lõga, dulci, ſupina*, magno ſuper caulem calyce, è cuius ſummo ſemen nigrum dependet, unde nomen inditum eſt. herba eſui apta eſt.

* Hæc dicta alijs deeſt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Barba hirci, uel barbula hircina, Græcis, Τραγόπωγον, appellatur. Germani, Bocksbart/Habermalch/ & Gauchbrot/appellãt, hac facie repræſentatur à Theophraſto: Radix longa, dulcis, folium croci longus, caule puro, ſuper quẽ calix latus, & barbula, quæ ſummo uertice in caua & prolixa funditur, unde nomen accepit. Naſcitur ſua ſponte in aruis & pratis, & magna ex parte luteo floremitet.

B

Ornithogalum. Ca. CXXXVIII.

ORnithogalum cauliculus eſt tener, cãdicans, tenuis, ſeſquipedalis*, tribus aut quatuor in cacumine mollibus adnatis: à quibus flores prodeunt, foris herbacei, & cùm hiantes ſe pandunt, lactei uiſuntur: inter quos diſſectum, cachryos modo, capitulum emicat. Coquitur cum pane, ut melanthiũ. radix bulboſa, cruda & cocta manditur.

* Semipedalis Plin.

Ornithogalum.



NOMINA ET EXPLICATIO.

A ruſticis hæc herba paſſim eruitur rotunda radice, ſimili radici herbæ Aron, bulbaccam ſpeciem præ ſe ferente, è cuius medio cauliculus exit, tribus aut quatuor adnatis appendicibus in cacumine, ſolijs in capillamenta quædam extenuatis, floribus exiguis, foris herbaceis, intus lacteo colore candicantibus, qui ſimul coaceruali uelut paniculæ quædam compactili callo ſquamatim cohærentes in pilulam extuberant, nucamentum pineæ nucis repræſentantem, Sueſſionenſis Galliæ ager churlos. Germani uerò ruſtici Erdtnuß/ & Rockelkorn/ uocare conſueuerunt, pueris

pueris non incognitos, qui propter astantes cùm aratro terra proscinditur, aut in latiores porcas sulcatur, A
erutos uomere colligunt: multò castaneis suauiores in cibis, quibus & crudis & in cineribus incoctis rure
uescuntur, odore iucundissimo eos mirum in modum commendante, nam tuberibus similes ferè nascũtur. qua-
re tanquàm germanitate, uel quadam cognatione iunctos, Dioscorides hoc loco, his copulauit.

Tubera. Caput CXXXIX.



TVbera rotundæ radices sunt, sine foliis, flauescentes. uere fodiuntur. cruda & cocta eduntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ὕδνα. Latinè, Tubera. Officinis Cerui boleti.
Germanis, Hirtzbrunst. Gallis Truffle, appellantur.

Inter ea quæ sine radice proueniunt, tubera quoq; à Theophrasto numerã tur. Credidit antiquitas cognationem illis aliquam cum cœlo esse, nec nisi to-nante Ioue nasci, ut in satyra Aquinas poëta monuit, dicens:

Et facient optata tonitrua cœnas.

Licet non fieri sed ostendi, & quasi signari tonitru tubera aliqui dicerent, pulsu aëris ex eo, quemadmodum sole etiam fit, debiscente terra, qua parte ea latent, falliq; qui aliter credant, non secus quàm si opinentur imbrem cochleas facere, non illectas humore ex sepibus & macerijs producere. Fuerunt tamen qui secretiores naturæ caussas altius repetentes, contrà ostenderent, diceremq; ingruentibus in terram à superiore cœli parte tonitru, fulgetris, fulminibus, uentis, & imbribus, quæ omnia plerunq; simul fiunt, diuersos rerum succos contrariaq; temperamenta fieri in his, quæ ad generationem mouentur, non secus quàm rorem dulciorem pecori facere herbam. Cœlestem autem arcum subiectam omnem sibi terræ materiam diui no halitu implere dicunt, & c. Adde duo eorum genera esse, harenosa, dentibus inimica, & altera syncera. Di stinguuntur & colore rufo, nigroq;, & intus candido. de Tuberibus his sunt Martialis uersiculi hij:

Rumpimus altricem tenero de uertice terram, Tubera, boletis poma secunda, sumas.

Smilax hortensis. Caput CXL.

B

Phasiolus. Fäselen/
De quo supra hoc libro, cap. 100.





A HOrtensis smilax, frutex, cuius semen à nonnullis lobia uocatur. folia habet hederæ, molliora tamen: tenues caules, & capreolos uicinis fruticibus circumuolutos, qui tantum adolescunt, ut topiarias scenas repræsentare uideãtur. siliquas fœnigręci profert, longiores & torosiores. in quibus semina renum similia, sed inæquali colore recluduntur: quæ quadam ex parte fuluescunt. Siliqua cocta cum semine in oleribus, asparagi modo, estur. urinam ciet, & tumultuosa somnia facit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σμίλαξ κηπαία.

Latinè, Smilax hortensis: item Dolichum uocant.

Officinis, Phaseoli. Germanis, Welsch bonen/ phaselen/ Bündt Türckisch bonen.

Brabantis, Roomsche Boonen.

Gallis Faseoles, & febes painctes.

Smilacis hortensianæ fructum, lobia quasi siliquulas appellant, & alio nomine dolichon uocant. aliis à phaselo, quẽ uilem appellat Verglius: quare errant, qui eundem putant, ceu copiosè annotarunt uiri doctissimi, & in medicarei erroribus emendandis percelebres, Ioannes Manardus Ferrariensis, & Hieronymus Tragus.

Medica. Caput CXLI.



B

MEdica cùm recenter prodijt, foliis & caule trifolio pratensi similis est. procedens uerò folia contrahit, cauliculos ædens trifolij, & siliquas corniculorum modo intortas, in quibus semen lentis magnitudine dependet. Id siccatum, iucundi saporis gratia, condito sali admiscetur. uiride, quibus refrigeratione opus est, illitu suffragatur. Herba tota pro gramine utuntur. qui pecora alunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Eximia est ad sagnanda iumenta, ad stercorandos agros, herba Medica, quæ cùm seritur decennium durat, per annum quater, & interdum sexties dimetitur.

Mirum est quanta de hac herba scribuntur: atta men in Germania, Medisch kraut dicta, nisi fallor, paucis cognita, cùm tamen aliunde semen afferri, & eodem modo, quo apud Gallos, apud Sequanos, & apud alios coli posset.

Dicitur autem uulgo fœnum Burgundiense.

Germanicè, Burgundisch hew/ & Burgundisch graß/ nempe quòd à Burgundionibus semen aliò perlatum est, sicut ex Media in Græciam. Vnde Græcis Μηδικὴ πόα.

Gallis uerò foin de Bourgoigne, & semencia dicitur.

Aphaca. Caput CXLII.

APhaca in aruis nascitur, altior lente, tenuibus foliis. siliquas lenticula maiores fert, in quibus terna quaternáue semina nigra, lente minora, continentur: quę adstringendi uim habent. quare torrefacta, stomachi aluiq; fluxiones sistunt, si frę sa lentis more decoquantur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, ἄφακη. Latinis Aphacè. Officinis incognitum. Germanis,

Wild wicken.



Vicia, Wicken.



Germanis, Wilde wicken/ & Vogels wicken. A

Gallis de la ueſſe, uel ut alij ſcribunt, ueſſe ſauuage.

Hic notandum, non idem eſſe Theophraſto, quod Dioſcoridi hoc loco cõſtat aphaca, qui modò leguminum generi, modò inter olera connumerat, inquiens, primo ab æquinoctio ſtatim imbribus germinare, & aculeis armari, foliis ſyluestri moro ſimilibus, &c. Sed Theophraſto, quod equidem inuenerim, aphaca non ſiliquatur, cùm flos euaneſcat in pappos, in quibus magna ex parte ſemen occultatur: nec folium eius ad lenticulæ, ſed magis cichorij frondem aſpirat. Hic raceorũ primum genus à Theophraſto nomine aphaces putatur intelligi.

Viciæ uerò, Germanis Wicken/Brabantis Vitten appellatæ, agris creſcunt, flore ciceris ſubpurpureo, albo & rubro, eodem coliculo ſiliquis ſitæ minutæ quaſi B

piſcula, iumentorum pabulo idoneæ, aluum conſtipant, humores generant melancholicos.

Porrum capitatum. Caput CXLIII.



CApitatum porrum inflationem facit noxium ſuccum creat. tumultuoſum ſomnum parit. urinam ciet. aluo accommodatur. extenuat. oculorum aciem hebetat. menſes pellit, ſed lædit exulceratam ueſicam, reneſq;. cum ptiſana uerò coctum, eſu pectoris uitia extrahit. coma eius in aqua maris & aceto cocta, in deſeſſionibus, ad præcluſiones uuluæ & duritias, utilis habetur. Porrum bis aqua mutata coctum, tum frigida maceratũ, dulceſcit, & multò minus inflat. ſemen acrius eſt, & quandam adſtrictoriam uim habet. quare ſuccus cum aceto, addito thure aut manna, ſanguinis profluuia ſiſtit, maximè ſi naribus erumpat. uenerem ſtimulat cõtra omnia thoracis uitia tabemq;, prodelinctu efficax eſt. arteriam eſu purgat. ſed ſi aſſiduè eſtur, uiſus obſcuritatem inducit. ſtomacho aduerſatur. Succus ex melle potus, aut illitus, contra beſtiarum morſus auxilio eſt. ipſum quoq; cum aceto aut thuris polline, lacte aut roſaceo, utiliter aurium doloribus & ſonitui inſtillatur. Varos tollunt folia illita cum uua rhois, qua ad obſonia utuntur. epinyctidas edentur cruſtas ex ſale illita rumpunt ueteres ſanguinis reiectiones cohibent, ſi binis drachmis, & æquali baccarum myrti pondere bibantur. Ampelopraſum ſtomacho magis aduerſatur, & plus porro excalfacit. urinã & menſes uehementius ciet, id contra ſerpentium morſus eſſe conuenit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Porrorum duo genera ſunt, Vnum ſectiuum à ſecando dictum, quòd frondem illi ſupra terram eminentẽ ad

A Ampelopraſon. Klein hundßknob lauch. Sectiuum.



ferre ſolerent. Cui nuper, ut lib. 19. ſcribit Plinius, autoritatem dedit princeps Nero, uocis gratia ex oleo æſtiuis menſibus diebus ſingulis, nihilq; aliud, ac ne panem quidem ueſcendo. Alterum eſt capitatum uocatum, eo quòd in caput erescat. Ambo eiuſdem naturæ, niſi quòd capitato efficacior uis eſt. Si quis autore Sotione, ut refert Conſtantinus, cuminum præſumat ante porros, non olebit.

Porrum capitatum, quod & aricinum. Dicitur & porrus Latinè.

Græcè, Πράσον κεφαλωτόν.

Germanicè, Lauch. Inferiori Germaniæ, Pareye.

Gallicè uerò ung porreau.

Porrum ſectiuum, Tarentinum, Germanis Schnitlauch, dicitur.

Porrum agreſte Græci Ἀμπελόπρασον. uulgo uineale porrum. Germani, Wild lauch, Hundsknoblauch.

Galli pourree de chien, uocant.

Ampelopraſon caule proſilit bicubitali, fölijs porraceis, ſed anguſtioribus, flore candido, radice bulboſa. Prouenit in uinetis, unde à natalibus ampe-

lopraſon, quaſi uitigineum porrum nominatur. Galenus agreſte porrum eſſe tradit, ſiccioreq; natura donatum.

Cepa capitata.



Cepa. Cap. CXLIIII.

CEpa longa acrior eſt quàm rotunda, item flaua quàm candida, & ſicca quàm uiridis, & cruda quàm cocta, aut ſale condita. Omnes tamen mordent. flatus gignunt. appetentiam inuitant. ſitim mouent, & extenuant. faſtidium pariunt, & expurgant. aluo utiles ſunt. eæ detractis purgamẽtis in oleum conjectæ, hæmorrhoidas, reliquoſq; excreationũ exitus reſerant, ſubditæ pro balanis. Succus cũ melle illitus, oculorum hebetudinibus, argemis, nubeculis, & incipientibus ſuffuſionibus auxiliatur. anginæ eodem perunguntur. ſuppreſſos menſes pellit. caput purgat, naribus infuſus. canis morſibus cum aceto, ruta, & melle illinitur. cum aceto autem perunctas in ſole uitiligines ſanat. & cum pari ſpodio, ſcabras lippitudines ſedat. uaros cum ſale reprimit. contra calcea-

calceamentorum attritus, cum gallinaceo adipe utilis est. citæ aluo prodest. in auri- A
bus sonitum ac grauitatem emendat. ad purulentas aureis, & eliciendam earundē
aquam, ualet. alopeciæ earum succo perfricantur, qui celerius quàm alcyonium pi
los euocat. largiore cibo cepa capitis dolores ciet, coctaq; uehementius urinā pel-
lit. eos lethargicos efficit, qui ualetudinibus aduersis, ea etiam cocta, plus æquo ue-
scantur. elixa, & cum passis uuis & fico illita, tubercula concoquit, & celerrimè
rumpit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cepæ rum plura genera. Omnibus odor lachrymosus: unde & lachrymosam uocat, in de cultu hortorū Columella. Apud nos, inquit lib. 19. Plinius, duo prima genera: Vnum condimentarium, quod illi gethyon, nostri pallicanam. Germani, Pryßlauch/äſchlauch). Galli porreta & cicuta, appellant.

Alterum capitatum. Græcis κρόμμυον, Germanis Zwibel/Bollen/Zybollen.

Inferiori Germaniæ, Aycuyn. Olich. Gallis uerò oignon dictum.

Optima autem quæ rotundissima. Item rufa acrior quàm candida: ficca quàm uiridis, & cruda, quàm uiridis, & cruda, quàm cocta: ficca quàm condita.

Gethium penè sine capite est, ceruicis tantùm longæ, & ideo totum in frōde, sæpiusq; resecatur ut porrū.

Allium syluestre. Allium Vrsinum.



Allium. Cap. CXLV.



B

ALlium quoddam satiuum atq; hortensium habetur. quod in Aegypto, singulari, ut porrum, capite constat, dulce, in purpureum uergens, paruum. reliqua uerò magna & candida, ex pluribus coagmentatur nucleis, quos aglitas, id est, spicas, Græci nominãt. aliud est syluestre, quod ophioscorodon, id est, anguinum, uocant. Vis allij acris est. excalfacit. mordet. excernit. aluum turbat. inflationes facit. stomachum exiccat. sitim gignit. flatum permouet. summam corporis cutem exulcerat. aciem oculorum esu hebetat. Eosdem effectus præbet anguinū, quod & elaphoboscorodon* dicitur. latas uentris tineas in cibo sumptum abigit. urinas detrahit. contra uiperarum ictus, & priuatim hæmorrhoi, prodest, ita ut non aliud magis, si cum uino iugiter assumatur. aut tritum in eodem ebibatur. contra rabiosorum morsus & illitu & cibo ualet. magnæ & allio utilitates contra aquarum mutationes. uocem clarificat. ueterem tussim crudum coctúmue lenit. potum autem cum origani decocto, pediculos & lendes enecat. cremati cinis illitus sugillationibus cum melle, & alopecijs cum nardino unguine.

* Forsan aphroscorodon.

A unguine, medetur. eruptiones papularum cum oleo & sale sanat. uitiligines, lichenas, lentigines, ulcera capitis manantia, lepras, & furfures, cum melle eximit. cum thure & teda decoctum, dentium dolorem leuat, si in ore contineatur. contra uenenatos muris aranei morsus, cum ficulneis frondibus & cumino illinitur. Feruefactæ comæ ius, fœminarum desessionibus additum, menses & secundos partus extrahit. Allium eiusdem gratia suffitur. factum ex eo & nigra oliua intritum, quod myrtoton uocant, esu cit urinam. ora uenarum patefacit, hydropicis utile. Scorodoprasum magnitudine porrum æquat, qualitatum porri & allij particeps. unde promiscuas sibi uires ex utroq; uendicauit, effectus allij & porri præbens, inefficacius tamen. coctum, porri modo, dulcescit, & in olerum uicem transit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σκόροδον. Latinè & Officinis, Allium.

Germanis, Knoblauch. Brabantis, Loock. Gallis, Aul ou aulx.

Tria uniuersum allij genera sunt. Primum hortense & satiuum: alterum syluestre, quod Columella, lib. 11. Rei rusticæ ulpicum uocat, alij aphroscorodon, id allio satiuo grandius. Theophrastus libro plantarum octauo Cyprium uocat: eius etiam meminit idem Theophrast. lib. 7. Plantarum. Dioscorides agreste uocat ophioscorodon, quasi anguinum. hodie ursinum cognominant. Germanis Wild Knoblauch *dicitur.*

Tertium genus itidem syluestre, scorodoprason, appellatur Latinis. Græcis, Σκοροδοπράσον. Officinis *Allium porrum, Germanis,* Aber Knoblauch, *quod & gustu & odore porri & allij conditiones possidet, quasi olitorum diligentia in unum olera duo ueluti monstrum aliquod coaluerint.*

Communes utriusq; uires asciuisse sibi tradit Galenus, cui Paulus astipulatur, &c.

Sinapi. Caput CXLVI.

Sinapi, uel herba S. Barbaræ.

B



Sinapi alterũ genus.



Sinapi hortense, aliqui Sinapi uocant. Eligi debet adultum, ualde rufum, non magnoperè siccum, sed quod fractum internè uiresçat, & uelut quodã succo madeat, cæsium colore. siquidem recens id genus, temperatiuum habetur. Ad calfaciendum, extenuandum, extrahẽdum, efficax est. ad eliciendam capitis pituitam manditur. cõtra præduros tonsillarũ tumores, ac ueterem callosamq; arteriæ scabritiẽ, succus ex aqua & melle conuenienter gargarizatur. sternutamenta ciet, tritum & naribus admotum. comitialibus quoq; auxiliatur. fœminas uulua strangulatu oppressas excitat. lethargicis, derasa capite, illinitur, cum ficis admistum, donec rubescat locus, & adcoxendicũ cruciatus impositum, ad lienes, & omne genus dolores confert, cùm permutandæ ualetudinis

ualetudinis causa, ex alto uitia extrahenda sunt. alopecijs illitum medetur. faciē pur A
gat. sugillata cum melle, adipe aut cerato rapit. feræ impetigines & lepræ, eo cum aceto perunguntur. contra febrium circuitus aridū bibitur, aut potui, polentæ modo, inspargitur. extrahentibus emplastris, scabiemq; extenuantibus, utiliter admiscerī solet. tritum, grauitati aurium & sonitui, cum fico impositum prodest. Succus ad hebetudines oculorum, & genarum scabritias magna utilitate illinitur. expressus recenti semine succus, in sole siccatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σίναπι. Latinè, Sinapi. Officinis Latinum nomen seruauit. Germanis, Senff. Mostardt, Brabantis. Gallis, Mouſtarde, blanche, noire, seneue.

Varia genera sinapis obseruauimus. Primum genus rapitiam frondem exprimit, alterum in Erucæ folium laciniatur, caulibus ramosis, sæpe bicubitalibus, flore luteo, nonnunquàm albicante, siliquis teretibus, duro semine pulloq; refertis, acerrimi saporis, igneiq; effectus. Iuxta aquas duo sinapis genera crescunt, hîc depicta, Vnum luteo, alterum albo flore, amari gustus, paruum semen, ad modum nasturtij aquatici, producunt folliculis inclusum. Sinapi calfacit, siccat ordine quarto. Sinapi Alexandrinum laudatur lib. 9. comp pha. part. Quomodo Sinapi ad salgamarum simul & conuiuiorum usum conficeretur, olim utrunq;, docet nos Columella lib. 12. per totum caput 55. Est & sua sinapis Confectio Palladio in Iulio mense. Varro rei Rusticæ lib. 1. cap. 59. ait: Seruari rapa confecta in Sinapi putant.

Nasturtium. Caput CXLVII.

Nasturtium hortulanum. Nasturtium syluestre.

Nasturtium.



B

NAsturtium optimum constat esse Babylonicum. Omnium semen est acre, excalfacit, stomacho aduersatur, aluum turbat, tineas excutit, lienem imminuit.

partus

A partus exanimat. menſes cit. uenerem ſtimulat. ſinapis & erucæ ſimile intelligitur. lepras & impetigines abſterget. illitum cum melle, lienem extenuat. fauos expurgat. pulmonum uitia extrahit, ſorbitionibus incoctum. ſerpentium uenenis potum reſiſtit, atq; eas ſuffitu fugat. capillorum defluuia cohibet. carbunculos ad ſuppurationem perducit, & rumpit. coxendicibus cum polenta commodè ex aceto illinitur. tumores collectionesq; diſcutit. emittit furunculos, illitum cũ muria. Herbæ ad omnia eadem effectus, licet minor.

EXPLICATIO.

Græcè, Κάρδαμον. Latinè, Naſturtium hortulanum, Creßio hortenſis. Officinis Latinum nomen retinuit. Germanis, Kreſſen/Garten oder Brunnkreſſen. Brabantis, Hofkerſſe.

Gallis, Alenois, creſſon de iardin.


Naſturtium autem appellatum eſt, Varrone & Plinio teſtibus, à naribus torquendis, quòd odore & ſeminis acrimonia ſternutamenta prouocet.

Naſturtium duarum generum eſt. Vnum ſatiuum, quo nunc communiter æſtiuo tempore cum lactuca, oleo, aceto & ſale cœnas inchoamus.

Alterum eſt agreſte, Iberis uocatũ, de quo copioſius tractauimus cap. ult. lib. 1. Germanis, Gauchblum.

Naſturtium quinto die naſcitur, herbis reliquis ſuccum admit miſta ſatis, frigora contemnit. Quare tam hyeme quàm æſtate facillimè prorumpit. Quod etſi nobilius quàm ut repræſentari depoſcat, uolumus propter generum differentias, eius picturam ſubiungere, quam Dioſcorides omiſit. Naſturtium coliculis aſſurgit ſeſquipedalibus, longè ſtatim ab radice minutorum foliorum pediculo, floribus albis, ſemine per ramorum latera copioſo, firmo, calyculis orbicularibus contento, acri ſapore. Pinguibus iuſculis incoctum, magnam acrimoniæ partem deponit. Natura ei omnino ſinapis erucæq; ſimilis eſt.

Thlaſpi. Caput CXLVIII.



THlaspi, herbula anguſtis foliis, digitali longitudine, in terram uerſis, ſubpinguibus, in cacumine diuiſis: binum dodrantum cauliculo, tenui, non ſine adnascentibus ramis: fructu circa ipſum totum, ab extremo in latius ſe pandente: ſemine naſturtij incluſo, lenticulæ uaſis effigie, niſi quòd infringitur, unde nomen accepit. flos albicat. Naſcitur in ſemitis, & ſepibus, foſsisq; Semen aſperi guſtus, excalfaciens, bilem utrinq; extrahit. potum acetabuli menſura prodeſt iſchiadicis, infuſum. ſanguinem potu educit. internas ſuppurationes rumpit. menſes ciet. ſed partus enecat. Alterum thlaſpi tradit Crateuas, quod aliqui Perſicon ſinapi uocant, latis foliis, radicibus magnis, utile iſchiadicorum infuſioni. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Thlaſpi, ſiue ut alijs placet, thlaſpidium, Sinapi agrion, Capſella, Scandulaceũ, Naſturcium tectorum, Sinapi ruſticum, & ſylueſtre, Officinis incognita: Duorum generum eſt. Primum Thlaſpi maius, foliis latioribus, Germanis, Bauren ſenff/ Brabantis, Wilde kerſſe/ appellatur. Alterum Thlaſpi minus, foliis anguſtioribus conſtat. Germanicè, Beſemkraut/ dicitur. Eſt & tertiũ genus Thlaſpios. Dioſcoridi θλάσπι ἕτερον. Officinis, Raphanus maior. Latinis, Sinapi perſicum. Germanis, Merrettich. Gallis raffle dictum. Galenus Thlaſpios genera ita diſtinguit lib. 8. ſimp. ubi inquit: Thlaſpi duplex, Cappadocium, nigrius, non exacte rotundum, ſed quadam ſui parte uelut ἐνθλασμὰ habet, id eſt, infractum, exiguum, unde illi nomen: multo maius & præſtantius, quàm ſecundum, quod etiam in Cappadocia & Creta, & ubiq; naſcitur ὠχροξάνθον, id eſt, ex pallido flauum, rotundum, admodum exiguum. Creticum tamen pleriq; immiſcent theriacæ.

Draba. Caput CXLIX.

DRaba herba ad cubiti altitudinem aſſurgit, tenues ſpargens ramos, & extroq; latere folia ceu lepidij, ſed molliora, & cãdidiora. in cacumine uerò ſam buci umbellam gerit, candidos flores habẽtem. Herba hæc cum ptiſana coquitur, in Cappadocia maximè. ſemen aridum pro pipere obſonijs admiſcetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Δράβη, Apæbis. Drabe, dabra, Arabis. Apud Herbarios quoſdam orientale naſturtium, uel Babylonicum. Officinis & Germanis incognita. Gallis, Draua, Draue, Cuminum ſylueſtre. B

Inuenitur in noualibus, & ſæpe cultis, cubitali proceritate, ramoſo ſurculorum prouentu, foliis lepidij, inanis, ſed molliorib⁹, umbella ſambuci, flore candido, ſemine ferè fœniculi.



Irio. Caput CL.

ERyſimon, Latini irionem uocant, iuxta urbes, rudera, hortosq; naſcitur, foliis erucæ ſylueſtris: cauliculis in lori modum lentis & obſequioſis: floribus luteis, ſiliquis in cacumine gracilibus, ut fœnogræco, cornicu latis: ſemine naſturtij, exiguo, urẽtis guſtus. Contra thoracis fluxiones efficax eſt, & ſi purulenta extuſsiuntur. regio morbo & coxendicibus prodeſt. contra uenena in delinctu eſi melle datur. illinitur ex aqua aut melle utiliter cæcis, carcinomatis, parotidibus, duritijs mammarum, & teſtium inflammationibus. in totum extenuat, & calfacit. mitius multò ad clyſteres fiet, ſi aqua madeſcat atq; torreatur, uel linteo illigatum pinſita farina oblitũ peraſſetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, ἐρύσιμον herba.

Latinis, Eryſimum, & Irio.

Officinis & Germanis proprio nomine deſtituitur. Quidam impropriè, uocant Eiſenkraut/ das weiblin.

A Gallis Eruca generatim, tortela. Italis nobilis eruca, dicitur.

Hæc pomeria, aggeres oppidorum, & rudera uirent, gustu mirum in modum erucam imitatur, quare syluestris eruca, licet perperam, quibusdam est dicta, &c.

Piper. Caput CLI.



PIper in India nasci, breui arbore traditur. quæ inter initia, præ longum fructum, ueluti siliquam promit, quod longum piper est, habet intus aliquid tenui milio simile, quod tãdem in perfectum piper euadit. id autem suis temporibus dehiscens, pandensq; sese, racemos emittit, grana ferentes qualia uidemus. Ea acerba candidum piper faciũt, aptum ocularibus remediis, antidotis & medicaminibus, quæ contra uenenata parantur: theriaca uocant. Longũ uerò uehementius mordet. & quoniam prius quàm maturescat decerptum est, subamarũ relinquitur, antidotis & theriacis medicaminibus expetitum. Nigrum uerò, ut potè quod tempestiua maturitate collectum sit, odoratum esse constat, candido suauius, acrius, & ori gratius, necnon ad condimenta utilius. Sed candidum, & adhuc in acerbum uergens, antè dictis infirmius est. Eligi oportet grauissimum, plenum, nigrũ, sine multis rugis, recens. minimè furfurosum. Inueniuntur etiamnum in genere nigri semina nutrimento defecta, cassa, inania, minimiq; ponderis, quod uocant brassima. uis omnium excalfacit. urinam ciet. concoquit. extrahit, discutit. absterget caliginem, quæ oculis obuersatur. piper febrium horroribus circuitu repentibus, siue potu, siue illitu, subuenit. serpentium morsibus auxiliatur. partus extrahit. conceptum adimere creditur, statim à concubitu suppositum. tusi, omnibusq; pectoris uitiis, siue eclegmate, siue potu, succurrit. anginæ eo & melle conuenienter perungũ

B tur. potum cum recentibus lauri foliis, tormina discutit. cum uua passa * manducatum, pituitam à capite elicit. ualetudinem tuetur. dolores finit. appetentiam mouet. concoctionem adiuuat, ad intinctus esculentorum additum. strumas cum pice discutit. uitiligines ex nitro emaculat. Fictili nouo, ut lenticula, motum torretur. Nõ est huius arboris radix gingiber, ut aliqui existimauere, sicuti paulò pòst ostendémus. Namq; piperis radix costo similis est. ora gustantium accendit. saliuã ciet. hæc lienem reprimit, cum aceto illita, aut pota: caput etiam purgat, manducata cum semine pedicularis herbæ, quam staphidem agriam uocant.

* Aliàs, staphide agria.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Gal. lib 8. simp. phar. Lib. 2. Antid.

Piperis fructus inter initia ceu siliqua coryli nucamento similis, longum piper est, Græcis πέπερι μελάν. Officinis, ut reliqua piperis genera, nomen genuinũ retinuit. Germanis Langer pfeffer. Gallis poiure long, dicitur: humidus, ob id citò perforatur, ut zingiber, & tardè, sed diu linguam mordet, ut arus. Hæc siliqua postea in grana milij æmula racematim degenerat, quæ aucta & siccata, sed adhuc tanquam omphacodea, & immatura, piper album, Græcis πέπερι λευκόν: Germanis, Weiß pfeffer. Gallis poiure blanc, appellatum, fiunt, nigro θερμότερον, id est, acrius: nam nigrum quod Græcis πέπερι μέλαν, Germanis Schwartz pfeffer. Gallis poiure noir, dicitur, iam superassatum sole, & super siccatum est, tamen utrunq; ualenter calfacit & siccat, & maximè digerit. Item quod in agreste, rusum, cœli & soli iniquitate degenerauit. Germanis, Leicht pfeffer/ Taub pfeffer. Gallis poiure legier dictum. Piper longum adulteratum

Gal. li. 1. Antid. & lib. 4. sanitatis tuendæ. Lib. 1. Anti. Lib. 9. c. ph. p.

seculo Galeni erat duplex: efferebatur alterum ex Alexandria, alterum erat germen herbæ cuiusdam, quale est nobis coryli aut betulæ nucamentum. Piper longum nec sit pertusum, nec adulteratum: album sit maximum, plenissimum, graue: itidem & nigrum, neq; id sit rugosum. Piper nigrum maius est alio pipere, & cortice habet tenuiorem & minus rugosum. Piper album stomacho est accommodatius, & acrius nigro. Piper omne coctionem sumptum iuuat. sed album supra duo reliqua genera stomachum roborat. lib. 4 sanitatis tuendæ. Radicibus piperis maximè proceris etiam utitur Andromachus apud Galenum lib. 7. comp. phar. part. His uires costo similes tribuit lib. 8. simpl. Piper longum & rotundum bis scribitur lib. 10. comp. phar. part. ut id album, & nigrum comprehendat.

Piper κοινὸν, id est, commune Actuario in antidoto podagrica, diapœonia, & diatrion pipereon, est nigrum: nam longum & album ibidem commemorat.

Gingiberis,



Gingiberis. Cap. CLII. A

GIngiberis sui generis planta est, in Troglodytica Arabia magna ex parte nascens. qua uirente, ad multa, perinde atq; nos ruta, utuntur, & primis potibus & edulijs admiscẽt. Huius radices, cyperi modo, paruæ sunt, candicantes, & odoratæ, atq; piper sapore imitantur. Eligi debent quæ teredines nõ nouerunt. A multis tamen ob id condiuntur, quòd celeriter cariem sentiant. Fictilibus in Italiam asportantur. Gingiberis cibo conueniens est, & cum condimento assumitur. excalfacto aduersus ea, quæ oculis caliginem offundunt. in antidota addi solet. in summa, piperis uiribus respondet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Zingber Galeno & alijs cum indigenis ferè dicitur: quibusdam zinziber, alijs γιγγίβερι. Germanis Jngber. *Gallis Gigembre, Lusitanis gengeure: radix est herbæ graminis modo serpentis, candicans, odorata, piperis sapore, et uiribus, nisi quòd tardius calfacit, sed diutius, uti longum piper, ob humiditatem excrementosam: cuius occasione utrunq; teredinibus facilè tentatur. Cõdiendum recens omnino est, nunquàm uetus, impostorum more. Mittitur ex Arabia Troglodytica.*

Hydropiper. Cap. CLIII.

Fœmina.



Mas.



B

A HYdropiper apud aquas naſcitur, quæ ſtagnant, aut in pigro lapſu repũt. caulem ædit geniculatum, prædurum, multis alis concauum: folia menthæ, maiora, molliora, candidioraq́, guſtu piperis, acri, citra tamen ullam odoris gratiam: fructum acrem, in ſurculis paruis, prope folia racematim cohærentem. Folia cum ſemine illita tumores ueteresq́ duritias diſcutiunt. ſugillata delent. quæ poſtquam inaruerunt, tuſa pro pipere in obſonijs admiſcentur. Radix parua, nullius in medicina momenti.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ὑδροπίπερι. Latinè, Hydropiper, Perſicaria. Officinis incognitum.

Germanis, Waſſerpfeffer/Muckenkraut/Flöhkraut/Pfawenkraut/Pferſigkraut/Raſſel.

Hydropiper herba eſt in aquoſis naſcens, ramuſculis ac folijs Menthæ ſimilis, maior tantùm, guſtu acerrima, ut piper, perexigua ſemina, ut piper, ſingulis folijs ferens. Calida quidem eſt, non tamen accedens piperi, quæ recens illita ſugillata, ac durities ſanat. Hanc nonnulli condimentis piperis loco addebant apud ueteres.

Ptarmica. Caput CLIIII.



B

PTarmica frutex eſt, ſurculos habens paruos, multos & rotundos, abrotono non diſſimiles: & circa eos folia oleæ, longa, multa, & in cacumine capitulum, uti anthemidis, paruum, rotundum, quod ſuo acri odore ſternutamentum excitat, unde nomẽ accepit. Folia cum floribus illita, ſugillationes rapiunt. flores ſternutamenta efficaciſsimè mouent. Naſcitur in montibus & petroſis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Ptarmice, Ruellio uidetur ea, quam uulgus in Gallia Draconis hortẽſis, aut, ut ipſe ſcribit, pyrethri ſyluestris appellatione nouit, reclamantibus tamen notis omnibus, ut huius pictura cum ptarmicæ deſcriptione collata clarè oſtendit. Ptarmicen, Germanicè uocant Nießkraut/wild Bertram/Mütterkraut/ *quòd locoſis mulieribus præſenti remedio ſuccurrat: in montium ſummis naſcitur, ſtirpe aureo chamemali, folijs oleæ quidem non diſſimilibus, ut Dioſcorides ſcribit: multò tamen latioribus, ut in lætioribus nata ad plantaginem quandoq́ accedant. Sternutamenta tum folijs, tum flore uel ſemine. odoratu cientur. radix fibras multas facit, ruſſas, ſapore zinzibero aris, muliebribus uitijs aridæ in pollinem tritæ bibuntur. Sunt qui à ſternutandi numero, apud ueteres diptarmicem uocarint, & Sternutamentariam.*

Radicula, ſeu lanaria herba. Caput CLV.

STruthium herba uulgo nota, qua purgandis lanis utuntur, qui eas eluunt. Huius radix eſt acris, urinam ciet. prodeſt tuſsi, iecinoroſis, orthopnœæ ex melle ſumpta, cochlearis menſura. aluum ſoluit. eadem cum panace & capparis radice calculos frangit, & cum urina exturbat. duritiem lienis abſumit. menſes impoſita trahit. partus efficaciter enecat: cum polenta autem & aceto illita, lepras tollit. tubercula diſcutit, cum farina hordeacea, & uino decocta: miſcetur & malagmatis, & ocularibus collyrijs, claritatis cauſa. ſternutamenta mouet. per os purgat, trita cum melle, & naribus infuſa.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græci, Στρούθιον. Latini Struthium, ſtruthios, radiculam, lanariam. Officinæ



Officinæ saponariam, herbam fullonum, Condisi. A

Germani, Seyffenkraut / Weschekraut / Speychelwurtz / Spatzenwurtz.

Galli l'herbe à fullon uocant.

Hæc herba olim notißima fuit, ideo à Dioscoride minimè depicta relinquitur: ſpinoſa herba eſt, caule lanuginoſo, fólio oleæ, floret æstate, grata aſpectu, uerùm ſine odore: ſemen ei nullum, radix magna, teres, oblonga, quæ conciditur purgandis lanis.

Cyclaminus. Cap. CLVI.



CYclaminus folia habet hederæ, purpurea, uaria, in quibus fusq; deq; albicant maculæ: caule nudo, quaternos digitos æquante: floribus in eo purpureis, roſarum effigie: radice nigra, & aliquantum lata, ut rapum uideri poſsit. Quæ cum hydromelite pota, pituitã aquamq; detrahit. menſes potu appoſitúue ciet. Tradunt, ſi prægnãs radicem tranſgrediatur, abortum fieri. partum appenſa accelerat. contra uenena, præſertim leporis marini, ex uino bibitur. illita cõtra ſerpentium ictus, remedio eſt. immiſta uino inebriat. regium morbum diſcutit, tribus drachmis pota, cum paſſo aut diluto mulſo. Sed oportet eum qui ebibit, multis ueſtibus contectum, loco calido, & à perfrictionibus tuto recumbere, quò facilius exudet. eiecti autem ſudores fellei colore inueniuntur. Succus eius ad purgandum caput, naribus infunditur. ad deijcienda quoq; alui excrementa, in uellere ſedi ſubijcitur: illito umbilico & imo uentre coxarum tenus, aluum emollit. & abortum efficit. ſuffuſionibus, & retuſæ oculorũ aciei, oblitus cum melle ſuccus prodeſt. medicamẽtis abortum inferentibus admiſcetur. ſuccus cum aceto illitus, prociduam ſedem reſtituit. Exprimitur tuſa radice ſuccus, & ad mellis craſsitudinem decoquitur. Radix autem purgat. eruptiones papularum reprimit. uulneribus ex aceto per ſe aut cum melle medetur. lienem abſumit. uitia cutis in facie, & alopecias emendat. eius decocto luxata, podagras, & capitis ulcuſcula, pernionesq; foueri congruum eſt. ipſaq; in oleo uetere feruefacta, illito oleo, ulcera ad cicatricem perducit. Cauata ra B

A dix oleo expletur, & cinere feruenti imponitur, adiecto interdum Tyrrhenicæ ceræ momento, ut strigmenti crassitudinem unguentum contrahat, cum primis utile pernionibus. Radix, scillæ modo, concisa reponitur. Narrant ad amatoria assumi contusam, & in pastillos diuisam. Nascitur in umbrosis, maximè sub arboribus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κυκλάμινος. Latinè, Malum terræ, Panis porcinus.
Officinis, Cyclamen corruptè, & Panis porcinus, uel Terræ panis, & Arthanita.
Germanis, Sewbrot/Schweinbrot/Erdapffel. Brabantis, Verckens broot.
Gallis, Pain de porceau.

Cyclamini radix tota uehementer medicamentosa, magis eiusdem succus: incidit, terget, ora uenarum aperit, trahit, digerit, illitus abdomini uentrem purgat, per nares trahit, cum melle illitus suffusos iuuat: cyrrhos mirè emendat, menses & sudores mouet, ut Dioscorides fusius tradit.

Altera Cyclaminus. Caput CLVII.



B

EST & altera cyclaminus, quam cissanthemon aut cissophyllon uocant: foliis hederæ, sed minoribus: geniculatis caulibus, crassisq; circa uicinas arbores, capreolorum modo, se uoluentibus: flore candido, odorato: acinis hederæ mollibus, lenti gustus, aliquantulum acris: radice superuacua. nascitur in asperis. Huius acini, drachmæ unius pondere poti, cùm uini albi cyathis duobus, quadraginta diebus, lienem per urinam & aluum absumunt. ad orthopnœam bibitur. reliquias à partu purgat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κυκλάμινος ἑτέρα.
Latinè, Cyclaminus altera, hædera Cilicia, Milax.
Officinæ, Sigillum Mariæ.
Germanis, Zyndskraut/Je lenger je lieber.
Gallis, Le seau nostre dame.

Hæc altera cyclaminos à paucis nunc cognoscitur, sed superior pictura eam deliniat, quam nunc herbarij, uel Officinæ, Sigillum Mariæ uocant, quandoquidem huic nihil refragari, sed omnia consentire declarabimus. Sigillum Mariæ folia fert hederacea, minora tantùm, caules crassos, uel, ut Plinius inquit, superuacaneos, geniculatos, uicinis arboribus, capreolorum ritu, se conuoluentes, flores candidos odoratosq;, corymbis hederæ, sed mollibus, aliquantum acribus, gustu lentis & glutinosis, radice nulli usui usus in medicinis, prælonga tamen & in miram molem extuberante, & cætera. Radicem tamen, utpotè medicinæ superuacuam, non explicuit Dioscorides.

Dracunculus. Caput CLVIII.

DRacunculus folio constat hederaceo, magno, candidis notis insigni: caule recto, bicubitali, uersicolore, maculis respersо purpureis, ita ut anguem planè referat, baculi crassitudine, fructus summo caule racematim cohæret, colore primùm herbaceo, & cùm ematuruit, croceo, gustu feruens, mordaxq;. radice aliquantulũ rotunda, bulbosa, aro non absimili, tenui obducta cortice. Nascitur in sepibus umbrosis. Seminis succus cum oleo instillatus, aurium dolorem mitigat. naribus etiam ex lana impositus, polypum absumit. carcinomata illitu sistit. triginta eius grana, si in posca bibantur, abortus inferunt. odorem aiunt posteaquàm flaccidi fores emarcuerunt, conceptus adhuc teneros enecare. Radix excalfacit, orthopnœis, ruptis, uulsis, tussi, destillationibus auxiliatur. humores pectoris excreatu faciles reddit, siue cocta tosta q; cum melle, aut per sese edatur, siue farina eius ex melle delingatus,

Dracunculus palustris. A



Colubrina, Viperina, Bistorta, Crocodilla,
Naterwurtz/Blutwurtz/Schlangenwurtz. B

Ophioglossum.
Naterzüngli.



A delingatur, urinam pellit. uenerem excitat, cum uino pota. phagedænas ulcerum, & quæ cacoëthe uocantur, trita cum melle & bryonia alba, expurgat, & ad cicatricẽ perducit. collyria ex ipsa ad fistulas & eĩciendos partus fieri solẽt. qui radice suas manus perfricuerunt, à uiperis feriri negantur. illita ex aceto, uitiligines emaculat. folia recentibus uulneribus, linamentorum uice, conuenienter imponũtur. decocta in uino pernionibus appositi prodest. caseus folĩs inuolutus, à putredine defenditur. Succus radicis ad nubeculas, albugines, & oculorum caligines conuenit. Radix cruda coctáue, ad sanorum usus pro olere recipitur. in Gymnesijs insulis, quæ Baleares uocantur, coctam radicem cum melle multo, in conuiuijs placentarum loco offerunt. Radix messibus effoditur, lotaq; frustatim conciditur, & lino traiecta siccatur in umbra, & ita reconditur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Δρακοντία μεγάλη. Latinè, Dracunculus maior, Dracontion magnum.

Officinis, serpentaria maior, & draguntea, corruptè. Germanis, Groß naterwurtz. Brabantis, Serpentĩn/Slangencruyt. Gallis serpentine, dicitur.

Iam in hortis studiosè colitur Dracunculus, ludentis naturæ miraculum, & Draconis rudimenta in stirpibus facere condiscentis. Simplici caule attollitur, binũm cubitum alto, leui glabroq;, baculi crassitudine, uersicoloribus anguium maculis uariegato, purpureis etiam intercursantibus lituris, ita ut planè serpentis habitũ coloremq; mentiri uideatur. in uertice remoto folia procedunt, sena septenáue, crassiore pediculo digitorum ritu propendentia, candicantibus respersa notis, rumicis figura, specie tamen hæderacea longiore. E foliato scapi fastigio uagina quædam foris herbacea prosilit, cubitalis ferè longitudinis, in mucronem sensim turbinata, uelut eruptur i partus inuoluerum, quæ cùm dehiscens sese pandit, purpureum cornu in acumen fastigiatum demonstrat. Ea seminis incremento distenta dissilit in rimam, & tandem elanguescens flaccescit, subarescensq; perit refracto cornu, cuius imam partem racemosus fructus ambit, acinis prima pubertate uirentibus, & per adolescentiam cocci rubore rutilantibus, gustu mordaci, odore uiroso, quandiu ianthinum illud exerit cornu: radice bulbosa, tenui libro uestita, nascitur in opacis sepibus.

B Plinio Dracunculus triplici effigie demonstratus est: foliis betæ non sine thyrso, flore purpureo, hic ut inquit, est similis Aro: huius picturam suprà dedimus. Alij radice longa ueluti signata articulos aquæ demonstrauere, tribus omnino cauliculis. Tertia demonstratio fuit folio maiore quàm cornus, radice arundinacea. totidem affirmat geniculata nodis, quot haberet acinos, totidemq; esse folia.

Omnia hæc colubrinarum genera uulneribus & apostematis conducunt, calores sedant, uenena extrahũt, imposita.

Arum. Caput CLIX.



* Alij, nullis.

Gal. li 9. ph p4.

ARon, apud Syros lupha uocitatum, folia emittit dracunculi, sed longiora, & paucioribus *distincta maculis: caulem subpurpureum, dodrantalem, pistilli specie, è quo croceum semen exit. radice dracunculi alba. quæ decocta estur, utpotè cùm minus acris sit. Folia ad esum condiuntur, & arida per se decocta, manduntur. Radix, semen & folia, dracunculi uires habent. priuatim radix ex fimo bubulo podagris illinitur, & dracunculi morere ponitur. in totum, ob mitiorem eius acrimoniam, in cibum expetitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἄρον.

Latinè, Arum, Lupha.

Officinis pes uituli. serpentaria minor. Sacerdotis uirile. Iarus. Germanicè, Pfaffenpindt.

Gallis, Vid de chien.

Ari radix, ut dracunculi, ex fimo bubulo podagris illinitur: eiusdem cortex splenèticos iuuat & hydropicos: calida sicca primo ordine: incidit, tenuat, terget mediocriter.

Arisarum.

Arisarum. Caput CLX.

A

ARisarum exigua herbula est, huius radix oleæ magnitudinem implet, longè maioris quàm Aron acrimoniæ. Vnde illitu nomas sistit. fiunt collyria ex ea, ad fistulas efficacia. illitu radicis, genitale animalis cuiuscunq; in perniciem agitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Arisaron pusilla est herba, radix ei oleæ tuberculo, acrior gustu quàm Aron. Galenus lõgè minus aro tradidit, radicem magnitudine oliuam æquare, multò maioris acrimoniæ. Paulus multò minus esse sentit, sed acrius, radicem oliuæ magnitudinem referre. Aris Plinio similis aro nascitur, minor tantùm, minoribusq; foliis. Est etiamnam aris herba Hippocrati, sed qualis sit facie, non explicat. Hærent igtur non immeritò quidã, an eadem sit herba aris & arisarum, Ambigũtatem tollit pictura, & uires quæ utriq; consimiles reddũtur. Plinius siquidem eisdem omnino notis arum, quibus alij arisarum, repræsentauit. Sed in primis fidem facit ãpertè nomenclatura, quæ utriusq; retinuit appellationem, duobus tandem uocabulis in unum coalescentibus, arisaron dici cœpit. Cùm igtur nec uiribus, nec reliqua facie dissideant, unam & eandem esse fatendum est.

Hastula regia. Caput CLXI.



HAstula regia uulgaris notitiæ est, foliis maioris porri: caule leui, ferente in cacumine florem, quem antheri con appellant. radices subiacent oblongæ, rotundæ, glandibus similes, gustu acres, quæ excalfaciunt. urinas & mensesepotæ ciunt. lateris doloribus, ruptis, conuulsis & tussibus, drachmæ pondere potæ ex uino, medentur. Ea uerò uomitiones adiuuat, ludicri tali magnitudine commanducata. à serpente demorsis datur aptissimè, uerùm trium drachmarum pondere. foliis, floribus & radice ex uino, morsus illinire oportet. item ulcera sordida & depascentia. mãmarum quoq; & testium inflammationes, tubercula, furunculosq; decoctis in fæce uini bulbis. recentibus inflammationibus expolenta auxiliatur. Radicis succus adiecto uetere uino dulci, myrrha & croco decoquitur, fitq; perquàm utile oculis medicamentũ. ad purulentas aureis per se, cum thure, melle, uino & myrrha tritus, prodest. in contrariam aurem infusus, dentium dolorem mitigat. Cinis è radice illitus, alopecias ad pilum reducit. Oleum in excauatis radicibus igni decoctum illitu exulceratis pernionibus & ambustis igni, cõducit: surditati, instillatum in aurem, auxiliatur. Candidam uitiliginem, linteo antea prefrictam in sole, illita radix emendat. Semen floresq; in uino poti, scolopendræ & scorpionum uenenis mirum in modum resistunt. aluum purgant.

B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ασφόδελος. Latinis, Hastula regia, Asphodelus, Albucum. Officinis, Affodillus, uel Aphrodili. Germanis incognita. Gallis des asphrodiles, phrodilorum.

Bulbus esculentus.



Asphodelus Latinis hastula regia dictus, à caule insigni ex multis radicibus bulbosis emicante, quibus agnatis abundat, interdum ad 80. Radice utilis est tergente: eadem usta magis calfacit, siccat, tenuat, digerit. Nunc porcorum cibus est, olim etiam hominum: muribus uenenum. Autumno legitur cùm ualet plurimùm.

Bulbus esculentus. Cap. CLXII.

ESculentus bulbus uulgò cognitus, à nobis estur. stomacho & aluo utilis, rufus, qui & ex Aphricà defertur. amarus uerò & scillinus, stomacho aptior est, & concoctionẽ adiuuat. Bulbi omnes acrimoniam habent. excalfaciunt. uenerem stimulant. linguam tonsillasq; exasperant. multum alimẽti præbent. carnes creant, inflationem pariunt. luxatis, fractis, articulorum doloribus

A bus efficaciter illinuntur. ſpicula extrahunt. gangrænas & podagras ex melle aut per ſeſe, hydropicorum tumores, & canum morſus cum melle & piperis polline illiti cohibent. ſudores compeſcunt. ſtomachi dolores mitigant. furfures & ulcera, quæ in capite manant, cum toſto nitro abſtergũt. ſugillata uarosq; per ſe aut ex oui luteo, & lentigines cum melle uel aceto, emendant. fractis auriculis unguibusq;, ex polenta medentur. ijdem calidis cineribus torrefacti, tollunt ficus: item cum cinere è mænarum capitibus, impoſiti. cremati uerò & cum alcyonio miſti, uitia cutis in facie, atrasq; cicatrices in ſole illiti, emaculant. faciunt ad rupta, ſi cum aceto cocti edantur. Sed copioſiore eorum cibo abſtinendum, quoniam neruos tentant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Theophr. lib. 8. de Plantis. *Bulbi priuatim uocati cæpis ſimiles ſunt. Suntq; plura eorum genera, ut lib. 8. de plantis tradit Theophraſtus. Siquidem magnitudine, colore, figura, & ſapore differunt. Alicubi enim adeò dulces naſcuntur, ut per ſe ſine condimento alio edãtur, quales in Taurica Cherſoneſo ſunt. Cato Megarenſes tanquam omnium optimos celebrat. Venerem mirè ſtimulant, Vnde & ſalaces à Martiali uocantur, in libro Xeniorum:*

Cùm ſit anus coniunx, cùm ſint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm ſatur eſſe potes.

Columella item de ijſdem in hortulo ait:

Quæq; uiros acuunt, armantq; puellas,
Iam Megaris ueniant genitalia ſemina bulbi.

Quibus & M. Varro adſtipulatur, tradens ob id bulbos ſponſis in legitimis nuptijs olim apponi ſolitos.

Aegneta lib. 1. *Et Paulus Aegneta lib. 1. Bulbi inquit, ſeminis abundantiam faciunt, & Venerem ſtimulat frequentior cibus eorum. Hæc uerò de priuatim dictis bulbis. Nam generaliter bulbi uocantur, quorum radices ſub terra ſic creſcunt, ut ad nouam quotannis ſobolem decerpi aliqua pars poſſit, ut lilio, croco & ſimilibus: item & aliæ rotundæ, tunicatæ radices, & eſui dantur radices & olera capitata, uti Celſus innuit lib. 8. Vbi de alimentorum facultatibus agens, dicit: in media materia numerari debere ex oleribus ea, quorum radices uel bulbos aſſumimus. Et mox pòſt: Ex oleribus ualentior rapa, napiq; & omnes bulbi, in quibus cæpe quoq; & allium numero, quàm paſtinacæ, uel quæ ſpecialiter radicula dicitur.*

Siſirinchion.



Corn. Celſus lib. 2.

B

Bulbus uomitorius. Cap. CLXIII.

Scilla.





BVlbus quem uomitorium uocant, folia habet lentiora multò & longiora, quàm bulbus eſculentus: radicem ſimilem, cortice nigro. Ea radix manſa, aut decoctum eius potum, ueſicæ malis medetur, uomitiones mouet.

EXPLICATIO.

Bulbus quẽ uomitoriũ uocant ab effectu, multò longior eſt, quàm eſculẽtus.

Scilla. Cap. CLXIIII.

SCilla uim acrem atq; feruentem habet. aſſatum ad multa utiliorem eſſe conſtat. Pollini ad cruſtã ſubacto, aut luto oblita,

oblita, in clibanum conijcitur, aut carbonibus obruitur, donec obducens crusta sufficienter intosta fuerit. qua exempta, si non emolleſcat, altero polline simili, aut luto circumlinitur, & eadem quæ prius, fiunt. nam quæ ita non assatur, interaneis maximè noxia est. Torretur item in olla, indito operculo, quæ in furnum demittatur. Sumi etiam solet, quod maximè est medium, direptis uiuo tenus tunicis: quod frustatim consectum coquitur, mutata sæpius aqua, donec ipsa nec amaritudinẽ, nec acrimoniam habeat, traiectaq; lino frusta siccantur in umbra, ita ut ne ulla quidem pars teſe contingant. his scillæ segminibus ad oleum, uinum, aut acetum scillinum utimur. Ad rimas pedum, interna pars crudæ scillæ in oleo feruefacta, aut cum resina liquefacta, imponitur. decocta in aceto demorsis à uipera cataplasma est. ad singulas assæ parteis, adiectis octonis tosti salis, cochlear unum aut alterum damus ieiunis, ad emolliendam aluum. in potu autem & odoratis medicaminibus, & quibus urinã ciere uolumus, hydropicisq; & stomachicis, quibus innatat cibus, regio morbo, tor minibus, in tussi uetere, suspiriosis, & ore reijcientibus tres obolos, in delinctu ex melle sumpsisse satis est. coquitur cum melle, & estur eorundẽ gratia, maximè ut concoctionẽ adiuuet. strigmenta per aluũ extrahit. cocta & simili sumpta modo, eosdẽ præbet effectus. sed cauẽdę scillæ usus his, qui intestinũ sentiũt ulcus. ad pensiles uer rucas & pniones, tosta efficaciter illinitur. Tritũ semẽ, & carica aut melle deuoratũ, aluum emollit. Scilla tota in limine ianuæ suspensa, mali medicamenti noxã arcet.

A

Pancration.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Σκίλλα, ἡ. Latinis & Officinis retinuit nomen priscum.

Germanis, Meußzwibel/Merzwibel. Gallis squilla oygnon marin, dicitur.

Scilla calida ordine secundo, ádmodum incidit. assam aut elixam sumi præstat, ut uirium eius uehementia exoluatur. Legenda ex terra, quando folia eius & caules omnino arucrunt. Scillæ albæ segmenta seu taleolæ cultello ligneo separatæ, lino traiectæ, modicis interuallis, ne se contingant, in umbra siccantur diebus 00. ut ex his fiat acetum scillites. Alba est masculus, eaq; utilior quàm fœmina nigra.

Gal. lib. simp. Lib. 1. Antido. Plin. cap. 9. lib. 20.

De Pancratio. Cap. CLXV.

B

PAncratium, quod aliqui scillã appellant, radice est magni bulbi, subrufo colore aut subpurpureo, gustu amaro ac feruente: foliis lilij, sed longioribus. Scillæ uires & præparationem habet, eodemq; pondere in morbis efficaciter assumitur. cui tamen minor quàm scillæ facultas ineſt. Radicis succus cum erui farina digeritur in pastillos, qui hydropicis splenicisq; cum hydromelite commodissimè dantur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Παγκράτιον. Latinè, Pancratium. Officinis, Scilla minor.

Germanis, Kleyne merzwibel/oder Meußzwibel. Gallis, Scille bastarde.

Omnes scillæ repræsentat effectus, sed longè censetur imbecillior. Paulus & Spectè & uiribus comparauit scillæ.

Capparis. Cap. CLXVI.



CApparis aculeatus frutex est, qui in terra stratus, magis in orbem euagatur. spinas, ut rubus, habet, in hami modum aduncas: folia mali cotoneæ rotunda: fructum oleæ similem, qui cùm dehiscens panditur, florem candidum promit: quo excusso, nõnihil glandis oblongæ figura inuenitur, quod apertum grana acinis punicorum similia ostẽdit, parua, rubicũda, radices ligno sas spargit, grandes numerosasq;. Tenui solo, asperisq; locis, in insulis & iuxta rudera nascitur. caulis & fructus, cibi gratia condiuntur. aluum turbat. stomacho aduersatur. sitim gignit. cocta tamen stomacho quàm cruda utilior est. fructus drachmis duabus in uino potus, quadraginta diebus, lienem absumit. & urinam cruentumq; excrementum emittit. bibitur utilissimè

A



Hyberis.

mè in coxarum doloribus, & neruorum resolutione, item ruptis & conuulsis. menses ciet. caput purgat. Dentium dolorem sedat semen ex aceto decoctum, colluto inde ore. Aridus radicis cortex ad eadē proficit. ulcera omnia uetera, & sordida, & quę occalluerunt, expurgat. lienosis cum farina hordei illinitur. dente demorsa, dolori eius auxiliatur. cum aceto trita, uitiligines albas absterget. Radix foliaq; trita, strumas ac duritias discutiunt. Aurium uermiculos infusus succus enecat. Aphrica, & præsertim Marmarica capparis, uehementer inflat. Apula uomitus facit. & quæ à Libyco, & quæ rubro mari defertur, mirum in modum acris est: siquidem in ore pustulas excitat, gingiuas q; ossetenus exest. quare in cibis non ab re damnatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κάππαρις. Latinè, Capparis. Inuris, Officinis genuinum nomen seruauit.

Germanis, Kappren.

Gallis Cappres, dicitur.

Capparis radicis cortex amarus, acer, acerbus, tergit, purgat, tenuat, incîdit, digerit, constringit, lienes indurátos & ischiadas, ob hæc magnificè iuuat, sumptus, uel cum idoneis remedijs admotus.

Eadem radix etiam hepatica est, li. 8. comp. phar. part. & splenetica, lib. 9. ciusdem. Flos eius & fructus aceto & sale conditus, primis mensis ad excitandam appetentiam sumitur, licet stomacho noxius, siticulosis aluum turbare Dioscoridi dicatur.

Folia capparis trita cum uero potu splenetica, lib. 9. comp. phar. part.

B

Gal. lib. 7. simp. & lib. 9. comp. phar. part.



Lepidium.

Lepidium. Cap. CLXVII.

LEpidium aliqui gingidium uocant, herbula uulgo nota. muria cum lacte seruatur. Vis foliorum acris & exulcerās. quapropter ischiadicis trita, præsentissimū est auxilium, si cum helenij radice, quarta parte horæ, illinatur. lienosis simili modo prodest. lepras eximit. Radix appensa collo dolore dentium liberare existimatur.

EXPLICATIO.

Vide annotationes in caput ultimum libr. 3.

Ranunculum.

Ranunculum. Caput CLXVIII.

A

Primum genus Ranunculi.



Secundum genus.



B

COmplura ranunculi genera, uis tamen omnibus una, acris, & uehementer exulcerans. Nam unum coriandri foliis constat, latioribus, subalbidis, pinguibus, flore luteo, interdum purpureo: caule gracili, cubitum alto: radice alba, exigua, amaraq;, multis capillamentis, hellebori modo fibrata. nascitur in limitibus humidis. Alterum lanuginosius, longiori caule, pluribus foliorum incisuris, plerunq; in Sardinia proueniens, quàm acerrimum, quod syluestre apium appellant. Tertium minimum, odore graui, flore aureo. Quartum huic simile, flore lacteo.

Folia, flores & cauliculi recentes, illitu exulcerant, & crustas non sine dolore gignunt. quare ungues scabros extricant. scabiem eximunt. stigmata delent. formicantes uerrucas, & pensiles, alopecias q; paulisper illita, tollunt. tepente decocto perniones fouentur. sicca radix, trita q; sternutamenta ciet, naribus admota. dentium dolorem appensa leuat, ipsos tamen frangit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Plura ranunculi genera Dioscoridi demonstrantur. Primum genus ranunculi, Græcis Βατράχιον: Officinis pes corui, ulceraria, scelerata.

Germanicè, Gleißblümen/Brennender hanenfüß/Hanenfüß/Butterblümen.

Gallis bacins, dicitur. Florem habet luteum, interdum purpureum, qui mihi tamen uisus non est.

Hoc genus ranunculi duplex est. Vnum foliis candidis: alterum nigrioribus, in medio quasi sanguineis guttis, rubeis maculis respersis: utrunq; genus cultis incultis nascitur.

Ranunculi genus alterum lanuginosius, pluribus foliorum incisuris, altiore caule, gustus acerrimi, quod priuatim apium rusticum cognominant. Herbarij hodie apium risus. Historici Sardoam aut Sardoniam herbam uocant, à Sardinia. Strabo ex hac herba toxici genus Hispanos confeciſſe meminit, hausta cuius urgente ui maiore citra dolorem ipsi sibi mortem consciscebant. Græcis Βατράχιον ἕτερον. Officinis falsò hydropiper, Germanis, Froschpfeffer/dicitur, quia palustribus locis prouenit.



Ranunculus tertius mi-
nimus est, graui odore, flo-
re aureo, pleriſq; locis con-
ſpicitur, Græcis Βατραχίον
ον τρίτον, χρυσάνθεμον.
Officinis incognita. Germa-
nis, Gelbwaldthändle/
dicitur: naſcitur enim in
ſyluis. Ranunculus quar-
tus, ſuperiori ſimilis, flore
tantùm lacteo, Græcis Ba-
τράχιον τέταρτον. Offici-
nis quoq; incognita, Germ.
Weiß waldthändle.

Est & Ranũculi genus
quoddam, à radicis figura
uerticillum Apuleius uoca-
uit, ob globoſam rotunditā
tem. Minor aliis est, & ra-
dice floris inuerſa. Guſtus
omnium acerrimi. Sunt qui
Laureã uocãnt. Græcis Τὸ
δ' Βατράχιον ἔλλαν
ἔχον πρωΐλων σφον-
δυλίῳ ὁμοίαν. Officinis
pes columbinus, & ueſica-
ria, Germanis, Gehéßlein
gleißblümle / Vleyner
Hanenfüß / Taubenfüß.

Est & alterum ranun-
li genus hortenſe, quod ob
pulchritudinem in coronā-
menta uenit. Effecit enim
cultura, ut qui in limitibus
ſimplici foliorum compage
flores oriātur, ſtructili quo-
dam denſoq; foliorum ſtipa-
tu nunc in hortis collucē-
ſcant. Germanis, Gefüllter
Hanenfüß. Gallis Bacilles
doublees, appellatum.

Omnes Ranunculi ſpe-
cies urendi naſciſcūtur li-
centiam, paſtulasq; uelut
ignis excitant: nam eorum
uis ualde acris & uehemen-
ter exulcerans: intra cor-
pus ſumi non debent.

Anemone.
Ca. CLXIX.

DVo anemones genera. Vnum ſylueſtre, alterum in cultis naſcens. Cuius multæ ſpecies: una phœniceum florem profert,

Anemone.



profert, altera candicantem, aut lacteum, aut purpureum: harum folia coriandro similia, tenuioribus prope terram diuisuris: caules lanuginosi, tenues, in quibus flores ut papaueris, & in medio capitula nigra, aut cœrulea: radix oleæ magnitudine, aut amplius paulò grandescit, fermeq; geniculis quibusdam cingitur. Syluestri amplitudo prorsus maior, latioraq; folia, & duriora: oblongius caput: flore puniceo, tenuibus & multis radicum capillamentis. Acrior est quæ nigra habet folia. Vis utriusq; acris: ea de causa succus naribus infusus, purgat caput, commanducata radix pituitam trahit. decocta in passo & illita, medetur oculorum inflammationibus. cicatrices eorundem & hebetudines emendat. sordida ulcera abstergit. folia & caules si cum ptisana decocti edantur, copiam lactis præbent. menstrua ciunt, uellere apposita. Illita quoq; lepras eximunt. Sunt qui errore ducti, argemonen nominari eupatorium putent: quoniam à syluestri Anemone, argemonen, & papauer, quod rhœada appellãt (de quo inter papaueris genera referemus) propter colorum cognationem in floribus, distinguere non possunt, uerùm papauer & argemone colore minus saturato spectantur, & utraq; tardius floret, quinetiam Argemone croceum succum, gustu admodum acrem, reddit: rhœas uerò candidiorem & acrem. insuper Anemone & rhœadi capitula syluestris papaueris similia insunt, sed in Anemone supernè crassiusculum *, in rhœade subangustius. Anemones genera nec succum remittunt, nec calyces habent, sed quasi asparagi cacumen. in aruis illa sæpius enascuntur. A B

* Latiusculum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Argemone.



Græcè, Ἀνεμώνη. Latinè, Anemone. Officinis herba Veneri. Consimilis est papaueri rubro syluestri. Germanis, Ruchenschell/ Hackelkraut. Brabantis, Windtcruyt. Gallis, Coquelourdes, uel corles. Hortenses uerò passi flores uocãt.

Empirici hanc herbam uulnerariam faciunt. Secãtur eius folia non sine acore quodã, ita ut oculos quemadmodum alliũ, aut cæpe feriant. Illaq; per alembicum ui ignis destillata, aquam uulneribus mundificandis, curandisq; utilissimam præstant, quæ & putridam carnem erodat.

Argemone. Cap. CLXX.

Protentilla.



A ARgemone in totũ ſylueſtri papaueri ſimilis eſt. folia habet Anemones, diuiſa: florem puniceũ: caput in cauliculo papaueris rhœadis, oblõgius, & ſummis partibus latum: radicem rotundam. ſuccum croci colore, acrem, dimittit. Argema & nubeculas expurgat: folia illitu inflammationes compeſcunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Noſtri herbarij hodie duo genera Argemones. Vnum papaueri ſylueſtri omnino ſimile, alterum Germani Genſerich/uocant, quia anſeribus hæc herba uoluptati eſt. tamen apud me horum certi nihil habetur.

Anagallis. Caput CLXXI.



B DVo Anagallidis genera, quæ tantùm flore diſtãt. nam quæ cœruleo flore eſt, fœmina dicitur: mas, quæ phœniceo. frutices ſunt parui, in terra iacentes, foliis in quadrangulo caule puſillis, ſubrotundis, ad helxinæ folia accedentibus: ſemine rotundo. Vtraq; mitigandi uim habet. inflammationem arcet. adactos corpori aculeos extrahit. nomas cohibet. Succus caput gargarizatu purgat. & naribus infuſus, dolorem dentium lenit, ſi in aduerſum narem inijciatur. argema cum melle Attico emendat. retuſæ oculorum aciei auxiliatur. contra uiperarum morſus, iecinoris & renum uitia, ſi ex uino bibatur, prodeſt. Tradunt eam, quæ cœruleũ edit florem, prociduam ſedem reprimere: quæ uerò phœniceum, illitu euocare.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Anagallis in duo genera diuiditur. Fœmina flore cœruleo conſpicitur, mas puniceo. Iacet in terra uterque ſexus. Folia in cauliculis quadratis puſilla rotunda in terra iacentibus, naſcitur in hortis & aquoſis.

Anagallis Fœmina Latinis.
Morſus Gallinæ Officinis.
Ἀναγαλλὶς θηλεῖα Græcis.
Gauchheyl/mit blaen blämlin Germa.
Morgeline, Gallis dicitur.

Anagallis Mas Latinis.
Græcis Ἀναγαλλὶς ἄρρην.
Germanis, Gauchheyl/mit roten blämlin.
Gallis quoq; Morgelina (flore enim tantùm diſtant) appellant.

Eſt & tertium genus Anagallidis paluſtre, floribus cœruleis, Germanis, Waſſerpungen/ & Bachpungen/appellatum: eius pictura ſuprà eſt.

Galenus tradit Anagallidem, ſiue quæ florem parit cœruleum, ſiue quæ phœniceum, quendam attractorium calorem poſſidere, quo ſpicula uel impactos corpori refigit aculeos. Qua de cauſa ſuccus naribus inditus caput purgat, & ut ſummatim dicitur, exiccatoriam uim citra morſum obtinet, quare uulnera glutinat. Idem de utraq; Anagallide ſentit Paulus.

Veterinarij

Veterinarij uerò in hodiernum diem uſq; hac herba, quam paluſtrem ſiue aquaticum Anagallidem appellant, in tumoribus diſcutiendis, & ſcabie equorum ſananda utuntur: exiccatoriam uim citra morſum obtinet, ut Anagallis, quare uulnera glutinat, ad recentia quoq; uulnera tanta ei traditur uis, ut ſaniem oſſibus extrahat, quemadmodum id longa ac uaria experientia multis conſtat, quæ uires ſingulatim à uetcribus Anagallidi utriq; attribuuntur. A

Hedera. Caput CLXXII.



HEdera differentias multas in ſpecie ſortitur, ſummas autem genere treis. Nam quædã candida eſt, altera nigra, tertia helix. candida, fructum fert candidum: nigra, nigrum, aut croci æmulum, quam uulgus Dionyſiam uocat. helix fructum non gignit, ſed albas habet uiticulas, & folia parua, anguloſa, & concinniora. Hedera omnis acris eſt, & adſtringens. neruos tentat. flos trium digitorũ carptu, facit ad dyſentericos, in uino bis die potus. ambuſtis cum cerato tritus illinitur. recentia folia ex aceto cocta, aut cruda cũ pane detrita, lienes ſanant. foliorum & corymborum ſuccus, cũ irino unguento, melle aut nitro, naribus infunditur. & cõtra ueteres capitis dolores, caput eo cum aceto & roſaceo perfundi utile eſt. purulentis auribus, aut dolentibus, cum oleo medetur. nigræ hederæ ſuccus, aut epoti corymbi, corpus infirmant, mentemq; turbãt largius ſumpti. acini quinq; triti, calfactiq; in punici mali cortice cum roſaceo, ſi inſtillentur à contraria aure, dolorem dentium mitigant, denigrant capillum, illiti corymbi. folia in uino decocta, illinuntur omnium ulcerum generi, etiam ſi cacoẽrthe ſint. uitia cutis in facie & ambuſta ſanant, uti antea diximus, decocta. mouent mẽſes triti & ſubditi corymbi. idem poti, poſt purgationes fœminarum, drachmæ pondere, concipiendi ſpem adimunt. pediculus foliorum melle irrigatus, ac uuluæ indutus, menſtrua & partus extrahit, inſtillatus ſuccus putrida tædia narium, graueolentiamq; emendat, & ſanitati reſtituit. lachryma hederæ pſilothrum eſt. illitu pediculos enecat. ſuccus radicum in aceto potus, contra phalangia prodeſt. B

ἐυθυμώτερα, non ἐυθξ.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Chelidonium.



Hedera plurimas, ut Dioſcoridi placet, ſigillatim habet differentias, ſed ſummas ſpecies omnium generum tres. Candida fructum candidum fert. Græcis Κισσὸς λευκὸς, ἢ λευκόκαρπος. Germanis, Weiſſer Ephew. Brabantis, Veyl/Eyloof. Gallis, Lierre blanche.

Nigrum fructum nigra hedera fert, Græcis Κισσὸς μέλας. Germanis, Maur ephew/Baum ephew. Gallis Lierre noire, & dionyſia appellatur. Tertia, quæ nominatur Helix, nullum parit fructum, tenuibus ſarmentis, foliis paruis, anguloſis, cõcinnioribusq;: hæc Græcis Κισσὸς ἄκαρπος ἕλιξ. Latinis, Sterilis Helix. Germani Ephew on frucht/& Bleyn Ephew/uocant.

Hedera ſatis omnibus inimica, ſepulchra ac muros rumpens, ſerpẽtium frigori gratiſſima: quæ etſi creſcendo arborum magnitudinem æquat, frutices eam tamen ſibi uendicarunt.

Hedera, ut Aeginetæ placet, contrarijs conſtat potentijs. Stringit enim, & refrigerat, atq; cum quadam acrimonia calefacit, eſſentiæ aquoſæ particeps, uiridis, tepida.

Chelidonium. Cap. CLXXIII.

CHelidonium maius, caule eſt gracili, cubitali aut altiore, adnatis folioſis: foliis ranunculi, multis, mollioribus tamen, & colore cæſijs: flore uiolæ albæ, ſecundum ſingula folia prodeunte, in eo ſuccus croci,

A mordax,acris,& aliquãtulum ſubamarus,grauiter olens.radix ſupernè ſingularis, infernè in multa crocea capillamenta fibratur.ſiliqua,ceu corniculati papaueris,tenuis,in metæ figuram longa: in qua ſemen papauere maius recluditur.Succus in æreo uaſe,cum melle prunis decoctus,oculis claritatem adfert. Foliis, caule,radice, ſuccus exprimitur ineunte æſtate,& ſiccatus in umbra digeritur in paſtillos.Radix cum aniſo & uino albo pota,medetur regio morbo,& ulceribus quæ ſerpunt. impoſita cum uino aut manducata, dentium dolorem ſedat. Hoc nomen ſibi uiderur uendicaſſe,quòd aduentu hirundinum exoriatur,& diſceſſu emarceſcat. Sunt qui narrant,hirundines matres excæcatis pullis,admota herba uiſum reſtituere.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,Χελιδόνιον ὸ μέγα. Latinè,Chelidonium & Hirundinaria.
Officinis,corruptè Chelidonia, Germanis,Schellwurtz. Brabantis,Gouwe.
Gallis,Chelidoine,ou eſclere.

Herba nota eſt: licitur autem nomen ſumpſiſſe ex hoc, quòd eo tempore ſemper floreſcit,quo Hirundines præſtò ſunt,quas Græci Chelidonas uocant: uel,ut quidam memorant, quòd nidis ſuis eandem Hirundines ferant,ob acuendos ſuccedentium uiſus.

Chelidonium minus. Caput CLXXIIII.



B

CHelidonium minus, quod triticũ ſylueſtre aliqui nuncuparunt, herbula pediculis ab radice pendens,ſine caule: foliis hederæ,multo rotundioribus & minoribus,teneris, & ſuppinguibus: radices habet ex eodem callo complures,puſillas, in granorum tritici modũ aceruatim cõgeſtas. quarum tres aut quatuor in longitudinem exeunt. Iuxta aquas & lacus naſcitur. Vis ei acris,& anemones modo, ſummam cutẽ exulcerat.pſoras & ſcabros ungues eximit. ſuccus radicibus expreſſus ad purgandum caput,naribus infunditur.decoctum eius cum melle gargarizatum,magnificè id prçſtat,& omnia pectoris uitia extrahit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,Χελιδόνιον ὸ μικρόν. Latinis, Chelidonium minus. Officinæ ſcrophulariam minorem.

Germani,Meykraut/Feigwartzen kraut/Pfaffenhödlin/Scharlachkraut/Zelberkernen/Bleberhödlin. Inferiori Germaniæ,Speenekruyt. Galli,Caoullons des preſtes,appellant.

Hæc herba longo tempore & medicis & herbarijs incognita fuit: quod equidem demiror,cùm nullo aeuo tempore frequentior occurrat,præſertim hirundinum aduentu: & margmibus aquoſis inueniatur, quæ nulli non ulignoſi tractus ſcatent.Quam longè diſſidenti nomine, proprio ignorato, nunc Officinæ uocant ſcrophulariam,quòd ſtrumoſa radix multis granorum frumenti granis uideatur coaluiſſe:quanquam putem inditam appellationem,quòd ſtrumis (quas uocant Græca imitatione,non Latina, ſcrophulas) medeatur. Sed ne ſine peculiari demonſtratione teſtemur,id euidenter pictura poterit comprobari. Siquidem ſcrophularia herbula eſt pediculis pendens,uiduo caule,foliis hederæ,rotundioribus multò, minoribuſq́;,teneris & modicè pinguibus.Radices oſtendit ex eodem callo prodeuntes,paruas,complures,in granorum tritici morẽ aceruatim congeſtas,quarum tres uel quatuor in longum protenduntur.Humida ſequitur & paluſtris. Flores aduentu hirundinum,nec longo pòſt tempore marceſcens euaneſcit, ſicut irrigui limites, qui largo ſolio-rum florumq́; ſtipatu pubeſcebant,confeſtim ijs ſpoliati glabreſcere conſpiciantur,qua de cauſa Chelidonium, id eſt,hirundinariam dici,nulli dubium eſt.Flos ei Ranunculi,luteo colore nitens.

Othonna. Caput CLXXV.

OThonnam aliqui maioris Chelidoniæ ſuccum eſſe aiunt.quidam glaucij: alij ſuccum floribus corniculati papaueris expreſſum. alij permiſtos cœruleæ anagallidis,hyoſcyami,& papaueris ſuccos,eſſe contendunt. alij Troglodytiçe cuiuſdam herbæ ſuccum,quæ Othonna uocatur:naſciq́; eam in eo Arabiç tractu,qui ad

ad Aegyptum ſpectat. Othonna foliis erucæ, perforatis cribri modo, & ueluti à tinea derosis, ſqualore obſitis, paucis: flore croci, latifolio. quare quidam anemones ſpeciem eſſe putauerunt. extractus ſuccus oculorum medicamentis adiicitur, ubi expurgare eſt opus. mordet enim & abſtergit omnem caliginem, quæ oculis offunditur. Tradunt humorem quendam ex herba emanare, qui elotus, ſemotis calculis, in paſtillos ad eadem digeritur. Aliqui tamen affirmant, lapidem eſſe Aegyptium, in Thebaide naſcentem, exigua magnitudine, æreo colore, guſtu cum feruore quodam & aditrictione mordaci. A

Auricula muris.
Blae Wintergrün.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Othonna, quid fuerit, etiam Dioſcoride teſte, ne inter ueteres quidem ſatis conſtat.



Auricula muris. Cap. CLXXVI.

MVris auricula, quã myoſotida uocant, herba eſt caulibus pluribus, ab una radice, aliquatenus ab imo rubentibus, & concauis: foliis angustis, oblongis, dorſo acuto, lato, nigricantibus, per interualla aſſiduè geminatis, atque in

Auricula muris.
Groß Meußohr/
Hazelkraut.



Piloſella, Alſine.
Kleyn Meußohr/
Heydniſch wundtkraut.



Myoſotis.
Blae Meußohr/
Haſenpfötlin. B



A mucronem desinentibus,& tenuibus cauliculis ex alarum sinu prodeuntibus: flore ut anagallidis,cœruleo: radix digitali crassitudine,multis capillamentis fibrata. Radix illita ægilopia sanat.Sunt qui alsinen,muris auriculam uocitent.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,Μυὸς ὠτὶς,ἢ μυὸς ὦτα.
Latinè, Muris auricula.
Germanicè,Waldt Mangolt/mit blawen blůmen.
Existimatur ea,quam in Germania uulgò medici betam sylvestrem nominant,floribus cæruleis,diuersa à pyrola. Varia hodie reperiuntur genera,hic depicta,huius herbæ.

Glastum. Caput CLXXVII.

Sylvestre glastum.



B

Glastum.



SAtiuum Glastum,quo infectores lanarum utuntur, folium habet plantagini simile,uerùm pinguius nigriusq;,cuius caulis duum cubitorum altitudinem excedit. Illita folia tumores omneis discutiunt.cruenta uulnera glutinant. sanguinis profluuia sistunt.ignem sacrum,phagedænas,putrescentia ulcera,& quæ serpunt, sanant. Sylvestre Glastum satiuo simile est. folia fert maiora,lactucaceis proxima.caules prę tenues multifidos,quadam tenus rubentes: in quorum cacumine folliculi multi dependent,quandam linguarum effigiem referentes,in quibus semen. flore tenui,luteo.Eadem quæ & suprà dicta præstat.potu & illitu lienosis auxiliatur.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO. A

Græcè, Ἰατὶς.
Latinè, Gnadum, Glastum, Isatis.
Officinis, Indicum, à colore.
Germanis, Weyd/ Endich.
Gallis, Du guesde, pastel de languedoc, dicitur.

Viridem herbam trusatilibus molis premunt, ut herbaceam saniem excludant: dein abacto liquore digerunt in magnos globos, quos tabulatis in cinerem computrescere sinunt, hos cortinis infectoriæ coquunt Officinæ, & laneos pannos ac uellera demergunt, ut cæruleum ebibant colorem. Cæruleam illam spumam innatantem, quam igni conferuescentes eructant cortinæ, hanc ad pictorum usus siccant.

Germani Indich. Galli Inde, uocant.

Telephium. Caput CLXXVIII.



B

TElephium herba portulacæ similis & caule & foliis, habens gemina tubercula,* à singulis radicum geniculis enascentia: à quibus rami seni septeniue fruticant, à radice referti cæruleis foliis, crassis, lentis, carnosis: flore luteo, aut candido. Nascitur in cultis, & maximè inter uites. Tempore uerno folia senis horis illita albam uitiliginem sanant: sed postea hordeacea farina illini debet. peruncta ex aceto etiam in sole uitiliginem tollunt. sed ubi inaruerunt, absterguntur.

* Aliàs quibus tuberculà insunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græci, Τηλέφιον.
Latini, Telephium.
Officinis illecebra minor, Vermicularis minor. Sedum minus.
Germanis, Ratzentreublin/ Blatlose/ Maurpfeffer/ dicitur.

Brevius Dioscoride Plinius descripsit Telephium portulacæ simile, & caule & foliis, rami à radice septeni octoniue fruticant, foliis crassis, carnosis. Galenus tradit, putrilaginosis ulceribus opitulari. Vnde Telephij nomen dictum puto, quòd ulceribus malis, quibus rex Mysiæ Telephus consenuit, ab Achille uulneratus, auxilietur.

Finis Libri Secundi.

PEDANII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE MEDICINALI MATERIA, LIBER TERTIVS. IOANNE RVELLIO SVESSIONENSI INterprete, cum figurarum debita appositione, & annotationibus in singula capita.

Per Gualtherum H. Ryff, Argentinum, Medicum, ex doctiss. uirorum lucubrationibus adiectis.

PRAEFATIO.

SVPERIORIBVS, charissime Aree, commentarijs, tradidimus de aromatibus, unguentis, oleis, arboribus, earum fructibus & lachrymis: item de animalibus, cerealibus, oleraceis; & herbis acrimonia præditis. In hoc autem tertio Lib. radices, succos, semina, herbas, & quæ uernacula & inter se cognata censentur, quæq; pluribus scatēt remedijs, prosequemur.

Agaricum. Caput I.



B

* Agaricum fertur radici laserpitij simile.

* AGaricum radix fertur laserpitij similis, sed facie summa solutior, & rariore fungosoq; tota contextu. Duo eius genera. fœmina, quæ præfertur, rectis intus uenarum discursibus constat. mas rotundus est, et undiq; compactior. Vtriq; gustus in initio dulcis, mox in amaritudinem transit. gignitur in Sarmatiæ regione, quæ Agaria dicitur. Sunt qui radicem esse plantæ affirment. alij ut fungos nasci in arborum caudicibus, quadam putredine: gignitur in Galatia Asiæ, & Cilicia, in cedris, sed friabile & infirmum. Adstringendi calfacientis naturam habet. efficax est contra tormina, crudidiq; tates, & rupta. prodest itidem contusis, & ab alto deluis. datur duobus obolis in uino mulso, febrim non sentientibus: febriculosis uerò, in aqua mulsa Arquatis quoq;, suspiriosis, iecinoris renumq; uitio laborantibus, dysentericis. item si urina ægrè reddatur, si uuluæ strangulatus urgeat, si pallor membra decoloret, drachma una dari solet: si tabes infestat, ex passo: si lienis negocium exhibet, ex aceto mulso. si dissolutio stomachi est, ita ut cibi tenax non sit, manditur, & sine ulla bumoris sorbitione deuoratur. simili modo acida ructantibus propinatur. sanguinis reiectiones sistit, tribus obolis ex aqua sumptum. facit ad coxendicum, & articulorum dolores, & comitiales morbos, si cum aceto mulso, pari pondere assumatur. menses cict. fœminis, quas inflatio uuluæ uexat, utiliter æquali modo datur. horrores soluit datum ante febrium accessiones. aluum purgat drachma una aut altera, si cū aqua mulsa bibatur. uenenorum antidotum est denarij instar, cum diluta potione sumptum. si serpentes ictum uibrarunt, morsumq; subfixerunt, tribus obolis ex uino potum, mirè auxiliatur. In summa, internis omnibus uitijs conuenit, pro uiribus & ætate datum, nunc ex aqua, nunc ex uino. ijs ex aceto mulso, alijs ex aqua mulsa.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ἀγαρικόν. Latinè, Agaricum. Officinæ genuinum nomen retinuere.

Germanis, Dannenschwam. Gallis Agaric dicitur.

Gal. li. 1. Antid. & 6. simp.

Agaricus tanquam fungus est enatus truncis arborum, præcipuè glandiferarum, ut ilicum: toto contextu est rariore & fungoso, sed facie summa & mucrone solutior: sede uerò & radice semilignosa & semipetri, ob id abijcienda. In eo fœmina rectis intus uenarum discursibus fracta constat, qui dentium murinorum rectigm

astriga in caseo duro repræsentent. Eadē leuior, rarior, mollior, albior, breuior, friabilior, splendidior, pro- A.
inde præstantior. Mas uerò in fracturis filosus, neruorum modo, grauis, densus, durus, niger, lignosus, lōgus, interdū rotundus, sed ubiq; compactior: neuter adulterationem recipit. Vtriq; sapor est initio dulcis, mox amarus, tandem etiam subacer, & subastringens: unde incidit, tenuat, terget, digerit, obstructa liberat. Vis autem phlegmagoga, hoc est, pituitæ purgatrix, stomacho aduersa: uitijs tamen omnibus internus ab ea natis sa- Gal. lib 6 simp.
luber est in omni ætate, ob quæ medicamentum familiæ ueteribus est dictus. Datur drachmæ pondere, seu à scrupulis duobus ad drachmam unam, pro ægri natura, ætate, uiribus, consuetudine, & morbi natura & tempore, cum uino, uino diluto, uino mulso, sapa, aceto, aqua, hydromelite, oxymelite. Quinetiam stomacho solutis, ut cibi tenax non sit: & acida ructantibus manditur, & sine humore deuoratur Dioscoridi. Nobis omnibus nauseabundus est, fortasse quia deterior nūc ex Alpibus Germanicis, Gallicis, & Galliæ Delphinatu affer- Gal. lib. 1. Antl.
tur, quàm quem maioribus mittebat Agaria Sarmatiæ regio (à qua illi nomen) & Galacia, & Cilicia. Ponticus Andromacho iuniori in Theriaca probatur. Mendum igitur uideri iure queat in fine lib. 9. comp. phar. par. ubi suffocatis ab utero datur uncia una cum uino, pro drachma una. Corrigitur uino, zingibere, caryophyllis, nuce muschata, uel alijs stomachicis. Seruatur annis quinq; integer, præcipuè cū dauco, libystico, polypodio: non solum autem sumitur, sed etiam foris admouetur, ut Galenus docet lib. 6. simp. phar. & in fin. lib. 10. comp. phar. part. in ischiadicis remedijs.

Agaricus Galeno & Dioscoridi radix dicitur, cùm potius fungus sit, aut uelut fungus quidam, candidus, odoratus, nocte lucens, truncis ilicum, & aliarum arborum glandiferarum truncis innatus.

Rhapontícum. Caput II.

RHa, aliqui rheum, latini Rhapontícum uocant, prouenit in ijs quæ supra Bosphorum sunt regionibus, ex quibus affertur. Radix nigra, centaurio magno similis, sed minor & ruhor, fungosa, aliquantum læuis, sine odore. Optimum habetur, quod teredines non sensit, si gustatu cum remissa adstrictione lentescat, manducatumq; colorem reddat pallidum, aut ad crocum inclinantem. Id epotum facit ad inflationes, stomachi imbecillitatem, & omne genus dolores, ad conuulsa, lienosos, hepaticos, tormina, ad renum, uesicæ, & pectoris uitia: aduersus intenta præcordia, & uuluæ mala, coxendicum dolores, sanguinis excreationes, suspiria, singultus, dysenterias, & cœliacorum affectus, contra febrium circuitus. & uenenatorum mor- B.
sus. datur in singulis ualetudinibus eodem quo agaricum pondere, & cum eisdem liquoribus. si febri careant, in mulso: sin aliter, ex aqua mulsa. si tabem experiuntur, expasso. si lienis exercet, in aceto mulso. si dissolutio est stomachi, id est, cùm cibi tenax non est, manditur, & sine sorbitione ulla deuoratur. liuentia lichenasq; tollit, cum aceto illitum. inflammationes omneis ueteres ex aqua oblitū dissipat. summa eius uis adstringens, cum aliquanto calore.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Rha, Rhaon, Rheon, Rhion, radix nigra, cortice nigro foris, centaureo magno intus similis, sed minor & ruſior: fungosa & laxa, aliquantum leuis, sine odore, teredinibus non exesa, quæ mansa colorem reddit pallidum, aut ad crocum inclinantem: facilè fragilis, amara, ut à Dioscoride præsenti capite describitur: sed præter hæc legit in Dioscoride Serapio: astringens, si plusculum manditur, subacris.

Ex riguis ad Rha fluuium supra Pontum (unde Rhapontícum Græcis & Latinis, & radix pontica Celso dicitur) & Bosphorum septentrionali tractu affertur: parum purgatorium, experientia posteriorum, licet inuentus sit rarissimum, & hodie propè ignotum: obscuratum opinor à Rhabarbaro seu Indico, quod ex India meridionali in totam propè Europam quæstu maximo conuehitur, odoratum, grauitate insigni commendabile, restringens, amarum, chalagogum magis, colore dum manditur planè croceo. Quod siue idem sit genere cum Pontico, uiribus tamen, colore, odore, pondere nonnihil dissimile soli & cœli ratione: siue omnino diuersum, alijs disquirendum relinquo, quibus plus est ocij & facultatis: cùm præsertim etiam celebres medici hodie, in ea controuersia sibi non constent, & nunc idem, nunc diuersum affirment. Manardus nanq; in epistolis nunc idem, nunc diuersum censet. Mesue & Serapio suo Rhabarbaro tribuunt omnia, quæ Dioscorides & Galenus Rheo. Mihi satis fuerit admonere, in locum Pontici iam propè desiti Indicum uiribus proximū, & ubiq; copiosum potius esse sufficiendum, tantò tamen parcius, quantò efficacius, in Græcorum compositionibus, quàm Centaurij magni radicem minimo uirium commercio cum Pontico conuenientem. Præsertim autem sufficiendum est, quod in Indico est, astringens magis, minusq; purgatorium, quale multum inuentur: aut saltem eius macerati, uel assi magma, prout Medicus iudicauerit. In Arabum autem compositionibus utrunq; distinguitur, illud Rheu ponticum, hoc Raued Scni appellatum. Rhion uel ῥῆον Ponticum,

uel

A



Rha Germanicum.

B



Gentiana.

uel Rhius Pontici radix ferè Galeno dicitur in compos. medic. part. 7. & 8. & in Antido. ῥῆον πολυκνὸν, & ῥῆον βαφικαϊκὸν, Actuario: & Rhei pontici radix, idem Pontica radix in Esdræ antidoto, ῥῆον ἰνδικὸν Actuar. in σκαλέχαρ, pro Raued Seni Mesuæ. Seruatur annis 3. 4. psillio, milio, cera oblitum sola, uel cum terebinthina.

Quod autem uulgus Europæ pro Rhabarbaro in hortis passim serit, cuius picturam damus, nomine Rha, Germanici Lapathi genus omnino uidetur, licet radicis colore Rhabarbaro nonnihil sit affine, uiribus autem imbecillius est. At cum reliqua Rhei utriusq; historia nemini scriberatur, sed radicis solius, conuincere nequeas, congenerem plantam uel degenerem & diuersam, nisi ex partis uiuæ natura.

Gentiana. Cap. III.

INuentio Gentianæ prima assignatur Gentio Illyriorum regi, à quo cognomentum habuit. foliis partim proxime radicē, iuglandi plantaginue similibus, subrubris, partim à medio caule, & præsertim iuxta cacumen, paulum dissectis: caule cauo, & læui, digiti crassitudine, geniculato, & ex interuallis maioribus foliato, binùm sæpe cubitorum: semine in calycibus lato sine pondere, acetoso, satis ad sphondylij semen accedente: radice lōgæ aristolochiæ, crassa, amara. Nascitur in sublimibus montium iugis, umbrosis locis, aquosisq;. Vis radicis excalfactoria, & adstringens. cōtra morsus serpentium, duabus drachmis, cum pipere, ruta & uino pota, auxiliatur. extracti succi drachma, laterum doloribus, & ex sublimi datur batis, ruptis & conuulsis, prodest. hepaticis & stomachicis, pota cum aqua subuenit. radix collyrij modo subdita, partus eiicit. imposita, ut lycium, uulneraria est: & ulcerū cuniculatim depascentium medela. succus præcipuè eodē effectu prodest. oculis inflammatione laborantibus illinitur. pro meconio collyrijs acribus immiscetur. radix uitiligines absterget. Succi extrahendi ratio hæc est: Contusa radix quinq; diebus aqua maceratur: postea in eadem tantisper decoquitur, dum extent radices: & ubi refrixit aqua, linteo excolatur: mox discoquitur, dum mellis crassitudo fiat, fictilique reconditur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Γεντιανή.

Latinè, Gentiana.

Officinis Latinum nomen integrum seruauit.

Germanis prima litera ablata, Encian.

Gallis de la Gentienne.

Huius genus maximum Sabaudi uocant Verlache: minimum (Germanis, Creutzwurtz, & Bitterwurtz, appellatum.) duperet.

Gentiana radice est ob multam amaritudinem efficaci, ad tergendum, tenuandum. purgandum, obstructa liberandum: propter quam aloē Gallica dicitur: ab Illyricorum rege inuenta, & dicta, ut ipse Dioscorides testatur.

Aristolochia.

Aristolochia. Caput IIII.

ARistolochia nomen ex eo sibi adoptauit, quòd existimetur optimè puerperis opitulari. Tria eius genera traduntur. Rotunda, quæ fœmina uocatur, foliis hederaceis, præstanti odore, cum acrimonia, mollibus, subrotundis, multis abuna radice germinibus, prælongisq; palmitibus, floribus candidis, pilei similitudine, in quibus quod rubrum est, grauiter olet. Longa, mascula appellatur, nonnullis dactylitis, longiore quàm rotunda folio, tenuibus ramulis, dodrantalibus: flore purpureo, grauiter olente, qui marcescens in pyri similitudinem turbinatur. radix rotundæ, in orbem conglobata, rapi modo: longæ uerò radix digiti crassitudinem, & dodrantis longitudinẽ implet, nonnunquam paulò maiorem. ambæ colore intus buxeo, gustu amaro & graui. Est etiamnum tertia longa, quæ clematitis uocatur, ramulos habens tenues, refertos foliis subrotundis, minori Semperuiuo similibus: flores rutæ: radices longiores, tenues, crasso cortice odorato q; uestitas, priuatim unguentorum spissamentis conuenientes. Rotunda cæteris uenenis resistit. Longa uerò aduersus angues & uenena, drachmæ pondere ex uino bibitur, & illinitur. pota cum pipere & myrrha, menses, partus, & omnia uuluarum onera eijcit, eadem efficit subdita in pessо. Rotunda ad eadem pollet. insuper singultibus, suspiriis, horroribus, lieni, conuulsis, laterum doloribus, pota cum aqua, singulariter auxiliatur. aculeos & spicula extrahit. ossium squamas illitu adimit. ulcera putrida exest, & sordida expurgat. caua cum iri & melle explet. gingiuas & dentes extergit. Clematitis ad eadem pollere creditur, uiribus tamen inferior est.

Aristolochia longa.



Aristolochia rotunda uera.



Aristolochia Officinarum.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Aristolochia, quia sit ἀρίστην λοχόσαις, id est, parturientibus optima & salubris, Dioscoridi & Galeno triplex, radicis figura præcipuè distincta. Quæ primo generi est tuberum modo rotunda, Græcis Ἀριστολοχία στρογγύλη. Latinis malum terræ ob id dicitur: tamen nõ est ea quæ sic Officinis & Germanis dicitur: secunda

A baculi craſsitudine, digitos quatuor longa: unde (opinor) dactylitis dicitur lib. 2. comp. phar. gener. & lib. 7. comp. phar. part. in arteriace Andromachi. 6. Græcis Ἀριστολοχία μακρὰ

Tertia longiſsima, quaſi uitium nouellarum, ob quam Clematitis, id eſt, ſarmentoſa dicitur. Huius fructus putatur quibuſdam κόκκοι orientis, uulgo Gallorum coques delcuam. Germanis Fiſch körner dictus, ſtupefaciendis piſcibus efficax: quam uim Plinius tribuit rotundæ, hæc Græcis Ἀριστολοχία κληματῖτις. Officinis longa, Germanis Oſterlucet/ſiue Lang holtzwurtz/dicitur.

Quartum genus oſtendit Plinius Piſtolochiam ſeu Polyrrhizon, omnium tenuiſsimum, denſis radicis capillamentis iunci plenioris craſsitudine.

Plin. li. 25. ca. 8. Gale. lib. 10. co. phar. part.

Omnes ualent tantùm radice amara & ſubacri, ſed rotunda omnium eſt ſubſtantia tenuiſsima: longa uerò terget moderatius: clematitis quia odore eſt gratiore, & cortice carnoſo, ad unguenta (nardino Plinio) eſt, quàm ad medicationes aptior. Præfertur Pontica, & huic Cretenſis lib. 10. comp phar. part. Effodienda eſt meſsibus, & deſquamento terreno ſeruanda.

Dulcis radix. Caput V.



B

DVlcis radix plurima gignitur in Cappadocia & Ponto: fruticoſa eſt, ramis binûm cubitorum altitudine aſſurgentibus: foliis lentiſci, denſis, pinguibus, tactuq; gummoſis: flore hyacinthi, fructu pilularum platani magnitudinis, aſperiore, qui ſiliquas lentium modo habet rufas & paruas: radicibus longis, ut gentianæ, coloris buxei, ſubacerbis & dulcibus, quę denſantur in ſuccum, lycij exemplo. Is in arteriæ ſcabritia efficax habetur. uerùm oportet ut linguæ ſubditus eliqueſcat. æſtuanti ſtomacho, thoraci, ac iecinoricon uenit. ſanat ueſicæ ſcabiem, & renum dolores, cum paſſo potus. idem eliquatus ſitim ſedat. uulneribus illitus accommodatur. commanducatos ori prodeſt. recentis radicis decoctum ad eadem conuenit. eiuſdem farina pterygijs commodiſsimè inſpargitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, γλυκύῤῥιζα.
Latinè, Glycyrrhiza, & Dulcis radix.
Officinis corruptè Liquiritia.
Germanis, Leckritz/& Süßholtz.
Gallis Recliſſe, Raygaliſſe.
Hiſpanis Alcanux, dicitur.

Lib. 7. co. ph. p. Lib. 6. Simp.

Glycyrrhiza Actuario, ſæpe Glycyrrhizon, γλυκύῤῥιζα, & abſolutè γλυκεῖα, lib. 7 comp. ph. part. Galeno dicitur. Radice ſola & ſucco ex hac recenti expreſſo, dulci & leuiter aſtringente ualet, tepida, temperato proxima, modicè humida, unde quia ſitim ſedat, ἄδιψον & ποτικὸν dicitur. Aſperitates lenit arteriæ & ueſicæ ſcabræ. Melior nigricans & lenta, quàm buxea & fragilis.

Hac hodie abundat ager Pabenbergenſis, ubi copioſiſsimè prouenit.

Centaurium magnum. Cap. VI.

CEntaurium magnum folia habet iuglandis, oblonga, uiridi braſsicarum colore, ſerrata in ambitu, caulem, ceu rumicis, binûm aut ternûm cubitorum, multis ab radice adnatis, in quibus capita, ceu papauerum, in rotunditate oblonga: flos cœruleus: ſemen cnico ſimile, ceu laneis floccis quibuſdam inuolutum: radix craſſa, grauis, ſolida, tripedalis, ſucco prægnans, cum adſtrictione aliqua & dulcedine acris.

Centaurium magnum.



acris,& rubescens. Amat solum pingue & apricum, ac A
syluas & colles. copiosissima est in Lycia & Peloponneso,in Arcadia,Helide & Messenia, pluribusq; locis circa Pholoën,Lyciam,& Smyrnam. Radix conuenit ruptis,conuulsis,pleuriticis,spirandi difficultati, ueteri tussi:sanguinem expuentibus, drachmis duabus trita datur,si febris sit,in aqua: cæteris in uino.itē ad tormina,& uuluæ dolores. ramenta eius in collyrij formā uuluæ subdita,menses atq; partus extrahunt.succus eadem præstat.uulneribus prodest. nam recens tusa, aut arida antè madefacta,ea glutinat & coniungit. carnes coalescunt, si tusa simul decoquatur. In Lycia succum exprimunt,quo pro lycio utuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κεντάυριον ὁ μέγα.
Latinè,Centaurium maius.
Officinæ perperam Rhaponticum.
Germani,errore Officinarum decepti,ut Galli rentpontic appellant.
Centaurij magni radix acris, astringens, subdulcis,& subamara: ulcera glutinat,sanguinem reijcientibus prodest: à Chirone centauro,sagitta Herculis uulnerato, inuentum,& nominatum Centaurium. Annis decem seruatur Theophrasto.

Centaurium minus. Cap. VII.

CEntauriū, limnesion aliqui uocauere,quoniam rigua amet loca. herba origani aut hyperici similis,caule anguloso, palmum excedēte: flore lichnidis, è puniceo in purpuram uergente: foliis rutæ,prælōgis & paruis: fructu tritico simili: radice pusilla, læui, & superuacua, quæ gustanti amaritudinem adfert.



B

Herba recens tusa,suo illitu uulnera conglutinat. ueteraulcera purgat,& cicatrice obducit, bilem crassos q; humores per aluum exigit,si decocta deuoretur. ius decocti ischiadicis conuenientissimè infunditur: trahit enim sanguinem & dolorem leuat. succus oculorum medicamentis perquàm utilis: siquidem cum melle caliginem oculorum expurgat. in uellere appositus, menses & partus extrahit. epotus peculiariter neruorum uitijs succurrit. Succi extrahendi ratio: Legitur herba semine prægnans,& diebus quinq; madefacta, decoquitur donec superemineat aquæ. mox ubi refrixit,linteolo exprimitur,& iecta herba, iterum decoquitur,usq; dum mellis crassitudinem habeat. Nonnulli eam recentem grauidam q; contundunt, atq; succum fictili non picato exprimunt,& in sole,lignea rude assiduè mouentes,inspissant: quòd si quid concretum faucibus uasis adhæresca t,deradunt,reliquoq; humori permiscent. noctu diligenter operiunt,namq; ros nocturnus liquores coalescere non finit. Quę autem siccis radicibus aut herbis liquamenta exprimuntur,decocta,ut in gentianæ mentione retulimus,præparantur. sed quæ ex corticibus humidis, aut contusis herbis factitantur,in sole, uti antè dictum est, coguntur. sic è thapsia,sic è mandragora, reliquisq; similibus succus: sic ex acerbis uuis melligo elicitur. lycium tamen, & absynthium, hypocistis & consimilia, decocta, eo quo diximus modo, coguntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

A Græcè, Κεντάυριον τὸ μικρὸν, κεντάυριον.

Latinè, Centaurium minus, fel terræ: febrifuga Theodoro Gazæ.

Officinæ Latinum nomen seruarunt. Germanis, Tausent guldin kraut/Aurin/ Erdtgallen. Brabantis, Centorie. Gallis fiel de terre nuncupatur.

Radicem inutilem, ramos, magisq; folia & flores ualere scribunt Dioscorides & Galenus. Si centaurium paruum Gale. amarissimam ac subastringens est, magnum autē acre, astringens, subdulce, quasdam utriusq; centaurij qualitates & uires Mesuen confudisse, nihil miri est, cùm etiam maius subamarum, & minus subdulce sit, dum recens est, cùm etiam Galeno quibusdam conueniat. Succus enim minoris suppositus, menses fœtumq; educit: maioris autem radix, menses prouocat, mortuos fœtus extrahit, uiuos corrumpit: deijcit Galeno. Eadem pota, torminibus medetur, & sputum cruentum sanat cum uino, si febris abest: cum aqua, si adest. Dioscoridi. Minoris etiam astringens qualitas ex hoc patet, quòd uulnera glutinat, præsertim si recens tusa adhibetur: minor quoq; uirens uulnera etiam magna glutinat Dioscoridi & Gal. Maioris herba, adhuc recens, ulcera antiqua, ad cicatricem difficillimè euntia, purgat, & ad cicatricem adducit Dioscoridi & Gale. quod Mecæ sue minoris pulueri rectè etiam tribuit amaro, ob id tergenti & siccanti, & quatenus astringat, glutinat, & cicatricem inducit. Cùm etiam Galenus scribat, minorem siccatum siccantibus & glutinantibus miscerj, quæ sinus, & fistulas, & maligna ulcera sanent, & durities molliant: quamuis potionis non meminerit, nisi quòd succum à quibusdam bibendum dari scribit in neruorum passionibus, ceu siccantem, & absq; molestia tacuantem: eundem cum melle illitum oculis purgare ea, quæ luminis claritati obstant. Dioscoridi & Gale. ad spirandi difficultatem, & tussim antiquam, & lateris dolores, maius salubre faciunt ambo. Maius ad drachmas duas datur Dioscoridi & Gal. cùm ad drachmam unam & dimidiam coctum ad dimidias in aqua cotila Paulo. Mesuæ uerò datur à tertia parte unc. unius usq; ad sesunciam Decocto autem abuncia una ad uncias tres.

Chamæleon albus. Caput VIII.

Chamæleon albus.
Aleyn Eberwurtz.



Chamæleon uerum.



CHamæleon albus dixia ideo aliquibus uocatur, quòd quibusdam in locis uiscũ circa radicem eius inueniatur, quo pro mastiche utuntur mulieres. folia habet silybo aut carduo similia, asperiora, acutiora, nigroq; chamæleone uzlidiora. caulẽ non promit, uerùm ex medio spinas, echini marini, aut cinaræ modo, erigit. flores purpureos, ueluti papporum lanugines emittit, semen enici simile: radicem in lætis collibus crassam, in montosis uerò graciliorem, in profundo albam aliquatenus aromaticam, grauj odore, dulcẽ. Quæ pota acetabuli mensura, latas interaneorum tineas pellit. bibitur autem in uino austero, cum origani feruefacti succo. hydropicis cõmodissimè drachma in uino datur, etenim eos extenuat. contra difficultatem urinæ decoctũ propinatur. hausta in uino, serpentium uenenis resistit. occidit canes & sues. mures nẽ necat, subacta cum polenta aut aqua, & oleo madefacta.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO.

Chamæleon hic albus terra serpit, in erinacei modum aculeos erigens, caule prorsus deficitur, sed è medio foliorum complexu statim à radice caput exerit, in cui pediculo fultum, & spinis densioribus echinatũ, in quo flores emicant capillati, purpurascentes, qui se in lanugines, uocatos pappos, dissoluant, & tandem in auras abeuntes uolitent: fœtu cnico non dissimili, radice candida, dulci. In neglectis agrorum limitibus, & montiũ glabretis passim inuenitur, uulgoq; in solo censu spinarum reputatur, & Wegdistel/Niderdistel/Kleyn Eberwurtz/appellatur.

Chamæleon niger. Caput IX.



CHamæleon niger, foliis scolymo similis esset, nisi minora, tenioraq;, ac rubro distincta uiderentur. caulem emittit dodrantalem, crassitudine digitali, subrubrum: & in umbella flores spinosos, tenues, hyacinthi æmulos, uersicolores: radice crassa, nigra, densa, interdum exesa, quæ dissecta flauescit, commanducata mordet. Prouenit in campestribus, siccis, & cliuosis tractibus, & maritimis. Radix trita, addito attramenti sutorij exiguo, cedrino oleo, & axungia, scabiem abigit: eadem, cùm sibi sulphur & bitumen asciuit, & cocta in aceto illinitur, impetigines absterget. decoctum collutione dentium dolorem mitigat. cum pari pipere & cera oblita radix, dolenti denti auxiliatur. radice concisa, & in aceto decocta, dentes foueutur. eos quoq; frangit, si scriptorio stylo ferũs admoueatur. uitia cutis in facie, uitiligines q; cum sulphure emendat. erodentibus medicamentis admiscetur. phagedænas, tetraq; ulcera illitu sanat. Quare chamæleo uocetur, à uarietate foliorum euenit. mutant enim cum terra colorem: hic uiridia, illic albicantia, aliubi cœrulea, nonnusquam rubra inueniuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Chamæleo niger Latinis. Græcis, Χαμαίλεων ὁ μέλας.
Officinis, Cardopatium & carduus suarius.
Germanis, Eberwurtz.

Recentiores radices cardui suarij, siue cardopatij, drachmæ pondere in uino sumptæ, contra pestilentiæ contagia prodesse tradunt. Eandem etiam in aceto decoctam, contra scabiem, impetignem, & omnes cutis fœditates, curatu difficiles, conferre scribunt, si eius decocto lauentur. Idem dentium etiam dolori succurrit.

Crocodilium. Cap. X.



CRocodilion chamæleontis nigri figurã habet. Naſcitur in ſyluoſis, radice longa, læui, aliquantum lata, odore, ut naſturtĳ, acuto. Feruefacta in aqua & pota radix, ſanguinem copioſum per nareis pellit. datur lienoſis, eos euidenter adiuuans. Semen eius rotũdum ineſt, duplex uti ſcutum, quod ſuapte ui urinam ciet.

NOMINA ET EXplicatio.

Græcè, Κροκόδειλιον.

Latinè Crocodilion, uel Crocodilias, Officinis. Germanis, Weiß oder ſchwartz Gartendiſtel.

Ruellius omnino arbitratur eam eſſe, quam hodie Carlinam uocant: cuius picturam exhibemus. Chamæleontis enim nigri figuram habet, cui adeò ſimilis eſt, ut huius temporis uiri multi eruditi hanc uerum chamæleontem nigrum eſſe credant.

Dipſacum, ſiue labrum Veneris. Caput XI.



DIpſacum aculeatarum generis eſt. caulem habet altum, ſpinis horridum, foliĳs lactucæ, ſpinoſis, binis genicula ſingula complectentibus, prælõgis, ceu quaſdam bullas intus & extra aculeatas, in dorſi medio habentibus, concauo alarum ſinu, in quo imber aut ros aſſeruetur: unde dipſaci, quaſi ſitientis, nomen traxit. in cacumine caulis, ſingulis ſurculis capitula inſunt, oblonga, echinata ſpinis, quæ arefacta, candida ſpectantur, diſſectaq; medullatenus, uermiculos oſtendunt. Sanat rimas ſedis, fiſtulasq;, ſi tuſa & decocta in uino radix, uſq; dum ſit craſsitudo ceræ, immittatur. Medicamentum ærea pyxide recondendum. Aiunt formicationibus, uerucisq; penſilibus remedio eſſe. Vermiculi capitulorum in folliculo alligati, collo aut brachio appenſi, produntur quartanis febribus remedio eſſe.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Δίψακος. Latinè, Dipſacus, Labrum Veneris.

Officinis, Virga paſtoris, fiſtula paſtoris.

Germanis, Gartenkraut/ Kartendiſtel/ Weberkarten.

Gallis chardon à cardir, nuncupatur.

Dipſacos ea ſpina eſt, qua rudes pannos, uelut echino quodam, expoliunt, detractisq; floccis ſimbrĳſq;. quas uocant crocydas, cinnant, qua etiam detritæ ueſtes mangonio fullonum interpolantur, & in uillum muricatis orbibus reſtituuntur. hinc fullonius cardduus cœpit appellari. Germanicè Weberkarten/ dicitur, quòd lanificia uncatis uerticibus aculeorum pectantur. Dipſaci ſinguli capitis ni è rotundo in oblongum quadantenus turbinantur, inter quorum ſpicula puniceus flos emicat. iis diſſectis, in medulla uermiculos idẽtidem nobis licuit inuenire: qui non offenderunt, paruam admodũ uidentium

uidentur impendisse diligentiam. Hoc uermiculo aliquoties sanauimus uulgari experimento panaritium, quod apostema Germani Den wurm am finger/appellant, malignum quidem, ac omnem curam, nisi mutigetur, omnino respuens. Seritur hodie multis in locis magno colentium prouentu, utpotè cùm echinu fullonum mangonio & complendis pannis oppidò quàm utiles: in syluestri dipsaco inutiles ac planè inualidi, & ut ita dicam, nullius usus. A

Spina alba. Caput XII.

Carduus Mariæ.
Vnser frawen Distel.

Spina alba syluestris.
Groß weiß Distel.





B

SPina alba nascitur in montibus & syluosis. folia fert albi chamaleonis, angustiora, & candidiora, aliquantum hirsuta, & aculeata. caulem supra bina cubita altum, pollicari aut ampliore crassitudine, albicantem, intus cauum. in cacumine capitulum inest spinosum, echini marini æmulum, sed minus, & oblongum, flores purpurei, in quibus semen ceu cnicũ, sed rotũdius. Huius radix pota, cœliacis, stomachicis, & ijs qui cruenta extussiunt, efficax est. urinam cit. tumoribus illinitur. decoctio eius dentes in dolore collui prodest. epotum semen conuulsis infantibus, & à serpente demorsis auxiliatur. gestatũ pro amuleto, serpentes abigere traditur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἄκανθα λευκή. Latinè, Spina alba. Germanicè, Veldistel/ Marien distel/ Frawen distel. Gallis espine blanche. Italis spinus albus dicitur.

Duo habentur huius spinæ genera, albæ cognomento propter maculas albas foliis aspersas. primum uocatur Carduus Mariæ, Vnser frawen Distel/ alterum spina alba syluestris, Groß weiß Distel. Bedegar hodie uocant spinam illam. Quandoquidem hæc Bedegaris spinis infesta hæret, foliis Chamæleonis albi, castigatioribus candidioribusq;, caule tripedaneo, pollicari crassitudine, & inani, oculi super uerticem echino, flore purpureo, cnici fœtu, sed rotundiore, &c. Spinæ albæ semen potum recentioribus contra incipientem pleuresim, & laterum dolores, remedio est.

Spina Arabica. Caput XIII.

ARabicam spinam natura albæ spinæ similem esse constat: ipsa siquidem stringit. ad sanguinis reiectiones, mensium abundãtiam, cæterasq; fluxiones radix etiamnum ualet. Prouenit in asperis.

A NOMINA ET EXPLICATIO.

Spina Arabica uel Aegyptia, Syria, similis esse creditur albæ spinæ, quæ in fruticem assurgit. Duo habet genera: candidum & nigrum, hodie nobis incognita. Arbor tota, præterquàm caudice, spinis horret. Semen in siliquis est. Flos medicamentis utilis, & coronis iucundus. gummi profundit, non cortice, sed in uasculo. Hæc ferè eadem de arbore acaciam fundente. Plinius de Arabica & spina acacia seorsim, ut differentium, tradidit. Galenus & Paulus eandem & Arabicam & Aegyptiam, appellant.

Carduus. Caput XIIII.



B

CArduus, Græci scolymon uocant, folia chamæleonis habet, aut albæ spinæ, nigriora, & crassiora. caulem longum ædit folioſum, capite spinoso: radice nigra & crassa, quæ illita, graueolentiam alarum totiusq; corporis emendat: item si decocta in uino bibatur. copiosam autem urinam fœtidamq; expellit. herba cùm recens tenerescit, in olera, asparagi modo, transit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σκόλυμος.

Latinè, Carduus & Strobilus.

Columellæ Cinara dicitur.

Officinis Acorus Articocalus, siue Articoca uocatur. Germanis, Strobildorn.

Gallis Artichault, dicitur.

Romani hodie carchiopos nuncupant, quòd ut herbaita & nomen ab Italis petitum est. Adhibentur conuiuijs cinaræ asparagi modo, iuribus incoctæ, et ex oleo, sale & aceto. Folia quoq; ineunte hyeme obruunt humo nonnulli, sic candorem asciscere, & amaritudinem exuere promittunt, ut in hybernos cibos gratius admittantur.

Poterium. Caput XV.

POterium, Iones neurada uocant, largè fruticat, cortice obductum tenui. spinis horridum, lanugine spissa, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, tragacanthæ proximis: foliis paruis, rotundis: flore exiguo, candidi coloris: semine nullius usus, sed gustu acuto & odorato. Nascitur in aquosis, & collibus. radices demittit binûm ternúmue cubitorum, neruosas & firmas. quæ proximè terram recisæ, dant succum gummi similem. tusæ, præcisis neruis & uulneribus glutinandis illinuntur. decoctum quoq; eius neruorum affectibus prodest.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Ianus Cornarius, doctissimus atq; excellentissimus Medicus, Galenicæ lectionis summus restaurator, de Poterio ita scribit:

Huius fruticis eiusq; fructus meminerunt & quidem diligenter Dioscorides, Galenus, Paulus, ac Plinius, estq; is (nisi penitus fallor) quem hodie Germani Schlehendorn/fructum uerò Schlehen/appellant. Sed Galenus quidem & Paulus de fructu penitus silent. Dioscorides autem fructum ferre acrem & inutilem dicit, eumq; nullo nomine insigniri. Plinius uerò semen pro fructu conuertit, itidemq; nullius usus esse, sed tamen gustu acuto & odorato præditum esse, testatus est: palàm ostendens, se non scire quæ res sit Poterion, quam describit, ut etiam pleriſq; omnibus, maximè Dioscoridis interpretibus, ansam dederit putandi, herbam ab ipso, non spinam & semen describi. Ex Græco autem autore aliquo, & fortassis ipso Dioscoride, uel etiam inde, unde etiam Dioscorides sua transcripsit, hæc nobis conuertit, in quibus reddendis quàm felix fuerit, utcunq; patere possit, utriusq; Dioscoridis uidelicet & Plinij uerba, apud utrunq; autorem legat. Quòd igitur ipse quid esse Poterion ignorauit, non difficile est iudicare, Græca Dioscoridis uerba, cum ipsius uerbis conferenti. Verùm tantum abest, ut nos dubitemus Poterium eum esse fruticem, quem Schlehendorn Germani

Schlehendorn.

A





mani uocamus, ut si stomachicum pharmacum præparatur ut essem aliorum potiorum inopia, eius fructu uti non dubitarem. Neq; auertor aut ex eo, quòd Galenus & Paulus de Poterio asserunt, aut ex eo, quòd Dioscorides inutilem dixit, cùm ad stomatici medicamenti confectionem, commodissimus sit, & ne esse quidem alius possit, quàm is quem indicaui. Poterij fructus alio nomine Brabyla dicitur Galeno lib. 6. comp. phar part. & libro 2. de aliment.

Iacobus Syluius arbitratur eum fruticem, qui hodie Officinis barbáro nomine Ribes appellatur, Poterium esse Dioscoridis: de quo alij iudicent. Cordus ait esse herbam, quæ mittit nostrum Tragantum.

B

Carduus benedictus.
Carden benedict.



Acanthium. Caput XVI.

ACanthium albæ spinæ simile, foliis aculeatis per extremitates, & lanugine araneosa obductis, ex qua collecta & neta, uestes bombycinis similes texunt. Folia uel radices ad remedia opisthotoni bibuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Inuenitur in agris, prope limites & uias spina candicantibus foliis, albæ spinæ non dissimilibus, quæ per ambientem oram tantùm aculeos erigunt, & spissa pubescunt lanugine, quæ facilè quidem in flocculos depecti posset, sed usq; eò fragiles, ut inde nec telas ordiri, nec fila ducere quis ualeat. Acanthium sit, nec ne, asserere non ausim.

Valerius Cordus cum quibusdam alijs, non absurdè, asserit Acanthium esse nostrum Carduum benedictum, Germanis, Carden benedict/ quem tamen Ruellius putat esse Atractylin, de quo infrà cap. 89.

Acanthus. Caput XVII.

ACanthus, Romani pæderotam uocant, nascitur in hortis, petrosis, & riguis. folia habet multò lactucaceis latiora, & longiora, erucę diuisura, nigricantia, pinguia, læuia: caulem binûm cubitorum, digitali crassitudine, læuem, prope uerticem

A Acanthus.



Acanthus syluestris.
Acanthus Germanica.
Carduus pratensis.
Brassica pratensis.
Wisen kõl.



B

ticem ex interuallis circundatum foliolis, ceu nucamenta quædam oblonga referentibus, spinosis, è quibus flos prodit albus: semen oblõgum, luteum: caput thyrsi specie, radicibus nititur longis, mucosis, rubris, & glutinosis: quæ ustis igni & luxatis artubus illitæ subueniunt. potæ urinam ciunt, sed aluum cohibent. ruptis, conuulsis, tabem sentientibus, mirè prosunt. Nascitur & syluestris acanthus, scolymo similis, aculeatus, breuior quàm satiuus, & is qui in hortis prouenit. cuius radix ad eadem ad quæ superior efficax.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἄκανθος, ἡ ἄκανθα. Latinè, Acanthus, siue Acantha.

Officinæ à similitudine, quam eius folia cum anterioribus ursorum pedibus habent, Brancam ursinam nocant. Ad quã etiam similitudinem Germani respicientes, Berenklaw/ Berentapen/ Welsch bereklaw, nominant. Brabanti, Berenpoot. Galli branze ursine.

Dioscoridis designatio (nec fallor) omnino eam noscitur explicare, cuius nomenclaturam & picturam dedimus: siquidem quinis senisue foliis extenditur, lactuca longioribus, multò latioribus, ut quæ nonnunquam cubiti longitudinem æquent, pinguibus, carnosis, erucæ ritu laciniosis, nigro colore nitentibus, caule tripedaneo, digitali crassitudine, læui, cuius uertex foliorum in aculeos molles exeuntium cingitur uallo, & uelut in debiscentem paniculam nucamentũmue fastigiatur. Summatim scapus erumpit thyrsi figura, flores candidi, semen oblongum, luteum, radicibus oblongis, pinguibus, lentis.

Acanthus uel Acantha, foliis modicè digerit, radice siccat, incidit: est tenuium partium, emolliendæ aluo iniectionibus hodie destinata.

Anonis. Caput XVIII.

ANonis, quam aliqui ononida appellant, ramos habet fruticosos, dodrante maiores, frequentibus geniculis cinctos, cauis alarum multis, capitibus rotũdis, foliis lenticulæ pusillis, ad rutæ aut pratensis loti folia accedentibus, subhirsutis, odoratis,

Ononis.



odoratis, non iniucundè olentibus. Muria conditur antè A quàm spinosa fiat. cibis gratissima. rami acutioribus spinis, & ueluti spiculis firmioribus horrent. radicem mittit candidam, quæ excalfacit, & extenuat. huius cortex ex uino potus urinam ciet, calculos comminuit, margines ulcerum erodit. radix cùm decoquitur in posca, dolorem dentium collutione mitigat. decoctum eius potu hæmorrhoidas sanare creditur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ὀνωνις, uel ἄνωνις.

Latinè, Ononis, aliter anonis, ut Theophrasto ac Galeno.

Officinis acutella, resta bouis, remora aratri, Onosma, Vrinalis, Vrinaria. Germanis, Hawhechel/Stallkraut/Ochsenbrech/Katzensper/Wetzsteynkraut. *Brabantis, Prangwortel/Reckelcruyt.*

Gallis Bugraues, Bugrandes, dicitur.

Nihil in aruis hac peste frequentius occurrit, sed cultis maximè gaudet. Hac uiret post messes restibilis ager, quæ non modò ingredientium pedes offendit, sed aratrum remoratur, illi se tam pertinaciter inuoluit, ut uix possit explicari. Lætior tamen in proscisso, iteratoq; solo consurgit, plurimùm alteno frugum labore proficiens.

A salgamarijs olim sale condiebatur, ut Dioscorides testatur, cibis gratissima: qui modus hodie prorsus obsoleuit.

Leucacantha. Cap. XIX.

LEucacantha prædita est radice cyperi, ualida & amara. quæ manducata dolorem dentium sedat. ueteri laterũ dolori, atq; ischiadicis prodest, decocto cyathis tribus ex uino poto. eadem ruptis & conuulsis medetur. radicis epotus succus eosdem præbet effectus. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Λευκάκανθα Græcis, Latinis Alba spina. Differt ab ea quæ diuisim ἄκανθα λευκὴ, id est, spina albæ nominatur, hodie incognita.

Tragacantha. Caput XX.



TRagacanthæ radix lata & lignosa, summo cespite nititur, unde surculos humiles, robustos, latissimè fundit, in quibus minuta folia, multa, nonnunquam tenuia exoriuntur, quæ sub se spinas albas, rectas & firmas occulunt. Est etiamnum tragacantha lachryma, quæ uulnerata radice manans concreuit. Præstat pellucens, gracilis, læuis, syncera & subdulcis. Cutis spiracula, ut gummi, obstruit. huius increbuit usus ad oculorum medicamenta, ad tussim, exasperatas fauces, retusas uoces, cæterasq; destillationes. cum melle in delinctu. subdita quoq; linguæ liquescit. in passo madefacta drachmæ pondere bibitur contra renum dolorem, & uesicæ rosiones, mixto cornu cerui usto & eloto, aut scissi aluminis momento.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Herbam utpotè peregrinam Germanis, & prorsus exoticam nostrates herbarij non norunt: lachrymam tamen nullæ non cognoscunt Officinæ, interpellato nomine, dragantum gummi nunc appellantes: cuius immemores propemodum inoleuit medicis usus. hæc lachryma tragacanthos, tragacantha, uel tragagonton, radicibus incisis Dioscoridi, sponte Theophrasto profluens: uim habet simulem gummi emplasticam quandam ficcantem, acrimoniam leuiorem, arteriæ asperitatem leuit cum uino macerata & leuigata, ut cancani radix, uel in aqua die uno. Tragacanthæ *fructus, lib. 10. compos. pharma. part.*

Tragacantha alba Actuario sæpe.

Eryngium.

A

Eryngium. Caput XXI.



ERyngion aculeatarũ generis est. Cuius folia in principio, sale condita, in cibos recipiuntur. lata autem sunt, & extremo ambitu aspera, gustu aromatica. Eryngio, cùm adoleuerit, complures ramulorum striæ rubent. in quorum summitatibus globosa capitula, durarum acutissimarumq; spinarum ambitu stellatim circunuallantur, quorũ colos aliàs uiridis, aliàs albus, interdũ cœruleus inuenitur. radix oblonga, lata, foris nigra, interne candida, pollicis crassitudine, odorata. Nascitur in asperis & campestribus. Vim habet calfactoriam. pota menses & urinas pellit. tormina inflationesq; discutit. cõtra iecinorum uitia, serpentium morsus, & hausta uenena, cum uino prodest. Bibitur aduersus plurima, cum seminis pastinacæ drachma una. appensa illitáue, tubercula

B discutere proditur. pota cum hydromeli teradix, opisthotonicis & comitialibus medetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἠρύγγιον. Latinè, Eryngium. Officinis, Centum capita: quibusdam falsò Secacul.
Germanis, Brachendistel/Wallendistel/Mannstrew/Elendt/Radendistel.
Brabantis, Cruysdisteln. Gallis panicault, dicitur.

Dioscorides una Eryngij specie contentus est. Plinius albi & atri discrimina fecit, eryngem statuens duram, fruticosam, spinosis foliis, caule geniculato, cubitali & maiore aliquando: aliam albicantem, aliam nigricantem, radice odorata. Satiua, ut inquit, quædam est, sed & sponte nascitur in asperis & saxosis: in litoribus maris durior, nigriorq;, folio apij. Ex ijs candidum Latinis dicit centum capita uocari.

Eryngij radix longissima, intus alba, foris nigra, odorata: calida ad primum ordinem, sicca ad secundum: tenuium partium, ciet menses & urinas, morsibus uenenatis resistit, flatus dissipat. Saporem nacis habet, unde caryon dicta: quibusdam locis odorata, quibusdam non. Cord.



Aloë. Cap. XXII.

ALoës folium scillę similitudinem habet, crassum, pingue, modicè latum, rotundum, retrorsus pandum. folia utrinq; gerit ex obliquo spinosa, rariusculè striata, breuia & curta. caulis emittitur non dissimilis antherico. flos albus, fructus hastulę regiæ cognatus. graui tota est odore, & gustu amarissima. radice una, ceu palo, in terram depacta. Plurima præpinguisq; in India gignitur, ex qua coactus succus adfertur. Nascitur etiam in Asia & Arabia, in locis quibusdam maritimis: & in insulis, ut in Andro, non ualde succo extrahẽdo

do idonea, sed ad glutinanda uulnera sanè quàm utilis, si detrita illinatur. Duo succi genera: quoddam arenosum, quod sedimentum purissimè esse uidetur. alterum ad iecinoris imaginem uergit. Eligi debet boni odoris, syncera, quæ nihil doli sensit, nitida, calculorum expers, rufi coloris, friabilis, ac iecinoris modo coacta, facilè liquescens, eximiæ amaritudinis. improbatur nigra & fractu contumax. Gummi eã adulterant. quod deprehenditur gustu, amaritudine, & ualido odore: eoq; argumẽto, quòd digitis friata non ad minima usq; frusta resoluitur. Nec desunt qui acaciam immisceant Natura eius est spissare, exiccare, somnum allicere, & corpora densa re, aluum resoluere. stomachum repurgat binũm cochlearium mensura, in aqua frigida aut egelida pota. sanguinis reiectiones sistit. regium morbũ purgat, tribus obolis ex aqua, aut drachmæ pondere in potu. deuorata cum resina, aut cum aqua, uel melle cocto sumpta, aluum soluit. purgationis perfectæ causa, tribus drachmis sumitur. alijs purgatorijs medicaminibus admista, præstat ut minus stomachum infestent. ficca glutinandis uulneribus inspargitur. ulcera ad cicatricem perducit, cohibetq;. eadem peculiariter exulceratis genitalibus medetur. disrupta puerorũ præputia iungit. condylomata, rimasq; sedis ex passo sanat. hæmorrhoidum abundantiam & sanguinis eruptiones sistit. pterygia ad cicatricem ducit. liuores & insignita, ex melle tollit. priuatim scabras lippitudines, prurigines q; angulorum permulcet. dolorem capitis sedat, temporibus & fronti illita ex aceto & rosaceo. Capillũ fluentem continet, cum uino. tonsillis, gingiuis, & omnibus oris ulceribus, cũ melle & uino proficit, oculorum medicamentis torretur, in munda & candenti testa, pennaq; * subinde uersatur, ut possit æqualiter torreri. Lauatur, ut quod sit arenosissimum, tanquam inutile subsidat, & leue ac pinguissimum assumatur. A

* Ligula quæ ferrea sit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἀλόη. Latinè, Aloë.

Officinis genuinum nomen seruauit, Aloë epaticum, succotrinum, caballinum, Semperuiuum marinum.

Germanis, Alepatic/Bitter Aloes.

Gallis Aloës, & perroquet.

Aloë herba semper uirens, nunc in multis Galliæ occiduæ domibus, ad ostentationem appendi solita, & eius herbæ succus calidus in fine ordinis primi, aut initio secundi, siccans ordine tertio. Valenter amara est, astringit modicè, idq; sine morsu, eccoprotica est, id est, stercus deducens, & eustomachos, præcipuè elota: repellit, digerit, terget parum, quantum scilicet ulceribus puris non sit molestum, serius glutinat, ulcera dysenterica, præsertim sedis, pudendi, oris, glutinat: & phlegmonas harum partium sanat, aqua subacta. Sumpta sæpe hæmorrhoides uenas aperit, uel à tota substantia, uel quia calida: crassæ essentiæ, & pro modo termordax, quamuis anastomatica sint acria, terrea, admota autem sanguinis fluorem cohibet, quia effrigit, & emplastica est, ob id emphractica, id est, obstruens dicitur, cap. 11 lib. 5 simp. Optima est pinguis & recens, Velut etiam ex Cœlosyria, & Arabia. Ex magna Syria humidior, Arabicam tamen tanquam omnium utilissimam, & solis Mulomedicis usurpandam damnauit Mesues: Et inde caballinam uocant, nigram, obscuram, fæci simillimam, amarissimam, odore retro, arenosam, ut optimæ sedimentum, tertiam Armeniacam, uidetur. Primam succotrinam, secundam hepaticam seu Persicam, quartam bonitate Arabicam statuunt, Mesues & alij. Aloë lota minus aluum ducit: multum enim uirtutis medicamento sæ lauando deponit, magis tamen uentrem roborat. Aloë etiam lota his maximè aduersa est, qui citra paucos humores intemperie calida ficca laborant. B

Mulomedici.

Absinthium. Cap. XXIII.

ABsinthium, aliqui bathypicron, herba uulgò cognita. Præstantius in Ponto & Cappadocia, in monte Tauro nascitur. Vim habet calfaciendi & astringendi, bilem expurgat, quæ & stomacho & uentri inhæsit. urinam cit. crapulam præsumptum arcet. ad inflationes uentris, & stomachi dolores prodest, cum seseli & nardo gallico potum. fastidia discutit. arquatos sanat madefacti dilutum, aut decocti ius, quotidie tribus cyathis haustum. menses cit potum, aut cum melle appositũ. Contra fungorum strangulationes conuenienter ex aceto bibitur. aduersatur ixiç uenenis cum uino. item cicutæ, & muris aranei morsibus, & draconi marino. anginæ eo cum melle & nitro perunguntur, & epinyctides ex aqua. ad fugillata & oculorum caligines ex melle illinitur: item auribus, si manat sanies, dentium auriũq;

A Absinthium.



dolores decoctum uaporis suffitu compescit. decoctum in passo dolentibus oculis oblinitur: item precordijs & iecinori, tritum cum cerato cyprino: stomacho quoq; longa ualetudine laboranti, cum rosaceo: cum ficis autem, aceto & loliacea farina, aquæ inter cutem lienosis q; subuenit. Vinum ex eo fit, quod absinthiten uocant, præsertim in Propontide & Thracia. quo ad antè dicta utuntur, cùm febri carent: alioquin in æstate propinant, & acceptam huic uino incolumitatem referunt. Insparsum arcis absinthium, uestes ab erodentium iniuria uindicat. culices ex oleo perunctum abigit, & à corpore arcet. atramentum librarium diluto eius temperatum, literas à muriũ erosione tuetur. Existimatur liquamentum eosdem præstare effectus. Attamen potionibus improbatur, quoniam stomachum malè habet, & capitis ciet dolorem. Sunt qui cocta amurca, liquamentum adulterant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἀψίνθιον. Latinè, Absinthium.
Officinæ Latinum nomen seruarunt.
Germanis, Wermůt/Elg. Brabantis, Alsen.
Gallis aluyne, absince, dicitur.

Li. 2. Method. Absinthium triplex, forma, sapore, facultate planè diuersum. ut interim natales omittam. Primum generis nomine dicitur. quale præstantissimum est Ponticum. Id folio & flore est multò minore, quàm cætera absinthia, & odore non insuaui, sed aromatum quid præferente, qui reliquis omnibus planè fœdus: quapropter hæc fugienda. Vtendum autem semper Pontico, ad uentriculi, & hepatis phlegmonas, ad tergendum, purgandum, subducendum prauos humores stomacho hærentes, roborandum dictas partes contrahendo & astringendo. Cùm enim omni absinthio duplex sit facultas & qualitas, in Pontico astringens quidem plurima est, amara uerò exigua: ob id calidum est excessu primo, siccum tertio. In cæteris absinthijs, ut abrotano, amara est uehementissima, astrictio autem obscura, aut prorsus nulla gustu sentitur, ob id hæc stomacho sunt inimicissima. Ponticum præterea terget sordes tunicarũ uentriculi, non tamen si quid altius in eo imbibitum est foras extrahit, aut expellit: aut saltem parum id præstare ualet, ob iunctam insignem astringendi facultatẽ. Hiera autem picra propter id excogitata salubriter, illud ipsum potest. Ponticum autem uidetur esse, quod Romanum Mesues uocat, quodq; passim hodie uisitur, & cuius picturam exhibemus. Diuersus enim Mesues Galeno tantum est, quòd siccum tertio gradu hic, ille secundo scribit. Quæ controuersia in alijs simplicibus multis est inter medicos etiam doctissimos: quorum unus in fine, uerbi gratia, primi uel secundi, alter in principio secundi uel tertij intelligit: quæ ambiguitas etiam Galeno ipsi est in anetho, prasio, ruta agresti, & alijs permultis. Nam quòd succum eius dicit Mesues obnitrosam qualitatem nocere stomacho, ipsi Galeno id non aduersatur scribenti, succum longè ipsa herba esse calidiorem. Nostrum autem uulgare absinthium sarmentosum, folio & flore multo maiore, quàm cætera tria absinthia: ueteribus inter absinthia comprehensum non uidetur, nisi esse uelis absinthium primum Dioscoridis, quod uulgo aloina dicit, & βαδύπικρον, uel potius βηχύπικρον uocari à multa amaritudine, qualis in aloe, cui subscribitur Dioscoridi, à qua uulgus Gallorum aloinum appellat. Id autem si primum in Dioscoride recipias, quæ nam alia in eo statues? Tamen id ad lumbricos, uti & santonicum, est efficatissimum, sumptum & admotum.

Lib. 8. co. ph. p. Gal. lib. 6. simp.

Lib. 6. Sanitatis tuendæ.

Marinum absinthium. Caput XXIIII.

ABsinthium marinum, quod aliqui seriphum uocant, copiosissimum in Tauro monte, iuxta Cappadociam, & in Taphorisi Aegypti gignitur, quo Isiaci pro oliuæ ramo utuntur. Herba est tenuis, abrotoni parui similitudine, referta minutulis seminibus, subamara, stomacho inimica. Ea grauiter olet, & cum quadam calfactione adstringit. per sese aut cum oryza cocta, interaneorum animalia, teretesq; tineas, adiecto melle, enecat. aluum leuigat. cum edulio * autem uel lenticula decocta. eadem præstare potest. pecora maximè pinguescunt hoc pabulo. Tertium

* Desinto.

genus


Accipitrina.

genus absinthio assignatur, quo Gallia alpibus finitima A
scatet: id patrio nomine Santonicum uocant, regionis in
qua nascitur cognomento, absinthio non dissimile, uerùm
subamarum est, non adeò seminis fœcundum. Eadem quæ
seriphium potest.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Marinum Absinthium aliqui, Dioscoride teste, Seriphium uocant: herba est fruticosa, prætenuibus cirris, paruo similis abrotono, exiguo semine, prægnansq; subamara, stomacho inimica, graui odore, linguam astringens, & leniter excalfaciens. Huius semine nudi tineis, uermibus, necem moliuntur: ob id semen contra lumbricos uocant. Germa. Wurmsamen. Brabanti, Fyer cruyt. Galli Barbotine appellant. nonnunquam uerò mortem uermium. Officinæ ijs nomen appellationibus.

Abrotonum. Cap. XXV.


* Tenui semine. B

ABrotonum duorum est genus. fœmina quadã arboris specie fruticans, candicat, circũ ramulos foliis, seriphi modo, minutim incisis. floribus referta est, comantibus in summo, fulgore auri, corymbis. quod per æstatem prodit, suauiter olet, cum grauitate quadam, & amaro gustu. Id genus Siculum esse constat. Alterum mas uocatur, sarmentosum, gracilibus ramulis * uti absinthium. Plurimũ in Cappadocia gignitur, & Galatia Asiatica, atq; in Syriæ Hierapoli. Crudum semen tritum & feruefactum ex aqua, in potu auxiliatur orthopnoicis, conuulsis, ruptis, coxendicibus, urinæ angustijs, mensibus suppressis, aut remorantibus. in uino potum exitialium uenenorum antidotum est: horroribus ex oleo illinitur. serpentes & substratu & nidore fugat. contra ictus eorum cum uino potum prodest, priuatim efficax contra scorpionum & phalangiorum uenena. oculorum inflammationibus commodè illinitur, cum cotoneo cocto, aut pane tritum cum farina hordeacea, decoctumq;, tubercula discutit. irini compositionibus admiscetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἀβρότονον. Latinè, Abrotonum.
Officinæ genuinum nomen retinuerunt.
Germanis, Stabwurtz/Schoßwurtz/Gertwurtz. Brabantis, Aueroone.
Gallis Auronum, auronne.
Abrotonum fœmina, foliis seriphio & cypresso proximis, albioribus. Mas uerò abrotonum, generis nomen tenet: calidum siccum tertio recessu à medijs, admodum amarum, coma cum floribus utile, ut absinthium, & cineribus suorum sarmentorum ad pilos reddendos. Sunt qui arbitrantur, chamæcyparissum abrotoni speciem esse, uidelicet fœminam: quod affirmare non ausim. Lib. 6. simp.
Abrotonum marem, Cordus uocat Gartheyl. Fœminam, Wilde cypreß/Garthagen. Rarissimè in Germania flores producit, propter frigus.

Hyssopum. Caput XXVI.

HYssopum, herba nulli non cognita, duum generum est: montanum & hortense. Optimum est Cilicium. Vim habet extenuandi & calfaciendi. decoctum

A Hyssopus sylvestris. Heyden hysop.



Hyssopus.



cum ficis, aqua, melle, & ruta, potumq; , peripneumonicis, diuturnę tussi, suspiriosis, destillationibus, & orthopnoicis auxiliatur: tineas enecat. idem facit, si cum melle delingatur. crassum humorem per aluum extrahit, decoctum ex aceto mulso epotum. ad subducendam aluum, cum ficis uiridibus detritis manditur: uehementius, addita iri, cardamomo *, autirione, deijcit. colorem in corpore fouet. lieni, & aquæ inter cutem, cum fico nitroq; : inflammationibus quoq; ex uino illinitur. cum feruente aqua impositum, sugillata discutit. cum decocto ficorum, optimè anginis gargarizatur. decoctum cum aceto, dentium dolorem in collutione sedat. inflationes auricularum uaporis suffitu discutit.

* Alij, nasturtio.

NOMINA ET EXplicatio.

Græcè, Ὕσσωπος.
Latinè, Hyssopus.

Officinæ genuinum nomen seruarunt.
Germanis, Kirchhysop/Closterhysop.
Gallis de hyssope, dicitur.

Hyssopum calidum siccum ordine tertio, tenuium partium: crassa & lenta ex pulmonibus extrahit: humorem crassum per aluum etiam purgat, obstructiones tergit: Montanum est efficacius hortensi: Cilicium præfert Dioscorides, Creticum uerò commendatur Archigeni, lib. 8. comp. phar. part. Gale. in Chrysocome, & origano Heracleotico. Quædam à Dioscoride Hyssopo tribuuntur, quæ in nostro desiderari uidentur. Cum florum spica legendum est, aut cùm semine turget.

Est & Hyssopus sylvestris, luteo flore, & semine in folliculis, radice glabra, lignosa, crescit desertis & montibus. Herba sagminalis est mulierum.

B Stœchas.



Gale. lib. 8. comp. phar. part.

Stœchas. Cap. XXVII.

STœchas, iuxta Galliam in insulis eiusdem nominis è regione Massiliæ gignitur, unde cognomentum accepit. herba tenuibus furculis, coma thymi, longiore folio, subamaragustu, & aliquantum acris. Cuius decoctũ, hyssopi modo, ad pectoris uitia efficax est: antidotis miscetur. uiscera omnia, & uniuersum animantis habitum extenuat. ab obstructionibus & farctu liberat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Στοιχὰς nascitur multa ubiq; terrarum, copiosissima in Creta insula, & dictin

& dictis Stœchadibus insulis, in mari Iberico, à quibus appellata est: nascitur & in Arabia, unde & Arabica uocatur. Prouenit etiam hodie in multis Germaniæ hortis. Amara est, modicè astringit, proinde tenuat, torget, obstructa liberat, roborat uiscera, & corpus reliquum: putredinem arcet. Habitior atq; melior nutrita, & præstantior ex insula Creta petitur, lib. 1. Antido. A Gal. li. 1. Antid.

Est in Gallia Narbonensi, & multis Germaniæ locis, Stœchas Citrina uulgo dicta, à comæ & corymbi floris colore luteo. Dioscoridis Heliochrysum, & Galeni Amaranthus uidetur: altera autem flore purpureo, de quibus plura in sequentibus.

Spica.



Lauendula.



B

Hic locus postulat, ut de nostro Germanico nardo, quam omnino Stœchadis speciem esse arbitramur, disseramus: quod ubiq; nascens fruticat folio crassiore, carnoso, angusto, colore languido, in candidum uergente: frequentibus spicis in aristas sparsis: floscul is purpureis. Gaudet apricis & petrosis, tanta suauitatis fragrantia, ut omnes flores odoris iucunditate prouocet, qua dote uestibus inseritur. Duûm cernitur genera. Vnum procerius adolescit, & maiorem spirat odorem: quod quia non minus quàm nardum placet, sibi spicæ nomen apud nos arrogauit, Germani Spicanardi/ Galli aspic appellant.

Alterum cum amplitudine, tum odore minus. quod quia balneis, & hominum lauachris expetitur, elotaq; omnia, si permisceatur, odoris suauitate commendet, uulgo Lauender cœpit nominari.

Vtraq; perpetua coma canescit, exitu ueris, Iunio & Iulio mense spicatur. Vis ei calfactoria & resicans abscessu secundo, tenuibusq; constat particulis, nec multùm à natura & forma Stœchadis dissidens.

Origanum. Caput XXVIII.

ORiganum Heracleoticum, quod & cunilam uocant, folium habet hyssopo nõ dissimile, umbellamq; non in rotæ speciem orbiculatam, sed ueluti multifidã, semine in summis uirgis haudquaquam denso. Excalfacit. unde decoctum cum uino potum, demorsis à serpente conuenit. si cicutam aut meconion hauserunt, ex passo: si gypsum aut ephemerum, ex aceto mulso propinatur. ruptis, conuulsis, hydropicis, cum fico esui datur. aridum acetabuli mensura potum in aqua mulsa, atros humores per aluum extrahit. menses ciet, & tussi cum melle linctum medetur. ad pruriginem, psoras, regiumq; morbum, decocti ius in balneis prodest. Succus uirentis tonsillas, uuam, & oris ulcera sanat. & per nares, ex oleo irino infusum, trahit. auriũ dolores cum lacte mulcet. conficitur ex eo, & cepis, & rhois frutice, quo ad obso-

A Origanum minus.



B

Origanum.



nia utuntur, uomitorium medicamentum, his omnibus in cupreo uase per dies bis uicenos insolatis, dum caniculæ sydus flagrat. herbæ autem substratu serpentes fugantur. Quæ onitis appellatur, cãdidiore est folio, & hyssopo similior. Semen ueluti cõiunctos corymbos habet. Vis ei origani Heraclei, sed multò inefficacior. Syluestre originũ, aliqui panaces Heraclion, alĳ cunilam uocant, ex quibus est Nicander Colophonius: foliĳs est origani, ramis tenuibus, dodrantem altis, in quibus umbellæ anethi insunt, flores candidi: radix tenuis, superuacua. Peculiariter percussis à serpente, folia & flores ex uino poti auxiliantur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ὀρίγανον. Latinè, Origanum.

Officinæ genuinum nomen seruarunt.

Germanis, Wolgemůt/ Rot dosten/ Costenz. Brabantis, Mertoleyne/ Welghemoet. Gallis de l' origan, dicitur.

Origani Dioscoridi hoc loco plura proponuntur genera: omne uerò genus calidum siccum tertio ordine, incĭdit ac tenuat. Tragoriganũ etiam substringit: præfertur montanum, uel Creticum, uel Heracleoticum.

Tragoriganum. Caput XXIX.

TRagoriganum tenuis frutex est, syluestri serpyllo aut origano similis, folio & ramulis. quibusdam in locis lætius uirentiusq; inuenitur, latioribus foliĳs, satis glutinosum,* alterum exilibus surculis, ac tenuibus foliĳs, quod aliqui prasium uocauere. Optimum est Cilicium, & Cretense, & Smyrneum, & in Chio Chooq; proueniens. Omnia excalfaciunt. urinam cient. aluo accommodãtur. decocto potobilem deĳciunt. lienosis ex aceto bibere prodest. contra pota ixiæ uenena in uino bibuntur. menses trahunt. peripneumonicis, tussientibus, ex melle in eclegmate dãtur. grata acmitis eorum potio est: quare cibum fastidientibus & stomacho acida ructanti, imbecillo q; traditur. item si à marina iactatione nausea, & æstus præcordiorum excitetur. tumores uerò cum polenta illita discutiunt.

* Gummosum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Tragoriganum Dioscorides in duo genera dispescit, quæ à Plin tribuuntur Heraclio. Ruellius suspicatur hanc Gallis masticbinam herbam dici, quoniam lentore quodam interdum madescit, aut quòd iucundum mastices spiret odorem, studioscè nuper in hortis cœptam seri, frutice serpylli uel origani, colliculis ramisq; nõ dissimilibus, foliĳs sampsuci, flore paruo, odorato, in umbella, in qua propendent incani hircorum utili: unde ductum Tragoriganinomen existimo. Odore sampsucho non cedit. Germanis adhuc incognita, Herba masticina Officinis Gallicis appellatur.

Pulegium. Caput XXX.

PVlegium herba uulgaris notitiæ. Extenuat, calfacit, decoquit. menstrua, secundas ac partus eĳcit. pulmonis uitia ex melle & aloe potum extrahit. conuulsis auxiliatur.

Pulegum.



auxiliatur. nauseas stomachiq; intercisiones, ex posca permulcet. atram bilem per aluum exigit. bibitur in uino utilissimè contra serpentium morsus. defectos animo recreat, cum aceto naribus obiectum. gingiuas arefacti cinere corroborat. illitum cum polenta inflammationes omneis sedat. podagris per se subuenit, impositum usq; dum rubescat locus. cũ cerato uaros extinguit. lienosis cum sale utiliter illinitur. decoctum eius ablutas prurigines mitigat. conuersas uuluas corrigit. contra inflationes duritiasq; uuluæ, in desessiones conuenienter adijcitur. Vocant aliqui blechona, quoniam dum floret gustatum à pecoribus, balatum concitat. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, γλήχων. Latinè, Pulegum. Officinis nomen retinet.
Germanis, Poley/Hertz poley.
Gallis, du pouliot, dicitur.

Pulegum nota herba est. Huius natura, ut lib. 19. testatur Plinius, in carnarijs resplorescens est. Vnde idem lib. 18. dixerat: Miretur hoc qui non meminit ipso brumali die pulegum in carnarijs florere, ideò nihil esse occultum naturæ uoluit. Et lib. 2. ait: floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulegij. Est autem calefaciens, & concoctiones adiuuat.

Efficax ad recreandos defectos animo, cum surculis suis in ampullas uitreas aceti deiectum. Qua de caussa dignior è pulego corona uertigini, quàm è rosis cubiculis nostris pronunciata est. Nam & capitis dolores imposita dicitur leuare. Quin & olfactu capita tueri contra frigorum æstusq; iniuriam.

Dictamnus Cretensis.



Dictamnum. Caput XXXI.

Dictamnum Officinarum.



Dictamnum, aliquibus syluestre pulegium uocatur, Cretensis herba est, acris, læuis, pulegio similis, sed maioribus foliis, quæ tomento quodã spissaq; lanugine pubescunt. florem nullum aut semen profert. Præstat omnia quæ satiuum pulegium, sed efficacius multò. non potum modò, sed appositum quoq; aut suffitum, defunctos partus eijcit. Produnt in Creta capras sagittis percussas, huius herbæ pastu eas excutere. purgandi uim habet succus, illitus, aut cum polenta tritus. herba impactos pedibus reliquóue corpori aculeos, illitu refigit. ad lienis dolorem efficax habetur, siquidem ipsum imminuit. Metunt æstate & autumno. Radix eius gustu calfacit. partus accelerat. succus cũ uino potus, contra serpentium morsus præsidio est. tanta herbæ facultas est, ut olfacta abigat bestias, quæ uenenato ictu sæuiant, appensaq; cõtactu exanimet. uulneribus ferro illatis, & uenenatis morsibus, infusus succus B

A præsentaneo est remedio, si etiam ab instillatione statim in pōtu assumatur. Quod pseudodictamnū uocant, multis in terris nascitur, antè dicto simile, sed minus quàm illud acre. Eosdem effectus præbet, sed inefficacius multò. Defertur à Creta alterum dictamni genus, foliis sisymbrij, ramis maioribus: in quibus flores syluestris origani, nigri, molles: odor foliorum inter sisymbrium & saluiam iucundissimus. Efficax ad eadem, sed minus nares ferit. miscetur emplastris & medicaminibus, quæ aduersus serpentium iniurias confinguntur, theriaca uocant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Veri dictamni descriptioni Dioscoridis ad omnia respōdens, hodie in magna copia ad nos defertur. Quæ autem uulgo circunfertur dictamni radix, est potius pseudodictamni, aut Pœoniæ maris, ut uir doctissimus Hieronymus Tragus testatur. Creticus laudatur potus & appositus. Metitur æstate & autumno.

Dictamnum, quod è Creta defertur, Dioscoride teste, folio sisymbrij, ramis maioribus, flore syluestris origani, nigro, molliq;. Id hodie Galli tum diptamum, tum hortensem gingiberim appellant, quòd æstuosa in statim os adurat, & linguam uellicet, &c.

Saluia. Caput XXXII.

Ambrosia, Walo de Salber.



B

SAluia siue elelisphacon, frutex est ramosus, longus, uirgas habens quadrangulas, & canas: folia mâli cotonei effigie, sed longiora, asperiora, crassiora, & quæ sensim attritarum quasi uestium scabritiem referant, hirsuta, subalbida, perquàm iucundo odore, sed graui. semen summis in caulibus syluestri ormino simile gerit. In asperis nascitur. Menses cit & urinas, decoctum foliorum ramorumq; potū. partus extrahit. pastinacæ marinæ ictibus auxiliatur: capillos denigrat: uulnerū sanguinem cohibet. tetra ulcera purgat. testium pruritus sedant rami foliaq;, si decocto eorum foueantur.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO. A

Græcè, ἐλελίσφακος. Latinè, Saluia.
Officinis genuinum nomen seruauit.
Germanis, Salbey.
Gallis Saulge, dicitur.
Saluia, quòd ad multa, præcipuè fœcunditatem, sit salutaris, ἐλελίσφακος Græcis, quasi syluestris lens dicitur: folio est maiore, squalidiore, scabriore. hæc Germanis Bauren salbey/dicitur: Sphacelus uerò breuiore & tenuiore. Quæ Theophrasti uerba nostram Saluiam semicam, Germanis Edel salbey/ oder zucht salbey/uidentur exprimere. Calfacit euidenter, & astringit ἐλελίσφακος.

Mentha. Caput XXXIII.

Mentha rubea, Rote müntz.
Ackermintz.
Feldtmintz.



Müntzen salbey.

B



MEntha, cognita herba est. Calfaciendi, adstringendi, atq; exiccandi uim habet. Sistit sanguinem, poto ex aceto succo. tineas in uentre teretes enecat. uenerem stimulat. singultus, uomitiones, choleras q; sedāt, terni ramuli cum acidi granati succo poti. suppurationes discutit, si cum polenta illinatur. impositа fronti, capitis dolores mulcet. mammas, si tendatur, aut lacte turgeant, compescit: cum sale canum morsibus illinitur. aurium doloribus cum aqua mulsa subuenit: uuluæ ante coitum admota, conceptioni resistit. linguæ scabritiem confricta leuigat. coire lac, densariq; in caseum non patitur, si folia potionibus lactis immergantur. in summa, stomacho utilis est, & in condimentis peculiarem gratiam habet. Syluestris mentha, Latini menthastrum uocant, hirsutiore est folio, & prorsus maiore, quàm sisymbrij, grauiori odore: quare minus ad sanorum usus expetitur.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO.

A

Frawenmüntz.



Græcè, ἡδύοσμος, μίνθη.

Latinè, Mentha.

Officinis nomen seruat.

Germanis, Müntz/ Balsamkraut.

Brabantis, Munte/ Hertecruyt.

Gallis, de la mente, dicitur.

Menthæ in uniuersum duo sunt genera. Vna enim satiua & hortensis est, altera syluestris & fera. Satiuæ iterum quatuor præcipua sunt genera: una est, quam Germani Deyment/ simpliciter, uel, Krauß deyment/ uocant.

Altera, quam ijdem Krauß balsam.

Tertia, quæ ijsdem Balsam mintz/ appellatur, & Vnser frawen mintz/ uel Spitzmintz: à nostræ ætatis herbarijs Romana, uel Saracenica.

Quartam Germani quidam Hertzkraut/ nonnulli Balsamkraut/ uocant. Per me tamen licebit has species, quandoquidem sa cultatibus similes sint, ut cuiuis placuerit nominare. Nobis autem, ut certiùs discernerentur, prædictis nominibus appellare placuit.

Non ignoramus plures esse menthæ species, nos tamen eas duntaxat, quas uidimus, pictas exhibemus.

Syluestris mentha Græcis ἡδύοσμος ἄγριος.

Officinis Latino nomine Menthastrum.

Germanis, Wildmintz/ Fischmintz/ Bachmintz/ Roßmintz/ Wantzenkraut / Nam habet & has

Balsamita, Spitzerbalsam.

Katzenkraut/ Balsamkraut.

B





plures

Balsam mint.



Bergmint.



plures ſpecies. Gallis de la menthe ſauuage, dicitur.

Menthæ nomen, ut Plinius tradit lib. 19. ſuauitas odoris apud Græcos mutauit, cùm alioqui minta uocaretur: (Hædioſmo illi nomen eſt) unde ueteres noſtri nomen declinauerunt. Omnis menthæ ſpecies, tam hortenſis quàm ſyluestris, guſtu acris, & facultate calida eſt, ex tertio ordine excalfacientium. Infirmior tamen eſt hortenſis, mmusq; calefacit. Exiccat autem in ſecundo ordine: illi enim ex cultura aliquid humiditatis accedit. Grato menthæ menſas odore percurrit in ruſticis dapibus, ut Plinius ſcribit lib. 2. quòd Menthæ odor animum excitet, & ſapor auiditatem in cibis. Celſus eam inter urinam mouentia numerat, inquiens: Vrinam autem mouent quæcunq; in horto naſcentia boni odoris ſunt, ut apium, ruta, ocimum, mentha.

Calamintha. Caput XXXIIII.

EX calaminthæ generibus quædam montibus familiaris, folia ocimi habens, incana, ſurculoſa aridos, & caules angulosos, purpureum florem. Altera pulegio ſimilis eſt, ſed maior: quam ſyluestre pulegiũ ideo appellarunt, quòd odore ipium æmuletur. nepetam Latini uocitant. Tertia menthaſtro cognata eſt, foliis oblongioribus, caule & ramis maioribus quàm ſuperioris, ſed uiribus inefficacior. omnium folia guſtu impenſè feruentia & acria. radix ſuperuacua. Naſcitur in campeſtribus, aſperis & aquoſis. Potu aut illitu demorſis à ſerpente opitulatur. decoctũ potum menſes & urinas expellit, ruptis, conuulſis, orthopnœę, torminibus, choleris, horroribusq; auxiliatur. regium morbum expurgat. præſumpta in uino uenenis reſiſtit, tineas cæteraq; interaneorum animalia, cum ſale & melle pota, enecat. nec

ſecus

A Mentha lutea, Gele mintz.



B

Pulegum syluestre.



secus cocta crudáue sitē ratur. elephanticos ebita adiuuat, si postea serū lactis ebibatur. Folia de trita si in uellere subiiciantur, menses extrahūt, & partus enecant. accensa aut substrata, serpētes fugant. nigris cicatricibus candorem reddunt, in uino cocta & illita. sugillata tollunt. Calamintha ischiadicis imponitur, ut ex alto humores euocet, summam cutem exurens, uermes necat succus auribus instillatus.

NOMINA ET explicatio.

Calamintha, uel cum Nicandro, Calamenthum, Galeno duplex est: domestica, & eo efficacior montana, quam Andromacho minore miratur, Nepethā uoce Romana potius quàm Calaminthā, Græca uocari in sua theriace, cùm cætera Græcè appellarit. Dioscoridi triplex est. Prima montana, uulgare calamentum: secunda pulegum syluestre. Germanis, Wilder poley/ Fischmintz/ Bachmintz/ Wassermintz/ Roßmintz. Gallis du poulliot sauuage. Tertia herba cattaria, Officinis Romanum nomen retinens, Nepita: Germanis Nept & Katzenmintz. Gallis de l' herbe au chatt dicitur, ut Ruellio uidetur. Musæ uerò contrà: tertia uulgare calamentum, secunda cattaria putatur. Ob imperfectum omnium historiarum in hac sententiarum uaritate iudicium difficile, καλαμίνθην ποσάμεαν addit Actuarius. Galeopsis, quæ uulgò herba cattaria putatur esse, urtica fœtida purpura secentibus floribus uidetur.

Thymum.



Lib. 7. Simp.

Calamintha calida ficca gradu tertio, acris, parum amara, tenui substantia, cutim calfacit, mordet, fugit, postremò ulcerat: tamen eius succum uulneri etiam cerebri meninges diuidenti infusum, milij farina sicca superiecta glutinare affirmat Archigenes, apud Galen. lib. 2. comp. phar. part.

Thymum. Caput XXXV.

THymum ab omnibus cognoscitur, surculosus frutex, exilibus foliis multis & angustis circundatus: capitulis in cacumine, flore purpureo refertis. Gracili solo & petroso prouenit. Vim habet hanc, ut cum sale & aceto potum, pituitam per aluū detrahat. decocti ius prodest orthopnoicis, & anhelatoribus. tineas uentris exigit. menses, partus, & secundas pellit. urinas ciet. cum melle & eclegmate faciles facit excreationes. recentes tumores discutit, cum aceto illitum. concretum sanguinem dissoluit. uerrucas thymi colorem reddentes, pensilesq; tollit. ischiadicis cum uino & polenta impositum subuenit. hebetibus oculis in cibo prodest.

dest. perquàm utile pro condimento, duntaxat ad usus eorum qui rectè ualent. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Θύμος. Latinè, Thymus. Officinis genuinum nomen seruauit.

Germanis, Thymian/Immenkraut/Edel Balsamkraut/Welscher Quendel.

Gallis du thym, Maiorana Anglica dicitur.

Thymum commendatur maximè Atticum, aut ex locis siccis & editis: calidum siccum ordine tertio: incidit, menses & urinas mouet, crassa & lenta ex pulmone & thorace expectorat. Epithymus Græcorum est flos thymi, satureiæ similis: calidus siccus gradu tertio: omnia potest quæ thymus, sed efficacius, ob id illius penuria hoc uti licet, mensura tamen maiore. Datur Epithymum drach. quatuor cum sero lactis uel mulsa, ad educendum humorem melancholicum. Horum loco si Arabum Epithymo, hoc est, cassuta thymo innata, ut satureiæ seu thymbræ epithymbrum Actuario dictum, & hyssopo & maiorana, epyssopum: & orobo orobanche: & lino linanche, utilibet, quia uires cum thymi flore eadem illi Plinius ueterum solus tribuit: dabitur cū Mesue ob imbecillitatem à drachmis 14. ad drach. 20. Epithymus autem Arabum, ut thymus, est duplex. hortensis, & hoc calidior, siccior montanus.

Satureia. Caput XXXVI.



SAtureia triuialis notitiæ est, gignitur in asperis locis, & tenui solo, thymo similis, minor tamē & tenerior. defert spicam florum plenam, coloris herbacei. Eadem potest quæ thymum, si modo cōsimili sumptitetur. Aptus senis usus. Est etiamnum quædam satiua, syluestri prorsus minor, quæ propter mitiorem acrimoniam, commodius in cibos recepta est.

EXPLICATIO.

Græcè, Θύμβρα. Latinè Satureia, hortensis thymbra. Mart. in plurali neutro est usus:

Improba nec prosunt iam satureia tibi. B

Officinis Latinum nomen retinuit.

Germanis, Gartēhyssop/Zwibelhyssop / Saturey / Sadaney.

Gallis sarricta, quasi satureia Satrea.

Saturcia herba est fragrantis odoris, & alio nomine thymbra uocata, & inter cunilas numerata. Columella lib. 9. cap. 4. Tum etiam thymbræ, uel nostratis cunilæ, quam satureiam rustici uocant: & paulò pòst, Nostra cunila, quam dixi saturciam. Plin. lib. 19. 8. Thymbra uerò quæ sit cunila, hoc apud nos habet uocabulum, & aliud satureia dicta in condimentario genere. Columella tamen thymbram à satureia discrepare sentit hoc senariolo:

Et satureia thymi referens, thymbræq; saporem.

Columella itaq; thymbram à satureia discreuit, & nostratem cunilam esse docuit, quam rustici uocarunt satureiam, colore floris purpureo, thymbram uerius herbaceo.

Serpyllum. Cap. XXXVII.

Serpyllum.



SErpyllum duorum generum est. Hortense odore sampsuchum imitatur, atq; in coronas addi solet. cui à serpendo nomen inditum est: quoniam si qua eius particula terrā attingat, inibi radices demittet. folia & ramulos origani habet, sed candidiores: in macerijs multò procerius assurgit. Syluestre, zygis appellatum, non serpit, sed in altitudinem increscit, ramulos ædens tenues, surculosos, folijs refertos longioribus quàm ruta, & duriori-

A bus,anguſtis.flores iucundè olent,guſtanti acres.radicis nullus uſus. Naſcitur in petris:ſatiuo efficacius,atq; magis excalfaciens,& ad medendi uſum aptius.Menſes trahit urinam potu ciet.torminibus ruptis,uulſis,& iecinoris inflammationibus auxiliatur.& aduerſus ſerpentes potu illitúue,capitis dolores mulcet coctum,adiecto roſaceo,& madefactum in aceto maximè uerò phreniticis & lethargicis conuenit. cruentos uomitus ſedat ſuccus,drachmis quatuor ex aceto potus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,Ἑρπυλλον. Latinè,Serpyllum.
Germanicè,Quendel/Hünerköl. Brabantis,Ruel/Thymus/Onſe vroneen bettſtro.
Officinis Latinum nomen ſeruauit. Gallis Serpoullet,Pillolet.

Ἑρπυλλον Græcorum,& inde ſerpyllum Latinorum,dictum eſt à ſerpendo,tum quia per terram, quà illum contingens radicatum, ſerpit: tum quia iuxta ſepes plantatum,aut ex altiore loco deorſum demiſſum adiecto illi pedamento,in longum protrahitur,ut hoc loco Dioſcorides,& lib. 6. de plantis Theophraſtus teſtatur. Serpyllum guſtu acre eſt,ob id calidum ualde,ita ut menſes & urinam moueat.

Sampſuchum. Caput XXXVIII.

Maiorana ſyluestris.
Wild Maioran.





SAmpſuchum in Cypro & Cyzico laudatiſsimum. ſecundum hibliocũ uendicauit Aegyptium. Amaracum gens Sicula & Cyzicena appellat. Herba eſt ramoſa,per terram repens,foliis eius calaminthæ,quæ tenui folio conſtat,leptophyllos appellatur, hirſutis & rotundis. ſuauiſsimum odorem ſpirat,ideo coronis inſeritur. Vis eius excalfaciens.ſuccus decocti potus,conuenit incipiẽtibus hydropicis,& ijs quos urinæ difficultas,aut tormina excruciant.illita ex melle arida folia,ſugillata tollunt.menſes ſubdita in peſſo trahunt.contra ſcorpionis ictum ex aceto & ſale illinuntur.luxatis tum oribus q; cerato excepta imponuntur.aduerſus oculorum inflammationes,tumores q; cum polline polentæ illini prodeſt.acopis malagmatis q; calfaciendi gratia, commiſcetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,Σάμψυχον,ἢ ἀμάραντον.
Latinè,Sampſuchus,uel Sampſychon,Amaracus. Officinis Maiorana.
Germanis,Meyeron. Brabantis,Wagelcyne. Gallis Mariolaine,dicitur. Maiorana

Maiorana, Amaracus, ſampſychus, Dioſcoridi, Theophraſto, Plinio eadem ſunt herba: unguentum tamen amaracinum à ſampſychino cur diuerſum ſit Dioſcoridi, ſuprà oſtendimus lib. 1. Calida eſt herba & ſicca ordine tertio, & tenuium partium Sampſychum, Galen. lib. 8. ſimpl. Amaracum uerò calidum ordine tertio, ſiccum ſecundo, idem lib. 6. ſimpl. Ex qua temperamenti uarietate, & quod ſeorſim de his agit, Amaracum Galeno, & poſt eum Paulo eſſe dictam uulgo Matricariam ſuſpicantur. Eſt & aliud huius herbæ genus, quam Maioranam ſylueſtrem uocant, & hyeme corollis texendis uirens, fólijs, caule ac floribus altero maius, ambo ciuſdem penè odoris & efficaciæ. A Gal. lib. 8. ſimp. Lib. 6. Simp.

Melilotos, ſiue ſertula Campana.

Edler Steynklee. Melilotus Italica.



Caput XXXIX.

SErtula Campana laudatiſſima in Attica, & Cyzico, & Chalcedone nata. cuius odor uicinus eſt croco, boni odoris. Naſcitur & in Cãpania circa Nolam, colore in luteũ languescente, odore infirmo. Vim habet adſtrictoriam inflammationem omnẽ emollit, præſertim quæ in oculis, uulua, ſede aut teſtibus erumpat, ſi ex paſſo cocta illinatur: interdum autem addito oui luteo aſſato, aut fœnigræci farina, lini ſemine, aut polline, capitulis papaueris, intybóue. Recentes meliceridas per ſe cum aqua, & ulcera manantia in capite, illita cum creta Chia, uino aut galla ſanat. ſtomachi dolores & cruda & cocta cũ aliquo ex antè dictis leuat. doloribus aurium mitigãdis cruda ex paſſo inſtillatur. in aceto aut roſaceo madefacta, capitis dolorem lenit. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Dioſcorides hanc, utpote triuialem, non depinxit, circa Nolam tamen Italiæ gigni, coloris lutei, odore languido tradit. Verùm tria eius inueniuntur rei herbariæ prudentibus faſtigia: uulgare ſtatim ab radice fruticoſum, cubitale, flagellis exilibus, coma trifolij, minuta, ac lente fimbriata, floſculo melino, odoris eiuſdem cuius & herba, nempe ſuauis, tereti ac per ramos diffuſo ſemine. Alterum aſpectu cano, croci odore, ac flore, pinguiſſimis ac breuiſſimis fólijs. Tertium, cuius picturam tanquam ueri ac genuini meliloti damus, ſimile fœnogræco, fólio raro, ſemine in lunata ſiliqua, glauco, rotundo, infra ſinapis amplitudinem, flore luteo, odorato. Naſcitur ubiq;, Græco nomine Officinis nobilior, ac Latino. Germani, Welſch oder Italianiſch ſteynklee. Brabantis, Clauweren/Steenclauer. Galli patellum, & coronam regiam, appellant.

Melilotum coquit, digerit, & parum aſtringit, ut crocus, largior enim eſt in eo ſubſtantia calida, quàm frigida. Germanis, Edler ſteynklee uocatam, Hieron. Tragus Medicam putat.

Marum. Caput XL.

MArum herba cognita uulgò, ſurculoſa, flore origani, fólijs multum longioribus, flore odoratiore. Vim habet ſiſymbrio conſimilem. ſubſtringit enim & modicè calfacit. qua de cauſa illitu ſerpentia ulcera ſiſtit, & in calidas illitiones additur. iuxta Magneſiam & Tralleis copioſiſsima gignitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Maron herba ſurculoſa, flore origani, ſed odoratiore: planta eſt uehementer odorata & amara, amaraco proxima, quo tamen eſt multò odoratior & amarior, minus tamen eo eſt acris. Vnguento amaracino ſortè dicto, quòd amaraci plurimum olim reciperet, nunc ſolum marum immittunt: ſatius tamen eſt, æqualem ama-

Lib. 1. Anti.

A raci & mari portionem imponere, ut hedychroi compositioni. qua mistione minus quidem odorum, non tamen minus efficax erit. Hæc Galenus. Suspicio nobis est uehemens Marum esse herbam, apud Gallos Mastic uulgò dictam, Maioranæ simillimam, flore tamen muscoso in pappos abeunte.



B

Acinos. Cap. XLI.

ACinos aut aconos à Græcis dicitur, tenui ficcoq; ramulo herba, ocimo similis, odorata, sed hirsutior, qua coronæ factitantur. à nonnullis olitoribus colitur. Menses & aluum pota sistit. illita panos ignemq; sacrum sanat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἄκινος Latinè, Acinus herba.
Officus incognita. Germanis, Bleyn Basilien.
Gallis, basilic menu. basilic sauuage.

Acinon Paulus ocimo cõsimilem prodit, mediocres astringendi uires possidere, quare uentrem & menses potu sistere. Ad panos & ignem sacrum utiliter illinitur. Differt acinus ab acano, quòd acinos ocimastrum est, cuius picturam exhibemus: acanos uerò spinosa, breuis, & lata herba, eryngo quibusdam contributa, spinis latioribus, &c.

Baccharis. Cap. XLII.

Chrysogonum. Benedicten kraut.

BAccharis herba fruticosa, quæ in coronas additur. cuius folia aspera sunt, media uiolæ & uerbasci magnitudine: caulis angulosus, cubiti altitudinem petens, aliquantulum asper, non sine appendicibus adnatis: flore purpureo, subalbicante, odorato: radicibus ueratro nigro similibus, quibus odorin est cinnamomo proximus. Asperum squalidumq; solum amat. Radix in aqua decocta ruptis, uulsis, ex alto præcipitatis, spirandi difficultati, salutaris. itẽ diuturnæ tussi, & urinæ difficili. menses pellit. contra serpentium morsus utilissimè datur in uino. recens radix appositа, partum extrahit. puerperis eius decoctum in desessionibus prodest. in diapasmata utiliter inseritur, iucundi odoris gratia. folia utpotè quæ adstringant, capitis doloribus illitu prosunt. oculorum inflammationibus, mammis tumentibus à partu, ægilopijs incipientibus, ignibusq; sacris auxiliantur. odor somnum gignit.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Nostrates Officinæ Baccharim non norunt. Rura apud Gallos diuæ Mariæ chirotecas: Germani Vnser frawen hendtschůch/appellant, eamq; nectunt in coronas. Baccharim esse facilè potest intelligi, cùm fruticosa sit herba, cuius folia quandam referunt asperitatem, media uiolæ uerbascíq; magnitudine, caule angulosо, cubiti altitudinem petente, agnatis appendicibus quadantenus scabris. flore purpureo, subalbicante, radicibus nigro ueratro similibus, Cinnamomum subolentibus: asperum squalidũq; solum amat. Paulus odoratam esse tradit herbam, odore cinnamomum imitantem, quæ coronis dicari soleat. Baccharc fascinum depelli, Virgilius autor est, ita canens: - Bacchare frontem

Cingite, ne uati noceat mala lingua futuro.

Quidam hanc herbã pro Chrysogono habent, Germanicè Benedicten kraut. De quo infrà lib. 4. cap. 46.

Rura

Ruta. Caput XLIII. A



RVta montana ſylueſtriſq;, ſatiua & hortenſi acrior eſt, & in cibis damnata. ſatiua uerò quæ ſub ficu arbore enaſcitur, magis in cibos admittitur. Vtraq; urit, calfacit, exulcerat, urinam ciet, menſtrua pellit. aluum ſiſtit potu cibóue. letalium medicamentorum antidotum eſt, ſi ſemen ex uino, acetabuli menſura, ebibatur. folia per ſe præſumpta, aut cum nuce iuglande, aridisq; ficis, ineffaces uenenorum uires reddunt. contra ſerpentes ſimili modo ſumere conuenit: genituram cibo potúue extinguit. cũ anetho ſicco decocta, tormina ſedat. facit ad pectoris laterumq; dolores: difficultatem ſpirandi, tuſſes, pulmonis inflammationem, coxendicum articulorumq; cruciatus & horrores febrium circuitu repetentes, pota ut antè dictũ eſt. item ad inflationes coli, uuluæ, rectiq; inteſtini, cũ oleo decocta & infuſa. fœminas uuluæ ſtrangulatu liberat, ſi à genitali ſedetenus cũ melle ſubijciatur. feruefacta ex oleo, & pota, uentris tineas excutit. articularijs doloribus ex melle, aquæ inter cutem cum ficis illinitur. eiſdem in potu auxiliatur, decocta in uino ad dimidias parteis, & oblita. cruda conditaq; cibo, uiſus aciem excitat. dolores oculorũ illita cum polenta lenit. doloribus capitis cum roſaceo & aceto illita auxiliatur. profluentem naribus ſanguinem ſiſtit, trita & indita. teſtium inflammationibus cum laureis foliijs impoſita, & eruptionibus papularum, cum myrto et cerato prodeſt. Cum pipere autem, uino & nitro affricta, albæ uitiligini medetur. cum eiſdem illita, formicationes tollit, & uerrucas quæ thymi florem repræſentant. contra impetigines cum alumine & melle utiliſsimè imponitur. ſuccus in mali punici calyce calfactus, aurium dolori efficaciter infunditur. hebetudinem oculi qui ſenſere, ruta cum fœniculi ſucco ac melle peruncti iuuantur. ignem ſacrum, ulcera quæ ſerpunt, aut in capite manant, cum aceto roſaceo & ceruſa perſanat: manſa, aliorum ceparumq; acrimoniam domat. Montana ſi copioſius eſtur, interficit. dum florem promit, & ad murias colligitur, cutem inflat, & rubore quodam inficit, cum pruritu ac uehementi inflammatione. oportet itaq; eam unctis antea manibus & facie colligere. Tradunt ſuccum gallinaceis pullis inſparſum feles arcere. Adijciunt eam quæ in Macedonia circa Haliacmon amnem prodeat, comedentes interimere. Montoſus autem is locus, uiperis ſcatet. Semen eius potum, contra inteſtina uitia efficax eſt: in antidota commodè additur. contra in continentiam urinæ toſtum, ſemẽ ſeptenis diebus potui datur. Radix huius montanum moly uocatur. Sylueſtris ruta ſatiuæ ſimilis eſt. Prodeſt comitialibus & coxendicum doloribus: menſtrua mouet. partus enecat. acrior eſt uiribus quàm hortenſis, & ualidior. ſylueſtris, utpotè noxia, cibis abdicatur. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Πήγανον. *Latinè*, Ruta. *Officinis Latinum nomen ſeruauit.*
Germanis, Weinraut/ *& ſimpliciter* Raut. *Gallis* Rue, *appellatur.*
Ruta hortenſis eſt imbecillior agreſti: hæc enim calida ordine quarto (tantùm tertio dicitur lib. 6. com. phar. part. in ſtomachica Diabeſaſa) illa tertio: utraq; acris, amara, tenuium partium, ualenter ſiccans, incidit, digerit ualenter craſſos & lentos humores: urinas mouet: flatus, & ueneris appetitum cohibet.

Sylueſtris ruta. Caput XLIIII.

VOcant etiamnum ſylueſtrem rutam, quod in Cappadocia & Galatia Aſiæ finitima moly dicitur. Frutex eſt qui ab una radice multos emittit cauliculos: foliijs multò quàm alteriùs rutæ longioribus, tenerioribusq;, odore graui: flore candido: capitulis in cacumine paulò maioribus, quàm ſatiuæ rutæ, quæ tribus maxi-

A



Ruta ſylueſtris.

B

mè partibus conſtat: in quibus triangulum ſe mẽ, ſubrufum, guſtu amarum recluditur, cuius eſt uſus ſemen autumno matureſcit. quod cum melle, uino, croco & fœniculi ſucco, ac gallina ceo felle, teritur cõtra retuſam oculorum aciẽ.

Sunt qui eam harmalã uocent, Syri beſaſam. Qui Cappadociã incolunt, moly, quoniã quandam cum moly ſeruet ſimilitudinẽ: radice nigra, flore candido: In collibus & læto puenit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Πήγανον ἄγριον. Latinè, Sylueſtris ruta. Moly, Beſanum, Beſaſa, Armala. Officinis & Syris Harmela. Germanis, Wild rauten.

Gallis Rue ſauuage, dicitur.

Ruta ſylueſtris, cuius picturam exhibemus, Hieronymo Trago, uiro in ſimplicium recta cognitione exercitatiſſimo fi de digniſſimoq;, è mõte Peſſulano ab amicis tranſmiſſa, adeò legitimæ huius delineationi per omnia reſpõdet, ut ueram ac genuinam ſylueſtrem rutam eſſe, nemo ſanæ mentis dubitare poſſit. Moly, quod nonnulli rutam ſylueſtrem, alij Harmalã dicunt, tertio calefacientium ordini annumeratur: ſubſtantia tenue, hinc craſſos humores uiſcoſoſq; incîdit, diſcutit, & urinam promouet.

Nomenclationes, quæ contra Dioſcoridis morem in calce huius capituli, quod ſylueſtri Rutæ dicatũ eſt, ſubditæ ſunt, ad ſequens moly magis uidentur pertinere.

Moly. Cap. XLV.

MOly folia habet graminis latiora, humi ſparſa: florem albæ uiolæ ſimilẽ, ſed minorem, lactei coloris: caulem candidum, quaternûm cubitorum, in cuius cacumine ineſt aliquid quod allĩ ſpeciem referat. radix parua, bulboſa, quæ mirum in modum ualet ad aperiendas uuluas, ſi trita cum irino unguento, in peſſo ſubĩciatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Moly Galenus, Dioſcoridis uerba citans, μῶλυ appellat Ruta etiam ſylueſtris (ut ſuprà oſtendimus) idem nomen habet. Molon quoq; non alia uidetur, quàm Moly. Laudatiſſima herbarum fuit, Homero teſte, cuius inuentionem Mercurio aſſignauit, contraq; ſumma Circes ueneficia demonſtrauit, decima Odyſſeæ rhapſodia. Hodie & Medicis & Officinis planè incognita.

Panaces. Caput XLVI.

* Pſophide. PAnaces nonnullis heracleum dicitur, ex quo opopanax colligi ſolet. plurimum in Bœotia & in Phocide *Arcadiæ naſcitur: ibiq; compendij & quæſtus, qui ex eo liquore factitatur, gratia ſtudioſè colitur. folĩs eſt aſperis, in terra iacentibus, herbacei coloris, multum ad ficulnea accedentibus, in ambitu quinquepartitò diuiſis: caule, ut ferulæ, altiſſimo, qui lanugine quadam incaneſcit, folĩs etiam minutioribus obſitus, muſcarĩs, ceu anethi, in cacumine: flore luteo, & ſemine odorato ferueteq;. radices habet multas ab origine una, candidas, graueolentes, craſſi corticis, & ſubamari guſtus. Naſcitur in Cyrene Libyæ, & Macedonia. Excipitur ſucus inciſa radice, recenti caulium pullulatu: ea candidum ſuccum emittit, qui ficcatus, in ſumma cute croceum colorem contrahit. Effluentem autem ſuccũ excipiunt, folĩs excauato ſolo ſtratis, quæ ſiccata tolluntur. Similimodo caule meſsibus inciſo profluentem ſuccum eximunt. Meliores ex radicibus, albæ, rigentes, diſſenteq; ſiccæ, quæ cariem non ſentiant, aromaticæ, feruentes guſtu. Fructus ex media ferula cibo idoneus eſt: ſed ex agnatis ſtolonibus, ab uſu cibario abhorret. Maximè in hoc ſucci genere probatur quàm amariſsimus, internè albus, aut ſubfuluus, foris

ad

ad croci colorem inclinans,læuis,pinguis,friabilis,tener,ſtatim in aqua eliqueſcēs, A graui odore.niger improbatur,ac mollis. Adulteratur ammoniaco aut cera. Sed ſynceri experimentum eſt,ſi digitis in aqua friatus reſoluatur,& lacteſcat.Excalfacit,mollit,extenuat.horroribus febrium circuitibuſq;,uulſis,ruptis, laterum doloribus,torminibus,ſtillicidio urinæ conuenit.contra ueficæ ſcabiem ex aqua mulſa aut uino bibitur.menſes trahit,fœtum enecat.inflationes quæ uuluam malè habent,duritiasq;,ex melle dilutus,diſcutit.iſchiadicis illinitur.acopis & capitis medicaminibus admiſcetur.carbunculos rumpit.podagricis cum uua paſſa illitus ſubuenit. dolore dentium liberat,cauis inditus.oculorum aciem illitu excitat.ex eo & pice optimum fit emplaſtrum,contra beſtiarum morſus,quæ in rabiem efferantur.Radix in ramenta conſciſſa,uuluæ admota,partus extrahit.ad uetera ulcera efficax eſt.nuda oſſa,corpore operit,ſi trita cum melle illinatur.Semen cum abſinthio ſumptum, menſes pellit.cum ariſtolochia prodeſt aduerſus animalia,quæ uenenum eiaculantur.contra uuluæ ſtrangulatus in uino bibitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Panaces (πάναξες) *nomine ſtatim morborum omnium remedium ſe pollicetur. Communis eſt pluribus herbis nomenclatura,Centaurio,Liguſtico,Tithymallo,Origano,Heracleotico. Dioſcoridi tamen priuatim ſic nominantur tria ſolùm genera,proximè ſequentia: primum de quo præſenti capite agit,Græcis* πάναξες ἡρακλειον, *Latinis Panaces Heracleum,id eſt,Herculeum dicitur.*

Oppopanax liquor,è *Panacis Heraclij radice inciſa emanans,cùm caulis primùm erumpit, aut uulnera-* Oppopanax.
to caule meſsibus: calidus ordine tertio,ſiccus ſecundo: emollit,digerit,modicè terget, ob hoc oſſa nuda ueſtit carne,ulcera maligna & contumacia ſanat. Recens eſt candidus,ubi aruit,colore ſpris eſt croceo. Noſtrum quod habemus,aliqua amaritudine inſignitur,non tamen amariſsimum eſt,& graui odore ſentitur. Propterea cum noſtro aliquid mixtum arbitror, quod intenſam amaritudinem tollit, uelopus eſt quantitatē notatu dignam mandere,ſi intenſa amaritudo ſentiri debeat: in reliquis notis penitus conuenit.

Panaces Aſclepij. Caput XLVII.

PAnaces Aſclepij,caulem à ſolo emittit tenuem,cubitalem,geniculatum,maiori B bus quàm fœniculi foliis,hirſutioribus,odoratis: aureo flore,acri,odorato,ex muſcarijs dependente.radix parua eſt & tenuis. Auxiliarem uim habent flores & ſemina,contra ulcera,phagedænas,& tubercula,ſi trita cum melle imponantur. aduerſus ſerpentes ex uino bibuntur,& cum oleo illinuntur. Aliqui Panaces ſylueſtre origanum uocant,alij cunilam: de qua in origani mentione diximus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Panaces Aſclepion dictum aiunt,quoniam filium Aeſculapius Panacium uocauerit. Huius radicem Theophraſtus multū & ſalſi corticis habere dixit,quod quidem priori generi à Dioſcoride tribuitur. Eſt & hæc Medicis cum Officinis hodie incognita.

Chironium Panaces. Caput XLVIII.

CHironium Panaces in Pelio monte maximè prouenit.foliū eius amaraco * ſimile.flos aureus.radix parua,quæ non altè demittitur,guſtu acris.Pota radix * Lapatho. Theophr.
ſerpentium ueneno reſiſtit.illita coma,eadem præſtat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Et hoc ab inuentore nomen retinet,cui ſolium rumicis Theophraſtus & Plinius reddunt: maius tamen, hirſutius,radice parua. Naſcitur pinguibus,flore ad ſupradicta efficaci: nobis hodie incognita.

Liguſticum. Cap. XLIX.

LIguſticum,quod alij panaceā,alij panaces uocant, plurimum in Liguria naſcitur,in monte Apennino,Alpibus contermino,unde nomen traxit.Panaces incolæ non ab re appellant,quoniam & radice & caule,heracleotico panaci ſimile ſit, & uiribus eiſdem præditum. Gignitur in altiſsimis aſperiſq; montibus,ac umbroſis,maximè iuxta fluenta.cauliculum fert anethi,geniculatum,tenuem,& in circuitu folia ſertulæ campanæ,molliora,odorata,prope uerticē graciliora, & longè magis diuiſa: in cacumine muſcarium, in quo ſemen dependet nigrum, ſolidum & oblongum, fœniculo proximum, guſtanti acre,& aroma olens: radix candida,



heracleotici panacis similis, odorata. Radicis seminisq; excalfactoria, cõcoquens. prodest ad intestinos dolores, tumores, concoctiones. item ad inflationes, præsertim quibus stomachus turgeat. & contra serpentiũ ictus. urinas & menses potu trahit. Eosdẽ præstat effectus appositа radix. Semen cum radice oxyporis & medicamentis decoquẽtibus admiscetur. ori perquàm utile, quare pro pipere utuntur eo indigenæ ad obsonia. Adulteratur semine quodam simili, quod facilè gustu discernitur: amarũ enim est. Alij semen fœniculi aut seselis admiscẽtes ligusticum dolo uitiant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Λιγυστικόν, Λιβυστικόν. Latinè, Ligusticum. Galenus Libysticum. Brabantis, Leuistock. Officinæ corrupto uocabulo Leuisticum. Germani, Liebstöckel/uocant. Gallis Leuistic, appellatur.

Ligusticum, à Ligusticis alpibus, in quibus frequens nascitur, Galeno et Actuario, unius literæ mutatione, Libysticum: syluestre, hodie rarum, semine solo uisum Manardo: radix imperatoria uocatur Leoniceno & Musæ. Hoc autem accipiendum in compositionibus Arabũ, pro Keisin seu Leuistico, apertè docet Diatrion pipereon, et dia Calaminthes, à Nicolao & Mesue ex Galeno paucis admodum mutatis descripta. In quibus & alijs non paucis Arabum descriptionibus, ut diacymino, dia moscho, libysticum reposuit Actuarius. Vulgatum autem Leuisticum satiuum est, ob id minus efficax: nec Smyrnium est cum Ruellio: aut apij, uel dauci genus, cum Manardo, Smyrniũ putante petroselinũ Alexandrinũ uel Macedonicũ: nã quòd folia latiora aliquantulũ, radixq; foris nõ adeò atra, culturæ adscribendũ, nã cætero simillima est.

Pastinacæ Gallicæ syluestre genus, cuius semine pro Dauco utuntur Officinæ.

Pastinaca Gallica, Germanis Zam mozen/Rot/& Gelb rũben/ appellata.

Pastinaca. Cap. L.



PAstinaca syluestris folia gingidij habet, latiora, subamara: caulem rectum, scabrũ: umbellam similem anethi, in qua flores insunt candidi, & in medio purpureũ quiddã, fermè croceum. radix digiti crassitudine, dodrãtalis, odorata, quæ cocta manditur. Semen potum uel impositum, menstrua mouet. ijs conuenit in potione, quos urinæ difficultas torquet,



quet, aut lateralis dolor excruciat, aut si aqua cutẽ subijt. serpentium morsibus ictibusq; prodest. præ- A sumentes id nulla affici iniuria à serpentibus traduntur. conceptus adiuuat. Radix urinam pellit, uenerẽ stimulat partus apposita ejcit. Folia trita, & cum melle imposita, phagedænas ulcerũ purgãt. Satiua ad eadem pollet, inefficacior tamen, & cibo aptior.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Pastinacæ duo genera traduntur. Vnum satiuum, Σταφυλῖνος κατ' ἐξοχήν, Græcis: pastinaca satiua Latinis: Pasteney/ dicitur Germanis. Alterum agreste, quod Daucus etiam appellatur, autore Gale. & Paulo Aegineta, hoc Græcis σταφυλῖνος ἄγριος. Latinis, Pastinaca erratica. Germanis, Wilde pasteney/ Vogels nester. Brabantis, Pastinaken/ Peen/ Caroten. Gallis uerò Cariotes sauuage appellatur. Est & alterum genus in eadem similitudine pastinacæ, quam Gallicam pastinacam uocant, Germani Gelb & Rot rüblin/ uel Moren. Galli Caryottes, prædulci radice, odorata, rufa, uel interdum purpurea: cuius genera etiam quatuor fecere. De quibus etiam Dioscorides agit sub dauci nomine, infrà cap. 67. Pastinacæ omni calens natura est. Efficacior sylvestris, magisq; in petrosis nata.

Seseli. Caput LI.

SEseli Massilienſe folia Fœniculi habet, crassiora: caulem uegetiorem: umbellã anethi, in qua semen oblongum, angulosum, degustanti statim acre. radix longa est, iucundi odoris. Semẽ & radix excalfaciendi uim habent. potu strãguriæ & ortho- B

pnœæ medentur: suffocationibus mulierum, comitialibusq; prosunt. menses & partus trahunt. ad omnia interna mala pollent. tussim ueterem sanant. semen cum uino potum, cõcoquit, & tormina discutit. epialis febribus

Seseli Aethiopicum.
Weiß Hirschwurtz.



Seseli Peloponesiacum.
Schwartz Hirschwurtz.



xxiiii.

A utile.cõtra perfrictiones in itineribus.cum pipere & uino bibitur. capris,cæterisq; pecudibus datur in potu,quo facilius suos fœtus enitantur. Aethiopicum Seseli,folia habet hederæ,minora,& ad periclymeni modum oblonga. frutex nigricat,palmitibus in bina cubita extensis: ramis sesquipedalibus: capitulo anethi: semine in tritici morem denso,nigro,amaro,Massilienſi odoratiore,& acriore,multum suaui. Peloponense folia habet cicutæ,latiora,& crassiora: caulem supra Massilienſis magnitudinem,ferulaceum,& latum: in cacumine umbellam, in qua semen huius odoratum,& carnosum pendet. Eisdem uiribus præditum est. nascitur in asperis,ri guis & collibus. inuenitur etiamnum in insulis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis Σέσελι μασσαλιωτικόν. *Latinis* Seseli Maßilienſe. *Officinis* Siler montanum. *Herbarijs quibusdam maior saxifraga. Germanis*, Seſel/Welſcher ſteynbrech/Hertzwurtz. *Brabantis*, Herte wortel. *Gallis* Ser montain, *apud Allobroges.*

Sil siue sile, herba est alio nomine Seseli appellata, cuius radice uel semine olim uina condiebant, quæ ante meridiano tempore sumebant. Vnde silatum ueteres dixere, quod nunc tentaculum uocamus. Seseli fructu & radice, id est, semine, ualde calet, ac tenuium est partiũ, quare urinam mouet, epilepsiæ & orthopnœæ cõ fert: laudatur Maßilienſe. Et alterum etiam Aethiopicum, & tertium Creticũ: de quo in capite sequẽti, &c.

Creticum seseli. Caput LII.



B

TOrdylium, quod aliqui Creticum seseli uocant, iuxta Ciliciam in Amano monte nascitur, herbula surculosa, semine duplici, rotundo, scutulorum effigie, odorato, subacri. Contra urinæ difficultatem bibitur. potu cit menses. succo seminis caulisq; uirentis, ternis obolis ex passo decem diebus hausto, renes sanantur. efficax est radix ad ciendas pectoris excreationes, in delinctu cum melle.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Τορδύλιον, *Tordylium uel Tordylon, & Seseli Creticum, Paulo Gordylion: & Tortilen, aliqui semen Seselis esse dixerunt, alij herbam per se, quam & Syreon uocauerunt, de qua nihil aliud proditum inuenisse fatetur Plinius, quàm quod in montibus nascitur, ambustam ciere menses &c. Quibusdã hæc herba Germanicè* Berwurtzel *uocatur. Idem est Tordylion, quod latius hoc loco à Dioscoride præsentatur in Amano Ciliciæ monte: breuis & fruticosa herba, semine paruo orbiculato, duplici, clypeolis simili, modicè acri, & aromatum modo odorato, cuius picturam damus, Meum est.*

Sison.



Sison. Cap. LIII.

SIson exiguum semen est, in Syria natũ, apio simile, nigrum, feruens, oblongum. Contra lienis uitia bibitur: urinę difficultatem potu emendat. remoratos menses citat. quo in condimentis,

dimentis,cũ cucurbita,& aceto,indigenæ utuntur. in cacumine granula multa gerit. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,Σίσων. Latinè,Sison. Officinis falsò semen Amomi.

Germanis Krembder Peterſilien/dicitur.

Officinæ eius herbæ,cuius picturam damus,semine hactenus pro uero Græcorum Amomo usi sunt,non tamen sine errore,cùm hæc herba cum Amomi planta nihil habeat commune,ut facile iudicũ feret, qui utriusq; historiam conferre uoluerit,& uerum esse Sison comperiet,si quoq; diligenter & huius delineationem examinauerit.



Carum.

Anisum. Cap. LIIII.

ANisum in summa excalfacit,exiccat.oris halitum iucũdiorem facit. doloris leuamentum præstat. urinam ciet* aquam quæ tubŋt cutem,dissipat. potum si im cohibet.animalium uenenis aduersatur,ualet ad inflationes aluum & alba fœminarum profluuia sistit.lac ad mammas elicit.uenerem stimulat. dolores capitis leuat, suffitum naribus. cum rosaceo tritum,instillatumq;, fractis auribus medetur. Melius semper recens,plenum,non furfuroſum, odore præstans.inter prima laudatum est Creticum, proximo loco Aegyptium. *Addunt alij: Diffundendi uim habet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,ἄνισον,ἄνησον. Latinè,Anisum uel Anesum.

Officinis Latinum nomen seruauit.

Medicorum uulgus Romanum fœniculum.

Germani Anißuel Enißen. Galli Anis,appellant.

Anisi semen calidum siccum ordine tertio, urentibus proximum,acre.sub amarum,urinas ciet, flatus uentris dißipat, digerit: addit Dioscorides uenenis resistere. Inter prima laudatur Creticum,melius recens & plenum. Huius loco & penuria,Anisum dulce usurpamus,quod γλυκάνισον Actuarius sæpe appellat.Ita sentire malo,quàm cum nonnullis Anisum uulgare Græcorum, Anethum intio tertij gradus calidum,siccum primo affirmare. Anethum uerò uulgare calidius siccius,Anisum Græcorum calidum siccum tertio gradu. Nã uero uetustum Anisi (ut dixi) carenus.quod semen paruum apij simile semini,sed maius Dioscorides scribit: Anetho autem semen latum & foliatum Ruellius tribuit: ex quo scriptore nescio,nisi fortè Anethum nostrum pinxit,non descriptum ueteribus. Gal.lib.6.simp. Gal.lib.6.simp. B



Carum. Cap. LV.

CArum,semen est uulgaris notitiæ. Excalfacit.urinam concitat.stomacho utile.os commendat.concoctionem adiuuat.utiliter miscetur antidotis & oxyporis.anisi uicem præbet,radix cocta,pastinacæ modo manditur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,Κάρος.Et recentioribus Græcis Carnabum,uel Carnabadium,ut quibusdam placet.

Latinè,Careum,Carium,Caros.

Officinis & herbarijs tantùm paterno casu cognitum: carui enim omnibus ore uno dicitur.

Germani,Mattkummel/Wiſenkümmel/Gartenkümmel.

Brabantis,Wit Comŋn. Galli Carui uocitant.

Cari semen calidum siccũ ordine tertio,mediocriter acre,urinas mouet,flatũ discutit: planta etiam reliqua ab hoc utilis, à Caria regione laudatißimum afferebatur;unde illi nomẽ multiplex,Carũ,Carion,Careõ,

Caraon,

A Caraon, Carota, siue, ut nunc pronunciant, careota. Cari siue Carei, unde nomen traxit, radix est, quam Atheneus dipno sophistarum lib. 9. celebrans, maiorem pastinacam falsò appellat, uulgari & cotidiana illa meliorem: quæ etiam elixa Pastinacæ modo estur, ut hoc loco Dioscorides quoq; testatur, licet seorsim etiam sub siseri nomine de eadem agere quibusdam uideatur suprà cap. 104. lib. 2. his uerbis: Suauis in cibo ori elixa siseri radix est, stomacho utilis. Vrinam cit, & cibi appetentiam excitat.

Præterea Paulus Aegineta lib. 1. cap. de ijs quæ edendo sunt radicibus, hanc tanquam congenerem Pastinacæ & dauco simul iungit, inquiens: σταφυλῖνος δὲ καὶ ἄγριος καὶ κάρου αἱ μὲν ἥμερόι εἰσι, id est, Staphylini uerò, quæ pastinaca est, & dauci & cari radices. Vbi cari radicē, et siser Interpretes confundunt, errore manifesto: nam hæc genera nos ita distribuimus, ut pastinaca, quæ Staphylini Græcis dicitur, sit nostra uulgaris pastinaca, Germanicè Pasteney dicta. Dauci uerò radix sit uulgaris illa radix, Germanis Mozen/Geelroter rot rüben dicta. Siser autem, cuius Plinius meminit lib. 19. Germanorum Geyerlein/ & Carota Cari radix, Germanicè Mattkymmel wurtz: quod multi docti uiri non animaduertentes, has radices magno errore confundunt.

Anethum. Caput LVI.



B

ARidi anethi comæ seminisq; decoctum, potu lac euocat. inflationes, & tormina sedat. aluũ, uomitionesq; sistit. urinas ciet. singultus lenit, oculorum aciem hebetat. genituram restinguit, assiduè potum. fœminis uuluę malo opportunis, ad desessiones utile. condylomata illitus eius cinis tollit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἄνηθον. Latinè, Anethum.
Officinis Latinum ac genuinum nomen seruauit.
Germanis, Dyll/ Hochkraut.
Gallis Anęte, dicitur.

Anethum calidum secundo ordine, siccum primo, tenuium partium, digerit, ex oleo decoctum dolores sedat, somnum conciliat, crudos humores coquit, præsertim uiride, quia minus calidum & humidius est. Vstum autem calidum siccum gradu tertio fit, ulcera præhumida, præcipuè pudendorum & præputij cicatrice tegit. Coma florum odoratißima, & semen nobis consuetißimum est.

Cuminum satiuum.



Cuminum satiuum. Cap. LVII.

CVminum satiuum ori gratum est: sed multò magis Aethiopicum, quod Hippocrates regium appellauit. secundum locum tenet Aegyptium. reliqua sequuntur. Prouenit in Galatia, in Asia, Cilicia, & Terentia, & pleris; alijs tractibus. Excalfacit, adstringit, exiccat. ad tormina inflationesq; conuenit, coctum & cum oleo inditum aut cum hordeacea farina illitum. orthopnoicis datur in posca: demorsis à serpente, in uino. testium collectionibus auxiliatur, impositum cum uua passa, aut lolij farina ceratóue. mensium abundantiam inhibet. contritum autē in aceto, & naribus obiectum, sanguinis profluuia sistit. colorem bibentium aut perunctorum mutat in pallorē.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κύμινον. Latinè, Cuminum.
Officinæ Romanum cognominant.
Germanis, Römischer Kymmel/ Pfeffer kymmel.
Gallis Comin, dicitur.

Cumini

Cumini ſemen utile magis, calfacit ordine tertio, ſiccat, urinam mouet, flatum extinguit: ſatiuum eſt ac A
ſyluestre. Plin. lib. 19. Condimentorum tamen, omniumq; faſtidijs cuminum amiciſſimum. Idem lib. 20. In eo
magnus uſus in ſtomachi præcipuè remedijs. Diſcutit pituitas & inflationes, tormina quoq; & inteſtinorũ
dolores. Veruntamen omnem pallorem bibentibus gignit.

Syluestre cuminum. Caput LVIII.





Ritterſporen



S. Catharinen blümen

SYlueſtre cuminum, plurimum efficaciusq; in Lycia & Galatiæ Aſia, atq; Carthagine Hiſpaniæ gignitur: frutice paruo, dodrantali caule, ac tenui, quaternis aut quinis foliis tenuibus, ueluti ſerratis, & gingidij diuiſura, in cacumine capitula quina, aut ſena habet, mollia, rotunda, in quibus eſt ſemen aceroſum, guſtu ſatiuo acriore, naſcitur in collibus. Bibitur ſemen ex aqua, ad uerſus tormina inflationesq; item contra uenenatas beſtias, ex uino, ſingultus ex aceto ſedat: ſtomacho utile, quem humor uexat, ſugillata tollit, ſi manducatum cũ

A melle & uua passa illinatur: testium inflammationibus, adiectis eisdem illitum medetur. Est & aliud sylvestris cumini genus, satiuo non dissimile, quod à singulis floribus pensilia promit cornicula, in quibus semen est melanthio simile: quod potum omnium serpentium morsibus præsidio est. calculosis & ijs qui urinæ stillicidio uexantur: aut concretum sanguinem cum lotio reddunt, auxiliatur. sed apij semen feruefactum postea bibendum est.

Cumini sylvestris primum genus, Græcis Κύμινον ἄγριον.

Latinis sylvestre Cuminum. Officinis Consolida regalis.

Germanis, Ritterspörlin. *Gallis cornueta, dicitur.*

In segetibus inuenitur, caule singulari, ramoso, folio propè fœniculi, semine nigro in corniculata siliquula concluso. hodie in hortis seritur, & Germanicè S. Catharinen blůmen *dicitur: herba ad descriptionem primi generis sylvestris cumini ferè propius accedens, Germaniæ alioqui peregrina herba, ac nuper ex Italia allata, eius figuram præcedens pictura ostendit.*

Alterum Cumini sylvestris genus, Græcis κύμινον ἄγριον ἕτερον.

Officinis nigella sylvestris.

Germanis, Wild schwartzer Coriander *nominatur.*

Folia anethi habet, flores nigellæ satiuæ similes, nisi quòd colore sint elegantiores. Capitulum planè aquilegiæ respondet, atq; in se semina nigra & odorata continet.

Ammi. Caput LIX.



B

AMmi Aethiopicum cuminum appellant. plerique hoc natura diuersum ab illo existimant. Vulgo notum est semen exile, multò minus cumino, origanum resipiens. Eligendum est purum, minimè furfurosum. Vis ei excalfactoria, feruẽs & exiccans. facit ad tormina, urinæ difficultatem, serpentium ictus, cum uino potum. menstrua ciet. miscetur derodentibus cantharidum medicamentis, quæ ecdoria uocant, ut inde exortis urinæ difficultatibus resistat. sugillata cum melle tollit. colorẽ potu aut illitu mutat in pallorem. suffitum cum uua passa aut resina, uuluas purgat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἄμμι.

Latinè, Ammi.

Romanis Cuminum Alexandrinum, quidam Aethiopicum cuminum id esse putant, alij regium cuminum appellant, pleriq; alterius naturæ in totum existimant Aethiopicum cuminum ab eo, quod uocatur ammi.

Officinis Ameos corruptè.

Germanis Ammey samen *dicitur.*

Ameos semen calidum siccum in fine ordinis tertij, tenuium partium, album, subamarum, acre, digerit, urinam mouet. Ammi cõmendatur Illyricum, lib. 9. comp. phar. part. alij Aegyptium laudant. Nascitur & hodie in Germania nostra, & magna copia prouenit, sicut deinceps extirpari uix queat.

Lib. 6. Simp. Lib. 9. c. ph. p.

Coriandrum. Caput LX.

COriandrum aut corianum, uulgaris est notitiæ, uim refrigeratoriam habens. Quare illitum cum pane aut polenta, ignibus sacris, & ulceribus quæ serpunt, medetur. epinyctidas cum melle uel uua passa, testium inflãmationes, carbũculosq; sanat. cum faba fresa, strumas & tubercula discutit. tineas interaneorum expellit semen, cum passo potum. genituram adauget. largius tamen sumptum, mentem non sine periculo mouet: quare continuo & copiosiore usu abstinendum. Succus cum ceruſſa



ceruſſa ſpumãue argenti, necnon aceto & ro- A
ſaceo illitus, ardentes ſummæ cutis inflammationes emendat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κόριον, κορίανον.
Latinè, Coriandrum, Corianum, Corium.
Officinis Latinum nomen ſeruauit.
Germanis, Coriander/ Coleander.
Gallis Coriandre, dicitur.

Coriandrum eſſentiæ amaræ habet plurimum, parum humiditatis aquææ tepentis, pauxillum aſtrictionis, à qua refrigerat, ut ab amarore calfacit: terget, digerit, tenuium eſt partium, lumbricos necat: ſed largius ſumptum mentem mouet non ſine periculo, ob id aceto maceramus, pòſt ſiccamus. Officinæ coriandrum præparatum uocant ita emaceratum.

Hieracium. Cap. LXI.

Hieracium.

Dens Leonis. Hieraceum minus.





B

Hieracium magnum, caulem emittit aſperum, ſubrubrũ, ſpinoſum, cauũ: folia ex interuallis rariuſculè diuiſa, ſimilia ſoncho per ambitum: luteos flores in oblongis capitulis. Vim refrigerãdi habet, & modicè ſubſtringendi. unde illitum, ſtomacho æſtuanti, inflammationibuſq; prodeſt. ſuccus eroſionem ſtomachi ſorbitione mitigat. herba cũ radice illita, uibratis à ſcorpione ictibus auxiliatur. Hieracium paruum, folia ex interuallis habet, diuiſa in ambitu: caliculos teneros, uirentes, in quibus lutei flores orbem circinantes emicant. Vim ſuã ad eadem ad quæ ſuperior impendit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hieraceum Dioſcorides in duo genera diſtribuit: maius ſcilicet & minus. Hieraceum maius nuſquã non

A in pratis emicat, Officinæ & herbarij Cichoream luteam aut croceam appellant, Germani ad Græcam allu-
dentes appellationem, Habich kraut uocant, facie tota, præterquàm flore, qui luteus conspicitur, cichoreæ
æmulatur, namq; caulem emittit asperum, subrubrum, spiculis horrentem, intus cauum, folia ex interuallis ra
riusculè laciniata per ambitum, flore in oblongis capitulis luteo. Hieracium Græci uocant, quoniam accipi-
tres scalpendo eam, succoq; oculos tingendo obscuritatem, cùm sensere, discutiant. Hieraceum paruum Græ-
cis ἱεράκιον ἕτερον. Officinis dens leonis, quòd folium sinuatim per lacinias denticulatum sit. Sunt qui Ta
raxacon, & Altaraxacon uocant, monachi caput, lactucam erraticam, & Sonchiten. Germanis Rôzlëraut/
Pfaffenrôzlin/Pfaffenplatt/Genßzung/dicitur, foliis multis constat, utrinq; denticulatis in terra sessi
libus, cauliculis dodrantalibus, concauis, leuibus & enodibus, flore luteo, stipantibus in circuitum foliolis co-
ronato, qui senescens euanescit in lanuginem, quæ cum aura raptim fertur, &c.

Apium hortense.



Apium. Cap. LXII.

HOrtensis apij herba ad eadem ad quæ corianum con
uenit. inflammationibus oculorum, cum pane aut po
lenta illinitur. æstuantem stomachum mulcet mammarum
duritiam ex lacte concreto contractam reprimit. urinam
ciet, siue crudũ, siue coctum edatur. decoctũ eius radicisq;
potum, uenenorũ noxę resistit, quum uomitiones excitet.
aluum cohibet. semen uehementius urinam pellit. cõtra ser
pentium uenena, aut epotam argenti spumam auxiliatur.
inflationes discutit. admiscetur medicamentis quæ dolorũ
leuamẽta præstant, theriacis quoq;, ac tussis remedijs. Eleo
selinum in humidis nascitur, satiuo grandius, & ad eadem
efficax. Oreoselinum, caule est dodrantẽ alto, ab radice tenui exeunte: per cuius am-
bitum rami & capitula cicutę, multò tamen tenuiora: semine cumini, oblongo, acri,
& odorato, tenui. nascitur in petrosis & montibus. Vrinam ciet, semine ac radice in
uino potis. menses trahit. antidotis, necnon medicamẽtis urinam cientibus & excal
factorijs inseritur. Nec hallucinari nos oportet, existimantes oreoselinũ esse, quod
B in saxis prouenit: aliud enim est petroselinum. Petroselinum in Macedonia prouc
nit, in præruptis locis: semine ammi, odoratiore, sapore acri, aroma olente. Vrinã
cit ac menstrua. cõtra stomachi & coli inflationes, & tormina prodest laterum, renũ,
& uesicæ doloribus in potu subuenit. admiscetur antidotis urinam cientibus. Hip-
poselinum, Latini olusatrum appellant, aliqui smyrnion, quãuis aliud sit quod pro
priè smyrnion dicitur, ut paulò pòst referemus. Est autem maius & satiuo apio can
didius: caule alto, cauo, molli, habente ueluti lineas: foliis latioribus, in puniceum
uergentibus: coma rorismarini, florum plena, dependentibus in cacumine corym-
bis, antè quàm defloreścat. ea semine turget nigro, oblõgo, acri, solido, aromatico.
radix dimittitur tenuis, odorata, candida, quæ oscommendat. In umbrosis & palu-
stribus enascitur. olerum generis, ut apium. radix cruda coctáue estur. folia cũ cau-
libus decocta manduntur, & per se aut cum piscibus præparantur, cruda q; muria
condiuntur. Vim hanc habet, ut pòto semine ex mulso uino mẽses cieat. algẽtes cal
facit potu aut illitu: urinæ stillicidio auxiliatur. radix eosdem præstat effectus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

*Apium satiuum est, cuius rami largis portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem grã-
tiam habent. Quæ Plinij uerba nostrum uulgare petroselinum magis indicant, Germanis Peterlin/& Pe
terſilien/Gallis Persil, appellatum.*

*Nostrum uerò uulgare apium, est Dioscoridis & Galeni Eleoselinum, hoc est, cum Gaza, paludapiũ, quia
in paludibus & secundum aquæ ductus nascitur. Græci ἑλειοσέλινον, Latini apium palustre, uulgo simplici
ter apiũ, ut aliqui sentiunt. Italiã tamen Maceronem, aut Canneam uocare scribit Ruellius, Germa. Eppich/
& Eppen. Brabanti Joffrowmerck. Galli Esgrun persil uocant, ut Ruellius arbitratur.*

*Petroselinum autem uerum ex Macedoniæ asperis & præruptis petendum, ut Galenus docet lib. 1. de an-
tidotis, his uerbis: Petroselinum, id est, apium petrosum omnibus notum, in regione Macedoniæ præcipiti nec
magna, laudatißimum nascitur, hoc est, acerrimum & amarißimum maximè si recens fuerit, sed parcum, à
qua Estreaticum dicitur & Macedonicum. Plurimum uerò in Epiro gignitur, ex qua in Macedoniam com-
portatum, & propè totum in Thessalonicen, inde tanquàm Macedonicum à mercatoribus deuehitur: alio-
quin uniuersis gentibus non sufficiat. Quo modo mel Atticum melle ex Cycladibus locupletant, proq; Attico
uendunt:*

uendunt: & uinum falernum in parua quadam Italiæ regione parcum genitum, sic ab indigenis adulteratur, ut in omnem Romanorum imperio subditam regionem feratur. A

Si autem Estreaticum & Macedonicum petroselinum desideras, nihil peior, sed minus amara erit theriace, & alia antidotus, si alterum injcias. Non enim deleterijs pharmacis, aut uirulentarum bestiarum morsibus adeò aduersatur, quod principalissimũ est theriaces promussum: sed id hydropicis, imbecillibus, & alijs quibusdam simulibus affectibus succurrit.

Eleoselinum: Apium uulgare.



Ostrutium. Meysterwurtz.



B

Pimpinella, Bibinell.



Hodie de petroselino etiam inter doctissimos parum cõstat. Conrado Gesnero, Medico peritissimo, id uidetur, quod hodie Ostrutium, alij Imperatoriam uocant, in montibus & saxosis nascens, figura apij, amarissimum acerrimumq; inter omnia apij genera, quod Galenus de petroselino Macedonico et Estreatico scribit: quod sanè nomen etiam ad Ostrutium accedit. Alij Astrantiam: quidam magis corrumpendo, Magistrantiam uocant. Eadem omnino uires uulgus nostrum de eo pollicentur, quas de petroselino ueteres. Alpini ad omne morborum genus quasi panacea utuntur. Germanis Meysterwurtz/dicitur.

Hieronymus Tragus, in uera cognitione simplicium nulli secundus, aliam herbam pro ueterum petroselino nobis ostendit, uidelicet nostram uulgarem pimpinellam, quam Germani Bibinell uocant, & hæc sanè non longè à legitima ueterum

A Paludapium, Wassermarck.



B

petroselini delineatione abscedit. quid uerò in tanta sententiarum uarietate statuendum sit, doctioribus, & quibus plus ocij fuerit, iudicandum relinquimus.

Quod uerò Macedonicum petroselinum uulgo dicitur, est hipposelinum, quod olus atrum, seu pullum à Latinis appellari Hermolaus, Ruellius, Marcellus in Dioscoride inscripserunt, quod meus codex Græcus non habet, Galenus autem uerum Smyrnium ὀλόσμυρον Rò mæ uocari iam consuetum scribit lib. 2. Aliment.

Hipposelinon.



Græci ἱππόσελινον. Latini Hipposelinum olusatrum, ut diximus.

Officinæ Petroselinũ Macedonicum. Germa. à magnitudine Groß eppich/ uel Groß epff. Galli Meicheron Alexandri uocant.

Est & aliud genus apij, ἑλεόσελινον, ἢ ὕδροσέλινον Græcis.

Paludapiũ & palustre apium (ut uulgare apium) & Rusticum apium Latinis. Germanis Wasser eph/ & Bauren eph dictum: nascitur in paludibus, & ipsa aqua, Apio hortulano maius, caule tenero, concauo, folio molli, raro nec hirsuto, simile apio sapore, floribus, semine & radice.

Sunt tamen qui genera apij ita distinguunt, uidelicet, ut primum apij genus, quod Dioscorides hortense appellat, nostrum uulgare apium sit, uulgo Eph & Eppich/ appellatum.

Eleoselinum uerò, de quo ultimo egimus, scilicet palustre apium. Germanis Wasser & Bauren eppich/ dictum.

Oreoselinum uerò arbitrantur hortulanum nostrum apium. Germanis Petersilien/ Gallis Persil, dictum.

De Petroselino nihil certi constat.

Hipposelinum quartum genus apij erit, quod Officinis Petroselinum Macedonicum appellari falsò, suprà monuimus.

Omnia hæc Selinorum, id est, apiorum genera idem pollent tota, sed semine sunt potentiora, & in his præcipuè Macedonicum calidũ siccum ordine tertio, &c.

Smyrnium. Cap. LXIII.

SMyrnion, quod in Cilicia petroselinum uocant, passim in Amano monte gignitur. caulem habet apij, & stolones multos: folia latiora, subpinguia, ad terram infracta, robusta, odore medicato, cum quadam acrimonia, iucunda, colore in luteum languescente. capitibus caulium orbiculatis, ut anethi, semine brassicæ, rotũdo, nigro, acri, myrrhæ sapore, ita ut alterum alterius loco cedat. radix quoq; ò do rata, gustu acri, fauces mordet, succosa, mollis. cortex eius foris niger, intus uiridis, aut subalbidus. Nascitur in saxosis, & collibus, atq; squalidis, & limitibus terrenis. Vis radicis, herbæ & seminis, excalfacere. foliis muria maceratis ad obsonia uruntur. aluum sistunt. radicem contra serpentium ictus bibere conuenit: tusses & orthopnœas mitigat. urinæ difficultati medetur. recentes tumores, collectiones, duritiasq; discutit. illita, uulnera ad cicatricem perducit. partus abortu uitiat, si feruefacta subijciatur. Semen, lienis, renum & uesicæ uitijs prodest. menses & secundas pellit. commodè datur ischiadicis in uino. inflationes stomachi lenit. sudores ciet, & rictus. peculiariter datur hydropicis in potu, & contra febrium circuitus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Proximè ad sententiam Dioscoridis Plinius Smyrnion depinxit, folia apij tradens habere, latiora, & maximè

rimè circa stolones multos, quorum à sinu exiliunt pinguia, ad terram instrata, odore medicato, cum quadã acrimonia, iucunda, colore in luteum languescente, capitibus caulium orbiculatis, ut apij, semine rotundo, nigro, qui arescunt incipiente æstate. Si cuiquã tam celebres notulas libeat explicare, facilè perpendet, eam esse herbam, quam nostri herbarij, Angelicam, & Sanctispiritus radicem, à suauissimo eius radicis odore, quẽ spirat: aut ab immensa contra uenena facultate, appellant, Germanis Angelic / Heilig geysts wurtz / & Brust wurtz / uocatur. Duo huius plantæ inueniuntur genera. Vnum in hortis, hac specie uisitur, & Iam angelica uocatur, radix crassa est, et multa, foris nigricans, intus candida, tuber in ea quæ super terram eminet. Caulis ei fœniculaceus, folium apij in aurei colorem languescens, semen foliaceum, latum, nempe quod figura exile fõtiolũ exprimit, in umbella apio simili aut anetho: hoc mira fragrat iucunditate. Altera sylvestris in montosis proueniens, odore illo suaui cùm radix, tum semen caret. Satiua angelica, quam uerum esse Smyrniũ nõ dubitamus, unicè uenenis aduersatur. quam uim illi Dioscorides quoq; tribuit, cùm radicem eius contra serpentium ictus bibere docet. Pestilentiæ populatim scuientis arcet contagia. Corpora ab lue pestifera uindicat, si tantùm, ut adfirmant, in ore teneatur. Per hyemem ciceris magnitudinẽ cum uino, per æstatem ex stillatitio rosarum liquore sumpsisse satis est. Nec sensurum ea die contagionem pollicentur, qua quis deuorauit, nam urẽna & sudore uenenum abigit.

Wild angelic.



Zam angelic.



Weiß Hirtzwurtz.



Elaphoboscum. Caput LXIIII.

ELaphoboſco fœniculaceus caulis eſt, aut rorismarino ſimilis, geniculatus: foliis duum digitorũ latitudine, utterebinthi, prælongis, aliquantũ aſperis, circunfractis. adnata multa habet, ferẽtia umbellas anethi ſimiles, & ſemina eiuſdẽ: florem ſubluteum: radice ternũm digitorum longitudinis, & craſsitudinis unius, cãdida, dulci, eſui apta. Caulis tener pro olere manditur: cõtra ſerpentium ictus, datur ſemen in uino. Fama autem eſt, hoc pabulo ceruas ſerpentium morſibus reſiſtere.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Paucis hodie cognoſcitur elaphoboſcon, etſi frequens ubiq; reperiatur, Romani Cerui ocellum appellarunt. Officinæ Galliæ ſimul & herbarij, ut rei ipſius nouæ, nouũ indiderunt nomen, Gratiã dei uocantes. Sueſſionenſis ager, herbam copariam nominat, quòd ea utantur ad uulſa, rupta. Nempe Gratia Dei, caule proſilit fœniculaceo, geniculato, foliis fermè duorũ digitorum latitudine, prælongis, ſubaſperis, infractis. Adnata multa caulis ſparg[illegible] umbellas anethi ſimiles oſtendentia, & ſemina eiuſdẽ, flore ſubluteũ, radice ternũ digitorũ lõgitudinis, et craſsitudinis unius, cãdida, dulci, apta cibo, Dioſcoridis pictura ad unguẽ profectò repræſentat,

A *nulla reclamante nota, herbam quam modò diximus tam insigni nomine Gratiam dei uocari, fortè ea quæ hodie* Weiß Bärtzwurtz *Germani uocant.*

Fœniculum. Cap. LXV.



B

FOeniculum si herba edatur, aut semen cum ptisana bibatur, mammas lacte replet. comæ decoctũ in renum doloribus subditum proficit, quippe quòd urinam excitet. contra serpentium ictus in uino cõuenienter bibitur. menses ciet. in febribus nauseã & stomachi feruorem, ex aqua frigida potum, sedat. contritæ radices & cum melle illitæ, morsibus canum medẽtur. Succus caule & foliis exprimitur, & in sole siccatus, in medicamenta adhibetur, quæ ad excitandam oculorum aciem commodè temperantur. Extrahitur succus ad eadem ualens, etiam semine uiridi, ramulisq; et radicibus prima germinatione incisis. In Iberia quæ ad occidentem spectat, succum reddit gummi simile. Caulem medium, dum herba floret, rustici demetunt, igniq; admouent, quò facilius ui caloris exudans gummi remittat: quod efficacius succo est, ad medicamenta oculorum.

Hippomarathrum.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis Μάραθρον. Latinis, Fœniculum. Marathrum. Officinis Latinum nomen seruauit.

Germanis, Fenchel. Gallis du fenouil.

Fœniculus calidus ordine tertio, siccus primo, semine magis quàm radice, minus foliis, quibus lac gignunt, ut illis urinas, & menses magis ciet. Cortex radicis in usu est frequenti, lib. 8. comp. phar. par. μαλαγροστῶ ἑψωμένῳ per λ. ubiq; scribit Actuarius, id est, marathri semen.

Fœniculum erraticum, siue Hippomarathrum. Cap. LXVI.

EST & sylueſtre fœniculum, magnũ. fert autem semẽ cachryi simile, cuius radix iucundè olet, potaq; stranguriæ medetur. menses impositа ciet. uentrẽ sistit, radice aut semine poto. contra serpentium morsus auxiliatur, calculos comminuit. regium morbum

bum expurgat. lactis abundantiam facit. decoctum foliorum hauſtum, fœminas à A partu purgat. Traditur aliud hippomarathri genus, longo, exili, & anguſto folio, ſemine coriandri, rotundo, acri, & odorato. Excalfaciendi naturam habet, & uiribus fœniculo reſpondet. ad omnia infirmius.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἱππομάραθρον. Latinè, Fœniculum ſyluestre.

Officinis incognitum. Germanis, Wilder Fenchel/Roßfenchel.

Gallis fenoil bastard, dicitur.

Satiuo procerius eſt, brachiali craſſamento, foliis etiamnum maioribus, ſemine miliaceo, radice alba, odorata, in apricis, & petroſis inuenitur.

Dioclesalterum ſyluestris fœniculi genus, Dioſcoridi ἱππομάραθρον ἕτερον dictum, longo & anguſto folio, ſeminæ coriandri repræſentauit. Medicinæ cum eo genere priore communes, ucrùm inferioris operæ.

Daucum. Caput LXVII.

DAucum aliqui Daucium uocant. Creticum foliis fœniculo ſimile, minoribus & tenuioribus: caule dodrantali: umbella coriandri: flore albo: ſemine acri, candido, hirſuto, ſuauiſsimi odoris in mandendo. radix digitali craſsitudine & dodrantis longitudine adoleſcit. in ſaxoſis naſcitur, & locis ſole illuſtratis. Aliud eius genus ſyluestri apio ſimile, acre, odoratum, aroma olens, feruentis guſtus. Probatiſsimum Creticum. Tertium aſsignatur genus foliis coriandri, floribus albis, capite & ſemine anethi, muſcario paſtinacæ: ſemine oblongo, ceu cumini, acri. Omnium ſemen excalfacit potum. urinam, menſes, & partus extrahit, torminibus liberat. ueterem tuſsim mitigat. phalangiorum morſibus potum in uino auxiliatur. tumores illitu diſcutit. Seminis duntaxat in alijs generibus inualuit uſus. in Cretico, etiam radicis, quæ maximè contra uenenatorum iniuriam in uino bibitur. B

Daucus.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Dauco genera tria: Creticum Latinis, Gallica paſtinaca dicitur, uulgo (falſò tamen) ſyluestris carota, in Officinis principem retinet appellationem, ea namq; caule aſſurgit pedali, foliis fœniculi, ſed candidiuſculis minoribusq;, coriani muſcario, in quo ſemen biſpidum, milij ferè capacitate, album, feruens, acre, odoratum, radice digitali craſsitudine, bipalmum longa, in apricis petroſisq; naſcitur. Germanis Vogels neſter/Feld mozen/*dicitur. Alterum ubiq; prouenit, præcipuè in terrenis, limitibusq; & pingui ſolo, apio ſimile, feruens, acre, & guſtanti odoratum.*

Tertium genus paſtinacæ non diſsimile, opacante faſtigium anethi umbella, ſemine oblongo, odoratu graui, ſapore, ut cuminum, acri: utrunq; genus aſininum daucum herbarijs audio uocari. Galen. & Paulus daucum nihil aliud eſſe uoluerunt, quàm ſtaphylinum ſyluestrem. Hippocrates daucum Aethiopicum laudat. Daucum refert Galenus agreſtem paſtinacam nonnullis nominari.

Delphinium. Caput LXVIII.

DElphinium ſurculos emittit à radice una ſeſquipedales, aut maiores, à quibus folia exeunt parua, tenuia, diuiſa, prælonga, quæ delphinorum effigiem repræſentãt: unde tractum nomen eſt. flos uiolæ albæ non diſsimilis, purpureus: & ſemen in ſiliquis milio proximum, quo non aliud utilius bibi poteſt ab ſcorpione percuſsis. Aiunt enim obiecta herba ſcorpiones reſolui, atq; ignauos torpeſcere: ſemota uerò ea, ſeſe recolligere. Prouenit in aſperis & apricis. Alterum eſt delphinium.

Aphinium, quod Romani buccinum uocant, superiori simile, sed foliis & ramis longè gracilius. Viribus eisdem pollet, sed non ita efficacibus.

Filius ante patrem.

Herbarij quidam Delphinium esse putant, quam filium ante patrem, uulgò appellant, quòd siliquam & intus semen ante floris exitum ostendat, rectius si partus ante conceptum, ab eis appellaretur. Iam audio aptius

Buccinaria.

ab teretis siliquulæ per extremum in expansum florem excunte, buccinariam, quadam similitudine dici, siquidem ex surculis à radice una pedalibus funditur, foliis paruis, tenuibus intersectis, incuruis, longuscula delphinis effigie, flore uiolæ matronalis, subpurpureo, semine in ualuis teretibus exiguo, milio non dissimili. Inuenitur frequens in asperis, & locis totius diei solem excipientibus.

Pyrethrum. Cap. LXIX.

Syluestre Pyrethrum.



* Capillaceam, alij.

B

PYrethrum saliuarem uocant, folia caulemq; emittit ut daucum syluestre & fœniculũ: umbellamq; anethi, circinatæ rotunditatis *. radix longa est, pollicis crassitudine, gustu feruidissimo. Pituitam elicit, ideo in dolore dentium, decocta in aceto, colluto inde ore, auxiliatur. manſapituitam extrahit. sudores ciet, perunctо ex oleo corpore. diuturnis horroribus efficax. contra perfrictiones membrorum, resolutionesq; eximiè conducit.

NOMINA ET explicatio.

Græcè, πύρεθρον.

Latinè Pyrethrum, à feruido sapore dicta, & Saliuaria.

Officinis genuinũ nomen seruauit.

Germanis, Bertram/Speychelwurtz. Gallis pes Alexandrinus, dicitur.

Pyrethrum ab ignea, urenteq; ui dictum, quia manſu saliuam potentius, quàm pro caloris modo elicit: unde & saliuaris quoq; Latinis dicitur, ut Dioscorides testatur: in Apennino frequens, annis quinq; seruatur: affectibus omnibus frigidis efficax.

Roſmarinus. Caput LXX.

DVo roſmarini genera. unum fœcũdum frugiferumq;, cuius semen cachrys uocatur. folia fœniculi habet, crassiora & latiora. in rotæ speciem, humi sparsa, iucunde olentia, caulem cubiti altitudine, aut maiorem, multis concauum alis: in ca cumine umbellam, in qua semen copiosum, candidum, sphondylio simile, rotundũ, anguloſum, resinaceum, quod in mandendo linguam exurit. radix thus redolet, candida, prægrandis. Est & alterum omnino consimile, semen ferens latum, nigrum uti sphondylion, odoratum, minimè exurens, radice foris nigra, intus si frangatur, alba. Verùm id quod sterile dicitur, illorum planè similitudinem refert: sed neque caulem, neq; florem, neq; semen promit. nascitur in saxosis & asperis. Trita omnium herba communiter hæmorrhoidum profluuia sistit. sedis inflammationes & cõdylomata mitigat. concoquit strumas & abscessus, qui ad maturationem ægrè perducuntur. Siccæ radices cum melle ulcera purgant. torminibus medentur cum uino potæ.

potæ.& contra serpentium morsus conueniunt.menses & urinas cient.ueteres tumores illitu discutiunt.Tam radicis quàm herbæ succus,adiecto melle illitus,oculorum aciem exacuit.Potum semen ad eadem pollet. si comitiale malum sentiatur, aut uetus pectoris uitium,auxilio est.regio morbo laborantibus cum uino & pipere datur,sudores mouet,cum oleo perunctum. ruptis & conuulsis prodest. podagris,cum loliacea farina & aceto tritum,illinitur.purgat uitiligines, addito aceto quàm acerrimo. Semine in potionibus utendum, eius quidem quod Canchryn nõ ferat, quippe illud sua acrimonia arteriam exasperat Rosmarinum cum erica nasci,foliis lactucę syluestris amaræ asperioribus, candidioribusq;,radice breui, Theophrastus autor est, potuq; idipsum alterutra parte purgare. Canchrys uim habet excalfaciendi,& uehementer exiccandi,quare abstergentibus medicamentis inseritur.contra oculorum fluxiones capiti illinitur,ita ut tertio die soluatur. A

Schwartz Hirtzwurtz.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Libanotidis siue rosmarini, Dioscorides tria genera facit. Vnum sterile,hodie nobis planè incognitum, Alterum fœcundum,quod duplex est .alterum est, cuius semen canchrys dicitur,fœniculi folio,crassiore, orbiculato, in terrã iacente,caule cubitali,aliquando etiam maiore, stolonibus multis,quorum à capitibus umbellæ gestantur, seminis plenæ candidi & spondylio similis,rotundi,anguloſi, gustu acuto,resinacei,accendentis os cùm manditur. Radix alba magnitudinis iustæ,thus redolens: & hoc genus (quod equidẽ sciam) hodie prorsus nulli cognitum. Alterum simile superiori per omnia,sed lato semine atq; nigro, spondylion imitante,odorato,neq; feruenti,radice foris atra, intus,si frangatur, albida, hæc est quam Germani Schwartz Hirtzwurtz appellant,à radice nigra. Eius picturam hic exhibemus. B

Rosmarinum coronarium. Caput LXXI.



ROsmarinum quo coronarij utuntur, ramos mittit tenues,& circa eos folia minuta, densa,longa,exilia, subter incana,supernè uirentia,graui odore. Excalfactoria ui præditum est.regium sanat morbum,si decoctum in aqua,ante exercitationes bibatur: & ubi laborans exercitationi se crediderit,in balnea discendat, & merum potet. acopis,gleucinoq; unguento admisceri solet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,Λιβανωτὶς ἀνθρωμαλίνη. Latinè,Libanotis coronaria. Officinis Rosmarinus. Germanis,Rosmarin. Gallis Rosmarin,dicitur.

Libanotis ea quam Romani appellant Rosmarinum,& qua nectentes coronas utuntur.in exilibus uirgis folium fert tenue,crebrũ,oblongum,& gracile,intus candicans,& extrà uiride,odore graui,quo Narbonensis prouinciæ tractus adeò scatet,ut haud temerè lignum aliud urant. Apud nos areas hortorum,eleganter topiario conuestit opere. utilis folio & flore, quem uulgus absolutè ἄνθον malè uocat. nec antidotus δι' ἀνθων Actuarij solius Rorismarini florem recipit,sed & aliorum.

Spondylium. Caput LXXII.

Spondylium

A



SPondylium folia quadantenus platani & panacis habet. caules fœniculaceos, cubitali altitudine, aut amplius, assurgentes, in quorum cacumine semen duplex, seseli simile, sed latius, candidius, & magis paleaceum, grauis odoris. flores eius albi, aut pallentes: radice raphani, candida. nascitur in palustribus & aquosis. Potum semen pituitam per aluum extrahit. medetur iecinoris uitijs, regio morbo, comitialibus, orthopnoicis, uuluarum strangulationi. ueternosos suffitu reuocat. cum oleo commodè infunditur capitibus phreniticorum & lethargicorum. item capitis doloribus. cum ruta illitum, serpentia ulcera cohibet. Datur radix contra regium morbum, & iecinoris uitia: circumrasa eadem & iniecta, callos fistularum derodit. Recentis floris succus exulceratis auribus, purulentisq; accommodatur: qui cæterorum succorum more exprimi, dein recondi solet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σπονδύλιον. Latinis Spondylium, & Spondylion.
Officinis Ostrutium, Astrens, Magistrantia. Germanis, Meysterwurtz.
Gallis l' austruce, dicitur.

Hanc plantam, quam uerum spondylion esse non dubitamus, etiam uiri docti miserè distraxerunt, ut tandem inuenirent, cui capitulorum Dioscor. rectè aptari posit. Alij enim, ut suprà ostendimus, hanc uerum esse petroselinum Macedonicum contendunt, alij Laserpitium Germanicum, alij pro uero Smyrnio habent. Sunt & alij, qui hanc ad Panaces Dioscoridis referunt, ex Panacis adprobantes descriptionibus, ex odore, succo & gummi, quæ omnia Panacis radicibus conueniunt. sed facilè erroris conuincuntur, si ad legitimam delineationem Sphondylij confertur, nulla penitus reclamante nota. Adde quòd eadem omnes uires uulgus nostrum de hac pollicetur, quas de spondylio ueteres, atq; hoc loco Dioscorides describit.

B

Peucedanum.



Ferula. Caput LXXIII.

EX Viridi ferula medulla pota, utilis est ad cruditas excreationes, cœliacosq; contra uiperarũ morsus in uino datur. erumpentem naribus sanguinem indita sistit. semen potum torminosis auxiliatur. sudores ciet, uncto ex oleo corpore. Caules, si edantur, capitis dolores faciunt. muria conditur. Ferula itaq; caulem profert ternûm sæpe cubitorum: folia fœniculi, longè asperiora & lactiora: qua ab imo caule uulnerata sagapenum efficitur.

Calidis Ferula nascitur locis, atq; trans maria hodie planè incognita.

Peucedanum. Cap. LXXIIII.

PEucedanum caulem emittit tenuem, gracilentum, fœniculo similem. comam habet statim à terra foliosam, spissamq; flore luteo, radice nigra, crassa, plena, graui odore, succosa. gignitur in montibus opacis. Tenera radix cultello concidi-tur, profluens q; è plaga succus umbræ mandatur: in sole siquidem confestim euanescit. Colligitur capite prius & naribus rosaceo perfusis, ne capitis dolor premat, & uertigo sentiatur. assationi ra dix inutilis fit. Tam lac quàm succus radice & caulibus extrahi solet, sicuti è mandragora: uerùm in efficacior succo lachryma habetur, & uelocius expirat. Interdum etiã concreta inuenitur lachryma.

ma,thuris similitudine,caulibus radicibusq; adhærens.Prefertur succus è Sardinia & Samothrace,colore rufo,odore graui,feruens gustu. Ex oleo & rosaceo illitum peucedanũ prodest lethargicis,phreniticis,uertiginosis,comitialibus, & longis capitis doloribus,resolutis,ischiadicis,conuulsis.omnibus in uniuersum uitijs neruorum,ex oleo & aceto illitu,prodest.eius olfactu respirant uuluæ strangulatus,& uesicæ,& uiolenti reuocantur.incensum serpentes abigit.aurium doloribus cõuenienter ex rosaceo instillatur.cauernis dẽtium inditum,mitigat dolorem.contra tussim efficacissimè ex ouo assumitur.suspirijs,torminibus & inflationibus subuenit.uentrem leniter emollit.lienem absumit.difficiles partus mirè adiuuat,facit ad uesicæ cruciatus, & renum distentiones potum.uuluam aperit.Radix ad eadem utilis est,sed inefficacior.eius decoctũ bibitur.farina eius sordida ulcera purgat,& uetera cicatrice obducit.squamas ossium extrahit.in cerata & calfacientia malagmata additur.Radix eligi debet recens,quæ cariem non senserit,firma,odoris plena.Succus ad potiones amaris nucibus aut ruta aut pane calido aut anetho resoluitur. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,πουκέδανον. Latinè,Peucedanum. Officinis genuinum nomen seruauit.

Germanis,Harstrang/Sewfenchel. Brabantis,Verckens veuckel dicitur. Peucedani radix calida ordine secundo,sicca tertio: incidit,tenuat,digerit,affectibus neruorum frigidis,lieni indurato,pulmoni farto,pituitæ crassæ,lentæ,ulceribus contumacibus auxilio est.Succus ex hac expressus uiolentior est. Gal.lib.8.simp.

Gith,seu Melanthium. Cap. LXXV.

Nigella Damascena.



Nigella uulgaris. B



A Pseudomelanthium.



GIth exilibus surculis fruticat, sæpe binos dodrantes excedens. foliis ut senetionis minutis, sed multò tenuioribus: capitulo in cacumine tenui, paruo, ceu papaueris, oblongo, intercursantibus intus membranis, quibus semen includitur nigrum, acre, odoratum, quod panibus inspargitur. Capitis doloribus illitum fronti, subuenit. discutit recentes oculorum suffusiones, tritum ex irino, & infusum naribus. tollit lepras, lẽtigines, duritias, tumoresq; uetustos, cum aceto illitũ: circumscarificatos clauos excutit, cum uetere urina impositum. dentium doloribus, decoctum cum aceto & teda, prodest. teretes uentris tineas expellit, peruncto ex aqua umbilico: destillatione laborantes adiuuat, tritum in linteo & olfactum. urinam & menstrua ciet, multis diebus sumptum. & lac extrahit. difficultatem spirandi cum uino potum leuat. phalangiorum morsibus ex aqua drachmæ pondere haustum auxiliatur. incenso serpentes fugantur. Traduntlargius epotum enecare.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis, Μελάνθιον. Latinè, Melanthium, Gith, Nigella.

Officinis, Nigella Romana.

Germanis, Schwartz Römisch wolriechend Coriander/Schabab.

Gallis poiurette, à piperis sapore Nielle, ou nigelle poiurette.

Melanthium est Gith, quamuis flore sit ex cæruleo albicante, semine nunc nigro, nunc ruso: calidum siccũ tertio gradu, tenuium partium, amarum, assiduo olfactu catarrhos sanat, orthopnœam iuuat, lumbricos necat, lepras tergit, menses ob crassitiem, & lentorem retentos mouet.

Quæ uerò in segetibus altius adolescit, Nigella uulgò dicta, Germanis Ratten / inodora, pseudomelanthium, & Githago uocari possit.

B

Laserpitium, & Laser. Caput LXXVI.

LAserpitium in Syria, Armenia, Media, & Libya nascitur, caule ferulaceo, quẽ maspetum uocant: foliis apio similibus, lato semine. Radix excalfacit. in cibis ægrè concoquitur. uesicæ noxia. fugillatis illita cum oleo, & strumis, ac tuberculis cum cerato, medetur. ischiadicis conuenit cum irino aut cyprino cerato. excrescentibus circa sedem tollendis illinitur, cum putamine mali punici, & aceto decocta. uenis pota resistit. os commendat, cibis * aut sali permista. Laser è radice atq; caule scarificatis colligitur. præfertur autem rufum, transiucens, myrrhæ æmulum, non porraceum, odore ualens, suaui gustu, quod dilutum facilè albescit. Cyrenaicum si quis degustarit, humorem toto corpore ciet. blandissimo odore, adeò ut ne os quidem gustanti nisi paululum spiret. Medicum & Syriacum minus uiribus ualent, & magis uirosum reddunt odorem. Laser omne antequàm ficcescat adulteratur sagapeno, aut fabæ lomento, quod maleficium deprehenditur gustu, odore, uisu, & dilutione. Caulem aliqui silphion, radicem magudarin, & folia maspeton uocauere. Efficacissimum laser, mox folia, postremò caulis. Acrem uim habet. inflationes facit. perunctas cum aceto, pipere & uino alopecias sanat. oculorum aciem exacuit. incipientes suffusiones, illitum cum melle, dissipat. cauernis dentium in dolore inditur, aut cum thure in linteo circumligatur, aut cum hyssopo, ficis coctis in posca, os colluitur. iis prodest, quos bestia in rabiem efferata momorderit, uulneribus immissum. ualet aduersus uenena telorum, & animalia omnia, quæ uirus eiaculantur, potum aut illitum. scorpionum plagis oleo dilutum circumlinitur. gangrænis præcoërcitis immittitur: & cum ruta, nitro & melle, uel per se, carbunculis. clauos callosq; prius circumrasos uellit. cerato aut aridorum ficuum carne prælitum, recentes lichenas ex aceto sanat. & excrescentia in carne polyposq;, si aliquot diebus cum atramento sutorio, aut ærugine illinatur. extuberantia cum forfice extrahit. Ve teribus faucium scabritiis opitulatur. grauẽ, subitoq; irrauescentem uocẽ, dilutum aqua, sorbitione confestim expedit. uuã illitum cum melle reprimit. anginis ex aqua mulsa

** Intinctibus.*

mulsa utilissimè gargarizatur. uescentes lætiore colore mangonizat. tussi commodè in sorbili ouo datur, & pleuriticis, in sorbitionibus: infellis suffusione, & aquâ inter cutem, cum aridis ficis. horrores discutit cum uino, pipere, & thure potum. neruorum contractionibus, opisthotonicisq; datur oboli pondere deuorandum. hærentes gulæ hirudines, gargarizatum cum aceto decutit. ad lac intus coagulatum bibitur. comitialibus ex aceto mulso proficit. menses ciet, cum pipere & myrrha potum cœliacos adiuuat, in acino uuæ sumptum. cum lixiuio autem potui datum, repentè conuulsis ruptisq; prodest. ad potiones resoluitur, nucibus amaris, aut ruta, aut calido pane. Foliorũ succo ad eadem proficitur, sed multò inefficacius. cum aceto mulso manditur, ad expediendam arteriam, maximè cùm uox retunditur. eo cum lactucis utuntur, exitq; in uicem erucæ. Fertur & altera magudaris in Libya nàsci: radix laserpitio similis, sed minus crassa, acris & fungosa, ex qua non profluit succus: eiusdem cum lasere facultatis. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

ὀπὸς liquor est, crassum illud & lætum, quod ex uulnere effluit, uel radice incisa, qui inde ῥιζίας dicitur: uel caule etiam usq; ad medullam secto, terebrato, castrato, qui καυλίας dicitur, altero puriore, & perlucidiore, specialius tamen, & per excellentiam ὀπὸς, Cyrenaicus & Medicus, & Syriacus intelligitur, qui omnes caliditate & tenuitate exuperat: ob id omnium maximè digerit per halitum, quanquam reliqui liquores sint multum calidi, & spirituosi, & plurima horum pars essentiæ aëris, & igneæ. χυλὸς tamen, ὁ ἀπὸ κρυοπὸς. Græcis sæpe confunduntur, & Latinis succus, lachryma, liquor. Præstantissimus autem ex Aphrica est, Cyrenaicus Galeno, Indicus & Armenius Mesuæ: imbecillior Medicus & Syriacus: uterq; enim uirus, & putrilaginem respiens, ut & Parthicus, & Persicus. Est autem laseris seu laserpitij, seu Silphij hæc liquor. E Tabrobana maris Indici, insula omnium maxima, conuehi hodie præstantissimum, Belzoy uulgò dictum, scribit Ludouicus Romanus patricius. Opus Cyrenaicus est saluberrimus phlegmonæ, Gargareonis, & aliarum partium, non incipienti, sed ueteratæ, & in scyrrhum durescenti. Est enim acerrimum & maximè calfaciens medicamentum.

Sagapenium. Caput LXXVII. B

SAgapenium ferulaceæ herbæ succus est, quæ in Medianasci tur. Optimum est, translucens, fuluo forinsecus colore, & intus albo, nescio quid inter laser & galbanum redolens, gustu acri. Prodest laterum & pectoris doloribus, tussibus uetustis, conuulsis & ruptis. crassam pulmonis pituitam expurgat. datur comitialibus, opisthotonicis, lienosis. item contra neruorum resolutionem, perfrictiones, & febrium circuitus* in potu. in unguenta probè admittitur. menses pellit. sed fœtum eximat, cum hydromelite potum. prodest ex uino haustum, serpentium ictibus. olfactum ex aceto uuluarum strangulatus excitat, oculorum cicatrices, offusam caliginem, hebetudines, suffusionesq; detergit. Resoluitur ut laser, ruta, aqua, & amaris nucibus, aut melle, aut calido pane.

*Alij, perfrictiones, quas febrium circuitus faciunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sagapenum est frutex ferulaceus, seu ferulæ similis planta, lib. 8. simp. seu ferula quædam panaci similis, lib. 1. antido. in Media regione, & abusiuè ex ea succus: qui etiam ὀπὸς Συριακὸς dicitur, lib. 1. antid. candidus, tenuium partium, ut alij opij, seu liquores: modicè terget, oculorum cicatrices purgat, & terget, suffusiones, & oculorum hebetudines à crasso humore leuat. Laudatur prælucidum, foris rufum, intus candidum, acre, odore porri, seu medio inter laseris liquorem, & galbanum, quibus adulteratur. Opopanaci enim nihil est simile, sed galbano albiori. Nam spumosa cohærens, albior, læuisq; pars galbani in Sagapenum degenerat: pars altera densior, & multò quàm aliud galbanum constrictior, fit Galbanum optimum, sagapenum respiciens, eaq; tanquam præstantissima utendum lib. 1. antido. Si uerum est, uino aut aqua statim dissoluitur, adulteratum non liquescit.

Euphorbium. Caput LXXVIII.

EVphorbia Libyca arbor est, ferulæ speciem habens, quæ in monte Atlante iuxta Mauritaniam, inuenitur. ea acerrimo succo turget. cuius eximium feruorem expauescentes incolæ, ouillos uentres elutos arbori circumligãt, & eminus caprem contis incidunt, confestimq; è plaga, perinde atq; uase quodam, in uentriculos

**Alij, Tmolos*

A copiosius lactis humor effluit, præter id quod humi sparsum, uulnus eiaculatur. Duo succi genera. Vnum orobi magnitudine, sarcocollæ modo emicat: alterum in uentriculis concrescit, atq; uitreum spectatur. Eligendum est transluces, & acre. Euphorbium adulteratur sarcocollæ & glutini mistione. sed difficile quidem experimentum: quippe cùm leui gustu, os ac sensum diu detineat, adeò ut quicquid ori obijciatur, planè euphorbium resipiat. eius inuentio tempore Iubæ regis Libyæ cognita extitit. Succus illitu suffusiones discutit. potus tota die exurit, quare melli colyrijsq; pro acrimoniæ ratione admisceri debet. coxarum doloribus prodest in odorifera potione hausta. squamas ossium eadem die eximit. uerùm eo utentes, necesse est linamentis aut ceratis communire corpus quo ossa conuestiuntur. Aliqui memoriæ prodiderunt, percussos à serpente nihil molesti passuros, si incisa osse tenus capitis cute, intritus succus infundatur, uulnusq; postea consuatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Euphorbium & Euphorbia arbor, unde liquor emanat, qui ex occiduis regionibus affertur, ut Sagapenũ ex orientalibus, lib. 3. comp. phar. gener. Euphorbium liquor est stirpis cuiusdam spinosæ in Mauritaniæ montibus adhuc est (taliq; utitur Galenus lib. 1. compa. pharm. part. in alopecia) interdum & quadrimum. Quarto autẽ uel sexto anno exoluitur, deinde procedente tẽpore in totũ elanguescit, Gale. ne putes eum uulgo annis decem posse seruari: etiam cum milio, lentibus, fabis: Adulteratur lacte caprino, sarcocolla, glutino. id igni iniectum odorem edit fastidiendum. Pituitam purgat Euphorbium, à Iuba rege inuentum, ab Euphorbo suo Medico, Antonij Musæ fratre, uocatum, sed magis aquam. Euphorbium cum Mastiche, & tragacantho coctum, in pane dedit in morbo Italico Manardus, & sine manifesta noxa iuuat. Cum melle tantùm Dioscorides quoq; accedit. Auicen. tres obolos. Serapion duos.

Gal. lib. 9. com. phar. part.

Galbanum. Caput LXXIX.

P GAlbanum succus est nascentis in Syria ferulæ, quod nonnulli metopium uocant. Maximè laudatur cartilaginosum, merum, thuris effigiem præbens, pingue, minimè lignosum, retinens nõnihil adiecti seminis & ferulæ, graui odore, neq; ualde humidum, neq; nimis aridum. Adulteratur faba fresa, resina & ammoniaco. Galbanum excalfacit, urit, extrahit, discutit. mensesac partus trahit. appositu uel suffitu, lentigines aceto & nitro perunctas tollit. deuoratur ad tussim ueterem, difficultatem spirandi, suspiria, rupta, conuulsa. aduersatur toxicis, potum cum uino myrrha. simili modo sumptum mortuos partus extrahit. imponitur lateris dolori bus, & furunculis. comitiales & uuluæ strangulatus, & uertiginosos olfactu suscitat. si uratur, fugat nidore serpentes, & perunctos feriri non patitur. serpentes cum oleo & sphondylo circumpositum, necat. dentium dolorem oblitum, aut cauernis inditum, mitigat. urinæ difficili prodesse existimatur. Resoluitur ad potiones amaris nucibus, aqua, aut ruta, aut calido pane, mulsáue: aliàs meconio, ære usto, aut fellele liquido. Si purgare galbanum uoles, in feruentem aquam demittito, namq; cùm liquefactum fuerit, eius sordes fluitabunt: quas hoc modo facilè separabis: mundo linteo raroq; alligatum in fictili aut ærea pyxide ita pendeat, ut imum uasis ne tangat: operto q; uase in feruidam aquam demittito: sic enim syncerum, ueluti per colum eliquescet, & lignosum in linteo remanebit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Galbanum liquor ferulæ Syriacæ, seu plantæ ferulaceæ in Syria frequentis, calidus in fine ordinis secundi, aut principio tertij, siccus initio secundi: mollit, digerit: addit Dioscorides, trahit, urit. De hoc pauca suprà in Sagapeno. Laudatur purum ligno, aliquid tamen seminis mistum habens, odore graui, sapore abominabili, humidi & sicci medium, pingue, & in hammoniaci aut thuris similitudinem cartilaginosum. Eius obolos tres miscet Andromachus arteriacæ 12. alteri drachm. sex. lib. 7. comp. pharma. part. Purgandi eius sordibus ratio Dioscoridi traditur. Vitiatur resina, faba fracta, Hammoniaco, ut idem Dioscorides testatur.

Gal. li. 7. co. ph. par.

Ammoniacum. Caput LXXX.

AMmoniacum ferulæ succus est, quam iuxta Cyrenem Aphrica gignit. cuius fruticem cum radice agasyllim uocant. Probatur bene coloratum, ligni & calculorum

calculorum expers, thuris similitudine, minutis glebis, densum, syncerũ, nulla sor- A
de spurcatum, castoreum odore imitans, gustu amarum. hoc genus thrausma, id est, friaturam appellant: quod uerò terram & calculos collegit, phyrama. gignitur in Aphrica iuxta Ammonis oraculum, succum stillante ferulacea arbore. Mollit, extrahit, calfacit. tubercula duritiasq; discutit. potum, aluum soluit. partus extrahit. lienem consumit, drachmæ pondere* hausta. articulorum coxendicumq; doloribus liberat. auxilio est anhelatoribus, orthopnoicis, comitialibus. item quibus humor in pectore coit, si cum melle delingatur, aut cum ptisanæ succo sorbeatur. cruentam urinam pellit. albugines oculorum absterget. genarum scabritiam absumit. tritum autem cum aceto, & impositum, iecinoris lienisq; duritias sedat. discutit tofos, qui in artubus concalluerunt, cum melle aut cum pice illitum. lassitudines & coxendicum dolores eo perungi utile est, cum nitro & cyprino oleo, uice acopi.

* Adde, cum aceto.

Hammoniacum, seu Ammoniacum Galbanum, emolliunt, mitigant, emplastica sunt, ut opopanax, sed illis ualentius, Gal. lib. 10. simp.

Sarcocolla. Caput LXXXI.

SArcocolla, lachryma est arboris in Persida nascentis, pollini thuris similis, rufa, gustu amara. Vulnera glutinat. oculorum fluxiones inhibet. emplastris inseritur. Adulteratur admisto gummi.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sarcocolla, quòd carnem glutinet, Græcè dicta, tanquam sit carnis colla. nam uulnera glutinat, & sine morsu siccat. Albam rufæ præfert Plin. & annis nigrescere scribit. primo gradu circiter calida uidetur, nã Dioscoridi subamara, Plinio cum quadam acrimonia dulcis. Galen. emplastica, & parum amara dicitur, sic cans sine morsu. Ophthalmias discutere expertus est Manardus, ubi hæ constiterunt, mittio enim cum uino fluxiones oculorum sistit, Dioscor. & Plinio. Sarcocolla ueteres tantùm foris usi sunt: purgatricem uim, ut Medici Arabes, non dederunt, quæ etiam hodie parum est cognita. Si purgat & uentriculo est noxia calido, impinguare uidetur tantùm per accidens: uacuatis scilicet excrementis, probam nutritionem impedientibus, id quod alijs purgantibus est commune: sed dum correcta est lacte asinino: calida humida enadit, ob id B
semen augere, & promouere potest. Hanc dies quinq; asinino lacte indies mutando macerant. pòst aqua rosarum dissoluunt, ut castigent.

Glaucium. Cap. LXXXII.

GLaucium, succus est herbæ quæ ad Hierapolim Syriæ nascitur, foliis ferè corniculati papaueris, pinguioribus tamen, in terram sparsis, odoris tetri, gustus amari, tota croceo succo madet. Folia in olla fictili semifrigidis clibanis calfaciunt indigenæ, usquedum flaccescant, deinde contusis succum exprimunt. cuius est usus ad oculorum medicamenta, utpotè cùm inter initia refrigeret.

Quantum hic succus differat à succo Papaueris corniculati, hîc docet Dioscorides, & succum extrahendi rationem, Græcis in usu multo & Arabibus, nunc ignoratur: ualenter astringit, & insigniter refrigerat. Officinæ Barbaro nomine Memithe appellant.

Glutinum. Cap. LXXXIII.

GLutinum, quod xylocollan, alij taurocollan uocant, præstantissimum Rhodiacum. quod ex bubulis corijs conficitur, id candidum est & transluces. Nigrum uerò minus probatur. Resolutum in aceto, impetigines lepras q; cutis delet. ambustis igni ex aqua calida dilutum illitum q;, pustulas erumpere non patitur. uulneribus prodest, melle aut aceto maducatum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Glutinum, siue Gluten, Germanicè Leim. Gallicè non aliter quàm Græco uocabulo colla dicitur. Præstantissimum est ex auribus taurorum & genitalibus, sed adulteratur nihil æquè, quibusuis pellibus inueteratis et decoctis, Rhodianum uerò Dioscoride teste fidelissimum, eoq; medici & pictores utuntur. Lignosum improbatur. Contexi par est & reliqua glutinum genera, Auro glutinum est santeria, ferro argilla, æris missis cadmia, laminis alumen, stagnum æramentis, stagno argentum, marmori & plumbo resina, plumbum nigrũ

A albo, album ipsum sibi. Est & glutinum auri cùm inducitur ligno Leucoporon siue Leucopheon, Germanis Goldtgrundt/uocatum: habetur & glutem librariorum ex similà & polline, Büchbinder bapp/Germanicè appellatum, &c.

Glutinum piscium. Caput LXXXIIII.

ICthyocolla, gluten piscium, uenter est piscis cetacei. Præstat candicans, natione Ponticum, subasperum, minimè scabrum, & quod celerrimè liquescit. Vtile est plastris, capitis & leprarum medicaminibus, & tetanothris, quæ cutem faciei erugant & extendunt.

Hanc Galli collam buccæ, hoc est, colle de la bouche, appellant. Germani Mundtleym/quod oris saliua diluere glutinandis rebus soleant. Alij collam Moruæ, ita enim cetaceum uocant piscem. Germani Hausen blasen/piscem uerò Ein Hausen/quo frequentissimè uescuntur, cuius glutinoso uentre & corio glutinum fieri inter omnes conuenit.

Viscum. Caput LXXXV.



B

VIscum optimum est recens, intus porraceum, extrà fuluum, quod asperi nihil aut furfuroſi conceperit. Fit acinis in robore nascentibus, buxeo fruticis folio. contusum acinum lauant, & postea in aqua decoquunt. sunt qui commanducando ipsum efficiant. gignitur quoq; in malo, pyro, & plerisq; alijs arboribus. quinetiam inuenitur in quorundam fruticum radicibus. Emollit, discutit, extrahit. parotidas, tubercula, cæterasq; collectiones ad maturationem perducit. cum resina autem & cera pari, epinyctidas in splenio sanat. uetera ulcera absces sus q; quos cacoethes uocant, ex thure mollit. lienem cum calce, gagate, aut asio lapide coctum & impositum absumit. cum sandaracha, aut auripigmento illitum, ungues extrahit. mistum cum calce & uini fæce, suam uim intendit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἰξός. Latinè, Viscum, de planta intelligitur, cuius picturam damus, uel eius granis expresso glutino. Officinis uiscum quercinum dicitur, & non sine graui errore interdum ad emplastra puluere ligni pro uisci glutino utuntur.

Germanis, Mystel/Affolter. Glutinum uerò Vogelleym.

Gallis du gny, appellatur.

Quidam putant lignum uisci è robore aut Ilice, si terram non attigerit, comitialibus mederi, conceptumq; fœminarum adiuuare, si omnino secum habeant. uulgo Eychen mystel/dicitur: de uisco uide plura lib. 1. Fit & uiscum in Syria ex acinis, quos ab Augusti, ut arbitror, honore, sebastos appellauerũt, & hodie quoq; Officinis adhuc Sebeste ubiq; dicũtur; ueteribus fuisse myxa conijcio, quæ & per diminutionem quoq; myxaria recentioribus Græcis nominatur, ἀπὸ τοῦ μύξης, id est, à muco lento è naribus fluente: cum simili bl fructus abundant, bilem detrudere, & sitim sedare dicuntur. humida primo gradu, calido frigido temperata.

Iuiube, Zizypha Græcis, Zizipha etiam Actuario, fructus Myxarijs affinis facultate, nam calidus humidus primo gradu, etiam pulmonarius: id duplex, sericum, id est rufum, Galliæ frequens, & candidum adhuc ignotum,



Aparine.

ignotum, ad fluxiones calidas, acres, tenues, in pectus ſalubre: ut alimentum ucrò à Galeno damnatur lib. 2. alimentorum, quem locum Auicenna Sauanorola citat in ſuis iuubis. horũ picturam libuit hîc exhibere, cùm in uſu Officinarum ſint frequentiſſimo, nullæ uerò eorum apud Dioſcoridem fiat mentio. A

Sebeſte, Schwartz bruſtbeerle.



B



Aparine. Cap. LXXXVI.

AParine ramis multis & paruis fruticat, aſperis, quadrangulis, per interualla orbiculato foliorum ambitu, ut in rubia: flos albus, ſemen durum, rotundum, cõcauum, album, umbilici figura, aſperitate ueſtium tenaci. Ea paſtores coli uice utuntur, ad eximendos è lacte pilos. ſeminis, caulium, ac foliorum ſuccus, potu contra uiperarum phalangiorumq; morſus auxilia-

A tur,infusu aurium dolori medetur.Herba cum axungia trita strumas discutit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,ἀπαρίνη. Latinè,Aparine. Officinis & Herbarijs Aspergula.alijs Ruella.
Germanis,Klebkraut/Liebegeng. Gallis Grateron,dicitur.

Ramosa est herba,quadrangula,ex interuallis orbiculato foliorum ambitu,& ueluti stellatim decussato, ut in rubia.Flos albus,semen durum,rotundum,concauum,album,umbilici figura.Omphalocarpon inde dici putatur Dioscoridi,ab umbilici similitudine,quam semen præfert. Et philanthropos à nonnullis dicta (quia uelut amici solent) commeantium lacinijs adhæreat. Hippocrates,ut Galenus putat,philynon & philyterion appellat,&c.

Alyssum. Caput LXXXVII.



ALysson fruticosa herbula est,unicaulis,subaspera,rotundis foliis: fructu duplicium scutorum effigie,in quo est semen quadantenus latum:in montibus & asperis locis emicat.Eius decoctum singultus sine febri, potu discutit. idem efficit si quis eam aut teneat,aut oloretur:cum melle trita,uitia cutis in facie,& lentigines emendat:contusa in edulio,rabiei canis medetur putatur.domibus appensa salutaris esse creditur,& hominibusatq; animalibus fascini amuletum.purpureo linteo circumligata,pecorum morbos abigit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,ἄλυσσον. Latinè,Alyssum. Officinis & Herbarijs mater sylua.
Germanis,Waldtmeyster/Waldtmännlin. Gallis Rubea minor.

Alysson Plinio dictat à rubea,foliis tantùm ramisq; minoribus quippe nomen accepit,quod emorsos à cane rabiem sentire non patitur potum ex aceto alligatumq; In montibus & asperis emicat, inuenitur etiam in pratis,locis humidis & opacis. Dioscoridis uerò Alysson propius accedere uidetur ad eam,quam rusticam cannabim uocant Herbarij.Siquidem fruticosa herbula est,unicaulis,foliis per initia satis rotundis,ubi adoleuit oblongis,& per ambitum leuiter serratis,fructu duplicium scutorum effigie,in quo est semen quadantenus latum, in montibus & asperis emicat: inuenitur quoq; in pratis frequenter.

B

Asclepias. Cap. LXXXVIII.



ASclepias,ramos emittit longos: folia hederæ, longa: radices numerosas,tenues,odoratas.floris uirus graue.semen securidacæ,nascitur in montibus.Radices ex uino potæ torminibus auxiliantur, & contra serpentium ictus. Folia aduersus uuluæ mammarumq; ulcera,quæ cacoëthe uocant,illinuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,ἀσκλήπιας.
Latinè,Asclepias.
Officinis Vincetoxicum.Hirundinaria.
Germanis,Schwalbenwurtz.
Gallis Hederalis apud aliquos,appellatur.

Recentiores radice eius magna efficacia ad mensium prouocationem utuntur,& ad rabidi canis morsum, uenenisq; potenter resistere affirmant. Vnde etiã haud temerè uictrix toxici ab ijsdem appellata est. Hydropicis etiam radicẽ in uino maceratam & subinde coctã,mirificè auxiliari tradunt.Flores præterea foliaq; siccata, mox trita, uulneribus utiliter inspergi aiunt.Sordida enim ulcera purgat,& ad cicatricem perducit, genitaliumq; uitijs & rupturis egregiè mederi docent. Quæ in uniuersum

omnes facultates cum ijs quas Asclepias obtinet, pulchrè quadrant, ut eandem esse Hirundinariam Officinis, Germanis uerò Schwalbenwurtz uocatam herbam, nullus deinceps dubitare debeat. A

Atractylis. Caput LXXXIX.



ATractylis, spina est cnico similis, folia multò lõgiora ferens in summis uirgis, magna parte nuda, asperaq; qua fœminæ pro fusis utuntur. capitula in cacumine spinis horrent. flos luteus: quibusdam in locis purpureus inuenitur. radix tenuis, superua cua. Coma, semen & folia cum pipere & uino teruntur utilissimè contra scorpionum ictus. percussos tradunt quàmdiu ea teneatur herba, nullũ experiri dolorem, ipsumq; deposita statim recrudescere.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ατρακτυλὶς ἑτέρα.
Latinè, Atractylis alter.
Officinis Carduus benedictus.
Germanis, Carden benedicten.
Gallis Chardon benoyt.

Carduus à nostris benedictus, ob singularem plãtæ totius amarissimæ facultatem aduersus pestilentes, putresq; alios affectus. præterea contra serpentium & scorpionum morsus ualere omnibus in confesso est. Reiectiones contra capitis uehementissimos dolores, uertignem, memoriam amissam, in cibi aut potu sumptum ualere tradunt. Idem ad putrescentia ulcera, mammarum potissimum, si in puluerem redactus inspergatur. B

Polycnemum. Caput XC.

POlycnemon, frutex est surculosus, foliis origani: caule, ut pulegij, geniculis multis intercepto, sine umbella. tenui tamen in cacumine corymbo, boni odoris & acris. Vulneribus agglutinandis recens, aut aridum cum aqua, efficaciter illinitur: sed quinto die solui debet. ad urinæ stillicidia ruptaq;, cum uino bibitur.

Hæc herba hodie incognita adhuc, Plinio cunilæ bubalæ appingitur similis, semine pulegij, surculosa, multis geniculis, corymbo odorato, acri & dulci odore, quæ ferro factis uulneribus commanducata imponitur, quinto die soluitur.

Clinopodium. Cap. XCI.

CLinopodion frutex est foliis serpyllo similis, surculosus, duum dodrantum altitudine. nascitur in petrosis. flores, marrubij modo, ex interuallis distincti speciem lectipedum præbent. Bibitur herba & succi eius decoctum, ad conuulsa, rupta, strangurias, serpentium ictus. menses & partus pellit. & pensiles uerrucas, quas acrochordonas uocant, eijcit, aliquot diebus potum. aluum sistit decoctum ad tertias, potumq;, si febrim sentiunt, ex aqua, alioquin ex uino.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κλινοπόδιον. Latinè, Clinopodium, Herba orbiculata.
Officinis pulegium montanum, lecti pes.
Germanis, Wirbeldost, dicitur.
Foliis est serpylli, floribus per interualla surculos coronantibus, ut in marrubio, altitudine ferè pedali, passim in Saxonia in petrosis nascens.

Leontope-

A

Leontopetalum. Caput XCII.

LEontopetalon caulem emittit dodrantalem, aut altiorem, plurimis aliscauum, & in cacumine semina parua duo aut tria, in siliquis, ciceris modo: flores anemonæ similes, punicei coloris: folia brassicæ, sed papaueris diuisura: radicibus nigris, rapæ similibus, strumosis. nascitur in aruis & segetibus. Radix auxiliatur serpentium ictibus, ex uino pota, nec alia res celerius dolorem finit. miscetur ischiadicorum clysteribus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Leontopetalon Italia papauerculum, & leoninum semen appellat, caule semipedali, aut etiam maiore, alis numeroso, quarum cacumine in siliqua semina ciceris modo bina ternaq; continentur, flore punicco, simili anemones, folio brassicæ, diuiso, papaueris forma, radix nigra similis rapæ, strumosa, tuberculis quibusdam cum nodis articulorum eminentibus: nascitur in aruis frumentario agro. Pata leonis Officinis & Herbarijs, Germanis Lewentapp/Lewentatz. Gallis pate de lyon, dicitur.

Teucrium. Caput XCIII.

Veronica, Ehrenpreiß.





B

TEucrium, siue ut alijs placet, teucris, herba est uirgæ referens effigiem, trisaginis similitudine, tenui folio, non multum à cicere alieno. hæc in Cilicia iuxta Gentiadem Cissademq; ubertim prouenit. Recens cum posca, aut aridæ feruefactæ ius, potu lienem potenter absumit. lienosis cum aceto & ficis illinitur. item serpentium morsibus ex aceto solo, sine ficis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Τεύκριον. Latinè, Teucrium. Officinis incognitum.

Germanis, Groß Bathengel/Groß Chamedren/& Bommertrost/quasi mœroris solatium.


Teucrium uocatum est Græcis pariter & Latinis, quòd Teucer, Aiacis frater, hoc inuenerit, ut Plinius refert, (De Hemionitide, quam Teucer quoq; inuenit, & ideo Teucrion cognominata, scribendum alibi nobis erit) Recentioribus planè uulneraria herba est, uino incocta & epota. Hieronymus Tragus, uir in re herbaria exercitatissimus fide dignissimusq;, aliam herbam Herbarijs & Officinis Veronicam, Germanis uerò Ehrenpreiß/appellatam, uerum esse Teucrion Dioscoridis scribit, quæ sua descriptione Teucrij faciem, non malè exprimit, sed nihil definio, eruditioribus iudicium in hac relinquens. Hæc mirificè ad cruenta ac uetera uulnera & ulcera sananda confert.

Scabie

Scabiei denique et omnibus cutis uitijs medetur. Tumores etiam in quacunq; parte corporis fuerint, potissimùm autem in ceruice, discutere potest. Recentiores huius usum unicè commendant in febribus pestilentialibus, iecoris & lienis obstructionibus, potißimùm ucrò pulmonis exulcerationibus. Ob mirificam sanandi ulcera & uulnera facultatem, Germani Grundtheyl uocant. A

Trixago. Caput XCIIII.

Vera Chamædrys, mas.



Vera Chamædrys, fœmina.

B

a Chamæ rops.

CHamædrys Græcis, alijs Chamædrops*: Latinis Trixago dicitur. sunt qui eam teucrion appellauere, propter eam quam cum teucrio seruat similitudinem. Nascitur in petrosis & asperis. frutex dodrantalis, folia habens exigua, amara, effigie & diuisura quercus: flore paruo, penè purpureo. Carpitur semine prægnans. Recens in aqua decocta, potu tussibus, indurato lieni, urinæ difficultati, incipienti bus hydropicis, auxiliatur. cit menses. partus extrahit. lienem ex aceto pota consumit. aduersus serpentium uenena ex uino, potu illituq; efficacissima, trita digeritur in pastillos ad supradicta. purgat ulcera, cum melle, cum oleo illita, caliginem oculorum discutit. natura eius est calfacere.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Χαμαίδρυς. Latinè, Chamædrys, Trixago.
Officinis corruptè Chamædreos, quercula, serratula.
Germanis, Kleyn Bethonien/ Gamander/ Blamander.
Gallis petit chesne, gelimandri.
Chamædrys, id est, quercula, amara, subacris, calida sicca tertio gradu, subcalidior paulò quàm siccior. Ex Creta (quæ nunc Candia) Cæsari adferebatur ad theriaces compositionem, tamen ubiq; nascitur, etiam in Romæ suburbijs, odore & gustu quàm Cretica uehementior, præsertim si multo imbre non fuerit irrorata, quamuis hac campestris sit melior. Prægnans semine cum Dioscoride, aut succo cum Plinio, aut etiam flore cum Galeno carpitur.

Leucas. Caput XCV.

LEucas montana, latioribus quàm urbana foliis, semine acriore, amariore, ori ingrato, efficacior tamen quàm satiua habetur. Vtraq; ex uino contra animalium uenena, præcipuè marinorum opitulatur.

Leucas,

A Leucas, cui eadem Leuce uidetur, hodie incognita. In quo genere apparet grandior, quæ in ſyluis emittit triplicem ruſticam Herbarij uocant.

Lychnis. Caput XCVI.

Herba Tunica, Donderneglin.

Bethonica coronaria. Graßblům.

Superbia. Můtwillen.



B

LYchnis coronaria, flore eſt albæ uiolæ ſimili, quo corollæ factitantur. Contra ſcorpionum ictus ſemen in uino potum auxiliatur. Lychnis ſylueſtris, omnia urbanæ ſimilis. Bilem per aluum detrahit, ſemine duabus drachmis poto. ictis à ſcorpione ſubuenit. Aiunt huius herbæ appoſitu ſcorpiones torpeſcere, & inertes prorſus reddi.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Λυχνὶς στεφανωμαλικὴ.

Latinè, Lychnis coronaria, Gaza lucernulam uocat, Plinius Roſam Græcam, uel Græculam.

Officinis herba Tunica.

Germanis, Donderneglin/Wild neglin/Feldneglin/Blůtströpfflin.

Gallis Giroffles ſauuages, dicitur.

Folia habet porracea, oblonga, ſtamine quo medium diuiditur punicco, ac rubente, cum recto calamo triangulo, floribus in uertice purpureis, albæ uiolæ ſimilibus. Huic non abſimilis eſt ea, quæ uulgo Betonica coronaria, Germanis Negelblům/Graßblům. Item alia, iiſdem Můtwillen/Hochmůt/hoc eſt, Superbia uocata. Sylueſtris lychnis meminit Hermolaus in corollario, in herba Lychene, ſibi tamen ignotæ. Eam Venetijs hepaticæ nomine in littoribus paſſim naſci ſcribit, olitorio foro iciuniorum tempore, quo naſcitur, uenalem, hederaceo ferè folio, flore purpureo, lilij puſilli effigie. Conuoluit herba ſeſe quibus appropinquat. Ciet aluum cocta & cruda, oleris modo accepta. Hæc Hermolai uerba Lychnin eandem eſſe liquidò conſtantur. Plinius quodam loco Lychnin flammeam cognominat, & omnino ea uidetur eſſe, quam Germani uocant

Lychnis coronaria,
Mergenröſslin/Frawenröſslin.



uocant Frawenröſslin/flore albæ uiolæ ſimili, inodoro, nec niſi coloris gratia coronamentis additus. Nam æſtiuus is flos, cauliculis incanis, calice quadrangulo, purpureo flore, betonicæ altilis, aculeatis apicibus, foliis circa terram frequẽtibus, ſemipedali longitudine, ſeſquiunciali latitudine, mollibus ac lanuginoſis, radice numeroſo capillitio fibrata: hanc ego potius Lychnin coronariam ſatiuam, ſeu hortulanam crediderim, quamuis & altera ſuperius deſcripta, à legitima delineatione non longè abſcedat. A

Lilium. Cap. XCVII.

LIlia coronamentis ſe dedunt, Liria à quibuſdam uocata. E quibus unguentum temperatur, quod aliqui lirinum, alij ſuſinum appellant, neruos & priuatim uuluæ duricias emolliens. Folia herbæ illita contra ſerpentium ictus auxiliantur. feruefacta, ambuſtis proficiunt. aceto condita uulneribus opitulãtur. Succus adiecto melle aut aceto, in æreo uaſe coquitur, conuenienti medicamento uetuſtati ulcerum, & ad recentia uulnera. Inaſſata radix & ex roſaceo trita, igni ambuſta ſanat. uuluam emollit. menſes ciet. ulcera cicatrice obducit. cum melle detrita neruis præciſis, luxatiſq; medetur. uitiligines, furfures & le- B

Lilium album. Lilium rubens.



pras emendat, ulceraq; in capite manantia expurgat. abſtergit faciem & erugat. teritur in aceto cum hyoſcyami foliis, & farina tritici, mulcendis teſtium inflammationibus. Semen potum morſibus ſerpentium aduerſatur. ignibus ſacris ſemen & folia cum uino illinuntur. Tradunt & rubra eſſe Lilia. In Syria autem & Piſidia Pamphyliæ, efficaciſsima unguentis naſcuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κρίνον. Latinè, Lilium, Iunonia Roſa.
Officinis genuinum nomen retinuit.
Germanis, Gilgen/Lilgen.
Gallis Fleur de lis, lyß, dicitur.
Lilium uerò rubens apud nos frequens, flore tantùm ab albo diuerſum, aliàs ſimile, Græcis Κρίνον ἐρυθρον, Germanis Rot Lilgen/Gallis Rouge lyß, appellatur.
Lilij radix terget primo ordine, digerit moderatè, emollit, menſes ciet, uulnera glutinat, etiam in capitibus muſculorum cum melle miſta. Eadem præſtat folium, ſed imbecillius. Flos uerò ſubſtantia conſtat miſta ex tenui

Gal. lib. 7. ſimp.

A & terrea, & aquea: coctus ex oleo mollit, & citra morsum digerit &c. Plura Lilij genera uide apud Theophrastum, cum nostris in eundem annotationibus.

Ballote. Caput XCVIII.



B Ballote, nomine alio nigrum Marrubium uocat. caules edit quadrangulos, nigros, subhirsutos, cū pluresex una radice: folijs maioribus quàm marrubij, hispidis, intercedente spacio, subrotundis, graueolentibus, apiastro proximis: unde aliqui apiastrum eam uocauerunt. candidi flores uniuersi uerticillato ambitu caulem coronant. Vis eius efficax aduersus canis morsus, folijs ex sale illitis. feruenti cinere flaccescunt folia, ut condylomata reprimant. purgant & sordida ulcera cum melle.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Βαλλωτὴ. Latinè, Ballote, Marrubiastrum.

Officinis Marrubium nigrum.

Germanis, Schwartz Andorn.

Brabantis, stinckend Maltroue dicitur.

Ballotem alio nomine melanprason Græcis appellari Plinius tradit, herbam fruticosam, angulosis caulibus, nigris, hirsutis, folijs uesticentibus, maioribus quàm porri, & nigrioribus, graueolentibus. Sed deceptum hîc Plinium constat similitudine nominum, prason pro prasion legentē: nam Marrubio folia sunt non porri, sed Marrubij albi, aut apiastri.

Apiastrum. Cap. XCIX.

Melissa. Citrago.



Apiastrum.



Melissophyllon

MElissophyllon siue Melittæna, id est, Apiastrũ, id sibi nomen usurpauit, quoniam apes ipsa herba delectantur. cauliculi & folia ballotæ, de qua paulò antè diximus, similia essent, nisi maiora, tenuioraq; nec ita hirsuta spectarentur. citreũ malum olent. Folia cum uino pota aut illita prosunt contra ictus phalangiorũ, scorpionumq; . item aduersus canis morsum. decocto eorundem gratia, foueri prodest. desessionibus fœminarum ad ciundos menses conuenit . dentes eodem in dolore colluuntur. dysentericis infunditur. Fungorum strangulationibus folia, addito nitro, potu auxiliãtur: torminibus & orthopnoicis, delinctu illita cum sale strumas discutiunt. ulcera purgant. articularios dolores illita sedant. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Μελισσόφυλλον. Latinè, Melissophyllum, Citrago.
Officinis Melissa. Germanis, Mütterkraut/Wantzenkraut/Wandtleußkraut.
Gallis De la Melisse, poncirade.

Duo Melissophylli genera exhibemus depicta. Vnum passim in hortis colitur, Alterum nascitur in syluis, odore multo, suauiori: hoc genus uerè Melissophyllon, id est, apum folium, quòd herba hac, præsertim florente, apes plurimùm gaudeant, unde Apiastrum Latinis dicitur: alterum uerò à citri odore Citrago. Folia & cauliculi syluestris Melissophylli (quia in syluestribus nascitur) Balloti seu Marrubio nigro similia sunt, maiora tamen & tenuiora, nec ita hirsuta, iam etiam in hortis seri cœpit.

Melissophyllon uiribus est Marrubio simile, sed imbecillius, ob id etiam usu rarius. Gal. lib. 7. simp.

Marrubium. Caput C.



MArrubium, frutex est ab radice ramosus, cãdicans, subhirsutus, quadrangularibus ramis, folium pollicem æquat, subrotundum, hispidum, rugosum, gustu amaro, semen in caulibus, & ex interuallis. flores uerticillato ambitu, asperi. Nascitur propter ædificia, ruinas, & rudera. huius folia sicca, cum semine decocta in aqua, aut uiridium succus datur cum melle suspiriosis, tussientibus, & ad tabitudinem redactis. crassam è pectore pituitam, cum sicca iri eijcit. mulieribus à partu nõ purgatis datur, ut menstrua & secundas extrahat. item in difficili partu, & his qui uenena hauserũt, aut à serpentibus demorsi sunt. uesicam renesq; lædit. Folia cum melle illinuntur sordidis ulceribus purgandis. pterygia nomasq; sistunt. laterum dolores mitigant. Succus foliis contusis expressus, & sole coactus, ad eadem pollet. cum uino & melle illitus, oculorum claritatem adiuuat. naribus regium morbum expurgat. aurium doloribus conuenienter instillatur, per se aut cum rosaceo. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Πράσιον.
Latinè, Marrubium.
Officinis Marrubium album, Prasium album.
Germanis, Andorn/Gotts vergeß/Lungenkraut.
Brabantis, Malroue. Gallis Du marrubium dicitur.

Marrubium seu prasium album, sapore amaro, calidum ordine secundo, siccum tertio: lienis & hepatis obstructiones soluit, pulmonem & thoracem purgat, menses ciet, admotum terget, digerit, & cum melle oculorum aciem claram reddit.

Marrubium nascitur circa domicilia collapsa, & inter rudera. Colligitur herba in æstate Iunio & Iulio potissimùm mense, dum semine est prægnans.

Theophrastus duplex genus constituit. Vnum folio herbaceo, & incisuris altioribus serrato, unguentarijs, ut idem ait, ad quædam quæsita: huius picturam suprà exhibuimus. Alterum folio rotundiore, uehementer

A ſqualido, ut ſaluia, & obſcurius ſerrato: hoc candidum interpretor, de hoc capite præſenti agit Dioſcorides.

Stachys. Caput CI.



B

STachys frutex eſt marrubio ſimilis, ſed longior: folia ferens numeroſa, hirſuta, rara, prædura, cana, odoris iucundi, & complures uirgas ab radice exeuntes, marrubio candidiores. naſcitur in montibus & aſperis. Vim habet excalfactoriam & acrem. foliorum decoctum potu pellit menſtrua & ſecundas.

NOMINA ET explicatio.

Græcè, Στάχυς.
Latinè, Stachys.
Officinis nomen nullum inuenit.
Germa. Riechender ſtinckender Andorn.
Gallis ſaluia mollis appellatur.

Stachys marrubio ſimilis, paulò tamen longioribus foliis, pluribuſq;, modicè hirſutis duriſq; iucundi odoris: uirgulis ab una radice pluribus, quàm marrubij candidioribus: montes & aſpera diligit. Stachys guſtu acri & amaro eſt, tertijq; ordinis excalfacientium.

Phyllitis. Cap. CII.



PHyllitis, folia promit rumici ſimilia, longiora, & uiridiora, ſena aut ſeptena, recta, quæ parte anteriore læuia cernuntur, à tergo autem penſiles, quaſi uermiculos tenues oſtendunt. in umbroſis & opacis hortorum locis emicat, guſtu acerbo. neque caulem, neque florem, neque ſemen profert. Folia in uino pota ſerpentium morſibus aduerſantur. quadrupedibus per os infuſa auxilio ſunt. & ſi dyſenteria aut reſoluta aluus exercet, potui datur.

Phyllitis, Euritio Cordo, quã uulgus linguam Ceruinam dicit eſſe, uiſa eſt. Ruellius uerò Hemionium linguam cerui facit, cui Geſnerus ſubſcribit: ſed de hac re copioſius in annotationibus noſtris in cap. 128.

Phalangium. Caput CIII.

PHalangium à quibuſdam phalangites uocatur. ramuli ſunt ei duo, aut tres, plures ſue, in diuerſa tendentes: flos candidus, lilio ſimilis, multas inciſuras habes. ſemine nigro, lato, ad lenticulæ dimidiatæ figuram, multo tenuiore. radice parua, tenui, herbacei coloris dum à terra eruitur. prouenit in collibus. Huius folia, ſemen, flos cum uino pota, auxiliantur, contra ſcorpionum phalangiorumq; ictus. tormina quoq; diſcutiunt.

Trifolium.

Phalangium uel Phalangitis, herba hodie incognita.

Trifolium. Cap. CIIII. A

TRifolium, Græci Triphyllon, aliꝭ oxytriphyllon, aliꝭ menyanthes, aliꝭ aſphaltion uocant. frutex ſupra cubiti altitudinem attollitur, uirgas habens tenues, iunceas & nigras, unde ramulares enaſcuntur appendiculæ, in quibus terna ſingulis germinationibus exeunt folia, loto arbori ſimillia. iꝭs recenter enatis rutæ odor ineſt: ubi autẽ adoleuerũt, bitumen olent. florem ædit purpureum, ſemen quadantenus latum, ſubhirſutum, ex altera extremitate exertum, antennæ modo corniculum gerens. radix tenuis, longa, ualida. Semen & folia in aqua pota pleuriticis, urinæ difficultati, comitialibus, & iꝭs qui aquæ inter cutem principia ſentiunt, fœminis quoq; uuluæ uitio opportunis, auxiliantur. menſes ciunt. ternæ drachmæ è ſemine dari debent, è foliꝭs uerò quaternæ. Contra ſerpentium ictus trita folia, & ex aceto mulſo pota, præſidio ſunt. Tradunt aliqui, totius fruticis, radicis, foliorumq; decoctũ fotu dolores eorum finire, quos ſerpentes percuſſerint. qua autem aqua ſanatus quis fuerit, ſi ea quiſpiam alius foueatur, qui ulcus habuerit, perinde afficitur ut à ſerpente demorſus. Quidam terna folia aut ſemina in tertianis, cum uino potui dedere. & in quartanis, quaterna, ut quæ febrium circuitus diſcuterent. Radix antidotis inſeritur.



Album.

Luteum.



Purpureum.

B





NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Τριφυλλον. Latinè, Trifolium odoratum. Officinis inuſitatum. Brabantic, Clauerer.

A Germanis, Siben gezeyt/propterea quòd singulis diebus septies odorem (ut aiunt) suum habeat, & tot ies etiam amittat, quamdiu in horto creuerit. Decerptum autem & exiccatum, odorem suum perpetuò reti uet. Qui certè pluuiosa temporis constitutione, ac tempestate instãte multò uehementior, sic sanè ut totas e-

Oxytriphyllon.



des, in quibus herba reposita est, odore suo cõpleat. Videtur autem uera esse Iotus urbana, de qua infrà lib. 4. cap. 96. Potest etiam imitatione Latina commodissimè adpellari Wolriechender Klee. Sponte sua in Germania non prouenit, satum uerò nulla difficultate prodit. Calidum est & siccum in tertio ordine. Debet autẽ huius trifolij odorati usus esse subinde in omnibus Officinis, quòd mirificè aduersetur uenenis, & ad ulcera malefica sanãda perquàm utile sit. Cæterùm adhuc tria apud nos passim in pratis prouenientia cernuntur trifolij genera: quorũ primum à floribus purpureis, Trifolium pratense purpureum, Germanicè Brauner Wisenklee / Braun Fleyschblûmen. Gallicè Treuffle incarnat: alterum itidem à floribus suis candidis Trifolium pratense album, Germanis Weiß Wisenklee/Weiß Fleyschblûmen. Gallis Treuffle blanc: & tertium luteum, Germanicè Geel Wisenklee. Gallis treuffle iaulne appellatur. Quod ad folia ipsa attinet, non admodum differunt: quoduis enim horum generum tribus constat foliis, quæ in primo sunt latiora & herbacea, in secundo autem longiora & angustiora, magisq; pallescentia candicantiáue: in tertio sunt parua & rotunda, adq; fœnigræci folia accedẽtia. Adstrictoriæ cuiusdam qualitatis seu uim in gustu præ se ferunt, non tamen multum admodum, nihilominus sunt tenuium partium, et exiccatoriæ, quandoquidem etiam exigua acrimonia prædita uidentur. Trifolium acutum, quod oxytriphyllon appellatur (ut Scribonius Largus scriptum reliquit) nascitur in Sicilia plantatum. nam Italiæ regionibus nunquam eã uidit herbam, nisi in Luciæ portu, cùm Britanniam peteret cum Claudio Cæsare. Quod uerò apud nos oxys siue oxytriphyllon dicitur, Officinæ, Herbarij panẽ cuculi & alleluia, uoce barbara uocant. Germani Gauchbrot/Saurklee/Büchampffer/Hasenampffer/Gauchklee/appellant, humile, longis tantùm pedicu-

B lis, trifolium præferens acetoso sapore. flore candido, ruso in lunatis siliquis fœtu, radice in transuersum longa & fruticosa. Hoc in acetarijs utuntur iucundo sapore, id quod ab acido sapore Plinio oxys dicitur. folia habet lenta, unde illi trifolij nomen apud Germa. Officinis.

Polium. Caput CV.



DVo genera polij. montanum, cui theutrio nomen est, & cuius est usus. tenuis frutex est, candidus, drantalis, semine refertus: capitulò in cacumine quandã corymborum speciem præ se ferente. paruo, canis homi nis simili, grauiter olente, non sine quadam suauitate. Alterum fruticosius, nõ usq; adeò ualens odore, & uiribus infirmis. Potum feruefacti ius auxiliatur serpẽtium ictibus, hydropicis, morbo regio, & lienosis ex aceto. stomachum malè habet. caput doloribus afficit. aluum & menses ciet: substratum suffitúmue serpentes abigit. uulnera conglutinat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Polium montanum, quod odore effectuq; præfertur, in Narbonensi prouincia Galliæ frequens, unde ad nos defertur: surculis palmeis, teretibus, canis, per interualla foliatis, thymi carnosiore molliorig; coma, et ea quoq; incana, flosculo pallido, capitellis corymborum effigie, fructu plenis. Huic delineationi adamussim respondet nostrum Germanicum polium, cuius picturam damus. Germa. Ye lenger ye lieber/ weible/ appellatum. Polium astringit & cohibet uulnera, prohibetq; serpere.

Scordium. Caput CVI.

SCordium in montibus & palustribus nascitur, foliis trisaginis, maioribus, non sic in ambitu diuisis, aliquantum allia redolentibus, gustu amaris & astringentibus: quadrangulis caulibus: subrubro flore. Herba uim ex calfactoriam habet: urinam cit. cocta recens, aridáue cum uino, aduersus uenenatos serpentium morsus bibitur.

Scordium.



bitur.ad ſtomachi quoq; roſiones,dyſenteriam,& urinæ difficultatem,binis drach.cum hydromelite.craſſamen purulentum pectore expellit. facit aridę farina ad ueterem tuſsim,rupta,conuulſa,ſi cum naſturtio, melle & reſina miſceatur in eclegmate.inflãmata modicè* prę cordia,cerato excepta, recreat. cũ aceto acri aut aqua, podagris conuenienter illinitur. menſes impoſita mouet.uulnera conglutinat.uetera ulcera purgat,& ex melle cicatricem perducit.ſicca excreſcentias in carne cohibet.Succus ad eadem uicia bibitur. Inter prima efficax Ponticum natione,Creticumq;. A * dudum

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σκόρδιον. Latinè, Scordium. Trixago paluſtris. Officinis longo tempore incognitum.

Germanis alluſione quadam ad Romanam appellationem, Waſſerbateng / Knoblauchskraut / & Waſſer chamedren / Lachenknoblauch. Gallis Chamaraz, uoce à chamædryos ſimilitudine deflexa appellatur: hanc, ut permulta alia, Valerius Cordus, doctiſsimus in uenis, et reſtaurãda priſca medicina ſtrenuus indagator, primus, nullo demonſtrãte, in Germania noſtra inuenit. Scordium autem ab odore et acrimonia ſcorodi, id eſt, allij dictum eſt: ſubamarum, acre, acerbum, calfacit, purgatq; uiſcera, obſtructiones liberat, urinas & menſes mouet: uiride magna uulnera glutinat: ſiccum autem ſordida purgat, contumacia cicatrice tegit. Optimum ex Creta petitur, quale etiam Andromachus minor ſuæ theriacæ miſcet: non malum tamen in alijs regionibus poſsis inuenire. Putriferis animalium uenenis & pharmacis deleterijs ſuccurrit. Quæ uis eius inde eſt coniectata, quòd quæ in bello occiſa fuerant corpora, diuq; inſepulta ſuper Scordium iacuerunt, minus putria ſunt inuenta, quòd à uiris quibuſdam fide dignis acceptum tradit Galen. lib. 1. antid. Nobis hodie in Germania locis riguis eſt largiſsimum uerum ſcordium, Valerio Cordo, ut diximus, primo demonſtrante. B

Allearia.



Falſi ſunt hactenus Officinæ & Herbarij, qui Scordion eſſe putauerunt herbam cubitali proceritate, fõlijs urticæ, parcius fimbriatis, à pediculo latioribus, allij cùm teruntur odoratu, floſculo lacteo, exili in pelliculis ſemine, radice oblonga, eiuſdem cum fõlijs odoris, ideo alliariæ nomen ſibi uendicauit. Germani uerò Knoblauchkraut / Lauchſunder lauch / hoc eſt, allium ſine allio uocant. ſed hæc eſt tereti cauliculo, illa quadrato: huic flos candicat, illi ſubrubet: huic fõlia urticæ fimbriata, chamædryos ſiue trixaginis querna, quæ olfactu ſuboleant allia.

Tuſsilago. Cap. CVII.

TVſsilagini folia ſunt maiuſcula quàm hederæ, ſex aut ſeptem à radice, ſubalbida à terra, ſupernè uirentia, in plures angulos exeuntia. caulis palmum altus, flos luteus in uere, flore & caule confeſtim exuitur: inde nonnulli his uacare exiſtimauerunt. radix tenuis eſt & ſuperuacua. naſcitur in amœnis & riguis. Folia ex melle trita igni ſacro & omnibus inflammationibus illitu medentur. aridæ fumus per infundibulum hianti ore raptus, hos ſanat qui ſicca tuſſi atq; orthopnœa

A



infestãtur. pectoris uomicas rumpit. Eundem effectum præbet suffita radix. decocta in hydromelite, & pota, emortuos partus eijcit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Βήχιον. Latinè, Tußilago, Bechium. Officinis Vngula caballina. alijs farfara, nonnullis populago. Germanis, Roßhůb/ Brandtlattich/ Eselshůb/ Hůfflattich. Brabantis, Perts clauwe. Gallis pas d' asne: & in montibus supra lacum Lemannum, taconnette dicitur.


Plinius hanc aliter atq; Dioscorides describit, folia citri buens maiuscula quàm hederæ quinq; aut septem, sublata à terrà, supernè pallida, sine caule, sine flore, sine semine, radice tenui. Quidam eandem esse bechiõ & alio nomine chamæleuten putant. Sed hîc obseruandum diligenter, caulem & flores Tußilaginis esse fugacißimos, iißq; enatis breui uigor uitaq; durat, longißimaq; mora (quantum mihi licuit deprehendere) biduum, post quod illico tempus flaccescentes euanescunt, & caduci marcent. Quare non nißi ijs, qui ucre medio sese fortuna ferunt obuiam, & flos & caulis ecr nitur: namq; die uno locum uniuersum caule & floribus pubescere uidebis, postridie prorsus eos concubuisse, frondeq; sola uirescere. quapropter sine caule & floribus nasci plerisq;, qui tam citam caulis iacturam non conspexerunt, creditum est.

Artemisia. Cap. CVIII.

Tanacetum, Tagetes.

B

Rot Buck. Weiß Buck.



Artemisia

ARtemisia magna ex parte in maritimis nascitur, absinthij modo fruticosa, ma A
ioribus & pinguioribus foliis, ramisq; huius quidem genera duo: unum læ-
tius habitiusq;, folijs uirgisq; latioribus alterum tenuius, flore paruo, tenui, candi-
do, graueolente æstate floret. Sunt qui in mediterraneis unicaulis nomine appel-
lent, tenuem herbulam, simplici caule & minuto, floribus scatente, flauo colore hæc
iucundiorem quàm præcedens efflat odorem. Vtraq; excalfacit, extenuat. feruefa-
ctæ conuenienter in mulierbres defessus adijciuntur, ad detrahendos menses, par-
tus, secundasq; : item ad præclusiones uuluæ, & eiusdem inflammationes. calculos
comminuunt remoratam urinam cient. menses pellent pubi illitæ. Succus uuluę in-
ditus ex myrrha, eadem quæ insessio trahit. Coma tribus drachmis eorundem edu
cendorum gratia bibitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ἀρτεμισία. Latinè, Artemisia. Officinis Latinum nomen seruauit.
Germanus, Beifůß. Rot oder weiß Buck. S. Johans gürtel. Gallis Armoise dicitur.

Nuncupata autẽ est artemisia herba, ut aliqui uolunt, ab Artemisia Mausoli regis coniuge, quæ ipsam ado
ptando cognominem sibi feci, in herbæ & nominis & gloriæ suæ memoriam et monumentum naturæ æquæ-
uum ad posteros transmitteret. Siue ut alij uolunt, non ab hoc, sed à Diana, quæ Græcè artemis di ebatur,
nomen hoc adepta est, eò quòd ipsa primò eam reperisse & uirtutes eius demonstrasse dicitur Et quemadmo
dum prægnantibus & parturientibus, ut fœtum sine aliqua interiorum locorum noxa facilè in lucem edere
liceret, auxilio & adiumento esse credebatur dea illa uotis & precibus inuocata: sic etiam eiusdem deæ be-
neficio idem præstat hæc herba, & fœminarum malis, menses, secundas, fœtusq; trahendo, & matricis con
clusiones inflammationesq; sanando, priuatim medetur. Arthemisia alia monoclonos est, alia policlonos, Ger
mani tantummodo colore distinguunt, hanc Rot buck oder Beifůß/ alteram Weiß buck oder Beifůß/
appellantes hodie quidam & tertium artemisiæ genus addunt, id simplici caule consurgit, folijs minutim scis-
sis, colore subpallido, flore luteo, odore non ingrato, gustu amaro hæc Officinis Athanasia, quòd immortali
flore nec citò marcescente fastigietur, alijs tanacetum, Ger
manus Reinfarn dicitur. Flores copiosi erũpunt cùm uua
matureſcit, mediis anthemidis floribus nõ dissimiles. coman- B
tibus auri fulgore bullis, ideo diligenter ad hybernas reser-
uantur corollas.

Ambrosia.



Ambrosia. Cap. CIX.

AMbrosia tenuis frutex est, ramosus, tri-
um ferè palmorum: foliis ruræ, circa
imum caulem exiguis: cauliculi semi-
nibus. perinde quasi racemulis grauidi, qui nunquã
florem pariunt, odore uinoso, suaui: radice
tenui, sesquipedali. Coronantur ea Cappa-
doces Vis eius reprimere ac repellere, & illi-
tu adstringere humores. qui in aliquam par-
tem incun bunt.

Non est Ambrosia, quæ ab Officinis ita & Herbarijs de
monstratur, ramis exilibus, patulis, folio nepetæ, multo rutæ
aut sanguinariæ longiore ac maiore, in quorum cacumini-
bus corymbi dependent, nigro semine, radice cubitali, sub-
albida, radiculæ, hoc est, struthio simili: inuenitur in monta
sis ac macris. Inuentur autem apud nos uel copiosa inter
exiles & madidas segetes, qua mulieres se coronant, ut in-
solata diu capita iucundo & uinoso simul odore recreent,
& sic frondosa coma sese uindicent ab æstu. Pueris rusti-
cis optimè cognita, qui uertices racemosos lanugine molli
per initia uestitos, minones uocant. Vinosa herba rusti-
cis dicitur. Audio à quibusdam uinaceam rutam, Germa-
nicè Weinrauten / Welch Weinrauten / quòd folio
rutam, & odore uinum imitetur, nominari. Siquidem

A ea dodrantali assurgit frutice, ramoso, foliis rutaceis, circa imum caulem minoribus. cauliculi seminibus racematim collectis grauidi nunquam florem pariunt, fœtu in uertice racemoso & odore uinoso, radice tenui, nec sesquipalmo longiore. Superior longa radice nititur, hæc breui: illa floret, hæc minimè: illa ramis uiget, hæc inualida sese, ut fertur, adminiculis quibuscunq; inuoluit: hæc uinum, illa herbaceum uirus olet.

Botrys. Caput CX.



B

BOtrys fruticosa herba est, lutea tota, & in multas alas sparsa. semen circa totos ramulos prouenit: folia cichorio similia. tota suauem odorem spirat: quare uestimentis interponitur. inuenitur in torrentium ripis, & conuallibus. Pota orthopnœas mulcet. Hanc Cappadoces ambrosiam uocant, alij artemisiam.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Βότρυς. Latinè, Botrys. Officinis ignota.

Germanis, Traubenkraut/ Krottenkraut.

Gallis Pymen, Sabaudis la migraine.

Botrys Parisiensibus matronis, melius quàm Officinis aut Herbarijs noscitur. Hanc odoris gratia, uestimentis, pannis, & linteis curiosè nimirum interponunt, ut odoris suauitatem contrahant. Defertur Augusto & Septembri mense uenalis per urbem, pymen, magno clamore denunciant, portantes corbibus rustici, inde nomen hoc pymen manauit in uulgus. nam hac facie conspicitur: fruticosa herba, luteis ramulis ex interuallo brachiatis, foliis cichorij, odoratis, erumpente passim semine in ramulos collecto, quod per maturitatē gummoso lentore pellucet, coëuntibus fulgore auri simul acinulis, unde nomen Græcis ductū. Pymen, uel potius pygmen uulgò Gallis putauerim nominari, quòd ex se pygmentarij institoris uice faceret unguentū. nam si prægnans suo liquore premeretur, in gummi lentesceret.

Geranium rubrum, quibusdam Behen rubrum.



Geranium. Cap. CXI.

GEranion foliis anemones, diuisuris longioribus: radice subrotunda, cùm estur dulci: Quæ drachmæ pondere in uino pota, uuluæ inflationes discutit.

Geranium alterum, caulibus minutis & pilosis, sesquipedalibus: foliis maluæ: in summis alis sursum spectantia gruum capitula insunt, cum suis rostris, aut canini dentes. Nullius in medicina usus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Duo Geranij Dioscorides tradit genera. Primum quod longioribus rostris, & in mucronem acuminatis constat.

Hoc hodie Officinis & Herbarijs Acus pastoris & Muscata, Germanis uerò Storckenschnabel dicitur.

Alterum, quod maluæ folia habet, Pes coruinus uulgo nominatur, & Officinis Germanicè Kraenfüß/ & Scharfenkraut appellatur: præter hæc duo alia adiecimus genera, inter quæ unum foliis Cherephyllo simile existit, herba Roberti & Robertiana. Gallis de l' herbe au chancre, Germanicè Rüprechts kraut. Brabantis, Oyenaerts beck.

Quartum.

Acus pastoris. A



Herba Roberti. B



Quartum folia obtinens laciniata, Germanicè pro certiori discrimine Kranchhals uocari potest.

Quintum, quòd folia ranunculi habet, Gratia Dei nominatur. Germanicè Gottsgnad.

Sextum, quòd forma quarti generi simillimum est, nec ferè ab illo nisi sola magnitudine foliorum, florum & radicis distat, Germanicè Blůtwurtz, à rubro colore, aut mirifica in sistendo sanguinis profluuio facultate, uocatur.

Omnium folia & radices, primo excepto, cuius radix dulcis est quodammodo, atq; discutiendi adeo ui prædita, adstringunt & siccant.

Gnaphalium. Caput CXII.

GNaphalij folijs mollibus minutisq; pro tomento utuntur. Bibuntur efficaciter folia in uino austero ad dysenteriam.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, γναφάλιον. Latinè, Gnaphalium, tomentum. Officinis Centunculum, centuncularis herba. Germanis, Kůkraut/Wattenflachs/Wisenwollen. Brabantis, Rootmelisoencruyt.

Gnaphalium

A Gnaphalium,
Rürkraut/Mattenflachs.

Linum pratense, Tomentum.
Wisenwollen.



B

Gnaphalium uocata est hæc herba, Galeno autore, à candidis mollibusq; eius fólijs, quibus ἀντὶ γναφαλίου, hoc est, pro tomentis utuntur. Gnaphalia itaq; dicitur quasi tomentitia. Centunculum autem dixerunt, quòd centonibus cũ tomento maxima sit cognatio. Germanicam priorem nomenclaturam ab eius facultate aduersus dysenteriam illi inditã esse, nemini non notum est.

Est & alterum Gnaphalij genus, Linum pratense, siue tomentum uocatum, rotundum iunci genus, in cacumine tenui alba lana, qui flos & semen est: poterit eo usu esse quo Xylon. Confert & uino coctum torminibus uentris.

Typha. Ca. CXIII.



Typha folium ædit cyperidi simile: caulem album, leuem, æquabilem: florem in cacumine ambientem, densum, qui in pappos soluitur, quod paniculam aliqui nominant. Huius herbæ flos, suillo adipe eloto exceptus, ambustis medetur. Gignitur in palustribus & aquis stagnantibus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Τύφη, ἢ τίφη.

Latinè, Typha apud Theophrastum aquaticus frutex, nec radice numerosa cohærens, sine geniculis, & folio scirpi modo prosiliens, Orchamenion circa lacum, parte caudici proxima, esu præcipuè pueris tenera. Sunt qui solius literæ mutatione à cereali typha putent differre, tiphan scribentes. Germanicè, ut Euritius Cordus tradit, Moßkolben/Marrenkolben/Dettelkolben/Leßknospen. Brabantis, Lisdodden. Gallis mache, uel masse, ab similitudine insignis illius clauæ argenteæ, uel aureæ, quæ ante primos magistratus gestatur, dicitur. Namq; in paludibus & stagnantibus aquis erumpit, folio cyperidi proximo, caule alto, leui, plano, enodi, cuius cacumen densa florum congerie stipatur, & ueluti spissa capitatur lanugine, quæ in pappos tandem euanescat. Galli massas appositè dixerunt, quòd sceptra regum, machas uulgo dicta, perpolitus caulis lanosa floccorum densitate summatim fastigiatus æmuletur.

Huius generis arundinis & caricis plura sunt genera, plerunq; acutis

utrinq; cultri modo foliis, flore albo, ueluti cucurbitæ: Quorundam semen in acuta capitella condensatur: quo, unà cum radice, uino cocto, uenati morsus loti, sanantur. Alia absq; flore arenosis locis & montibus proueniunt, duris quasi calamis, rustico usui uariè accommodata.

Sparganion, Ried. Calamagrostis, Carex, Graß. Gramen, Klein Riedgraß.





A

Filipendula.

B



Z

Circæa. Caput CXIIII.

Circæa, quam & dircæam aliqui uocant, foliis est hortensis solani, agnatis crebris: flore nigro, pusillo, copioso: semine milij, nascente in quibusdam ueluti corniculis: radice, triplici fermè aut quadruplici, candida, odorata, excalfaciente. Nascitur in apricis, saxis, & uento perflatis. Radicis tusæ pondo quatuor. in sextarijs tribus uini dulcis, per diem & noctem macerantur, potuq; triduo uuluas expurgãt. Semen in sorbitionibus datum, lacte mammas nutricum explet.

Circæa hodie incognita, fortè à Circe dicta.

Oenanthe. Cap. CXV.

Oenanthe folia habet pastinacæ: florem candidum: caule crassum, palmi altitudine: semen atriplicis: radicem magnam in multa rotunda capitula extuberantem. nascitur in pratis. Caulis eius & folia, cum mulso uino pota, secundas eiciũt. Radix è uino urinæ stillicidio conuenit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, οἰνάνθη πόα. Latinè, Oenanthe herba.

Officinis Filipendula, Saxifraga rubea. Germanis, Rot Steynbrech/dicitur. Oenanthe herba nascitur, ut Plin. ait, in petris, folio pastinacæ, radice magna, nu

A meroſa. Caulis eius & folia cum melle ac uino nigro pota, facilitatem pariendi præſtant, ſecundasq; purgant, tuſsim è melle tollunt, urinam cient. Recentiores in lotij ſtillicidio, & urinæ remoratu, neq; non renum dolo-ribus, atq; lapide eorundem confringendo utuntur. Eandem ſtomachi inflationes diſcutere, mederi & ſuſpirio ſis & anhelantibus, & omnibus morbis quos cauſa frigida concitat ira dunt. Farinam eiuſdem cibis comitialium inſpergunt.

Conyza.



* Addit Marcel. amari guſtus.

B

Conyza. Cap. CXVI.

COnyzæ duo genera. quæ parua uocatur, odore præſtantior eſt. maior uerò frutice altior & foliis latioribus, graui odore. utriuſq; folia oliuæ ſimilia, hir ſuta, pinguia. in maiore caulis binûm cubitorum altitu dine attollitur. in minore pedem æquat. flos fragilis, lu tei aut fului coloris*, qui in pappum abit. radices fu peruacuæ. Suffitu ſubſtratuq; frutex totus ſerpẽtes fu gat. culices abigit, & pulices necat. Folia conuenienter illinuntur ſerpentium plagis, & tuberculis, ac uulneri bus. flores & folia cum uino ad menſes partusq; eiici endos bibuntur. item contra urinæ ſtillicidia, arquatũ morbũ, & tormina comitiales pota ex aceto adiuuãt. Decoctum in deſeſsionibus medetur uuluę malis. Im poſitus ſuccus abortum facit. ex oleo efficaciter horro ribus oblinitur. Capitis dolores tenuis illita ſanat. Eſt & tertium conyzæ genus, caule craſsiore, ac molliore, foliis quàm paruæ maiuſculis, minimè pinguis, & ma iore minor, multò grauioris odoris & iniucundioris, ſed ineſficacior. Prouenit lo-cis non riguis.

Hemerocallis.



NOMINA ET explicatio.

Plinio ut Dioſc. duo conyzæ genera in coronamentis, differẽtia in fõlio: tenuius fœminæ conſtrictius anguſtiusq;, rubricatim maris & ramoſius, flos quoq; magis ſplendet eius, ſerotinus, utiq; poſt Arcturũ, mas odore grauior: fœmina acrior, & ideò contra beſtiarum morſus aptior. Folia fœminæ melis odorem habent. Maſculæ radix à quibuſdam libanotis appellatur. Theophraſto maior dicitur maſcula, toroſiore caule magisq; ramoſo, fõlio ampliore ac pinguiore, nec non ſplendidiori flore. fœmina tenuiori fõlio, & cõpreſſiore. Manipulo eius abiecto omnes etiam à tota domo blattæ conueniunt ad eã. In coronamenta fõlio uenit & flore, maior & minor appellata, qui odorus ſentitur, cuius auidiſsimæ ſunt apes. Germanis Geele müntz: & ut Trago placet, Dürrwurtz appellatur.

Hemerocallis, ſiue Lilium ſylueſtre. Ca. CXVII.

HEmerocallis foliũ & caulẽ habet lilij, porraceo colore. flores in caule per ſingulos exortus, terni aut quaterni erumpunt, lilij diuiſura, quoties dehiſcere cœperũt, colore perquàm pallido. radix magna eſt atq; bulboſa: quæ pota, aut cum melle & lana in peſſo appoſita, aquam educit & ſanguinem. Folia trita mammarum inflãmationes à partu contractas, oculorumq; collectiones mitigant. Radix & folia igni ambuſtis utiliſsimè illinuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè ἡμεροκαλλίς. Latinè, Hemerocallis. Officinis, falsò Aſphodelus, ſiue Hyacinthus. Germanis, Goldtwurtz/ Heydniſch lilien/ Heydniſch blům/ Junckerlilien dicitur. Hanc quidam falsò pro uero aſphodelo cõmonſtrant, omnibus reclamantibus notis: nam radix huius nec amara nec acris eſt, ut Dioſco. Gale. & Plin. de aſphodelo ſcriptũ reliquerunt. Inde hemerocallis nomen traxiſſe uidetur Græcis, quòd flos fugax pulchritudinem ſuam interdiu tueatur, appetente nocte, languidus efflaccescat.

Leucoium.

Leucoium, siue Viola alba. Caput CXVIII. A

Leucoium luteum, keiri.

Leucoium purpureum, Negelblümlin.

Leucoium album.



B

Leucoium Theophrasti, Weiß Hornungs blüm.



LEucoion uulgaris est notitiæ, sed in floribus differentia quædam. namq; aut cœrulei, aut albi, aut purpurei, aut lutei inueniuntur. Lutea uerò præcipui in medicina usus. Huius aridi flores feruefacti in desessionibus, ualent contra uuluæ inflammationes, & menstrua expellunt. sanant oris ulcera, cum melle: cum cerato, rimas sedis. semen duum drachmarum pondere ex uino potum, aut cum melle inditum, menses, secundas & partus extrahit. Radices cum aceto illitæ, lienem reprimunt, & podagricos iuuant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Λευκόϊον. Latinè, Leucoium. Violæ matronales. Officinis, Keyri, quòd flore aureo est.

Germanis, Gelb Violen/ Braun/ Weiß/ Rot/ leibfarb/ Negelin/ Straßburger Negelblümlin. Brabantis, Violieren.

Gallis Violettes grosselees, dicuntur.

Λευκόϊον quamuis uiolam albam significet, ad omnes tamen uiolas, præsertim eas, quæ primo uere nascũtur, siue albæ, siue luteæ, siue purpureæ fuerint, seu

A nigræ cum Hippocrate, ſeu cæruleæ, ut quidam Dioſcoridis codices habent (quod expungendum putant plerique, præſertim Plinius lib. 20 & Paulus de oleo ioto, id eſt, uiolaceo, album, lutcum, purpureum, leucoion tantùm commemorant) extenditur. In his efficaciſſimæ ſunt luteæ, Keiri Arabibus dictæ. Tamen cæteræ tres aut duæ cariophyllatæ, à floris figura, caryophillũ imitante, nobis dictæ non ſunt ineſficaces: linguã enim ualenter calfaciunt, & acrimonia ſua mordent folio, ſed magis flore, qui in his colore plurimũ uariat, arte opinor quæſita, ut in floribus alijs. Λοβιόεν uerò Theophraſti, quod florum primum ſe oſtendit, etiam nondum exacta hyeme: radice bulboſa, an ſit ea quæ nobis circa natalẽ Chriſtianũ florem albũ pulcherrimum trifolium intus uirentem oſtendat, Germanis Hornungs blům dicta, ab alijs malo diuinari quàm à me rem non ſatis compertam pro uera pronunciari. Dẽ quo multa Maſſarius in librum nonum Plinij.

Cratæogonum. Cap. CXIX.



B

CRatæogonum, ſiue, ut aliis placet, cratæonõ, foliis melampyro ſimile eſt, multis calamis ex una radice emicantibus, multorumq; geniculorum, ſemine myliũ. naſcitur in opacis & fruticoſis, ſummo perè acre. Traditum eſt quibuſdam, hoc ſi bibat ieiuno ore, ter die poſt menſes purgatos, tribus obolis, in cyathis aquæ duobus mulier, ante conceptum quadraginta diebus: & uir modo conſimili, totidem diebus ante coitum hauriat, uirilis ſexus partum futurum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, κρατάιογονον.

Latinè, Cratæogonum, Hippocrati Polycriton: uel ut aliàs legitur, Polycarpon.

Officinis, Perſicaria. Germanis, flöchkraut.

Brabantis, Perſickruyt/ Vloocruyt.

Gallis, Raſſel, Cu raige appellatur.

Dioſcorides Cratæogonum melampyro ſimilem folio demonſtrat. Plinius ſpicæ tritici, Theophraſtus lino pyrino, id eſt, lino triticeo, intelligens fortaſſe quod Plinius culmum ſiue ſpicam tritici. Sed ſuſpicor melampyron in Theophraſto, unde id Dioſcorides uidetur ſumpſiſſe, legendum, cùm ſtatim adiungat fructum tanquàm milium ferre, uimq; genitalem roborare: niſi quis linopyron, id eſt, lino triticum ſcribendum putet, pro melampyro, quod linum foliis ſatis imitetur. & reuera Gallicum uulgus Chamelirion melampyron ſolet uocare, quo oleum Gallia ad lumina lucernarum exprimit. Sed ad rem ipſam accedamus; reuera omnes perſicariæ notæ uidentur cratæogono ſuffragari, quòd ex una radice multis calamis, multorumq; geniculorum proſilit. Breuibus internodijs, fœtu quaſi Milij uuis pendente, aſpero guſtu, quod etiam opacis gaudeat. Iſta perſicariæ maiori, quam Germanicè, flöchkraut, Galli curaige uocant, mihi uidentur aſtipulari: ſed quod caput totius rei eſt, perſicariæ folium tam ſimile eſt melampyro, ut alterum pro altero fallat. Quod ad ſaporem pertinet, admodum aſper in aliquo perſicariæ genere ſentitur, in altero lenis ſit. Hæc fœmina, illa maſcula. Quòd ſi quis per imprudentiam ſemidi confricet, rabioſos ſolet mouere cruciatus. Cretcogorum Græcis creditur appellari, quòd genitalem uim roboret, ita ut diu præſumptum mares figurare prodatur.

Phyllum.

Phyllum. Caput CXX. A

PHyllum, quod elæophyllon uocatur, in saxosis nascitur. duum generum est. quod autem thelygonum appellant, uuas habet floribus oleę similes, pallidiores tamen. foliis itidem oliuæ est, caule tenui, breui, radice exili. florem album profert: semen papaueris maiusculum. Sed arrhenogonum cætera huic simile, solo fructu distat: habet enim racemosum quiddam deflorentibus oleis non dissimile. Arrhenogonon potu, masculi sexus facere partus, ut thelygonon fœminei, proditur. horum Crateuas autor est. sed huiusmodi historia tenus mihi produxisse uisum est.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Herba hodie planè incognita. Phyllon Libycum & Aethiopicum Hippocrati silphij semen est. Solet etiam pro malobathro accipi: de quo plura in lib. 1.

Testiculus. Caput CXXI.

Orchis.



Cynosorchis.

B



A TEsticulus,quem Græci cynosorchin uocant, foliis circa caulem mollis oleæ similibus,in terra stratis,longioribus,angustioribus, læuibus: caule dodrantali: floribus purpureis: radice bulbosa,oblonga,oliuæ modo angusta, duplici ordine: superiore,quæ plenior est: inferiore, quæ mollior ac rugosior. Eduntur radices coctæ,ut bulbi. ex quibus si maiorem edant uiri,mares generari dicuntur: si minorem fœminæ,alterum sexum. Addunt,in Thessalia mollem mulieres in lacte caprino bibere,ad stimulandos coitus: aridam uerò,ad inhibendos: & alterum alterius potu resolui. Nascitur in petrosis & sabuletis. Testiculus alio nomine serapias, Andrea autore,uocatur, quoniam radix ad multa utilis sit: foliis est porrilatioribus,oblongis,pinguibus, ex alarum sinu inflexis: caule palmeo: floribus penè purpureis. radice testiculis simili,quæ illita tumores discutit,ulcera purgat,& serpere eadem non patitur. abolet fistulas. & illitu inflammationes lenit. aridæ radices nomas inhibent: sanantq; putredines,& oris ulcera, cacocthe. aluum sistunt è uino potæ. De hac,eadem quæ de testiculo canis,produntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis duorum generum est: Vnus qui cynosorchis dicitur,qui folia habet circa caulem, & in ima eius parte per terram strata,mollis,oleæ similia, angustiora tantùm longioraq; : siue, ut Theophrast. tradit, folia habet scyllacea,minora tamen,& minore leuore nitentia : caulem dodrantalem,in quo purpureus flos panditur : radicem bulbosam,oblongam,duplicem,mutuo contactu cohærentem oliuæ figura, superiorem alteram quæ maior,aegeta & distenta est,alteram uerò inferiorem, quæ minor,languida & rugosa est. Nascitur planta hæc petrosis & sabulosis locis. Germanis Vnser Frawen trähen/ Stendelkraut/ Ragwurtz *dicitur. Brabantis,* Cullekens cruyt.

Alter autem,quem serapiadem uocant, & triorchin, folia habet porro similia, oblonga,latiora tantùm, pinguiaq;,ex alarum cauis emicantia & inflexa : coliculos dodrantales, & purpurascentes flores: radix est illi minimis testiculis simulis. Germanicè ut prior,Gallicè du coullon de chien appellatur. est autem Latinè & Græcè sic appellata herba,à Sarapi Aegyptiorum Deo,propter lasciuiam impudendam, qua is Deus

B *Canopi,ubi templũ,& cultu & religione excellens habebat,colebatur,uti Strabo tradit Geographiæ lib. 17. Radix eius maior calida,& humida est,gustantibus dulcior apparet. Minor admodum elaborata est, ad calidius siccius q; tendit.*

Satyrium. Caput CXXII.

*al. multum. SAtyrium aliqui trifolium uocant, quoniam tria fert folia,ad terram * infracta, rumici aut lilio similia, minora tamen, ac rubra: caulem cubitalem,nudum: florem lilij effigie,candidum: radicem bulbosam,mali magnitudine,fuluam, intus ut ouum candidam,gustanti dulcem,& ori non ingratam. quam in uino nigro austero bibere conuenit,contra opisthotonum. utendum ea dum concumbendi incessit cupiditas,siquidem ea proniores ad uenerem fieri affirmant.

Est & alterum satyrium erythroniũ siue erythraicon,id est,rubrũ, semine lini, maiore,duro,leui,splendente,quod fertur non secus atq; scincus,libidinem excitare. cortice radicis gracili,rufo: intus autem album includitur: sapore dulci,non ingrato ori. in montosis & apricis enascitur. Venerem,ut produnt,si omnino manducatur radix,stimulat: eoq; magis,si bibatur in uino.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Satyrion,quod à foliorum numero triphyllon, id est,trifolium uocant, tribus plerunq; foliis fractis uiret, rumici,liliõue similibus,minoribus tantùm & rubentibus: caulem habet glabrum, cubitalem: florem lilij figura,& candidum: radicem bulbosam, pomo similem, foris ruffo, intus candido oui colore,gustu suauem, & in cibo ori gratam,Germa. ut Orchis, Stendelwurtz / Stendelkraut/ Mergendzehen/ & Ragwurtz/ *dicitur.*

Alterum uerò quod erythron dicitur,lini semine, æquale semen habet, maius tamen firmiusq;, cum leuore splendens: radicis cortex exterior tenuis & rufus,interiora uerò candida sunt, grata in cibo, & dulcia uescentibus. Nascitur apricis montanis locis. Et utriq; horum generi sunt radices geminæ, sed priori inæqua-

Satyrium basilicum, mas.

A

Satyrium basilicon, fœmina.

Satyrium.



B

les, nam maior semper altera: posteriori uerò æquales, & sibi inuicem pares. Habent hodie & Syri herbam simili effectu, Bucheidemq; nominant, & Indicum Satyrion, radice candida & dura, commendatiore, quo crassior, rugosior, & albior fuerit, podagris utili. Græci ferè herbas omnes libidinem stimulantes satyrij uocc cognominarunt. Non est omittendum genus hoc, quod Basilicon Græci, Officinæ Christi palmam dicunt, foliis nigra plumbagine maculosis, reliqua superficie cynosorchi similis. Radix subest lutea, ac instar manus effigie ramosa.


Postremò, quod ad nominis Satyrij rationem attinet, dictũ est satyrion à Satyris dijs syluestribus, in Venerem propensis, cò quòd primi ad libidinem concitandum eam inuenerint & ostenderint. Siue quòd quemadmodum ipsi natura sua in eam uoluptatem sum potentiores, sic herba hæc homines etiam ad eadem dures, & concitatiores firmioresq; reddat.

A *Satyrion fœmina.*

Satyrion mas.

Satyrion minus.

Syluestre.




B *Satyrion montanum.*

Horminum. Cap. CXXIII.

Horminum syluestre.

Horminum satiuum.



Horminum

HOrminum herba est, foliis marrubio similis, caule semicubitali, quadrangulo, circa quem eminentiæ siliquis similes prodeunt, quæ ad radicem spectant, in quibus diuersum semen recluditur: siquidem in syluestri rotundum, fuscumq; inuenitur: in altero, nigrum, & oblongum, cuius est usus. Ad uenerem stimulandam, cum uino bibi uolunt. purgat cum melle argemas albugines q. illitum ex aqua tumores discutit. eo etiam extrahuntur aculei ex corpore. idem effectus est illitæ herbæ. Syluestre magis uiribus pollet: quare unguentis, præsertim gleucino, permiscetur. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hortense ὄρμινον κηπαῖον. Latinis orminum, & Geminalis.
Officinis Gallitrichum. Germanis, Scharlach/Scharley. Gallis oruala dicitur.
Syluestre autem Græci ὄρμινον ἄγριον. Latini & Officinæ saluiam agrestem.
Germani Wild Salbey Galli Brodon, orvala, toutes bone, appellant.
Ne quempiam nomenclationis aucupium remoretur, est notandum aliquod esse cereale horminum, de quo Theophrastus, Galenus, & item Plinius inter fruges disserunt, quod amarum nigrumq; est, nec cumino penitus absimile, dodrantali Plinio altitudine. de hac supra quædam annotauimus inter segetes.
Orminum calidum & siccum mediocriter est, id quod amaritudo atq; astrictio in gustu satis monstrant.
Recentiores easdem facultates suo Gallitricho attribuūt, quas illi ueteres adscripserunt. potissimum autē conferre ad albugines, & oculorum caliginem tradunt, ut hinc etiam colligi possit, herbam hanc Orminon Dioscoridis esse, quamuis nonnullis legitimæ delineationi in quibusdam repugnare uidetur.

Securidaca. Caput CXXIIII.

HEdysaron, unguentarij pelecinum, id est, securidcaam uocant. fruticosa est, foliis ciceris. semen rufum in siliquis fert, corniculorum modo aduncis, quod ancipitem securim æmulatur, unde nomen accepit. amarum gustu. Stomacho utile in potu. additur in antidota. cum melle ante coitus subditum, concipiendi ipsem adimit. Nascitur in segetibus & hordeis.

NOMINA ET EXPLICATIO. B

Græcè, πελεκῖνος, καὶ ὑέδυσαρον. Latinè, Pelecinus, securidaca, hedysarum.
Officinis incognita. Germanis, Vnkraut der Linsen.
Gallis fabalupina. alijs herbum, uulgo Graua, quòd (ut existimo) tritico & hordeo, cum quibus alitur, suo complexu grauis sit & molesta.
Abuna radice multis flagellis emicat, ciceris similitudine, quam & foliis æmulatur. Siliquæ corniculorū modo aduncæ curuantur, in quibus flauum, pallidumq;, & amarum semen concipitur, quod ancipitis securiculæ speciem gerit, &c.

Onosma. Caput CXXV.

ONosma, oblonga folia habet, ad similitudinem anchusæ, longitudine quatuor digitorum. & unius latitudine, mollia, in terra iacentia, sine caule, sine semine, sine flore radice nititur longa, tenui, infirma, rubescente. gignitur in asperis. Folia in uino pota partus extrahunt. Prægnans si eam supergrediatur, abortum facere dicitur.

Onosma hoc tempore incognita, Plinio folia habet ferè ad tres digitos, in terra iacentia, tria, ad similitudinem anchusæ incisa, sine caule, sine flore, sine semine.

Nymphæa. Caput CXXVI.

NYmphæa nascitur in paludibus & stagnantibus aquis, foliis fabæ Aegyptiæ, minoribus, & longioribus, alijs in summa aqua, alijs demersis pluribus ex radice eadem prodeuntibus: flore lilio simili, albo, & in medio crocos habente. cùm defloruerit, ut rotundum malum, aut papaueris caput, extuberat nigro semine, denso & lato. lenti gustus caulis est leuis. niger, minimè crassus. ciborio cognatus, radix nigra, scabra, clauæ similis, quæ autumno secatur. Siccacum uino pota cœliacis, dysentericisq; auxiliatur. lienem absumit. Radix stomachi ac uesicæ doloribus illinitur, uitiligines ex aqua emēdat. imposita cum pice, alopecijs medetur, eadem contra

ueneris

A Nymphæa lutea.

Nymphæa alba.



B

ueneris insomnia bibitur, siquidem ea prorsus adimit. pota assiduè aliquot diebus, genitale infirmat. Idem semen potum efficit. Nymphæę nomen sibi uendicasse uidetur, quoniam aquosa amet. plurima inuenitur in Elide, in Anygro amne, & in Bœotiæ Aliarto. Est & altera nymphæa, cuius flos blephara dicitur, foliis antedictæ, radice alba, scabra, flore luteo, nitente, rosæ simili. Huius semen & radix contra fœminarum profluuia efficaciter ex uino nigro bibuntur. Nascitur in Thessalia, amne Peneo.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Νυμφαία, μαδυνάϊς. Latinè, Nymphea: quædam luteo, quædam albo flore est.

Officinis uocem Arabicam Nenuphar, adhuc retinuit.

Germanis, Gelb & weisse Seeblůmen/ Harwurtz. Brabantis, Witte plomben/ Geel plempen.

Gallis Nenufar iaulne & blanc. Italis taiero, uel taierazo de aqua.

Lusitanis Gelphano dicitur.

Nymphæa, quòd aquosa amat, dicta: una est flore albo, radice nigra, & semine nigro: altera flore luteo, radice alba. Vtriusq; radix & semen frigidum, siccans sine morsu, parum detergens, proinde aluti profluuia, & dysenterias cohibent: semen immodicè profluens, siue per insomnia, siue aliter, retinunt ex uino nigro austero pota: in id efficacior lutea, adeò ut medeatur muliebri profluuio, ut ad tergendum alba præpollet,

pollet, quæ aqua macerata alphos, pice liquida alopecias sanat. Autumno radices exciduntur: uerùm facultatis florum, quibus hodie ferè solis utimur, non meminerunt ueteres. A

Androsaces. Caput CXXVII.

ANdrosaces herba est amara, tenues spargens iuncos, sine foliis, folliculos in capitulis habens, in quibus semen continetur. gignitur in Syriæ maritimis. Ea drachmis duabus in uino pota, copiosam hydropicis urinam ciet. idem effectus est semini poto, & herbæ decocto podagris utiliter illinitur.

EXPLICATIO.

Plinio androsaces herba est alba, amara, sine foliis, folliculos in cirris habens, & in iis semen. Nascitur in maritimis Histriæ, Germanis planè incognita.

Asplenum. Caput CXXVIII.

ASplenum, aliqui scolopendrion uocant, alij splenion, alij Hemionium: folijs est multis, scolopendræ animali similibus, ab radice una prodeuntibus. Nascitur in parietibus, saxis & siliceis, & opacis. nec caulem, nec florem, nec semen habet. folia filiculæ modo diuiduntur, subter flauescentia hirsuta & supernè uiridia. Vim hanc habent folia in aceto feruefacta, ut per dies quadraginta pota lienem ab sumant. quibus etiam contritis lienem ex uino illini oportet. stranguriæ & regio morbo prodest singultum sedat. calculos in uesica comminuit. conceptum adimere creditur, per sese aut cum muli liene appensa. Tradunt noctu, silente luna, huius rei gratia effodiendam.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lingua Ceruina. *Citerach.*





B

Asplenum idem cum Scolopendrio contendunt, Musa & Massarius in librum nonum Plinij: tamen Galenus ait, maiores lienis obstructiones uehemētiora postulare remedia, caparis corticem, tamaricis radices, scolopēdrion, & scillam, et eam herbam, quæ asplenos appellatur, effectum id nomine repræsentans. Vbi apertè scolopendrion ab asplenо separat, licet postea in censu simplicium asspleni uires describat, scolopendrij non meminerit. Libro tamen methodi 13. scolopendrion quoq; lieni conuenire scribit, nulla mentione aspleni facta: quanquàm ibi alia quoq; eius remedia attingat. Diuersas etiam herbas facere uidetur in splenеticis lib. 9. comp. phar part Ex quibus colligere possis, herbas esse affines, non uiribus modò, sed forma & habitu, unde nominum hæc incertitudo nata sit. Quod & in Dioscoride passim obseruabis, & in Asplenо quoq;, quod hoc capite statim ab initio ab aliquibus σπλοπένδριον, ab alijs ἡμιόνιον uocari ait, non tamen ἡμιονίτιδα dixit, quòd hæc folio sit diuersissimo, quam tamen ἀσπλήνιον, quoq; uocari scribit. Vnde Massarius & ex Theophrasto affirmat, Hemionicum uel Hemionium esse uulgatū nobis Ceterach: Asplenon uerò suū scolopendrion plantam esse aliam, ex foliorum & radicum pictura persuadere conatur. Quæ autem uulgo est Scolopendria, Germanis Hirtzzung appellata, Dioscoridis est φυλλίτις, à multis lingua ceruina iustius appellata, quàm à Gaza Scolopendrion Theophrasti, quem rectius centipedariā uertisset. Siue autem Ceterach sit Asplenon, aut Scolopendrion, siue Hemionitis dicta, quòd mulæ hac herba plurimùm delectantur, parui est momenti, quum hæ omnes lienem diminuant, & liquant, & substantia tenui sine calore lapides etiam in uesica frangant: phyllitis cùm acerba sit, diarrhœas & dysenterias pota iuuat.

Hemionitis.

A

Hemionitis. Caput CXXIX.

HEmionitis, quam aliqui splenion uocant, folium emittit dracunculi, lunatum. radicibus cohæret multis, tenuibus: nunquam flores, neq; semen, neq; caulem gignit. in petrosis nascens, austero sapore. Ea ex aceto pota lienem absumit.

Vide Annotationes nostras in caput proximè præcedens.

Anthyllis. Caput CXXX.

ANthyllis duplex est. quædam enim lenti similima, foliis mollibus, rectis ramulis, palmi altitudine: radice parua, tenui. Nascitur in salsis terris, & à sole illustratis, non insulso gustu. Altera est foliis ramulisq; aiugæ similis, hirsutioribus tamen, breuioribus & asperioribus: flore purpureo, odoris admodum grauis: radice cichorij. Pota drachmis quatuor urinæ difficultati, renibusq; plurimum prodest. tritæ, uuluæ pituitas *emolliunt, cum rosaceo & lacte impositę. uulneribus medentur. quæ autem aiugæ similitudinem refert, præter alia, pota cum aceto mulso comitiales sanat.

*Inflãmationes.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Anthyllis Dioscoridi duorum generum est. Primum hodie incognitum.
Alterum Græcis ἀνθυλλὶς ἑτέρα. Latinis, Anthyllis altera.
Officinis lua non muscata. Germanica appellatione adhuc caret.
Gallis lua non muscate dicitur.
Altera quæ chamæpityos, hoc est, aiugæ similitudinem refert, Paulus in tumore pedum utitur macerata. Eam ex iuarum genere putant esse, quæ pinum non oleat, arthriticam inde dictam, quòd tumentibus articulis medeatur.

Anthemis. Caput CXXXI.

Chamomilla uulgaris.

B *Chamomilla satiua.*



Chrysanthemon.

Anthemidis

ANthemidis genera tria, tantùm flore distantia: rami dodrantales, fruticosi, A alis multis concaui: tenuibus foliolis, paruis, numerosis: rotundis capitulis: floribus in medio aureis, forinsecus orbiculato ambitu candidis, melinis, aut purpureis, magnitudine foliorum rutæ. nascitur in asperis, & iuxta semitas. colligitur uere. Vim habent radices, flores & herba excalfaciendi, extenuandiq; potu, & insessione, pellunt menstrua, partus, urinam, calculosq; aduersus inflationes, & ilei tormenta bibuntur. bilem suffusam expurgant. iecinorum uitia sanant decocto earum uesicæ fouentur. Ex omnibus his generibus ad calculos efficacissima est, quæ florem purpureum habet, cuius amplitudo maiuscula est. hanc propriè heranthemon uocant. Ea cui leucathemo nomen est, item quæ chrysanthemon dicitur, uehementius urinam ciunt. ægilopijs illitæ medentur. commanducatæ ulcerum eruptiones in ore sanant. nonnulli in clysteribus ex oleo utuntur. teruntur in farinam, ad abigendos febrium circuitus. Flores & folia recondi debent, & priuatim tusa, in pastillos digeri: radix quoq; siccari, dumq; ingruit necessitas, binæ partes herbæ dari, modò floris aut radicis pars una, modò contrà floris partes duæ, & herbæ una, permutatim duplicato pondere, alternis diebus bibere autem oportet in uino mulso, diluto.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἄνθεμις, χαμαίμηλον. Latinè, Chamæmelon, Anthemis. Officinis Camomilla. Germanis, Camillen. Gallis Camomille dicitur.

Anthemidis tria genera Dioscoridi flore tantùm distant, palmum non excedentia, parvisq; floribus, candidis, melinis, aut purpureis. quæ foris in orbem candida folia obtinet, ea est quæ à Dioscoride propriè λευκάνθεμον. & uulgo hodie Camomilla uocatur. hæc duplex est. Vna hortensis, odoris mali maturi suauissimi hybernum frigus illæsa perferens, et à nouum uer ex radice repullulascens in hortis colitur: altera uulgaris Camomilla, palmi altitudine, surculosa, cauiculis exilibus, capitellis primùm uirentibus, mox luteis, in aspero, sicco, macroq; solo, & iuxta semitas atq; itinera prouenens. Quæ uerò luteis per ambitum foliis constat, ea haud dubiè est, quam priuatim Dioscorides à suis floribus χρυσάνθεμον nominat. Germani autem pulchrè ad Græcam appellationem alludentes, Goldtblům/Gelb Camillen/Sterckblůmen/Streichblůmen/appellant. Tertia species, si Hieronymo Tragoo, rei Herbariæ diligentissimo indagatori, credimus, nulla alia est nisi ea, quam hodie uulgus Schartenkraut appellat, & Scharten blůmen: eius historiam & delineationem uide in Commentarijs Tragi. B

Tenuium partium est anthemis, quamobrem digerendi, rarefaciendi, & laxandi facultatem obtinet.

Parthenium.



Parthenium. Cap. CXXXII.

PArthenium, aliqui amaracon uocant, foliijs est coriandri, tenuibus: flore per ambitum albo, intus melino, odore graui, sapore amaro. Siccatum, cum aceto mulso aut sale potum, non secus atq; epithymum, & bilem & pituitam detrahit. suspiriosis prodest & melancholicis. herba sine flore à calculosis & anhelatoribus magna utilitate bibitur. Valet decoctum ad insidendum in duritia uuluarum, & inflammationibus illinitur sacro igni, & collectionibus cum flore.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Parthenium aliqui amaracum uocant, foliijs coriandri, tenuibus, flore per ambitum albo, intus melino, odore graui, sapore amaro. Officinæ simul & Herbarij hodie matricariã & febrifugam. Germani Wet tram, matrenam, Brabanti Paddel bloemen/Paddendille/Wide Camillen uocant. Nascitur in sepibus & alijs permultis locis. Matricariam inde dictam putauerim, quòd mulieribus uteri causarijs, & strangulationi uuluæ oportunus suo uiroso odore medeatur. Nec aliter

A à Galeno, Paulo q; quam amaradeus uocatur, quod & parthenion aliquibus amaradeum dici testatur. Celsus apud nos muralem herbam parthenion & perdicion appellari perhibet, ego de alio parthenio muralem herbam dixisse autumo, quæ non in sepibus, sed in muris parietibusq; nascitur, ob id parietaria uulgo nominata. Hallucinantur qui cotulam uulgo dictam Parthenium esse putant, cùm folium ei fœniculi, parthenio coriandri tribuatur. Sapore etiam dissident, qui in parthenio amarus est, non in cotula.

Buphthalmus.



Buphthalmum. Cap. CXXXIII.

BVphthalmon, quidam cachlam uocant, tenues emittit caliculos, mollesq; : folia fœniculi : luteum florem, anthemide maiorem, oculi similitudine, unde nomen traxit. circa oppida nascitur, & in campestribus. Flores cum cerato triti, tumores duritiasq; discutiunt. Aiunt epotam post exitum à balneis, regio morbo correptis, colorem tractu temporis reddere.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Βούφθαλμος. Latinè, Buphthalmus.
Officinis inusitatum. Cotula non fœtida quibusdam.
Germanis Rüdill/Rindsaug/Rüaug/ dicitur.

Hæc herba, cuius picturam damus, delineationi buphthalmi adamussim responderet, si flores, ut chrysanthemi, lutei essent: quare intelligendum est, Dioscor. ad discum, mediumue floris respexisse, quod luteum est, non ad ambitum, in quo folia radiata candida, ut in Chamæmelo, existunt, alioqui flos à Dioscor. pictura dissentire cognoscetur. flores buphthalmi acriores sunt Chamæmeli floribus ob id calidiores.

Pæonia. Caput CXXXIIII.

Pæonia, fœmina.



Pæonia, mas.



B

PAeonia siue glycyside, Græcis aliquibus pentoboron dicitur. sunt qui idæos dactylos, radicem pæoniam uocant. caulis altitudine sesquipedis adolescit. comitantibus multis stolonibus. Huius duo genera, mas folia iuglandis habet: in fœmina uerò smyrnij more diuidũtur. summo caule siliquas emittit, uelut græcas nuces: in quibus, quum dehiscunt, multa granula rubra acinis punicorum similia inueniuntur, & in medio nigra, quinq; aut sex, purpurea. radix maris tenuis, digitali crassitudine, & palmi longitudine, gustu astringens, alba: fœminæ radicibus ceu glandes circiter septem aut octo inhęrent, ut in hastula regia. Fœminis à partu non purgatis

purgatis ficca radix datur. ciet menses nucis Græcę magnitudine pota . sic uentris doloribus cum uino auxiliatur. ualet contra regium morbum, & renum acueſicæ dolores. decocta in uino aluum ſiſtit. Rubra grana rubenteis menſes ſiſtunt, decem uel duodecim pota in uino auſtero & nigro. ſtomachicis & eroſionibus ea eſſe pro deſt. à pueris pota, initia calculorum eximunt. Grana nigra auxiliantur ſuppreſsio nibus nocturnis, uuluæ ſtrangulationibus, & matricis doloribus, quindecim nume ro pota, in aqua mulſa, aut uino*. Naſcitur in altiſsimis montibus & præruptis. A

* Hæc clauſula eſt additicia.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Παιονιὰ. Latinè, Pæonia, Caſta herba. Officinis Latinum nomen ſeruauit.
Germanis, Beningen roſen / Venediſche roſen / Gichtwurtz / Pfingſtroſen, Benedicten roſen.
Brabantis, Maſtbloemen. Gallis Penoeſne dicitur.

Pæoniæ maris radix longa, altheæ æmula. ea Hieronymo Trago creditur, quæ hodie Officinis falſò dicta mi radix, Germa. Weiſſe diptam dicitur, cui ſiquidem notæ omnes, quibus pæonia mas apud Dioſcoridem & alios ueteres Græcos delineatur; ad amuſim reſpondent, quare eandem eſſe neminem dubitare credimus. Contra epilepſiam Pæoniæ radix, & Melancholiam recens collo appendenda. Luna autem decreſcente hanc legi uolunt, marem quoq; fœmina præſtantiorem: leniter aſtringit, ſubamara eſt, cum quadam dulcedine et acrimonia: ſi diutius mandas, menſes ciet, obſtructa hepatis & renum expurgat.

Lithoſpermum. Caput CXXXV.



LIthoſpermon à ſeminis duritia nomen accepit. foliis eſt oleæ longioribus, & latioribus, molioribus: iacent humi, quę ab radice exiliunt, ramulis ſurculoſis, rectis, tenuibus, firmis, craſsitudine acuti iunci, in quorũ cacumine bifidi exortus, cauliculorum ſpeciem exhibent. foliis longis*, inter quæ paruum ſemen, rotundum, erui magnitudine, duritia lapidea. Naſcitur in aſperis & æditis locis. Vim hanc habet, ut ſemine cum uino albo poto calculos frangat, pellatq; urinam.

* Paruis, aliqui.

NOMINA ET explicatio.

Græcè, Λιθόσπερμον.
Latinè, Lithoſpermum.
Officinis milium ſolis.
Germanis Merhirſs, dicitur.
Brabantis, Peerlencruyt.

Dicitur autem ab omnibus tum Officinis tum Medicis hodie milium ſolis, quòd, ut reor, ſemen candore ſolaris ac lucis ſplendore fulgeat. Super autem aſtrictoriam qualitatem, adeoq; exiccatoriam uim obtinet.

Phalaris.



B

Phalaris. Cap. CXXXVI.

PHalaris cauliculos emittit zeę culmis ſimiles, minutis, ac nullius uſus radicibus, multos, duum palmorum, geniculis cinctos, graciliores tamen, ac dulces: ſemen candidum, oblongum, milij magnitudine. Tunditur, & in aqua aut uino ſuccus ad ueſicæ cruciatus utiliſsimè bibitur. Semen cochlearis menſura potum, ad eadem efficax eſt.

EXPLICATIO.

A *Phalaris Germaniæ peregrina, ac niſi hortis ſata, ea forma, qua depinximus, prouenit, thirſulos tenues fundens à radicibus frequentes, geniculatos, bipalmesq; calamos, ſimiles zeæ, graciliores tamen, atq; dulces, folia quoq; ſimilitudinem eius habent. Semen amplitudine milij oblongum. nomen apud Germanos nondum inuenit.*

Rubia. Caput CXXXVII.

Rubia ſatiua. Rubia ſylueſtris.



B

ERythrodanum radix rubra eſt, qua tingũtur lanæ. una ſponte prouenit, altera ſeritur, ut in Thebana Galliæ, & Rauẽna Italiç. in Caria inter oleas, ut in aruis, ſolo creditur hanc non ſine quæſtu ſerunt: namq; maximum ex ea ſentiunt prouentũ. aſperi caules & quadranguli, longi, aparinæ non diſſimiles, robuſtiores, & multò prorſus maiores: foliis per interualla certa circum articulos ſtellatim decuſſatis. Semen eius rotundum, inter initia uiride, mox rubrum, poſtea cùm ematuruit, nigrum: radix tenuis, longa, rubra. Vrinam ciet: qua de cauſa regio morbo opitulatur, potacum aqua mulſa. item iſchiadicis & reſolutis, craſſam, copioſamq; urinam pellit, nõnunquam & ſanguinem. bibentes tamen quotidie lauari oportet, & excrementorum quæ redduntur differentiam ſpectare. aduerſus ſerpentium morſus, ramulos cum foliis uino* bibere prodeſt. Semen ex aceto potum, lienem abſumit. Impoſita radix trahit partus, menſes, ſecundasq; albæ uitiligini illita ex aceto medetur.

* Alij, Succum ex uino.


NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἐρυθρόδανον. Latinè Erythronium. Rubea. Officinis rubea tinctorum.
Germanis, Ferber röt. Brabantis, Meecruyt. Gallis garence dicitur.

Dioſcoridi Rubia altera ſponte prouenit, altera ſeritur, in primis tingendis lanis & corijs neceſſaria. Serpit humi ut gramen. locis umbroſis conſpicienda. Semen eius rubrum eſt, & radix rubra, altitudinis tantæ, ut raro tota queat effodi. Rubea ſatiua radice acerba, & amara, lienem & iecur expurgat, urinas craſſas, mulieres, ſæpe etiam cruentas, & menſes mouet, alphos albos cum aceto terget. Cortex rubiæ recipitur in Antidoton ad lienem, Actuario.

Lonchitis.

Lonchitis. Caput CXXXVIII. A



LOnchitis folia habet porri, latiora, rubentia, plurima, ad radicem circumfracta, ueluti in terrã procumbentia, pauca in caule, in quo flores, ceu galericuli, hiantibus comicis personis similes, nigri, & è rictu albam exerentes uelut linguam, quæ ad labrum inferius spectet: semen inuolucris clausum lanceæ simile, triangulum, unde sibi cognomentum arrogauit. radix dauci. Nascitur in sitientibus & asperis. Radix ex uino potaurinam ciet. Altera est lonchitis, quam aliqui asperam lonchitin dicunt: folia scolopendrij emittit, sed asperiora maiora q̃, ac multò magis diuisa. Vulneribus mirum in modum prodest, in eis q̃ inflammationes excitari non patitur. pota ex aceto lienem absumit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lonchitis Dioscoridi duplex est. Prima habet folia porri, ut Dioscorides tradit, rubentia ad radicem, & plura quàm in caule, capitula personis comicis similia, paruam exerentibus linguã, radicibus præ longis. Nascitur in sitientibus, sæpe in aridis & petrosis inuenitur: sed nullum succurrit nomen dignum, quo inscribatur. Pueri qui montibus oberrant, nigros capettos, quasi Galeros, Germanicè Schwartz kappen, nominant. Altera lonchitis, cuius picturam damus, quam asperam cognominant, Romani longinam aut colubrinam, Germani Steynfaren/ Spicant/ folijs scolopendrij, scabrioribus, amplioribus, diuisuris quoq; maioribus, uulneraria herba, plagisq; inflammationes abigit, nec eas cingere uel morsu patitur, ut Dioscorides quoq; affirmat. Pota cum aceto lienem absumit. Hanc hodie quidam uerum esse scolopendrium falsò contendunt.

Althæa. Caput CXXXIX. B

Althæa.

Herba Veneta, Venediger rößlin/ Wetterrößlin.



ALthæa, quamalij Ibiscum uocant, in syluestrium maluarum genere est, cui folia ut cyclamino, rotunda, lanugine canescũt: flore rosaceo: bicubitali caule: radice lenta, intus alba. Althæa appellatur, quòd inter primas sit utilis, & pluribus polleat remedijs. Decocta enim in uino aut aqua mulsa, & per se cùm imponitur tusa, efficax est contra uulnera: item ad strumas, parotidas, abscessus, mammarum inflãmationes, fracta sedis, inflationes, neruorũ rigores: siquidem discutit, & excoquit, rumpit, & ad cicatricem perducit. cocta ut dictum est, adiecto suillo adipe, aut anserino, terebinthinãue, ut

A malagmatis lentor fiat, facit ad uuluæ inflammationes, pręclusionesq; in pessis subdita. decoctum eodem fungitur munere. onera uuluæ, reliquasq; à partu extrahit. decoctæ succus ex uino potus, succurrit urinæ difficultati, calculosorum cruditatibus, dysentericis, ischiadicis, tremulis, ruptis. dentium mulcet dolorem, cum aceto decocta, colluto inde ore. Viride semen siccumq; tritum, uitiligines in sole perunctas emendat. eodem cum oleo & aceto peruncti, à uenenatis non feriuntur. ualet cõtra dysenteriam & sanguinis reiectiones, aluiq; profluuium. in posca aut uino decoctum bibitur, contra omnes uesparum, apum, similiumq; aculeatos ictus. Folia cum olei momento, morsibus, & igni ambustis illinuntur. Constat aquam trita radice addita, sub diuo addensari.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἀλθαία. Latinè, Althæa. Ibiscus. Officinis Euiscus, biſmalua, malnauiſcus.
Germanis, Ybischy/Heylwurtz. Brabantis, Witte hoemst/witte Maluwe.
Gallis des guimauues dicitur.

Althæa siue Ebiscus, est malua agrestis, foliis, ut cyclaminus, rotundis, radice lenta, intus alba, subastringente. Partibus suis omnibus digerit, laxat, phlegmone leuat, mitigat, coquit absessus coctu difficiles, adipibus incocta & subacta. Radice autem & semine tenuiorum est partium, magisq; tum siccat, tum terget.

Alterum genus Althææ Hieronymus Tragus commonstrat, à loco unde ad nos allata est, Rosam Venetam uocatam. Producit semen nigrum, folia in cubiti altitudinem excrescunt, alceæ modo serrata, hirsuta capitella maluæ modo fert. Mense Iunio florem subpurpureum subalbidũ oblongum habet, cuius interiora lutea sunt. Radix odore, sapore, & operationibus althææ per omnia similis est.

Alcea. Caput CXL.

Alcea. Herba Vngarica.

B

ALcea syluestrium maluarum generi assignatur. folia habet diuisa, uerbenacæ proxima: caules treis aut quatuor, corticecannabino uestitos: florẽ rosæ, paruum: radices albas, latas, quinq; aut sex, cum plurimum cubitales. quæ cum uino aut aqua potæ, dysentericis ruptisq; medentur.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO. A

Græcè, ἀλθέα. Latinè, Alcea. Officinis Bismalua, seu Althæa syluestris, herba Simeonis. Germanis, Felriß/Lewenzan/Hochleuchten/Sygmars wurtz/Simons wurtzel. Brabantis, Catteraeßkens. Italis herba Vngarica. Gallis Bimauue, ou guimauue sauuage.

Altera apud nos inuenitur in syluis, caulibus foliosis, cannabino cortice, minutis, fronde maluæ quasi circinata, & strigmentis uerbenacæ profundioribus laciniata, flore roseo, paruo, radicibus obliquis, quinis senisue cubitalibus albis. Hîc notandum, quòd ea herba, quam Itali herbam Vngaricam uocant, & Manardus ueram alceam esse putat, à nostra uulgari Alcea diuersa est, ut præcedens ipsius pictura clarè ostendit. Hæc nisi malua hortensis fuerit, nusquam eam apud nos sponte prouenientem uidi, sed ex Italia allatam, in hortis cultam, omnino ueram esse Alceam, & Dioscoridis delineationi proximè accedentem, arbitramur: cuius usus esse debet in medicinis.

Cannabis. Caput CXLI.



CAnnabis satiua planta magni in uita usus ad robustissimos funes factitandos: foliis fraxini, graui odore: caulibus proceris, inanibus: semine rotundo, quod largiore cibo genituram extinguit. Succus ex ea recente, conuenienter aurium doloribus instillatur. Syluestris cannabis uirgas fert althææ similes, minores, nigriores & asperiores, cubiti altitudinem æquantes: folio satiuæ, nigriore & asperiore: flore lychnitis, subrubro: semine & radice althææ. Decocta radix, illitu inflammationes mulcet, tumores discutit, tofos articulorum dissipat. Huius cortex torquendis funibus accommodatus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κάνναβις. Latinè, Cannabis. B
Officinis Latinum nomen seruauit.
Germanis, Hanff. Brabantis, Kemp.
Gallis chanure appellatur.

Cannabis leguminibus assignatur. Huius semen, ut Galenus est autor, magno negotio concoquitur, stomacho & capiti aduersatur. prauos creat humores. Sunt tamen qui hoc quoq; tostum insitumq; cum bellarijs, quæ secundis mensis præbentur, usurpant. Admodum excalfacit, & caput æstuoso halitu sursum misso tentat.

Syluestris Cannabis nascitur in syluis, uirgulas Altheæ fundens: diuersa ab hac, quam Germa. Wilden hanff appellant.

Anagyris. Cap. CXLII.



ANagyris, frutex est arboris instar, grauis odore: foliis agni, uirgisq; : flore brassicæ. semen in corniculis non breuibus gignit, subrotundum, firmum, uersicolori facie, simile renibus, quod durescit uua maturescente. Tenera folia trita tumores illitu reprimunt. si partus hæreat, & secundæ mensesq; morentur, drachmę pondere bibuntur in passo. sic & suspiriosis dantur, & contra capitis dolores in uino. difficulter parientibus adalligantur, ita ut à partu statim auferantur. Radicis cortex* concoquendis discutiendisq; adhibetur. Semẽ commanducatum uomitiones uehementer ciet.

* Alij succm.

A NOMINA ET EXPLICATIO.

Anagyris recentioribus malua terrestris, quòd humi maluæ modo iaceat, dicitur: rusticis putidum lignũ. Arboris instar fruticat, foliis & ramis amerinæ, fœdo odore, flore braßicæ, siliquâ terete, qua semen continetur renibus simile, cum meßibus matureſcens, &c.

Cepæa. Caput CXLIII.



B

CEpæa portulacę similis est, sed nigriora habet folia, & radicem tenuem. Folia in uino pota, urinæ stillicidio, & uesicę scabie laborantibus opitulantur. maximè id præstat, si cum decocto radicum aspara gi eius, quem myacanthon, hoc est, corrudam uocant, bibatur.


NOMINA ET EXPLICATIO.

Κηπαία Græcis, Latinis Cepæa: quibusdam capitatur, quam Germani Bachpungen uocant: nascitur in aquis & littoribus arenosis.

Alisma. Cap. CXLIIII.

ALisma, alij damasonion appellant: folia ei plantaginis, nisi angustiora essent, laciniosa, conuexaq; in terram: cau

Plantago Italica.



le simpliciter tenui, cubito altiore: capitibus thyrsi: flore tenui, candido, pallescente: radicibus tenuibus, ut ueratri nigri, acribus, odoratis, modicè pinguibus. aquosos amat tractus. Radix, si drachma una aut altera bibatur, his conuenit, qui leporem marinum deuorarunt, aut à rubetis ranis demorsi sunt, aut opium hauserunt. torminibus atq; dysenteriæ, per se, aut cum pari modo seminis dauci, potui datur. Conuulsis, & contra uitia uuluæ prodest. Herba sistit aluum. menstrua pellit. tumores illita mitigat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Helti

Plantago aquatica.



Multi hactenus pro uera Alisma plantaginem aquaticã, quæ & barba syluana, & Germa. Wasserwegrich). Brabant. Water wechbree dicitur. alij uerò eam herbam, quam Herbarij & Officinæ pastorum fistulam, Germani Hirtenpfeiff appellant, nobis obtrusere. Sed harũ neutra legitimæ Dioscoridis delineationi respondet, quare nos tertiam, scilicet ueram Alismam per amicum quendam ex Italia adferri curauimus, cum in Germania, quod equidem sciam, non proueniat: cuius picturam damus nomine Plantaginis Italicæ. Hanc rectè Italianischen wegrich Germanicè dixeris folio arnoglossi est, sed angustiore, & semper in terram demisso, caule unico, sesquipedali, in cuius fastigio uiride alabastricoli ũ in caulem concoloris floris dehiscit, radicibus crebris, ut ellebori nigri, tenuibus, acribus, pinguibus, flore tenui in madidum pallescente: aquosos amat situs. A

Onobrychis. Ca. CXLV.

ONobrychis, folia habet lentis, longiora paulò: caulem dodrantalẽ: florem purpureum: radicem paruam. nascitur in uliginosis & incultis. Herba suapte ui, si trita illinatur, tubercula dissipat. cum uino pota, strangurias sanat. illita ex oleo, sudores mouet.

Hæc herba quæ sit, non constat.

Hypericum. Ca. CXLVI. B

Hypericon.



HYpericum, alij androsæmon, (alij coriõ, alij chamæpityn*) appellant, quoniam semen odore resinam imitatur, surculaceo frutice, dodrantali, rubente, folio rutæ: flore albæ uiolæ, luteo, qui digitis tritus sanguineum succum remittit, qua ex causa androsæmon cognominatur: sub hirsuta siliqua, & tereti, hordei magnitudine: semine intus nigro, resinosi odoris. gignitur in cultis & asperis. Vrinam cit. menstrua pellit appositum, tertianis, quartanisq; cum uino potum liberat. Semen quadraginta diebus haustum, ischiadicis medetur. Folia cum semine illita, ambusta sanant.

* Hæc abundãt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè. ὑπερικον. Latinè Hypericum.
Officinis perforata.
Gallis mille pertuys.
Germanis S. Johans kraut/dicitur.

Hæc herba, cuius picturam damus, omnino Dioscoridis delineationi respondet, ut nemo, nisi talpa cæcior. Hypericum esse deinceps reclamare possit. Siquidem surculosa est herba, dodrantalis, subrubens, folio rutæ, flore luteo, quem si digitis libeat terere, manus profectò sanguineo succo cruentabunt. Siliqua denique terete, hordei magnitudine, semine intus nigro, resinam olente. Duo itaq; in hac herba inueniuntur, quæ esse hypericum, manifestè conuincunt, cruentus nempe floris triti succus, odorq; seminis resinaceus.

Alterum

A *Alterum genus exilioribus uirgulis est, folia quodam modo esulæ similia, at minora. Contritum resinæ odorem mittit, flore luteo.*

Ascyron. Caput CXLVII.



ASCYRUM siue ascyroides, hyperici genus est, magnitudine distans, fruticosius, maiores habens ramos, surculosiores, rubentesq; : folia tenuia: flores luteos, & fructũ resinosum, hyperico non absimilem. cuius attritu digiti ferè cruentantur, qua de causa androsæmon uocauere. Vsus seminis ad ischiadicos. potum hydromelitis sextario, biliosa recrementa amplissimè detrahit. sed assiduè dare oportet, donec sanitati restituantur. illinitur & ambustis efficaciter.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἄσκυρον, καὶ ἀσκυροειδὲς. Ascyron Latinè.

Officinæ & Galli, cum cæteris Hypericonis speciebus confundunt.

Germani Harthew appellant, pulchrè ad Græcam appellationem alludentes. Græci enim à contrario huic herbæ nomen imposuisse uidentur, σκύρος enim illis asperitatem significat.

Hyperici species est Ascyron, magnitudine differẽs, maioribus, ramis fruticosius, puniceo colore, rubens. Flores fert luteos, semen Hyperico simile, odore resinæ, quod cùm atteritur, digitos ferè cruentat.

Androsæmum. Cap. CXLVIII.

Androsæmum.



B ANDROSÆMON ab hyperico, ascyroq; differt, quòd fruticet ramulis surculosis, ac tenuibus : rubentibus uirgis, & foliis rutæ, triplo aut quadruplo maioribus, quæ trita uinoso succo manant . complureis alas habet in cacumine, utrinq; expansas, pinnatasq; : circa quas flores pusilli, lutei : & in calyculis semen papaueris nigri, insigne lineis . huius comæ tritæ resinosum odorẽ reddunt. Semen tritum drachmis duabus potum, biliosa alui excrementa pellit. ischiadicis maximè medetur : sed à purgatione aquam exorbere oportet. Herba ambustis illita medetur. uulneribus sanguinem cohibet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis ἀνδροσαιμον. Latinis Androsæmum.

Officinæ & Gallicum uulgus cum hypericone confundunt.

Germanis Künradt dicitur.

Dictum Androsæmon, quòd aut coma, aut floribus eius tritis, hominis sanguinem referat. Differt ab Hyperico & Ascyro Androsæmon.

Frutex est prætenuibus ramis, surculosis, puniceo colore, rubentibus uirgis, foliis triplo quadruplóue maioribus quàm rutæ, quæ contrita sanguineum succum emittunt. Alarum caua habet plura, in summo alarum auium modo pennata expansáue, circa quas flosculi pusilli lutei. Semen in calice, nigro papaueri simile, ueluti punctis depictum distinctúmue. Coma trita resinosum odorem reddit.

Coris. Caput CXLIX.

Coris.

CORIS, quod aliqui hypericon uocant, frutex est folio ericæ, rubro, pinguiore, ac minore, non altior dodrante, suauis, odoratus, acris. Potum semen menses trahit & urinas. contra phalangiorum morsus ischiadicos & opisthotonicos ex uino potum auxilio est. horroribus ex pipere, sed opisthotonicis ex oleo, aptissimè illinitur*. Radix uino decocta potaq; defectis opem ferre creditur. sed laborantem inter potandum quàmoptimè cooperiri licet: siquidem corpus totum desudabit, ex qua re pristinam agilitatem recuperabit. A

*Omnia hæc ad finem usq; capitis à quibusdam omissa.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Plinius supradicta genera hyperici appellatione complectitur, duobus tantùm fastigijs contentus, cùm tradat aliud hypericon esse, quod alij corim uel corion appellant, foliis tamaricis, & sub ea nascitur, sed pinguioribus, & minus rubentibus, odoratum, palmo altius, suaue, leuiter aculeatum. Hippocrates Corem hanc uocauit, ut Galenus inquit, argumento seminis, quod pupillæ oculi similitudinem repræsentat. Quæ sit hodie eius facies, aut quo nomine appelletur hodie, incertum.

Sunt qui Officinarum Carpobalsamum unum genus Hyperici maximum scilicet faciant, ita quatuor genera constituentes, quemadmodum & Dioscorides distinxit, &c.

Aiuga, siue Chamæpitys. Caput CL.

Chamæpitys prima.



Chamæpitys tertia.



B

AIuga herba in terra repens, incuruæ similis: foliis semperuiui minoris, multò tenuioribus, hirsutis & pinguioribus, circum ramos densis, odore pinus: flore tenui, luteo, uel candido: radicibus cichorij. Folia septem diebus in uino potata, regio morbo medentur: & quadraginta diebus ex hydromelite, ischiadicos sanant. dantur peculiariter urinæ difficultatibus, iecinoris & renum uitijs. torminosis prosunt. Ea apud Heracleam Ponticam, perinde atq; antidoto contra aconitum utuntur, bibentes decoctum. ad antedicta illinitur, cum polenta iure decocti subacta, trita in farinam, & cum fico in pilulis sumpta, aluum emollit, excepta melle, cum

A cum æris ſquama & reſina deiȝcit. appoſita ex melle, uuluæ uitia extrahit. mammarum duritias diſcutit. uulnera glutinat. ulcera quæ ſerpunt, cum melle illita, cohibet. Alterum eſt genus aiugæ cubitalibus ramis, in anchoræ ſpeciem incuruatis, prætenuibus, coma ſupradictæ: flore candido: ſemine nigro. hæc etiam pinum redolet. Tertia mas nominatur, paruula foliȝs exilibus albis, ſcabris: caule aſperо, candido: luteis floribus, ſemine iuxta alas. Reſipit & hæc pinum. Hæ duæ uim ſuperioris obtinent, ſed non uſqueadeò efficacem.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Χαμαιπίτυς.

Latinè, Parua pinus, Chamæpitys.

Officinis Iua arthetica.

Germanis, Feld Cypreſſen/ Pelengerye lieber/ quamuis hoc nomen & ad amaram, dulcem, aut nam ſpeciem eufragiæ pertineat, ut & aliæ multæ ſtirpes uno nomine nuncupantur.

Galli iue arthetices cognominant.

Chamæpitys, id eſt, pinus pumila, quòd odore & foliȝs eam imitatur, Aiuga Idea Scribonio dicitur, aliȝs Abiga, Officinis Iua, calida ſecundo gradu, ſicca tertio: amarior quàm acrior, tergit, purgat, obſtructum iecur liberat, ictericis, iſchiadicis cum mellicrato pota ſuccurrit, menſes, urinas, ciet, uiridis uulnera magna glutinat, ulcera putreſcentia ſanat, mammarum durities diſcutit. Huius radicem uſurpat Aſclepiades, ſucco tamen decocto, ſemine, puluere, idem pollet, Galenus libro octauo comp. phar. part.

B

Finis Libri Tertij.

PEDANII

PEDANII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE MEDICINALI MATERIA, LIBER QVARTVS. IOANNE RVELLIO SVESSIONENSI INterprete, cum figurarum debita appositione, & annotationibus in singula capita, Per Gualtherum H. Ryff, Argentinum, Medicum, ex doctiss. uirorum lucubrationibus adiectis.

PRAEFATIO.

TRIBVS antè libris, amantissime Aree, tradidimus odoramenta, olea, arbores, unguenta, animalia, frumenta, olera, radices, succos, herbas, seminaq;. In hoc autem Quarto disseremus de radicibus, & eis quæ restant herbis.

Betonica. Caput I.



CEstron psychotrophon uocitatur, quoniam frigidis locis inueniatur. Latini betonicam appellant. herba est caulem ferens tenuem, cubiti altitudine, aut maiorem, quadratum: folia quercus, mollia, longa, in ambitu diuisa, odorata, prope radicem maiora. in summis caulibus semen ueluti saturei spicatum inest. decerpta huius folia siccantur, plurimos ad usus. radicibus nititur, ut ueratri, tenuibus. quæ ex hydromelite in potu, pituitosam uomitionem euocant. Folia dari debent ruptis, conuulsis, mulieribus uuluæ malo opportunis, & ad laxandos uteri strangulatus, denariũ pondere cum hydromelite. tres in uini sextario drachmæ, contra serpentium morsus ebibuntur. Herba magna utilitate illatis à serpente uulneribus illinitur. aduersus etiam uenena drachma ex uino pota conuenit. præsumpta ea, si uenenum hauriatur, nihil nocebit. urinam ciet. aluum subducit. medetur comitialibus & insanis, pota ex aqua: & iecinoris. lienisq; uitiis, drachmæ pondere in aceto mulso, concoctionem adiuuat, si quis eam fabæ magnitudine secundum cœnam cum melle cocto deuorarit. modo consimili acida ructantibus propinatur. stomachicis eam manducare & succum deuorare proderit, si postea dilutum uinum sorbeatur. datur sanguinem excreantibus, tribus obolis, cum diluti uini egelidi cyatho: ischiadicis, renum & uesicæ doloribus, ex aqua. aquæ intercutem binis drachmis ex hydromelite, si febricitant: sin aliter, ex mulso. regio morbo laborantes recreat. menses pellit, drachmæ pondere cum uino pota. aluum purgant drachmæ quatuor potæ, in hydromelitis decem cyathis. facit cum melle ad tabem & purulentam excreationem. Folia ficca tritaq; fictili uase reconduntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Βήτονη. Φυχότροφον. Latinè, Betonica.
Officinis genuinum nomen seruauit.
Germanis, Betonien/ Braun Betonien/ & Weiß Betonien. Inuenitur enim etiam floribus candidis. Gallis de la Betoine.

A Vetonica altilis.

Ereuprciß/ Grundtheyl



B

Betonica seu Vetonica, herba est nota, satis ab autore descripta, & quotidiani ac laudatissimi usus nostro tempore contra capitis morbos: præsertim floscvli ipsius saccharo conditi. Dicta autem est Vetonica ab inuentoribus, ut Plin. lib. 25. cap. 8. testatur, inquiens: Inuenerunt Vetones in Hispania eam quæ Betonica dicitur in Gallia, in Italia autem serratula, à Græcis cestron aut psychotrophon, ante cunctas laudatissima. Cestron uerò uocata est Græcis à uarietate & copia remediorum, uarijs enim & plurimis morbis accommoda est. Psychotrophi autem causa ab autore satis reddita est. Betonica amariuscula, subacris, incîdit, calculos renum frangit, pulmonem, thoracem, hepar, purgat ac tergit, menses mouet, epilepticis, acidum ructantibus, ischiadicis, potu prodest: admota autem ulceri, omnibus bestiarum morsibus. Betonicam, de qua præsenti cap. Dioscorides agit, Σαρξιφάγου Græcorum esse inde patet (quod locis alfiosis gaudet) amariuscula est, ac subacris, incîdit, calculos renum rumpit, &c. lib. 7. simp. Est & aliud Betonicæ genus, ut Plin. lib. 22. cap. 8. abundè docet, & in aliquibus Dioscoridis codicibus huius quoq; secundæ Betonicæ mentio fit, hæc Betonica siue Vetonica altilis aut coronaria dicitur. Germanis Graßblůmen/ Negelblůmen/ Graßnegelin. Brabantis Ginoffelkens. Gallis, girophles, oyceles. hanc tam Officinæ quàm Herbarij, medicique Turricam, detractis à Betonica duabus literis prioribus, nominant. Siquidem, ut eius pictura ostendit, foliis est porraceis, oblongis, per extremum mucronatis, concoloratu cæsijs, teretibus cauliculis, sesquicubitalibus, geniculatis, coëuntibus pyxidatim internodijs, floribus omnium speciosissimis, cariophyllorum odoratu, sed longè suauissimo, quandoquidem alius cocco rutilat, alius saturata nitet purpura, alius emaculato blanditur colore, alius uersicolore uariatur commistu. Omnibus teres longusculusq; calyx spectatur, orbiculo superiore denticulatus, à quo quinà senáue folia prodeunt, lente quidem fimbriata. Nonnulli tamen flores frequentiore coma stipantur, geminis utrinq; emicantibus staminaceis apicibus radice promissa, simplici geniculata. Vsus eorum in coronis propè nimius. Vires habet primæ Betonicæ.

Sunt qui Pauli Aeginetæ Betonicam eam herbam esse arbitrantur, quam Germani Ereuprciß, & ad mira sanandi uulnera facultate, Grundtheyl dicitur.

Britannica. Caput II. Britannica

Colubrina.



BRitannica aut uetonica, folia habet ſyluestris lapathi, A
ſed nigriora, & denſiora, guſtu adſtringentia: radicem tenuem & breuem: caulem paruum emittit. Foliis exprimitur ſuccus, qui igni aut ſole cogitur. Vim habet adſtringentem, priuatim depaſcentibus oris & tonſillarum ulceribus accommodatam. ualet etiam ad reliqua, quibus adſtrictione eſt opus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Britannicam hodie Italia Piatamanam appellat, quidam Lapathum acutum, quòd folia rumicis habeat. Cæterùm & longiora ſunt & nigriora, carnoſiora & lanuginoſiora, radice nigra & ueſca. Sunt qui putant eam eſſe herbam, quæ Officinis biſtorta, Germanis Natterwurtz/Genßampffer/dicitur, cuius picturam hîc damus.

Etenim folio eſt rumicis, à terra cæſio, ſupernè uiridi: flore rubro: radice concolori, contorta, nigricante, cui eædem quæ Britannicæ uires à medicis tribuuntur.

Lyſimachia. Cap. III.

Purpurea. *Lutea.*





B

LYſimachia, quam aliqui lytron appellant, caules emittit cubitales, altioréſue, frutico ſos, tenues, prodeuntibus geniculatim foliis, tenuibus, ſalicis figura, guſtu adſtringẽtibus, flore rufo, aut aureo. gignitur in aquoſis & paluſtribus. foliorum ſuccus adſtringente ſua ui ſanguinis reiectionem ſupprimit. dyſentericis potui datur, aut infunditur. menſium abundantiam ſiſtit, in peſſo. ſanguinis profluuio ſubuenit, finares ea herba obturẽtur. uulnerum cruorem cohibet. acerrimum nidorẽ ſuffita reddit. qua de cauſa ſerpẽtes fugat, & muſcas interficit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Λυσιμάχιον. Latinè, Lyſimachia, uel Lyſimachium.
Officinis Salicaria. Germanis, Rot & gelb Weiderich appellatur.
Lyſimachiæ duo eſſe genera, ex Dioſcoride hoc loco & Plinio ſatis liquet. Plinij enim purpureum florem

A habet, hinc nos illam purpuream appellauimus. Germanicè Braun weyderich. Dioscoridis uerò rufus, hoc est, aureos, ut metipse interpretatur, flores obtinet, ideoq; luteam nominauimus. Germanicè Gelb weyderich. Et hæc quidem altera magis astringit, inq; usu medico hoc nomine eidem præferenda.

Sanguinaria, seu Polygonum. Caput IIII.

POlygonum mas, ramos habet teneros & molles, frequẽtibus geniculis cinctos, qui per terram, ut gramen, repunt. folia rutæ, sed molliora longioraq; semine sub foliis turgescente: unde marem appellari uolunt: flos eius candidus, aut puniceus. Vis epoti succi est spissare, ac refrigerare. prodest cruentæ excreationi, choleræ, alui fluxionibus, & urinæ stillicidio. urinam apertè ciet. cum uino potus, contra serpentium morsus auxiliatur. datur in febribus per horam ante significationes. fœminarũ profluuia impositu sistit. idem succus purulentis auribus instillatur. facit eximiè ad genitalium ulcera, cũ uino, adiecto melle, decoctus. Stomachi feruori, sanguinis reiectionibus, ulceribus quæ serpũt, ignibus sacris, collectionibus, tumoribus, & recentibus uulneribus folia illinuntur. Sanguinaria fœmina fruticat uno caule, arundini teneræ simili, densis geniculis, & in se tubarum modo farctis. articulos in orbem cingunt apices foliis piceæ similes. radicis nullus usus. nascitur in riguis Huic quoq; spissandi refrigerandiq; natura, ad eadem ualens, sed inefficacior.

Polygonum. Weggraß.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Πολύγονον.

Latinè Polygonũ, Sanguinaria, Seminalis. Officinis Corrigiola, & Centũnodia.

Germa. Wegdrit/ Weggraß/ Denngraß. Gallis de la corrigiole dicitur.

Vim adstrictoriam quandam obtinet Polygonum, ita sanè uincit in eo aqueum frigidum, ut uidelicet secundi sit odoris medicaminum refrigerantium, aut etiam quodammodo in initio tertij. Est etiam exiccatorium.

Est & alia herbula cõsimilis uiribus polygono, Germanis Knawel uocata, gustu dulci, palmi altitudine, exilibus flauis foliis, instar chamæcypariſsi, flosculo & semine subuiridi, milij similitudine, odore graui. nascitur aquosis agris. Hæc herba uino cocto, uel aqua inde destillata, pota, calculis medetur. Est & gratum iumentis pabulum.

Polygonon fœminam rura Galliæ aquaticam pinum nouerunt nominare, nanq; ea in humidis fruticat uno caule, arundini tenerisimili, de his geniculis in se tubarum modo factis, quorum torulos folia pinus in orbem cingunt, radice nullius usus. inuenitur in riguis.

Germani uocant Kleyn Katzenwadel/ & Katzenkraut.

Knawel. *Hippuris.*



Polygonatum. Caput V.

POlygonatum nascitur in montibus, fruticẽ cubito altiore: foliis lauri, latioribus & læuioribus, sapore mali cotonei, aut punici, cum quadam adstrictione. flores per singulos foliorum exortus promit, candidos, foliis numerosiores, incepta à radice

Polygonatum minus.



radice ſuppuratione. radicem habet albam, mollem, longam, crebrò geniculatam, denſam, grauiolentem, digitũ craſſitudine æquantem: quæ uulneribus efficaciter illinitur: quinetiam maculas in facie delet. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Πολυγόνατον. Latinè, Polygonatum.
Officinis & Herbarijs Sigillum Salomonis.
Germanis, Weißwurtz/Salomons ſigel.
Gallis Geniculiere, quaſi geniculata.

Nomen traxit, quòd radix frequentibus geniculorum nodis interuallata tumet. nam caulis nullis cingitur articulis, ſed enodis attollitur nullis brachiatus ramis. Galenus prior, & eo poſterior Paulus, odorem ei quendam aſſignant ſine guſtu faſtidiendo, qui ne explicari quidem rectè poſſit. Duo eius genera damus. Vnum uerum, latioribus foliis: alterum multò anguſtioribus. Valerij Cordi inuentum. A foliis utriq; nomina ſunt indita. Singulis annis accreſcit radici nouus geniculus.

Clematis. Cap. VI.

CLematis humi ſerpit. læto, pinguiq; ſolo prouenit, uiticulas ſpargens craſsitudine iũci, exiguas: folio lauri figura & colore, multò minora. Ea cũ caulibus in uino pota, alui profluuia & B

Clematis altera.



Vinca peruinca.



A dyſentérias ſedant. ſubdita in peſſo cum lacte & roſaceo, aut cyprino, cruciatibus uuluæ medentur. Dolores dentiũ commanducata finit. impoſita ſerpentium morſibus, iuuamentum præſtat. fertur etiam contra aſpidum ictus ex aceto pota opitulari. Gignitur in terrenis. Eſt & altera clematis, quæ uiticuloſum emittit ramulum, rubeſcentem, lentum: folium guſtu admodum acre, ac exulcerans. repit per arbores, ut ſmilax. Semen tritum, pituitam bilemq; detrahit, in aqua aut hydromelite potũ. folia eius illita lepras purgant. Cum lepidio conditur ad cibos.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κληματὶς δαφνοειδὴς. Latinè, Clematis daphnoides. Officinis Vinca peruinca.

Germanis, Jngrũn/Streyt/Todten vióln. Gallis du petit liſeron, peruenca dicitur.

Clematis daphnoides ſi quis imaginem, naturam, effigiem exquiſitius exploret, ea cenſebitur eſſe, quæ Officinis & Herbariſs uinca peruinca nominatur. namq; prælongos ſpargit iuncos, folia lauri colore & figura, multò minora pinguiq; lætoq; prouenit ſolo, geniculatis reptans flagellis, gracili & in terrã ſparſo iunco. flori bus uiolaceis, colore hyacinthino, interdum ſed rarò ſubpurpureo, obuia quæq; uincens, unde uincæ peruincæ nomen ductum putatur. Ea ſemper uiret in modum lineæ foliis geniculatim circundata, topiaria herba, imo ptam tamen florum aliquando ſupplet. Siccitas in clematide. Paulo Aegineta teſte, cæteris qualitatibus præua let id quod guſtus etiam oſtendit: guſtanti enim adſtrictionem quandam & amarorem habere uidetur. Adſtringit autem modicè, ſed fortiter amara eſt. Siccat itaq;, ut citra mordicationem.

Altera Clematis, cuius Dioſcorides meminit, Græcè, Κληματὶς ἑτέρα, Latinè, Clematis altera. Germanis, Nyelen/Waldreben. Gallis Viorna, hardea dicitur. Eius picturam ſuprà habes.

Clematis altera nihil omnino ea uidetur, cuius nomenclaturam poſuimus. quòd ramorum fáſces ea perincce, foliis hortenſis ſolani longioribus ac latioribus, flore maſculoſo & capillaceo, fructu exiguus, nucis ſimili, poſt maturitatem rubeſcente, acinis ferè punici mali, quadantenus rotundis, &c.

Polemonia. Caput VII.

Beben album.



Beben rubrum.



Polemoniam

POlemoniam alij philæteriam, Cappadoces chiliodynamin appellant, ramis exilibus, utrinq; pinnatis. foliis paulò quàm rutæ maioribus, ac longioribus, calaminthæ aut sanguinariæ proximis, quibus in summis uelut corymbi dependẽt, nigro semine: radice cubitali, albicante, radiculæ simili: nascitur in montosis & asperis. Bibitur in uino radix contra serpentes & dysenteriam, & ex aqua, aduersus urinæ difficultatem, & coxendicum cruciatus. datur ex aceto drachmæ pondere lienosis. eadem scorpionis plagæ alligatur. Tradunt, eum qui radicem gestauerit, à scorpione non feriri: eumq; si ictus sit, nihil molesti passurum. dentium dolorem mansa mitigat. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Πολεμώνιον. Latinè, Polemonia, uel Polemonium herba.
Officinis Behen album.
Germanis, Taubenkropff (sed à fumaria diuersa) Lidweych/Widerstoß/Splyßpettel.
Gallis sauge sauuage. Sabaudi Clacque, uocant.

Polemoniam à certamine regum inuentionis appellant, radix eius alba oblonga, flos albus folliculo inclusus, folia polygoni multò maiora. huius radice hodie in Officinis frequentissimus usus, nam hanc antidotis cõfectionibusq; suis miscent. Loco Behen Arabum, quod Serapioni duplex, album & rubrum, magnitudine radicis cariotæ, calida, humida, odora, semen augens: ex Armenia defertur. Eius loco ego, si id solum possum, Eringij radicem substituerem potius, quàm hanc polemonij radicem. Alterum been rubrum Serapioni dictum.

Symphytum, siue Alus. Caput VIII.

Symphytum petræum.



SYmphyton petræon, id est Alus, nascitur in petris, ramis tenuibus, paruis, origano similibus: capitulis thymi: surculosum totum, odoratum, gustu dulce, saliuam ciens: longa radice, subrufa, digitali crassitudine. Decoctum in aqua mulsa & potum pulmonis uitia purgat. sanguinem reiicientibus, & renum malis, ex aqua datur. ad dysenteriã, rubraq; fœminarum profluuia, in uino decoctum: ad conuulsa uerò & rupta, ex aceto mulso bibitur. quin & commanducatũ sitim sedat. faucibus asperis subuenit. uulnera recentia enterocelasq; conglutinat, & illitu cohibet. carnes autem cum symphyto decoctæ coalescunt. Est & alterum symphyton, quod aliqui pecton uocant: id caulem emittit bicubitalem, aut maiorem, crassum, leuem, angulosum, ut sonchi inanem, circa quem breui interuacante spacio, folia exeunt angusta, linguæ bubulæ proxima, oblonga, hirsuta: caule secundum angulos quosdam striato: foliis tenuibus ex alarũ sinu prodeuntibus, in quibus flores lutei* & circa caulem uelut herba sciscmina emicant. tam caulis quàm folia, aspera lanugine horrent, tactuq; pruritum concitant. radices demittuntur foris nigræ, intus candidæ, uiscosæ: quarum est usus. Tritæ & potæ cruentis excreationibus, ruptisq; proficiunt. recentia uulnera illitæ conglutinant. carnes quoq; si concoquantur, cogũt additæ. inflammationibus præsertim sedis, cum senecionis foliis, utiliter illinuntur. B

*Alij addunt, rutaceis similes, præter rem.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σύμφυτον πετραῖον.
Latinè, Symphytum petræum.
Officinis Prunella.
Germanis Brunellen/dicitur.

Vulnerariam herbam esse euidentissimum est, quare etiamsi non uerũ Symphytum petræum fuerit, tamen illi uiribus omnino simile. Succum eius cum aceto & rosaceo mixtum, uehementes capitis dolores sedare recentiores uno consensu tradunt, si tempora ex eo inungantur, Aphthas & oris ulcera, fauciumq; uitia succus eiusdem sanat.

A

Symphytum maius.



B

Symphytum alterum Græcis Σύμφυτον ἕτερον.

Officinis Consolida maior.

Germanis Schwartzwurtz / Wallwurtz / Schmerwurtz/Beynwell.

Sunt qui in Gallia oreylle dasne, id est, asini auriculam uocant. Apud nos Symphytum frequentius flore subrubro, uel leuiter purpurascente, aut candido quàm luteo Symphytum conspicitur: quamuis & melino nonnunquam inueniatur, hoc, ut reor, facit soli diuersitas.

Modicè ordine scilicet secundo, calfacit, exiccat & contrahit.

Holostium. Cap. IX.

HOlostion quadrantalis herbula est, humi rẽpens: foliis uiticulisq; coronopo aut gramini proximis: gustu adstringentibus: radice alba, prætenui usq; in capillamenti speciem, longitudine quatuor digitorum. nascitur in collibus terrenis. Vsus eius ad rupta, in uino potæ: nam et carnes coguntur, decoctionibus addita.

Sine duricia herba est holosteon ex aduersa appellata, sicut fel dulce, ceu gramen, foliis angustis.

Stœbe. Cap. X.

STœbe uulgaris est noticiæ, cuius semen & folia stringunt, quapropter decoctum dysenterici infunditur. auribus quoq; purulentis instillatur. illita folia oculis ab ictu cruẽtis prosunt, erũpentis sanguinis impetus cohibent.

Scabiosa.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Stœbe herba, quæ apud nos nascitur, fruticosa est, calida, acris, odoratũ quippiam resipiens, ad uini conseruationem ne acescat, aptissima, si calor huius dolijs admotæ ignis calore excitatus, uina crudiora percoxerit.

Stœbe, quæ & Phleos dicitur, spinam habet in folio & caule Plinio lib. 21. cap. 15. Lib. autem 22. cap. 11. omnia ex hoc Dioscoridis capite mutuatur, quòd astringat foliis & semine, ob id hæmorrhagæ, dysenteriæ, oculis cruentatis, auribus purulentis conueniat, quæ uires Galeni Stœbæ acri & calidæ non conueniunt, neutra tamen harum nostra est Scabiosa uulgo & Officinis dicta (cuius picturam damus) quòd scabiei sanandæ sit idonea. Folio est crucæ cùm adoleuit hirsuto, aculeis tamen non horrente, flore cœruleo, quæ pulmoni purgando & hepati confert, & carbunculum recens admota horis tribus perrumpit.

Psœram autem Aëtij non esse nostram Scabiosam, hinc apparet, quòd huius ustæ fumo arborum crucæ non moriantur, imò non moueri eas magis quàm stipularum fumo expertum se scribit Syluius, quam tamen facultatem Aëtius Psœræ tribuit.

Clymenum. Cap. XI.

CLymenum caulem fert fabæ, quadratum: folia plantaginis, folliculis supra caulem in sese inflexis, ut in polyporum cirrhis. Probatissimum est è mõtibus. E fructice toto cum radice succus exprimitur, qui ad sanguinis re-

iectiones

lectiones in potu efficax est. cœliacos, rubraq; fœminarum profluuia, refrigerando A
infrenat. sanguinem naribus erumpentem supprimit. Trita folia, aut siliquæ recē
tibus uulneribus impositæ, ea ad cicatricem perducunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Clymenon Ruellius eam esse arbitratur, quam Officinæ & Herbarij partim cypriam, partim saponalē, argumento, quòd elota pinguitudinem quandam in aqua saponis modo remittat. Vulgus Gallorum Dustego appellat, non ignotam ijs e uulgo, qui uetustis ulceribus medentur, extremam oram leuissimè fimbriatam, foliculis supra caulem in sese uiflexis, ut in iride, & crebrò irretientibus inuicem polyporum cirrhis, &c.

Periclymenum. Caput XII.



PEriclymenon, simplex fruticat, ex interuallis parua folia habens ipsum amplectentia, subcandida, hederacea, inter folia surculi exeunt, in quibus baccæ, hederę similes: flos fabæ, candidus, aliquantum rotundus, & quasi in folium procumbens: semen durum, & quod difficile euellatur: radice rotunda, crassa. nascitur in aruis ac sepibus, cō uoluens se adminiculis propter assidētibus. Semen eius postquam ematuruit collectum, & in umbra siccatum, si drachmæ pondere detur in uino quadragenis diebus, lienem absumit. lassitudinem discutit. sed urinam ciet statim à sexto die cruentam. orthopnœę & singultui prodest partum accelerat. Folia sunt eisdem uiribus prædita. quæ tricenis septenis diebus epota, sterilitatem facere prodūtur: perunctis ex oleo, febrium algores abigunt.

NOMINA ET EXPLICATIO. B

Græcè, Περικλύμενον. Latinè, Periclymenum.

Officinis Caprifolium, mater sylua: licet confundatur hoc nomen à multis.

Germanis, Gilgen consort, multis corruptè uocatur, Jeunling/Speckhilgen/Waldthilgen.

Brabantis, Mammekenscruyt Switselbloemen. Gallis Viniboscum dicitur.

Nascitur in aruis ac sepibus, conuoluens se adminiculis quibuscunq;, enimuero ea amplexi caulis frutex est, ramulis lignosis, rufis, geminis per interualla, umbilicatis foliis, à terra cæsijs, supernè herbosis, mollibus, haec is sylucstris myrti, uel quod idem est, ruscі, in cacumine duobus foliis tunicato, ita ut difficulter eruatur, radice crassa.

Periclymeni fructus & folia subamara, tandem acria, adeò ualenter calfaciunt, et incidunt, ut multò usu cruentas urinas educant, lienosos, ægrè spirantes, ex oleo admota iuuat. Vides quàm fœdè labantur, qui Lycium ueterum ex hoc fructu repræsentant. Nunc flore ferè utimur, & ex eo uel flore ligustri aqua capitello destillata, ad oris & faucium aphtas & nomas colluendas.

Tribulus. Caput XIII.

TRibuli genus unum terrestre, foliis ad effigiem portulacæ, tenuioribus uiticulis, in terra stratis. spinis secundum folia rigidis, præduris. iuxta amnes & rudera nascitur. Est & alterum genus, aquis familiare, quod in fluminibus natū comā exerit, aculeos condens: foliis latis, & pediculo longo: caule parte summa quàm ima crassiori. capillamenta quædam indidem exorta spicantur. semen durum, ab altero non abhorrens. Vterq; refrigerantis & inspissantis est naturæ: ideo inflammationes omneis cataplasmate adiuuat. ulcera in ore erumpentia, putredines, gingiuas, tonsillasq; persanat. Succus ex his colligitur ad oculorum medicinas. Semen dum recens bibitur, calculosis iuuamentum affert. Drachma terrestris tribuli pota, illitáue, ictos à uipera recreat. contra uenena cum uino aptissimè bibitur. decoctum eius sparsum pulices necat. Thraces qui ad Strymona amnem habitant, uirenti tribulo equos saginant, & è dulci semine & esculento panem quo uescuntur faciunt.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO.

A

Tribulus marinus.



B

Terrestri tribulo, ut Dioscor. tradit, folia sunt portulacæ, tenuiora. & rami iacentes in terra exigui, iuxta quos spinæ difficiles, præduræ. Germani Wegdorn appellant: secundum fluuios & in ruderibus prouenit.

Alterum genus Aquaticũ, Officinis Tribulus marinus: Germanis, Wassernüßle.

Gallis Macres dicitur.

Hoc genus uulgus nostrũ satis nouit, quod sit apud nos palustribus & residibus aquis familiare, siquidem cubitorum quinũm & amplius in uado consurgit, ulmeo super aquas extante folio, longo pediculo, capitulis sub aqua mersis, caule per summa crassiori, infernè graciliori, qui capillamentis quibusdam spicaceis fruticat, semine atro, duro, nucis ferè magnitudine, retusis aculeis aliquot cincto, cuius nucleo accolæ non secus atq; castaneis uescuntur, &c.

Ex hoc etiam in farinam molito per inopiam annonæ, fiunt panes, ob id Ferrariensem castaneam Galliam Padanam audio uocare. Terrestre quibusdam esse uidetur, quod uulgus Wegdorn/ Officinæ calca trippam uocant, quòd cacumen ueluti muricibus muniat, & spinarum aculeis insigniter armetur, ramis humi procumbentibus, siliqua spinarum uallo muricata, in qua semen rotundum, nigrum, rudera, septa uillarum obsidens, &c.

Limonium. Cap. XIIII.

LImonium folia habet betæ, tenuio-

Limonium.



* Μικρότερα, non μακρότερα, legendũ fortè ex Plinij lib. 20. cap. 8.

ra & * longiora, decem, sæpe plura: caulem tenuem, rectum, lilio æqualem, seminibus rubris scatentem, quæ gustata adstringunt. Semen tritum, & ex uino acetabuli mensura epotum, dysentericis cœliacisq; prodest. rubra fœminarum profluuia sistit. Nascitur in pratis & palustribus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Λιμώνιον.
Latinè, Limonium.
Officinis Pyrola.
Germa. Wintergrün dicitur, & Waldtmangolt.

In umbrosis & syluestribus locis prouenit, folia & semen gustu uehementer astringunt, ita ut in tertio ordine siccitatis illud rectè recẽtiores collocent, qui eius decocto ad interna & externa uulnera potandũ utiliter præbent.

Semen acetabuli mensura dysentericis prodest, hæ uires à Limonij uiribus non discrepant, adstringit enim & uulneraria herba est, ut Limonium, pyrola: floribus & foliis quoq; huic omnino similis, quare citra ullum discrimen Pyrolam, cuius picturam damus, Dioscoridis esse Limonium, asseuerare licet.

Lagopus.

Lagopus. Caput XV.

Lagopus.



LAgopus herba sistit aluum in uino pota: aut in febri, ex aqua. eadem inguini alligatur, in inflammatione. Nascitur in segetibus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Λαγώπους. Λαγώπυρος.

Latinè, Pes leporis, Lagopus, Leporina herba, Lagopyros Hippocrati. Officinis inusitata.

Germanis, Katzenklee/ Hasenpfötlin.

Gallis L' herbe de la trinite, ou pied de lieure dicitur.

A nullo, quod sciam, Lagopus describitur. Herba autem quam pro eo exhibemus, caules habet rotundos, hirsutos, folia loto Trifoliæ quæ in pratis gignutur similia, semen in paniculis muscosis lanuginosisq;, leporino pedi similibus admodum, adstringentis gustus, exiccandi uim obtinet, Galeno teste.

Medium. Cap. XVI.

MEdion in saxis & opacis nascitur. folia habet iridis: caulem tricubitalem, & in eo florem grandem, purpureum, rotundum: semine cnici, minuto. radicem dodrantalem, crassitudine baculi, gustu acerbo. Quæ trita in farinam, & ex melle decocta, rubros menses fœminarũ sistit, eclegmate per aliquot dies sumpto. Semen in uino potum, menstrua pellit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Medion Plinio folia habet iridis satiuæ, caulem tripedalem, & in eo florem grandẽ, purpureum, rotundum, minuto semine, ad imaginem cnici, radicem semipedalem. Exemplaria sunt in quibus ei folia iridis redduntur. Verùm cùm Plinius iridis frondes descripsit, cum satiuæ adiecerit, non de iride, quam nemo satiuam legit esse, sed de seride putatur intellexisse, cuius constat duo esse genera, satiuum & syluestre. Nam, autore Theophrasto, iris nullum desiderat. Medium hac tempestate planè incognitum est. B

Gladiolus.



Epimedium. Cap. XVII.

EPimedium, caulis est non magnus, hederæ foliis, denis atq; duodenis, neq; florem, neq; fructum ferens: radice tenui, nigra, grauiodore, gustu fatuo. nascitur in humidis, folia cum oleo trita, impositio cataplasmate, mammas increscere non sinunt. Radix conceptum adimit. Folia trita quinis drachmis, post mẽstruas purgationes quinq; diebus in uino pota. præstant mulieribus ne concipiant.

Forsan idem Epimetron Theophrasti fuerit, hodie incognitum est.

Gladiolus. Cap. XVIII.

XIphion, alij Phasganon, alij machæronion, Romani gladiolum uocant. Nomen inde accepit, quòd folium gladij præbeat speciem iridi simile erat, nisi minus & angustius uideretur, & gladij modo mucronatum, neruosumq;. in caulem exit cubitalem, in quo purpurei flores, in ordinem digesti, inter se distant: rotundo semine: radicibus geminis, una, bulborum modo, super alteram insidente: quarum inferior gracilis est, superna uberior nascitur in aruis Superior cum thure illita, admisto uino, spicula & aculeos è corpore extrahit. panos cum lolij farina & hydromelite discutit: qua de re huiusmodi emplastris inferi solet. menses impositia trahit. superiori radice ex uino pota.

uenerem

A uenerem stimulari, & inferiore sumpta sterilescere tradunt. superiorum quoq; utiliter infantium entero celis, cum aqua potui dari præcipiunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ξίφιον. *Latinè & Officinis* Gladiolus.

Germanis, Kleyn blae Schwertel. *Gallis* Glais ou glaitel *dicitur.*

Folia Xiphyo, *ut Theophrastus scribit, lata, ad ensis effigiem exeunt, unde nomen herbæ inditum. Scolopendræ in eam herbam frequentes conueniunt, mirumq; in modum gaudent huius consuetudinis fru. Floret cum uiola nigra: hodie nullius usus.*

Sparganium. Caput XIX.

SParganium, aliqui Xiphidion uocant. folia habet gladioli, sed arctiora, & interam magis pro cumbentia. in summo caule ueluti pilulæ prominent, in quibus semen. Contra serpentis uenena, radix cum uino datur.

Sparganij picturam & descriptionem habes suprà lib. 3. cap. 113.

Xyris. Caput XX.



B XYris, folia habet iridis, latiora, & in turbinem mucronata: quorum medio caulis erumpit crassus, cubitalis, ex quo siliquæ triangulares dependent. in quibus purpureus flos, in medio puniceus: semen in folliculis, simile fabis, rotundum, rubrum, acre: radix longa, geniculata, rufa. Contra capitis uulnera, fractaq; efficax est. aculeos & spicula omnia citra molestiam extrahit, adiecta floris æris tertia parte, & radicis centaurij æ mellis quinta. tumoribus & collectionibus illita cum aceto medetur. Radix ex passo bibitur, ad conuulsa, rupta, coxendicum dolores, strangurias & alui profluuia. Semen tribus obolis potum, urinam uehementius impellit: & cum aceto, lienem absumit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ξυρὶς. *Latinè*, Xyris. *Officinis* Spatula fœtida.

Germanis, Wandtleußkraut *dicitur.*

A necandis cimicibus appellant, circa sepes & dumeta nascitur, Italiæ frequens, nusquam tamen in Germania, nisi sata, prouenit: uehementer acrè qualitatem obtinet, adeò ut gustata, fauces quasi urere uideatur: proinde calidum & siccum admodum esse constat.

Anchusa. Cap. XXI.

ANchusa, quæ alio nomine calyx, aut onoclia appellatur, folia habet lactucæ, in acumen fastigiata, hirsuta, aspera, nigra, multa, quoquouersum humi sparsa, spinis horrida: radici crassitudo digitalis. quæ æstate prouenit, manus inficit sanguineo colore. læto solo nascitur. Radix adstringit, ad ambusta & uetera ulcera, ex oleo & cera efficax est. igni sacro cum polenta medetur, lepris & uitiliginibus illinitur ex aceto. partus extrahit, uuluæ indita. eius decoctum renum uitijs, lieni, & bile suffusis datur: & si febris sit, ex aqua mulsa. Sistunt aluum folia in uino pota. Radice pigmentarij utuntur ad unguentorum spissamenta. Est & altera, quam aliqui alcibiadion, aut onochiles appellarunt. hæc à priore distat, quòd minora habeat folia, sed simili modo aspera: ramulos exiles: florem purpureum in puniceum uergentem: radices rubras, oblongas, quæ mesibus sanguineum succum fundunt. in sabulosis nascitur. uis ei foliijsq; inest, quæ contra uirus cùm reliquorum serpentium, tum maximè uiperarum, auxilietur, siue cibo, siue potu, siue alligatu. nam si quisquam mandens, in serpentis os inspuat, eum necabit. Est & alia huic haud dissimilis, semine puniceo, minore. Cuius semen mandu catum, si in serpentis fauces inspuatur, eam interficiet. radix acetabuli mensura cum hyssopo & nasturtio * pota, latas uentris tineas excutit.

* Alij eardamomo.

NOMINA



NOMINA ET EXPLICATIO. A

Græcè, ἄγχουσα. Latinè, Anchusa. Officinis Bugloſſa rubea. Germanis, Rot Ochſenzung. Gallis Orchanette dicitur.

Mulieribus non ignota, quæ colorem faciei natiuum fuco mentiuntur, quæq; uernaculum genarum pallorem, genitiuasq; uultus maculas hoc infectu occulunt: rectè malas eleganti commendat purpuriſſo.

Nam hæc caulem habet erectum, folia lactucæ, in acumen exeuntia, hirſuta, aſpera, nigricantia, copioſa, quoquouerſum humi ſparſa: ſpinis horrida: radicem puniceam, digitali craſſitudine, per ætatem manus inficientem ſanguineo colore: læto ſolo prouenit. Sunt & aliæ anchuſæ ſpecies, ſed bodie incognitæ.

Lycopsis. Cap. XXII.


LYcopſis, quæ à nonnullis anchuſa uocatur, foliis lactucæ longioribus, aſperioribus, latioribusq;, craſſis, ad radicis caput recidentibus: caule longo, recto, ſcabro, hirſutis adnatis multis, cubitalibus: flore paruo, purpureo: radice rubra, & adſtringente. naſcitur in campeſtribus. Cum oleo radix illita uulneribus medetur: & cum farina hordeacea, ignibus ſacris. ſudores peruncta mouet, adiecto oleo.

EXPLICATIO.

Multi Lycopſin hanc eſſe putant, nec ab re, quam uulgus Herbariorũ appellat linguam canis, Germani Linde Hundszung, nam longioribus quàm lactuca foliis, ſubhirſutis, ad radicis caput tendentibus, ſemine in lappacijs umbilicis ruſo & exili, radice rubra, &c.

Echium. Caput XXIII.

Echion domeſticum. Syluestre. B



A ECHion folia habet prælonga, hirsuta, aliquantum tenuia, anchusæ proxima, minora tamen, subrubra, & pinguia, spinulis tenuibus horridula: cauliculos exiles, numerosos: minutaq; utroq; latere folia, expansa, pinnataq;, nigra, in summo caule minuscula: flores secundum folia purpureos, in quibus semina capiti uiperarum similia insunt. radix nigricat, digito tenuior, quæ non percussis modò à serpentibus ex uino prodest, sed eos qui antea biberint, feriri non patitur. folia & semen idem præstant munus. lumborum dolores sedat. in uino aut sorbitione sumpta, lac extrahit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἔχιον. Latinis Echium. Officinis Bugloſſa uulgaris.
Germanis, Liebäuglin/Gemeyn Ochſenzung. Gallis Bugloſſe ſauuage dicitur.
Hac Officinæ quædam pro uera ueterum Bugloſſa utuntur, non tamen ſine graui errore.

Ocimastrum. Caput XXIIII.

OCimoides, Latini ocimastrum uocant, folia fert ocimi, & ramos dodrantales, hirsutos, siliquas hyoscyamo similes, semine, ut gith, nigro prægnantes. Vim habet semen in uino potum, qua uiperarum cæterarumq; serpentium morsibus medeatur. datur ischiadicis cum melle, uino, myrrha, & pipere. Radice nititur tenui & superuacua.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Ocimoides, quod & ocimastrum, uulgo iacia alba, & pocularia, quòd pecillorum similitudinem pocilia gerunt, ex Ruellij sententia. Mihi enim certas ob coniecturas esse uidetur ocimoides herba, quam hodie multi been rubrum uocant, ob floris colorem, quamuis & albus inueniatur: non autem loquor de radice, quã falsò sic uocant, ab Arabum descriptione longè diuersum. Sed crinon quoq; ocimoides aliqui uocant: de quo in capite sequenti plura. Quidam putant Basilicon syluestre.

Erinus. Caput XXV.

B ERinus nascitur apud fontes & fluuios, foliis ocimi, sed minoribus, parte superna diuisis, quinis, sentsue, dodrantalibus surculis: flore candido: semine nigro, & acerbo. folia & caules lacteo succo turgent. Semen drachmis duabus in quatuor mellis cyathis oblitum, oculorum fluxiones cohibet. Succus cum sulphure * & nitro instillatus, aurium dolores sedat.

* Addunt quidam, uino.

NOMINA ET EXPLICATIO.

A recentioribus Herbarijs herba lactis appellatur, à quibusdam lacteris, & militaris, alijs ocimum aquatile, trientalibus ramulis, quinis seni sue foliis ocimo longioribus, albo flore, semine atro, pusillo, acri, duro. Herba succo manat lactis, tum colore, tum dulcedine, unde lactariæ nomen apud uulgus inualuit.

Gramen. Caput XXVI.

GRamen geniculatis serpit ramulis, à quibus crebrò radices spargit dulces, articulis præcinctas. folia dura, &, ut arundinis paruæ, lata, in exilitatem fastigiantur, eaq; iumenta & boues pascunt. Trita radix illitu uulnera conglutinat. decoctum eius in potu, torminibus medetur, & urinæ difficultatibus. calculosa etiam uesicæ excrementa comminuit. Est & arundinaceum gramen, priore multò maius, quod iumenta necare traditur, præsertim in Babylone: idq; iuxta uias nascitur. Quod in Parnaso monte gignitur, densius fruticat: foliis hederaceis: flore odorato, candido: semine paruo, non inutili: radicibus quinis aut senis, digitali, crassitudine, candidis, mollibus, & admodum dulcibus. Succus si in uino cum melle pari, & myrrhæ dimidio decoquatur, adijcianturq; piperis & thuris tertiæ portiones, probatissimum erit oculorum medicamentum. id in ærea pyxide reconditur. Decoctum radicis, idem quod herba præstat. Semen uehementius urinam impellit, aluũ uomitionesq; sistit. Natum in Cilicia gramen, quod incolæ cinnam appellant, bo ues inflammat, * si eo uirenti sæpe pascantur.

* Alias saginas suæ opplet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Gramen

Gramen Parnaſſi.





Gramen. A



Gramen pecori eſculentum, radice eſt modicè frigida & ſicca, parũ mordaci, ſubſtantiæ tenuitatem exiguam ſortita, qua calculos potu interdum frangit. Germanicè Rechgraß/ Junckern gräßle. Quod uerò in Parnaſo gignitur, ea fortè eſt herba, quam Germanicè unifolium appellamus.

Sideritis altera.

Sideritis. Cap. XXVII.

Sideritis.





Sideritis tertia. B

Kleyn Bathengel/ weible.



SIderitim aliqui heracleam uocãt. folia habet marrubij, ſed longiora, ſatis ad frondem quercus aut ſaluiæ accedentia, minora tamen, & aſpera. caules ædit quadra

A tos,palmum sæpé excedentes, non iniucundi gustus, aliquantum& substringentis, in quibus per interstitia orbiculatæ uertebræ,uti in marrubio,spectantur, & semé in eis nigrum.nascitur in petrosis.Illita folia,suapte ui, uulnera sine inflammationis periculo iungunt.Altera Sideritis binûm cubitorum,ramulis exilibus: folio filicis,numeroso,utrinq; per oras diuiso: pediculo longo,prodeuntibus è summo alarum sinu surculis,longis,tenuibus: capitulo in cacumine orbiculato,aspero,in quo semen continetur,quàm betę rotundius aliquãto, ac durius.Huius uis,foliorum& ad uulnera præcipua est.Sideritin aliam esse tradunt,quam Crateuas heracleã uocat,in macerijs & uineis nascentem,folijs corini, à radice numerosis: dodrãtalibus cauliculis,læuibus,teneris,in rubore candicantibus: flore purpureo,paruo,gustanti amaro & lento.Huius ea uis est,ut quamuis recenti uulneri imposita,sanguinem supprimat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sideritis prima Latinis,Græcis Σιδηρίτις *dicitur: magna Officinarum pars,hac herba pro chamæpityo uera utitur,non sine errore,cùm satis ex forma ipsius delineationi collata constet, non esse chamæpityn. Germanis* Gliedkraut *appellatur.Sideritis uerò nominata,quòd glutinandis uulneribus apta,præcipuam in bello habeat usum. Alterius Sideritidis historiam ac nomenclaturam quære lib 3.cap de Geranijs.*

Tertia Sideritis Heraclea,Germanis Aleyn Bathengel/weible/& Zeißkraut *dicitur.*

Sideritis habet quandam abstergendi facultatem,id quod amaritudo eius satis indicat: & pauculàm adstrictionem. Plurima tamen eius pars humida est & mediocriter frigida,phlegmonam sedat, & glutinandi uim obtinet.

Achillea. Cap. XXVIII.



*Alij hue addunt, amaris.

B

ACHillea, quibusdam Achillea sideritis, dodrantales aut maiores gerit scapos, fusorum effigie, quasi minutulis folijs circundatos, crebris in latere foliorũ sectionibus,coriandri similitudine,sub* fuluo colore,odore multo,non insuaui,medicato & glutinoso.umbella in cacumine rotunda,floribus candidis,purpureis,& aurum æmulãtibus.prouenit læto solo. Trita coma sanguinolenta glutinat,& ab inflammationum periculo tuetur. erumpentem sanguiuem inhibet,& cruenta uuluæ profluuia,in uellere decocto,quoq; insident fœminæ fluxione uuluæ laborantes.ad dysenteriam bibitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè,Ἀχίλλεος. Latinè,Achillea. Officinis Millefolium maius.

Germanis,Groß Garbenkraut/Gerwel/Schaffripp.

Gallis Mille feulle grande dicitur.

Millefolium hactenus Achilleæ appellationem apud multos etiam eruditos retinuit,cuius delineationi tamen ad singula respõdere non uidetur, quare haud immeritò quidam arbitrantur achilleæ speciem esse eam herbam,quã Germani S.Barbaren kraut / Galli uerò carpentariam appellant, nam huius etiam usus glutinandis uulneribus propè nimius.

Rubus. Cap. XXIX.

RVbus,notitiæ uulgaris . Vim habet siccandi & adstringendi: capillum tingit.Ramorum decoctum potu aluum sistit,& fœminarum profluuia. presteris morsui accommodatissimum.gingiuas firmat . Oris uitijs folia commanducata medentur.cohibent ulcera quæ serpunt , ulceribus in capite manantibus,oculisq; procidentibus remedio sunt:condylomatis & hæmorrhoidibus folia illinuntur.cardiacis,& stomachi doloribus,trita conuenienter imponuntur.caules cum folijs tunduntur , exprimiturq; succus, mox sole cogitur,singulari remedio contra omnia quæ modo dicta sunt . Mori in rubo nascentis quàm optimè maturi succus, ad oris medicamenta conuenit.sistitur aluus præmaturi cibo,necnon flore in uino poto.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO.

Rubus.



Græcè, Βάτος. Latinè, Rubus, frutex ſpinoſus.
Officinis genuinum nomen ſeruauit.
Germanis, Ein Brombeerſtaud/Kratzbeer.
Brabantis, Braembeſien.
Gallis Ronce dicitur.

Rubi, ſeu Sentis, Græcè Βάτου genera Theophrasto tria ſunt: magnus ſeu rectus, humilis & mediũ. Batus magnus ſeu rectus eſt Dioſcoridis & Galeni κυνόσβατος, fructu oblongo, per maturitatem rubente, cytino ſimili, in quo ceu lanæ flocci arteriam ſi deuorentur infeſtant, hunc Germani Heckroſen on geruch. Galli Englentier ſans odeur appellant: huic fŏlijs, fructu, roſa ſimulis eſt cynoſrhoda, Germanis Wolriechend Heckroſen, nam ipſa planta quoq; in differentiam alterius odorifera, Gallis Englentier de bon odeur appellatur. Huius generis Roſa omnis, niſi quòd ferè gerit fŏlia florum magis multiplicia & maiora, arte opinor adiuta: ſed Cynoſbatos ſpinis hamatis horridior, rectior, & altior aſſurgit, odore caret, quem Cynoſrhoda tota habet præſtantiſsimum, ut ſuprà diximus, Roſa uerò frutex flore ſolo eſt odorato, nunc albo, nunc rubeo, nunc amborum medio (Germani Leibfarb/Galli Incarnat appellant) nunc etiam moſchato, qui Germanis Roſen von Damaſco/Gallis uerò Roſes de Damaſc appellatur Χαμαίβατος autem, id eſt, humilis rubus, Dioſcoridi hoc loco & Galeno abſolutè tantum Βάτος dicitur, fŏlijs multo maioribus quàm Cynoſbati, bicoloribus, per nodos ternis ſarmentis lõgiſsimis & firmiſsimis, qua parte terram attingunt, radicem iterum facientibus, flore albo, tenui, racemoſo. Cui ſuccedunt mora grandia, racemoſa, multis granis coagmentata, per maturitatem nigerrima, Βάτινα Galeno dicta. Germanis Brombeeren/media denq; eſt Βάτος ἰδαία, de quo plura capite proximè ſequenti.

Rubus Idæus. Caput XXX.



IDæus rubus appellatus eſt, quoniam paſsim in Ida prouenit. Eſt autem longè tenerior priore, ac minoribus ſpinis horrens. quanquam & ſine ſpinis inueniatur. inſuper eadẽ præſtat quæ ſupradictus. Cæterùm flos cum melle oculorum collectionibus commodiſsimè illinitur. ignem ſacrum extinguit, ſtomachicisq; ex aqua bibendus datur. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Βάτος ἰδαία. Latinè, Rubus Idæus.
Officinis inuſitata. Germanis, Hindberen. Gallis Framboſie dicitur.

Βάτος ἰδαία Dioſcoridis longa tenerior eſt rubo, qui ſimpliciter Βάτος dicitur, ac minoribus ſpinis horrens, quanquàm & ſine ſpinis inueniatur: frequens is eſt in ſyluis, fŏlia habet chamæbati, ſed paulò minora, rectus ferè ſurgit, ad duo aut tria cubita, ſcapo gracili & infirmo, & minimum ſpinoſo, flore ſimili, & fructu, ſed minore, & granis quinq; aut ſex coagmentato, & per maturitatem rubro aut nigerrimo, ſed in cæruleum inclinante ob aërium quoddam tectorium, nigris uuis & prunis, & alijs multis fructibus innaſci ſolita: aſtringunt, ſiccant, refrigerant omnia rubi genera, maius & minus. Ad Rubum Idæum docti hodie reducunt hortenſem (cuius picturam damus) rubi recti, breuis, parum ſpinoſi ſpeciem, quam Germanicè ſuprà diximus Hindtberen appellari, fŏlijs bicoloribus, fructu dum maturut olfactu & guſtatu iucundiſsimo, fragri rubri (eſt enim etiam album) æmulo: quem fructum herba trifŏlia & bicolor fert acrem, præſertim ſemine.

Helxine. Caput XXXI.

HElxine cognomento ciſſampelos, fŏlijs eſt hederæ, minoribus: ramulis exilibus, quibus complectitur quodcunq; contigerit adminiculum. naſcitur in ſepibus, uinetis, & ſegetibus: foliorum ſuccus potu dejcit aluum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

A

Helxine maius.



Helxine minus.



Græcè, Ελξίνη.
Latinè, Helxine, cissampelos.
Officinis uolubilis.
Germanus, Windē & Jaunglocken.
Brabantis, Clocxē kenserruyt.

Hîc nota, etiã multos doctos uiros eam herbam quæ Officinis peritaria dicitur, cum hac, cuius picturam damus, non sine graui errore, confundere.

B

Elatine.



Elatine. Cap. XXXII.

ELatine folia habet helxinæ minora, rotundiora, pilosa: dodrantalibus ramulis, quinis sensue, à radice foliosis, gustu adstringentibus. nascitur in segetibus & culris. Oculorum fluxionibus & inflammationibus auxiliatur, foliis cum polenta tritis & impositis. Eadem cocta sorbitionis usu dysenteriam sistit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ελατίνη.
Latinè, Elatine, Chamæcyssos.
Officinis falsò hedera terrestris.
Germanis, Grundtreben/ Gundelreben. Brabantis, Onderhaue. Gallis Raue sauuage dicitur.

Officinæ omnes hactenus hac herba pro terrestri hedera usi sunt, omnibus reclamantibus notis, sed qui hanc cum legitima Elatines descriptione contulerit, facilè iudicabit eandem esse.

Eupatorium. Cap. XXXIII.

EVpatorium fruticosa herba est, unicum efferens caulem, lignosum, nigricantem, rectum, tenuem, hirsutum, cubitalem, interdum ampliorem: foliis per interualla quinq; folij, aut cannabis magis similibus, quinque-

Agrimonia. Eupatorium Mesue. Eupatorium adulterinum. A



B

quinquepartitò aut amplius diuisis, nigricantibus per ambitum serratis. semen medio caule erumpit, pilosum, deorsum spectans, quod siccatum uestibus inhæret. Contrita huius folia & cum suillo adipe impositæ, ulceribus quæ ægrè cicatricem trahunt, medentur. herba aut semen in uino potum, dysenteria, recinoris uitijs, & serpentium ictibus liberat. Nec desunt qui aberrantes, argemonem hanc appellarint, cùm tamen longè alia sit, uti exposuimus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Εὐπατώριον. Latinè, Eupatorium. Officinis Agrimonia.

Germanis, Agrimonien/ Odermenig/ Leberkletten. Gallis Aigremoine dicitur.

Eupatorium uel Hepatorium, uel Hepatitis, omnino agrimonia uulgaris uidetur Dioscoridis, hoc Eupatorium cum Seraptionis Agrimonia, & Mesue Eupatorio conferenti.

Corruptum uerò nomen ex Argemone apparet, quam falsò Eupatorium quidam (ut Dioscorides quoque testatur) putarunt: incidit, terget, tenuium est partium, sine manifesto calore, subastringit, iecoris ob id obstructiones aperit, ipsumq; roborat, unde & nomen inuenit: uel cum Cicerone ab Eupatore rege: hanc etiam Pentaphyllum uocari, quòd folio sit quinq; partitò, scribit Galen. lib. 5. comp. pharma. part. Eupatorij nunc folia nunc radicem Actuarius miscet.

Habetur & uulgo Eupatorium adulterinum, Germanis Hirtzklee/ Kungunds kraut/ & Wasserdost, Cannabis altitudine assurgit. folijs ebuli modo serratis, Mense Iulio flosculos fert roseos, semine endiuiæ uolatili. Fluminum littoribus & locis paludosis crescit. herba est amara, sicca, & calida secundo gradu. Vulneraria est cùm floret, terget, exiccat, cit urinam & menses, purgat pulmonem & pectus. Oppilationes iocinoris & lienis soluit. Suffitu eius fugat animalia uenenata. Cerui uulnerati feruntur hac herba sibi mederi.

Quinquefolium. Caput XXXIIII.

Pentaphyllon. Heptaphyllon.



QVinquefolium ramulos fert ſurculaceos, tenues, dodrantales, in quibus ſemen. folia menthæ, quina ſingulis pedicu lis, rarò plura, in ambitu ſerrata: florem ex luteo palleſcentem, au riæmulum. naſcitur in riguis, & aquariis ductibus. ſubrubram habet radicem, oblongã, ueratro nigro craſſiorem. Plurimis pollet remediis. eius radices decoctæ ad tertias, ſi in ore contineatur, dẽtium dolores ſedat. putrida oris ulcera, collutione ſiſtit. arteriæ ſcabritias, gargarizatu læuigat. contra alui profluuia, & dyſenterias auxiliatur. item articulorum coxendicum q; cruciatibus potum. Cocta in aceto, & illita, ſerpentia ulcera cohibet. ſtrumas, tumores, duritias, abſceſſus & collectiones diſcutit. ignes ſacros, reduuias, condylomata, pſoras q; ſanat. Teneræ radicis ſuccus, contra iecinoris, pulmonum q; uitia prodeſt. item aduerſum uenena. Cum hydromelite autem, uel diluto uino, & piperis exiguo, bibuntur folia, contra febrium circuitus; in quartana quidem, quaternũm ramulorum: in tertiana uerò, ternũm: in quotidiana, uhius. ea quoq; folia, tricenis pota diebus, comitialibus proſunt. foliorum ſuccus, tribus cyathis aliquot dies potus, celerrimè regio morbo medetur. illitum melle & ſale, tum uulneribus quàm fiſtulis remedio ſunt, enterocelicis auxilium præſtant. Quinquefolium ſanguinis profluuia & potu & illitu ſiſtit. ad expiationes, caſtimonias, & incantamenta inciditur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Πεντάφυλλον. Latinè, Quinquefolium. Officinis genuinum nomen ſeruauit.

Germaniis Fünffinger kraut. Gallis Quinte feule dicitur.

Pentaphylli radix ſiccat ordine tertio, ſine morſu, tenuium eſt partium, nimium acris, & calida. Tormentilla, quæ Germanis Tormentill *&* Blůtwurtz, *Gallis* Tormentille *dicitur, putatur, Leoniceno, Manardo, Ruellio, quæ nunc quinq; folia, nunc ſeptem folia, his & mihi ſæpe uiſa eſt: uti & uulgare quinq; folium etiam ſeptemfolium frequenter eſt: uti & Eupatorium, de quo ſuprà, quod etiam pentaphyllon Galeno dicitur, lib. 5. comp. phar. part. Hæc radix in theriacen recipitur. & noſtra Tormentilla uenenis & peſti reſiſtere experientia multa eſt certiſſimum, ut ſi non ſit eadem, eius loco uſurpari poſſit.*

Phœnix. Caput XXXV.

PHœnix folia habet hordei, ſed breuiora. & anguſtiora, ſpicam lolio ſimilem: calamos digitorum ſenũ, radici aduolutos: ſeptenas octonáſue ſpicas. In aruis rectis q;

Phœnix.



tectis q; recenter illitis nascitur, harum uirium compos, ut in uino austero pota, alui profluuium, & emanantem uulua sanguinem sistat, urinę impetus infrenet. Sunt qui adalligatam in puniceo uellere & suspensam, sanguinem supprimere prodant.

NOMINA ET explicatio.

Est herba Phœnicea Plinio appellata à Græcis, à Latinis hordeum murinum, Auena sterilis à multis hodie dicitur, Germanis Taubkorn/ Meusekorn/ Meusegersten/ quandoquidem ea sterilis auena, folia habet hordei, sed breuiora & angustiora, spicam lolio similem, culmos digitorum senum radici in orbem obuolutos, septenas octonáue spicas in subachis coctisq; recenter illitis inuenitur.

Sunt & alia Tritici sterilis, auenæ, & hordei, ustilagnis, lolij, Aegilopis, & similium genera, De quibus apud Plinium, Theophrastum, & alios. Germanicos item Herbarios passim legitur, uarijs morbis & usibus accommoda.

Triticum uaccinum. A
Kůweyssen.




B

Hasenbrot/ Zidern/ Hasenhirss/ Junckfrawhar.

Vstilago.
Brandt.



Lolium, Dorr.
Gauchhabern/ Meußhabern.





A

Idæa radix. Caput XXXVI.

IDææ radici folia sunt ea quæ rusco. adhærent his ueluti exigui pampini, in quibus flos. radix spissandi naturam habet, his cõueniens quibus adstrictione opus est. pota, citam aluum, menses q̃, & omnem abundantiam sanguinis sistit.

Græcè, Ἰδαία ῥίζα. Latinè, Idæa radix, uel Idæa herba, foliis rusci, acerba gustu: miscere solita luctantium in palæstra, ad ea quæ repercutere tantum oporteat, ut Paulus Aegineta scribit. Hodie planè incognita.

Rhodia radix. Caput XXXVII.



B

GIgnitur Rhodia radix in Macedonia, cõsto similis, læuior, inæquabilis, quæ contrita, rosas redolet. utilissima capitis doloribus, si madefacta fronti & temporibus cũ rosacei momento imponatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Fuchsius in Herbario suo hanc facit, quam Germani radicem uocant rosarum, Rosewurtz/ab odore rosarum, quæ spirat, præsertim uiridis, & cùm eruitur.

Recentior suauius olet. Ex Austria & Pannonia ad nos adfertur uirens, & uegeta diutissimè seruatur. Inæqualis est, cortice albescente, sapore acerbo, ut bistorta, acorus uulgaris, & ben rubeum Seplasiariorum: quibus omnibus ut sapore, ita ferè crassamento etiam & colore rufo omnibus comparari potest. Folia sunt portulacæ quodammodo, aut telephij, in mucronem excuntia, circa summũ crenata, caules ab una radice plures exeunt.

Cæterùm ex illo nouo repertarum insularum orbe, Liburnicarium remigatu, lustrato, delatum nuper ad nos lignum crasso cortice & hiulco multis tuberibus & nodis inæquale, ponderis eximij, ita ut immersum aquis pessum eat, nec sedens rursum emergat, tanta pollet grauitate, buxiq̃ colorem, crassitudinem & duritiam imitatur, hoc tritum uel in scobem derasum rosas odoris suauitate prouocat, quin potius de paritate certans, uincit iucunditate. Hoc rosaceum lignum appellarunt, cùm barbarum regionis nomen audire non potuerimus.

Equisetum. Caput XXXVIII.

EQuisetum in riguis & scrobibus nascitur. cauliculi prodeunt inanes, geniculati, in se fracti, rubescentes, scabri, & iuncea circa eos folia, crebra, exilia, in sublime equisetum attollitur, uicinos arborum caudices scandens, obuolutumq̃ deponet, comis multis, nigris, ut equorum cauda. radix lignosa, dura. Vis herbæ spissare: quare sanguinem naribus erumpentem succus ipse sistit. prodest dysentericis in uino potus. urinam cit. Sanguinolenta uulnera glutinantur, tritis foliis, & illitis. Radix cum sua herba tussim, orthopnœam, ruptaq̃ adiuuat. Foliis in aqua potis, dissectiones uesicæ & intestinorum, enterocelæq̃ in unum coalescere, cogiq̃ feruntur. Alterum equisetum caulis est rectus, cubitalis, aut maior, inanis, comis per interualla breuioribus, candidioribus, & mollioribus. Id cum aceto tritum uulneribus remedio est, eademq̃ fungitur facultate.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἵππουρις. Latinè, Equisetum.

Officinæ uerbum uerbo reddentes, cauda equina.

Germanis, Schaffthew/Katzenwadel/Roßschwantz/Katzenzagel/Rantenkraut/Taubenrock. Gallis Queue de cheual, ou prela dicitur.

Quæ hic à Dioscoride pingitur, uulgò Schaffthew dicitur propriè, non ignota materiarijs fabris, qui ligneam

Roßschwantz. Kleyn Schafftheu. Schafftheu. A



ligneam pectinum & aliorum minutorum operum ruditatem huius herbæ scabritia in nitorem expoliunt. B Manq; ea in sublime scandit, & uicinos arborum fruticumq; caudices improbo cirrhorum reptatu complecti tur, proxima quæq; uinciens, ab ramisq; dependens instar equinæ caudæ, calamis geniculatis pyxidatim cornutibus, capillamento potius quàm foliis articulato, iunceæ cuspide. in riguis & fossis inuenitur. Alterum hippuris uel equiseti genus, quod equisetum cognominant, Germani Katzenwadel. recto caule, æquali, cubitum excedente, uacuo, grauioribus per interualla & candidioribus comis mollioribusq; assurgit. Faciunt & aliam Græci Hippurim, grauioribus & mollioribus comis: inuenitur hæc in pratis, nec ferè frequentius occurrit inuisa fœnisecis: hanc polygonij fœminam esse, ut suprà ostendimus, multi arbitrantur.

Coccum infectorium. Caput XXXIX.



COccum quo infectores utuntur, frutex est surculosus, paruus, cui grana ceu lentes adhærent. quæ electa congeruntur. Optimum gignitur in Galatia & Armenia, deinde Asia & Cilicia. ultimum ex omnibus Hispanicum. Vis huic spissandi, uulneribus neruisq; præcisis, conuenienter ex aceto tritum illinitur. Nascitur quoq; in Cilicia, è quercubus, cochlearum exilium similitudine, quod illius regionis mulieres ore legũt, & coccum uocitant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κόκκος βαφικός.
Latinè, Coccus Baphica.
Officinis Grana tinctorum, & Kermes, & Alhermes cum Mauris.
Germanis, Scharlachber.
Gallis Vermillon dicitur.

Coccus baphica, uel coccum baphicum, bacula est asparagi æmula, foliis innata fruticis aquifoliæ ilicis. Theoph. Plin. astringens, amara, siccat sine morsu, ob id ad uulnera magna etiã neruorum cõgruit, roborat

partes

A Tragocerum.



B

partes siue his qualitatibus manifestis, siue etiam (ut quibusdam placet) lotus substantiæ familiaritate, quam dicunt habere cum corde præcipuam.

Tragium. Cap. XL.

TRagium nascitur in Creta tantùm insula, lētisco semine, folio & ramis simile, singulis tamen minoribus. succus ei lacteus, gummi non dissimilis. Semen, folia, lachryma q; illitu spicula è corpore ejiciūt. omnia quoq; corpori impacta euocant. potu astringuntur. iæ medentur. calculos uesicæ frangunt. menses trahunt. modus in sumptione est, drachma una. Fama est syluestres capras sagittis confossas, eius herbæ pabulo spicula excutere. Est & alterum tragium, quod tragoceros aliqui uocant, folia scolopendrij habet, & radicem syluestris raphani, tenuem, candidam, quā crudam uel coctam esse dysentericis prodest, folia autūno hirci uirus olent. exinde sibi tragi nomen adoptauit.* Prouenit in montibus & præcipitijs.

* Addititia clausula.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Plinio Iunipero similis, & semine & folio, & ramis: hodie, utpotè quam sola Creta insula gignit, passim incognita.

Alterum Tragum, quod tragocerum aliqui uocant, Dioscoride teste, huic nonnulla consentirent, quæ uulgo bursa pastoris, Germanicè Teschelkraut/uel Seckelkraut appellatur, quòd & folia ferè scolopendrij ferat, radicem syluestri raphano non dissimilem, candidam, qua in dysenterijs salubriter utuntur, nisi natales reclamarent, nasci; hæc nascitur propter uias in parietinis: illa montibus & præcipitijs. hæc silliculis in exiguæ uulgæ similitudinem compressis, turbinata cordis effigie, semen gerit minutum.

Tragum. Caput XLI.



EST etiam herba tragos, quam aliqui scorpion aut taganon uocant, maximè in maritimis nascēs, palmum alta, aut amplior, fruticosa, humilis, oblonga, sine foliis, pusillis circa ramos acinis, rufis, multis, magnitudine tritici, acuto cacumine, gustu multū adstringente. Racemorum acini decem ex uino poti, cœliacis, & fœminis fluxione uuluæ laborantibus auxiliantur. Tunduntur à pleriſq;, & in pastillos digesti asseruantur, quibus utuntur cùm opus est.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Τράγος. Latinè, Tragos. Officinis uermicularis.

Germanis, Rattentreuble/Hünertrauben.

Tragus herba nascitur in muris & petris, macerissq; uinearum & parietibus prouenit. Maio & Iunio mensibus, pallidis seu candidis floribus. Desiccat modicè, uehementer autem refrigerat, ideo ad Erisipilata, herpetas, & à fluxione natas phlegmonas prodest.

Iuncus. Caput XLII.

IVnci duo genera. unum læuis nominati, alterum acuti, qui in mucronem fastigiatur. Cuius etiam duo assignantur genera, unum sterile, reliquum fert semen nigrum,

Scirpus.



grum, rotundum, & crassiore constat A
calamo, carnosioreq;. Tertius est iuncus qui uocatur oloschœnos, prioribus carnosior, asperiorq;, is similem sua pradicto fructum in cacumine parit. Semen utriusq; tostum, ex diluto uino potum, sistit aluum, & rubra fœminarum profluuia. urinam cit, capitisq; dolores facit. Quæ proxima sunt radici folia tenera, conuenienter illinuntur aduersus phalangiorum morsus. Aethiopici * iunci semine somnus allicitur. sed modus in potione seruandus est, ne sopor fiat. * Euripici.

NOMINA ET EXplicatio.

Græcè, Σχοῖνος. Latinè, Iuncus.
Officinis Latinum nomen seruauit.
Germanis, Binsen/ Schmelen.
Gallis Ionc dicitur.

Tria genera Iunci apud nos inueniuntur. Vnus in aquis, crassitudine & magnitudine, fungosaq; medulla insignis, Latinis mariscus, Græcis holoschœnos dicitur. hic ut mollissimus, ita ad nitilia præferunt. Alter acutus à nostris, Græcis oxyschœnos nominatur, sterilis idem. & mas, qui regenerat se quotannis, cacumine in terram defixo, ex quo cepitia radix denuo pullulat. Tertius melancranis, quasi atriceps dicitur, fructum gerit uuarum cohærentium modo, in quibus cuspidatum semen clauditur. B *hoc nihil in uliginosis occurrit frequentius. Videtur autem palustris iuncus idem cum scirpo esse. Nec in fruticum, inquit Plinius, nec in uoprium cauliúmue, neq; in herbarum alióue ullo quàm suo genere numerentur iure, læui ac enodi stilo in exile cacumen fastigato, fungosa medulla, qua ad lucernarum utuntur lumen, ut plãta tota ad operiendas tegetes, neq; non contextus nattarum, quallorum, aliorum uitilium nexus.*




Lichen. Ca. XLIII.

LIchen qui saxis est familiaris, aliquibus bryon appellatur. asperginosis petris adhæret, ut muscus. Is illitus sanguinis profluuia sistit, inflammationes arcet, impetigini medetur. iuuat regio morbo correptos, cum melle illitus. oris & linguæ defluxiones inhibet.

NOMINA ET explicatio.

Græcè, Λειχὴν πόα.
Latinis, Lichen, & Bryon.
Officinis Hepatica. quamuis id commune cum alijs quibusdam nomen habeat.
Germanis, Leberkraut/ Steyn oder Brunn leberkraut.
Gallis Hepatique, pourcorau dicitur.
Lichen nomen inuenit ab eo, cui peculiariter medetur, impetiginis morbo: aut

A Pulmonaria.



etiam, ut putò, à re ipsa nomen ducit. quoniam saxa quibus hæret linguæ modo lambat: hodie omnibus tum Officinis tum Herbarijs hepatica dicitur, quòd iocinerum fibris similis conspiciatur. Abstergentem ac modicè refrigerantem facultatem, utramq; uerò resiccantem habet. Abstergentem quidem atq; exiccantem à petra, refrigerantem autem ab aqueo humore. Est & aliud genus hodierni temporis, Medicis & Herbarijs pulmonaria, Germanis uerò Lungenkraut appellata, in quercu arbore ac saxosis locis prouenens. Folia mollia habet, inuicem incumbentia, leniter laciniata, cauis multis prædita, superiore parte uiridia, inferiore in luteo albicantia, ac ueluti punctis aut pustulis quibusdam notata, atq; hoc nomine aliquam pulmonis humani formam referentia, unde etiam pulmonariam dictam esse conijcimus. Admodum adstringit & desiccat, quamobrem uulnera recentia glutinat, potissimùm autem pulmonis &c.

Paronychia. Caput XLIIII.

Paronychia. Lunaria italica.



B

PAronychia exiguus frutex, in petris nascens, peplo similis, minor longitudine, maioribus foliis. Illita paronychijs atq; durities, remedio est.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Paronychiam esse conijcio eam, cuius picturam damus, quam Itali lunariam à noctu lucentibus foliis uocant, herbam odoratam, in montium saxis nascentem, foliis peplij, radice hirsuta. Quidam unguinalem herbam, Germanicè Nagelkraut appellant.

Chrysocome. Cap. XLV.

CHrysocome palmi altitudine fruticat. coma specie corymborum, hyssopo simili. radice hirsuta, ueratri nigri modo, tenui, cyperum æquante: gustu non iniucundo, ex austero dulci. in petrosis opacisq; nascitur. Radix excalfacit, & adstringit, his conuenies, quos iecur aut pulmonis inflammatio malè habet. contra purgationes uuluæ, decocta cū hydromelite assumitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Chrysocome alijs chrysanthemon, & amaranthū, chrysitis Plinio. Latinam non habet appellationem. Palmi altitudine est, comantibus fulgore auri corymbis, in petrosis opacisq; emicat. Proximè ad eam accedit, quam Herbarij nostri pulegium montanum uocitant.

Chrysogonum. Caput XLVI.

CHrysogonum densè fruticat, quernis foliis: flore coronarij uerbasci. radix ut rapum extuberat, intus rubentissima, foris nigra. Quæ trita cum aceto, atq; imposita, muris aranei morsibus auxiliatur.

NOMINA ET EXPLICATIO. Græci,

Chrysogonum.



Græcè, Χρυσόγονον.
Latinè, Chrysogonum.
Officinis, Chariophyllata, & herba benedicta.
Germani Benedicten wurtzel appellant.

A

Radix eius luto & sordibus clota, siccatur, & imbre aceti respersa, arcas & uestes iucundo commendat odore. Decoctum huius sumitur ad perficiendas concoctiones, sedandosq; coli dolores. Radix eius pectoris lateriscq; dolores & cruditates iucundo sapore discutit. Manuscriptus Herbarius facultatem habere dissoluendi, digerendi, & obstructiones tollendi scribit. Fomentum idem ex uino decoctiones eius menses ciere. Contra uenena tritam cum uino sumptam ualere. Concoctionem præterea roborare, dolorem uentriculi & intestinorum à frigiditate aut flatibus ortum, decoctam in uino sanare ait. Mirificè etiam ad interna uulnera huius herbæ decoctum confert. Externa uerò ex ea collui debent.

Elichrysum. Cap. XLVII.

Elichryson.



B

ELichryson quidam chrysanthemon, nonnulli & id amaranton uocant, quo deorum simulachra coronãt. ramulum habet cãdidum, uirentem, rectum, firmum: folia intercedentibus spacijs angusta, abrotano similia: comam aureę lucis, in orbem, umbella rotunda ueluti siccis corymbis dependentibus: radice tenui. nascitur in asperis, & torrentium alueis. Contra serpentium ictus, cõxendicum dolores, urinæ stillicidia, ruptaq;, coma è uino pota opitulatur. ciet menses. Sanguinem concretum uentris ac uesicæ absumit, pota cum mulso. ieiunis, trium obolorum pondere, sistit destillationes, dato in uino albo diluto. uestibus interitur, ut eas ab erodentium iniurijs tueatur.

Amaranthus purpureus.



NOMINA ET explicatio.

Ελίχρυσον Dioscoridi, Galeno & Paulo Amaranthus, Officinis & imperitis Stichas citrina, uel, ut ipsi loquãtur, sticados citrinum. Germanis Rheinblůmen/Mattenblůmen. Helichryson uerò dictum, quòd ad solis repercussum comantibus in orbem florum folijs, fulgorem auri præ se ferat. Alter (duplex enim Amaranthus est) purpureus, qui hodie flos amoris, & Germanis Blůmle von der lieb/Flozamor/ & Sametkölble dicitur, quibusdam etiam Tausentschön. Amaranthus autem dici cœperunt duo hæc genera, quòd flores eorum nunquam marcescunt. Recentiores purpureum amaranthum uehementer siccare tradunt, ideoq; cum uino sumptum, maximè uerò semen, alui fluxiones sistere scribunt. Lutei floribus in uino decoctis, ad lumbricos educendos utuntur, & ad pediculos enecandos, in lixiuio coctis.

Chrysanthemum. Cap. XLVIII.

CHrysanthemon aut caltha, nonnullis buphthalmos. herba est tenera, fruticosa, læues proferens caules, & multifida folia: flores supra modum splendentes, luteos, orbem oculi imitantes, unde buphthalmi nomen traxit. pro

A

Wisenblům.

Wetzen Hanenfůß.



Süß Hanenfůß

B

Geel Hanenfůß.



pter oppida nascitur, cuius caules oleris uice manduntur. flores cum cerato triti, steatomata discutere prodũtur. regio morbo correptis, colorem breui reddunt, si sequente lõgo balnei usu, post exitum ebibantur.

EXPLICATIO.

Græcè, Χρυσάνθεμον.

Latinè, Chrysanthemum.

Officinis incognitum.

Germanis, Schmaltz blům, à pinguedine, quæ cum trito digitis flosculo apparet, & Moßblům, Geel Wißblůmen, Mattenblůmen, Drattblům, & Dotterblům nominatur. Chrysanthemum à floscułis auri splendorem & colorem præ se ferentibus, dictum est. nascitur prope urbes, in pratis humidis, & alijs locis aquosis. Fœnisse Calitha Vergilij in Alexide, ut putat Hier. Tragus Calidum est flocum. Chrysanthemon, inquit Cordus, duplex est, Vnũ flores omnino luteos habet, Goldblůmẽ, alterum in medio luteos, & per ambitũ cãdidos, S. Johans blůmẽ.

Sub hoc caput referũt quẽdam ranunculi genera quædam, formã nõ admodum dißimili, gustus tamen certò arguit, Germanicè Hanenfůß uocata, de quibus suprà lib. 3. cap. 168.

Age-

Ageratum. Caput XLIX.

A

AGeraton fruticosa herba est, palmari longitudine assurgens, simplex, humilis, origano maximè similis, umbellam gerit, in qua flos bullis aureis emicat, elichryso minor. Nomen ei inditum est, quoniam diutissimè flos in sua coloris specie conseruetur. Vis decocti feruens. huius ustæ nidor urinam cit, & uuluæ duritias emollit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sunt qui Ageratum arbitrantur eam esse herbam, quam suprà capite de Heliochryso descripsimus, & amaranthum luteum appellauimus.

Verbenaca. Caput L.



PEristereon, siue uerbenaca, nascitur in aquosis. Nomẽ ex eo duxisse uidetur, quòd columbæ circa hanc perquàm libenter uersari soleant. dodrantis altitudine, & interdum amplius adolescit: folia è caule prodeunt incisa et subalbida. ea singulari ramo, radiceq; sola constare sæpius inuenitur. Folia cum suillo adipe recenti * aut rosaceo imposita, uuluarum dolores finire putantur. ignem sacrum illita ex aceto reprimunt, * putrida ulcera cohibent. uulnera glutinant. ueteraq; ex melle, ad cicatricem perducunt.

* Verere.

* reprimit &c. ad herbam referenda.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, περιστερεὼν ὑπτία. Latinè, Verbenaca recta.
Officinis Verbena simpliciter.
Germanis, Eisenkraut/Eisenhart.
Gallis Veruaine appellatur.

Verbenaca recta, id est, περιστερεὼν ὀρθὸς, præsertim uiridis & recens, sed enim sicca, cum radicibus oleo incocta, perfusaq; capiti, dolorem eius omnem diuturnum à frigore, aut crassis humoribus omnium maximè digerit, & caput roborat.

B

Gal. lib. 2. com. phar. part.

Sacra herba. Cap. LI.



SAcra herba, quæ & peristereon nominatur, ramulos emittit cubitales, aut maiusculos, angulosos, in quibus ex interuallis folia quercus, sed minora angustioraq;, eisdem diuisuris in ambitu, colore aliquatenus cęsio. radix longa, tenuis, flores purpurei, graciles. Folia cum radice in uino pota, illitáue, aduersus serpentes pollent. eadem drachmæ pondere cum thuris obolis tribus, in uini ueteris hemina, quadragenis diebus, ieiuno ore, contra regium morbum bibuntur. ueteres tumores & inflammationes mitigant. sordida ulcera purgant. Tota in uino decocta, tonsillarum crustas abrumpit. oris nomas gargarizatu cohibet. Aiunt, si aqua spargatur tricliniũ, qua maduerit, lætiores conuictus fieri. Datur potandum in tertianis febribus, tertium à terra geniculum, cum foliis circundantibus: quartanis, quartum. Sacram uocant herbam, quoniam multum ad amuleta, expiationesq; commendetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἱεροβοτάνη. Latinè, Verbenaca supina, siue Herba sacra. Officinis Consolida media.
Germanis Gulden gunsel/ Consolen. Gallis Console dicitur.

A Caulem habet quadrangulum, lanuginosum, ex quo per interualla folia bina ex singulis geniculis in extremitatibus laciniata, quernis similia, sed minora, angustioraq;, colore cæsio, à medio caulis ad fastigium usque ex singulis foliorum alis flores sex aut septem in purpureo cœrulei exeunt. Radix illi subest lignosa, quæ multas à se exiguas radices capillamentorum instar per terram latè serpentes, propagat. Gustu astringit, & amara est, ut calidam & siccam esse nemo dubitare possit. Vulnera, ut recentiores tradunt, glutinat. Sanguinis grumos ex casu, uel contusionibus coactos in corpore discutit & dissoluit. Præsens remedium est aphthis, & ulceribus in ore serpentibus. Decoctum eius tumoribus illitum, eos dissipat. Vsus etiam eius ad intertrigines, ulcera pudendorum, & intestinorum ex ulcerationes prodest.

Astragalus. Caput LII.

ASTragalus, paruus à terra frutex, foliis & ramis ciceri similis: flore purpureo, peruo: radice rotunda, raphani modo, grandi, quæ adnatas appendices firmas habet, nigras, præduras, ueluti cornua inter se implicatas, gustu adstringentes, nascitur in uentosis, opacis, & in niualibus. eo Memphis * Arcadiæ scatet. Aluum sistit radix in uino pota. urinam mouet. uetustis ulceribus, sicca efficaciter inspargitur. sanguinem supprimit, ægrè, propter duritiam, tunditur.

* Phæneus.

Astragalus, qui à Dioscoride describitur, frequens est in Gallia: rura cicer montanum, uel rusticum cicer, eorum uerò idioma Cices sauuages, ou cices de montaigne nominant, fruticem folio & ramis ciceri similem, flore purpureo, paruo, teretti radice, raphani modo grandi, quæ uelut adnatas habet appendices, præduras, ueluti cornua inter se implicatas, gustu adstringentes. Inuenitur in petrosis, & locis uento perflatis: cicerculam esse diceres, nisi radix lenta subesset. Germa. Erdmozen, alij Christianwurtz appellant.

Hyacinthus. Caput LIII.

Medius. Minor.

B

HYacinthus folia habet bulbi: dodrantalem caulem, minimo digito tenuiorem, herbacei coloris; comam procumbentem, florum purpureorum plenam, incuruam;

Hyacinthus maior.



curuam: radicem bulbaceam quæ, ut creditur, pueris cum A
uino albo illita, pubertatem coërcet, & non patitur erumpere. sistit aluum, pota urinam impellit. phalangiorũ morsibus auxiliatur. Semen adstringentius est, theriacis expetitum. regium morbum emendat, cum uino potum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ὑάκινθος. Latinè, Hyacinthus, ϵ, ut quidam uolunt, uaccinium. Officinis incognitus.

Germanis, Merꝛblůmen/ Größ blae Merꝛenblůmlin.

Gallis uacietum dicitur.

Duplices sunt Hyacinthi, albi & cœrulei, ut ex hoc Columellæ carmine colligi potest: Necnon uel niueos uel cœruleos hyacinthos, albos uerò non intelligas prorsus candidos, sed eos potius, qui, si cum cæteris cœrulcis conferas, pallescere uidentur, quemadmodum pictura affabrè tibi demonstrat. Sunt qui ad ætatem hanc differentiam coloris referre uolunt, quorum ego sententiam ueriorem esse existimo: cùm enim adolescunt, pallescere incipiunt. Cœruleum autem Hyacinthum natura triplicem producit, maiorem scilicet, minorem, & medium: in illo enim maiores ac patentiores, in hoc autem minores & quasi orbiculati sunt flores, ut ex eorum pictura cernere licet. Vere mensibus nimirum Februario & Martio, cum uiola purpurea. Theophr. lib. 6. de stirpiũ historia cap. ult. teste, erumpit. hinc Martium florem Germanis dictum esse conijcimus. Hyacinthi radix bulbosa est ordinis primi in desiccando, secundi uerò completi aut incipientis in refrigerando. Semen autem tertio quadantenus ordine desiccat, in medio caliditatis & frigiditatis consistens.

Papauer erraticum.



Papauer erraticum. Cap. LIIII.

PApauer erraticum, quod rhœada uocant, uere quidem in aruis cum hordeo nascitur, flore protinus deciduo, unde & nomen apud Græcos accepit. folia erucæ, aut origano, aut cichorio, aut thymo similia spectantur, sed longiora, diuisa, scabra. iunceus ei caulis, rectus, cubitalis, asper: flos syluestris anemones, puniceus, interdum albus: oblongum caput, sed quam anemones minus: semen rufum. radix longa, subalbida, minoris digiti crassitudine, gustu amara. Huius capita quinq; aut sex, in uini cyathis tribus ad dimidias decocta, potui dabis quibus somnus exercendus est. Semina acetabuli mẽsura ex aqua mulsa pota, aluum leniter emolliunt. ad idem præstandum mellitis placentulis, & dulciarijs libis admiscentur. Folia cum calycibus illita, inflammationes sanant. eorundem fotu & perfusione, somnus allicitur. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Μήκων, ἡ ῥοιάς. Latinè, Papauer erraticum, rhœas.

Officinis Papauer rubrum.

Germanis, Wilo moen/ Glatzen/ Rotroſen/ Klapperroſen.

Gallis coquelourdes.

Nos Rhœadis picturas damus. Vnius atq; adeò primi quod crucæ folia habet, alterius quod cichorij. Florem proferunt puniceum, & aliquando candidum. Nascuntur in auenis & segetibus passim: refrigerant ut alia grœca papaueris. Recentioribus sacro igni medetur. Mulierum menstrua profluuia compescit. Sanguinem è naribus fluentem iecori impositum sistit. Lingua ex decocto eius lota, ardorem faucium sanat. Pudendorum tumores detumescere facit. Temporibus illitum, phreneticis somnum conciliat. Calidos oculorum dolores luteo impositum, mitigat.

A

Papauer ſatiuum. Caput LV.



ESatiui papaueris genere, quod hortenſe eſt, ſemen in panem denſatur, qui ſanis in uſu ſit. eo etiam ex melle pro ſeſama utuntur, thyilacitin uocant. capitulũ habet longum, & ſemen candidum. Syluęſtre uerò, caput inſidens demiſſum q̃, & nigrum ſemen, quod pithitis nominatur, nonnullis tamen & ipſum rhœas dicitur, quoniam eius ſcapo lacteus ſuccus emanat. Tertiũ magis ſyluęſtre, & ad medicinas ualentius, multò his longius, productiore capitulo. Omnium in commune natura refrigeratrix. quare ſi capita ipſa & folia decoquantur in aqua, ſomnum fotu conciliabunt. bibitur decoctum contra uigilias. Calyces cum polenta triti, & cataplaſmatis admiſti, ignibus ſacris, & inflammationibus proſunt. tunduntur quoq; uirides, & digeruntur in paſtillos, qui ſiccati ad uſum recõduntur. Capita quoq; per ſe in aqua coquuntur ad dimidias, iterum q̃ adiecto melle, dum humor coĕat in eclegmatis lentorem. id medicamentum intuſsi, arteriæ fluxionibus, & cœliacorum affectu. doloris leuamentum præbet. efficacius tamẽ redditur, addito hypociſtidis ſucco & acacia. Papaueris nigri ſemen tritum cum uino bibitur contra citam aluum, & fœminarum profluuia. in peruigiliȝ fronti temporibusq; illinitur, ex aqua. Opium eius magis refrigerat, in ſpiſſat, ſiccatq; . ſumptum erui magnitudine, dolorem

B

finit, concoquit, & ſomnum allicit. tuſsi atq; cœliacorum ualetudini auxiliatur. uerùm ſi copioſius hauriatur, nocet, cùm lethargicos efficiens interimat. ad dolores capitis cum roſaceo perfuſum efficax eſt. aurium dolori, cum amygdalino, myrrha, & croco inſtillatur. inflammationibus oculorum cum torrefacto* oui luteo proficit: igni ſacro & uulneribus cum aceto: podagris, cum lacte mulieris & croco. ſomnum accerſit, ſubditum ſedi pro balano. Optimum habetur graue, & deſum, guſtu amarum, odoratu ſoporiferum, quod facilè aqua diluitur, læue, candidum, neq; aſperum, neq; grumoſum, quod inter colandum non ut cera coĕat, & in ſole diffundatur: dein admotum lucernis, non atra luceat flamma: extinctũ deniq; odoris uim conſeruet. Sed opion glaucio, gummi, aut ſyluęſtris lactucæ ſucco, adulterant. Verum glaucio fucatum in dilutione croci colorem reddit: lactucaceo ſucco fictum, exiliter ſpirat, & aſperius ſpectatur: gummi uitiatum ſplendeſcit, & infirmum eſt. Nec deſunt qui eò dementiæ deuenerint, ut adipem ei admiſcerent. Fictili nouo torretur ad oculorum medicamenta, dum mollius atq; rufius appareat. Diagoras, ut Eraſiſtratus autor eſt, uſum eius damnauit, oculorum lippitudinibus & aurium uitiȝ infundi uetans, quoniam uiſus aciem hebetaret, & ſaporem gigneret. Addidit Andreas, illitos eo protinus excæcari, ſi non adulteraretur. Mneſidemus uſum duntaxat olfactandi probauit, quoniam ad conciliandum ſomnum conueniret, alioqui nobis ut noxio interdicit. Quæ commentitia eſſe, experimento deprehenduntur. ſiquidem effectus, uirium huiuſce medicamenti fidem faciunt: quare non alienum fuerit ſcriptis mandare, quonam modo is excipiatur ſuccus. Aliqui capita ipſa & folia tundunt, & prælo exprimunt, terentesq; in mortario, digerunt in paſtillos. id meconium uocatur, multum opio ignauius. Porrò opiȝ faciũdi ratio hęc eſt: Cùm ros in eo exaruerit, cultro decuſſatim in ſtellas, ne penitus adigatur, ex obliquo in rectum ſummam cutem incidere oportet, lachrymam exeuntem digito in conchamabſtergere, nec multò pòſt redire, ut concreta inueniatur. etenim quæ tũ, aut poſtero die etiam offenditur, in uetere pila teri debet, & in paſtillos cogi. Cùm tamen inciditur, retrocedendum eſt, ne ueſtibus ſuccus deradatur.

* *Abundare putatur.*

Græcè, Μήκων κηπαία, Μήκων ἥμερος.
Latinè, Papauer satiuum.
Officinis Papauer.
Germanis, Magsamen/Moen/ Ölmag.
Brabantis, Huelsaet.
Gallis du pauot dicitur.

Plura Papaueris genera hoc capite Dioscorides recensет, sed quò clarius horum generum discrimen habeatur, sciendum est, papauer prima sui diuisione secerni in satiuum & agreste. Et satiui iterum tria genera esse, Vnum propriè per se, & uerè satiuum appellatum, quod Dioscorides ab utris forma thylacite, id est, utricularium, Plinius candidum, Apuleius usuale & folliculosum uocat, cuius semen in sanitatis usu pani inspersum compinsebatur, & cum melle in secunda mensa apud antiquos edebatur, Dioscoride teste & Plinio: quæ caussa etiam est, ut usuale sit uocatum ab Apuleio, quemadmodum à uasculi ipsius in follis siue utris modum formati effigie, folliculosum. Alterum genus est, quod Dioscorides syluestre, & à dolij forma pithite, id est, doliare & rhœada. Plin. nigrum, Apuleius agreste, syluaticum & rhœada uocat, & ex hoc opion fiebat & meconium. Tertium genus est his syluestrius & medicamentosius, quod Plinius contrà quam Dioscorides & Apuleius tradiderunt, rhœada à Græcis, à nostris erraticum uocari dicit. Et hæc duo posteriora genera, natura quidem agrestia sunt, humano tamen opere, studio & usu tantùm satiua fiunt, quale est ceratites, id est, corniculare, & aphrodes, id est, spumeum heracleumq; uocatum. Inter quæ tamen omnia satiua, & agrestia medium genus est, ut tradit lib. 20. Plin. quod nisi in aruis esset, sponte nasceretur. Rhœam uocauimus & erraticum, quod quidam decerptum protinus cum toto calice mandunt. Et hoc est quod inter satiua tertio loco numeratum est, ceu ex descriptione & historia ipsius apud autores manifestò patet, omnibus in hoc concordantibus & de ipsa consimiliter tradentibus Dioscor. cap. præcedenti antequam hoc loco de satiuo ageret, quare inter satiua non opus erat Dioscoridis descriptionem ipsius repetere. Theophrasto quidem lib. 9. de plantarum historia. Item Plinio naturalis historiæ lib. 19. cap. 8. & Apuleio cap. 53. Qui uolet habet loca unde illa requirat. Sed de his nunc satis.

Opium est lachryma ex inciso papauere nigro defluens, hodie etiam ex albo distillat. Ex Apulia defertur: refrigerat, siccat, inspissat. Dioscor. incidendi & colligendi modum docet hoc loco. Præfertur Thebaicum, Hispanicum opium usurpatur lib. 7. comp. pharma. particul. Opium calidis dispositionibus medetur, ut alterum, & similia: medicamentis additur ad sedandum dolorem, somnum conciliandum, siccandum. Opium etiam stomachicis miscetur, ad sensum stomachi hebetandum, & somnum conciliandum. Vehemens autem refrigeratio ex opio, corrigitur castoreo, pipere, & similibus. Opij drachmas duas arteriacæ 14. miscet Andromachus. Cùm multi sunt ὀπῶδεις, id est, liquores, solus papaueris ὀπὸς, neutro genere ὀπιὸν, à medicis propriè nominari solet. Opium omnium quæ sensum stupefaciunt, & somnum torpidum inducunt, ualentissimum est, libro eodem.

Μηκώνιον & μήκωνος ὀπὸς, succus ex folijs & calyce papaueris tusis expressus, pro Opio à multis supponitur: alia eius adulterina hoc loco Dioscorides, Μήκωνος ὀπὸν, & μηκώνιον diuersa facit Asclepiades apud Galenum lib. 2. antido.

Corniculatum papauer. Caput LVI.

PApauer ceratites, id est, corniculatum, folia habet candida, hirsuta, uerbasco similia, in ambitu syluestris papaueris more serrata: caule non dissimili: flore pallido: calyculo fœnigræci, in corniculorum modum inflexo, unde nomen mutuatur. semine papaueris, pusillo, nigroq; : radice per summa cespitum nigra, crassa, nascitur in maritimis & asperis. Radici ea uis inest, ut in aqua decocta ad dimidias coxendicum & iecinoris affectus potu sanet. prodest his qui crassa quædam, aspera, aut arenosa cum lotio reddunt. Aluum leniter purgat semen, acetabulo in aqua mulsa poto. Crustas emarginant, illita ex oleo folia, floresq; . argema ac nubeculas iumentorum perunctas abstergunt. Sunt qui glaucium, hoc papaueris genere factitari existimarunt, falsi quadam foliorum cognatione.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Μήκων κερατίτις.
Latinè, Papauer corniculatum.
Officinis Papauer cornutum.
Germanis, Geel Magsamen/ Geel ölmagen/ oder Moen.

A

Corniculatum papauer.



B

Herbarij quidam haud propriè memitham uocant, quidam glaucion, alij paralion, sed perperam.

Papauer Corniculatum nominatum quidem est à fructu, leuem inuersionem habẽte, ueluti & fœnum græcum, ut bouis cornu simile esse uideatur: habet uim incidendi & abstergendi. Dioscorides in maritimis, & asperis locis prouenire ait. In Germania passim in hortis seritur, cùm tamen etiam citra culturam in monte prope oppidum Oppenheym nocato, ad Rhenum sito, Germanis Der Rot berg/copiosè proueniat.

Vidimus etiam papauer cornutum proferre flores rubros aut puniceos.

Spumeum papauer. Cap. LVII.

ALiud papaueris genus aphrodes, id est, spumeum uocatur, ab alijs heracleum, caule dodrantali. foliis admodum paruis, radicule similibus: fructu inter ea candido. Nam herbula alba est, & spumea tota: radice in summo cespite. Legitur æstate semen, cùm integrè adoleuit, deciditq; exiccatum. Datum acetabuli mensura in aqua mulsa, uomitione expurgat. priuatim huiusmodi purgatio comitialibus prodest.

Hæc herba hodie incognita est.

Hypecoum. Caput LVIII.

HYpecoon, aliqui hypopheon uocant. nascitur in segetibus aruisq;, foliis rutæ, exilibus ramis. Natura eadem quæ papaueris succo.


Et hoc, quod sciam, hodie nemini cognitum.

Apollinaris, siue Hyoscyamus. Caput LIX.

HYoscyamus, frutex est caules emittens crassos, folia lata, oblonga, diuisa, nigra, hirsuta. flores è latere caulis ordine prodeunt, tanquam punicorum cytini, scutulis septi seminum plenis, ut papaueris. Tres eius differentiæ: una semine nigro, floribus penè purpureis, similacis foliis, cytinis præduris & spinosis. alterius semen subflauum, ut irionis. flores lutei. folia & siliquæ simpliciores. ambo insaniam gignunt & soporem, ideo in communi usu damnantur. tertium genus, ut quod mitissimum esset, medici recepere, pingue, lanuginosum, molle, cãdidi floris seminisq;, in maritimis ruderibusq; nascens. cuius occasio si non adsit, rufum usurpari oportet. niger, ut deterrimus, improbatur. Recenti semine, caulibus foliisq; tusis, succus in sole exprimitur, & exiccato humore, usus ad annum usq; prorogatur: nam facilè corruptionem sentit. Extrahitur etiam ex sicco semine seorsum in aqua calida tuso, & expresso. liquamentum autem succo lacteo præstantius est, & magis dolo-

res

Weiß Bilsen. Bilsenkraut. A





res finit. Contusa herba recens, addita tri mestri farina, digeritur in pastillos, & reconditur. Liquamẽtum primum, & quod à sicco semine exemptum est, collyriis quę doloris sensum auferunt, commodissimè inseri solent. contrà acutas calidasq; fluxiones, dolores aurium, atq; uuluæ mala, orosunt. cum farina autem aut polenta, B pculorum, pedum, cæterarumq; partium inflammationes placant. Semen eadem præbet. tussi, destillationibus, oculorum fluxioni, & doloribus, efficax. contra mensium abundantiam, & erumpentem aliunde sanguinem, oboli pondere cum papaueris semine, & aqua mulsa, bibitur. podagris subuenit. testibus inflatis, mammisq; tumentibus à partu, tritum ex uino illinitur. alijs quoq; cataplasmatis, quæ doloris leuamentum præstant, admisceri solet. Folia omnibus medicamentis dolorem sedantibus, per sese, & ex polenta, utilissimè imponuntur. recentia ad mitigandos omne genus dolores oblinuntur. cum uino terna, quaternáue pota, sanant algidas febres, quas epialos uocant. cocta olerum modo folia, si acetabuli mensura manduntur, mediocrem insaniam gignunt. idem efficere tradunt, si colo ulcus sentiente infundantur. Radice in aceto decocta, dentes in dolore colluuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ὑοσκύαμος.

Latinè, Hyoscyamus, Apollinaris, Plinius Altercum uocari testatur.

Officinis corruptè Iusquiamum.

Germanicè Bilsen/ & Bilsenkraut.

Gallicè de la Hanebane appellatur.

Cæterùm quod ad nominis Apollinaris rationem attinet, sciendum hoc nomine insignitam esse hanc herbam, ab Apolline Medicinæ deo facta nomenclatura, idq; ob eam caussam, quòd doloribus mitigandis quasi diuino beneficio, & ab Apolline concessam uim habeat: quæ caussa etiam fuit, ut à quibusdam Pythonion à Pythio Apolline, & Ὑοσκύαμος, id est, Ὗος κύαμος, hoc est, Iouis faba, appellata sit. Hyoscyamus uerò, id est, faba porcina, dicta est, ut Helianus refert, quòd pastu eius conuellantur sues præsenti mortis periculo, nisi copiosa aqua statim se foris & intus proluerint. Symphoniaca quoq; dictione Græca, Latinis tamen usitata quibusdam appellatur, ceu Dioscoridis interpres Marcellus Verglius suspicatur & credit, quod quæ admodum ad Musicen, quæ symphonia constat, & symphonia etiam dicitur in hydraulicis organis, quæ à Vitruuio, lib. 10. architecturæ descripta sunt, regulæ duæ scalariforma erectæ cymbalia, quædam deinceps disposita

A *disposita sustinebant, quibus deinde spiritus & aquæ impetu pulsis modulatio fiebat: sic in caulibus herbæ huius exturi illi dispositi deinceps symphoniaci instrumenti illius imagnem aliquam ostenderent. Hyoscyamus Dioscoridi & Galeno triplex: primus flore purpurascente, semine nigro, uenenosissimus: alter flore & semine luteo, mitior, sed etiam deleterius: tertius flore & semine candido, ad sanationes aptissimus: frigidus ordine tertio, siccus primo.*

Psyllium. Caput LX.



B

PSyllion foliis coronopo non dissimilibus, hirsutis, longioribus: sarmentosa fœni modo, in totum herbula: ramis dodrantalibus. coma à medio caule exoritur, duobus tribusue conuolutis in cacumine capitulis: in his semine duro, nigro, pulicum simili: unde & nomen. in aruis & incultis nascitur. Vis ei ad refrigerandum, inspissandum, & molliendum conueniens. articulorum morbis, parotidibus, tuberculis, tumoribus, uulsis, * illitum auxiliatur. imponitur in dolore capitis, cũ rosaceo, aqua, aut accto. enterocelis infantium, & prominenti umbilico, illitum ex aceto medetur. teritur acetabuli mensura, & in aquæ sextario madefactum, ubi concreuit aqua, illinitur: siquidem uehementer refrigerat, & in feruentem aquam deiectum calorem reprimit, contra ignes sacros efficax est. Fama est, si uirens domum importetur, non sinerein ea pulices gigni. cum adipe tusum, sordida ulcera, & quæ cacoethe uocantur, expurgat. Succus uermiculosis auribus, aut fluxione laborantibus, ex melle prodest.

* Luxatis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Ψύλλιον. Latinè, Psyllium.

Officinis nomen retinuit. Germanis, Welscher Flöhe samen/Flöhekraut.

Gallis L' herbe à pulce.

Psyllium dictum, ut Dioscorides tradit, quòd semen habeat effigie pulicis, humido sicco temperatum, frigidum ordine secundo: ne putes cum Arabibus corticem frigidum gradu quarto, medullam gradu quarto calidam.

Hæc herba olim Germaniæ peregrina, hodie in hortis sata passim copiosè prouenit.

Hortense solanum. Caput LXI.

Hortense

Hortense solanum.



Halicacabus. A



Morion Theophrasti.



B

HOrtense solanum, frutex cibis idoneus, exilis, pusillus, multis concauus alis: folio nigro, maiore quàm ocimi, & latiore. fructu rotundo, uiridi, qui post maturitatem nigricat, aut fulescit. herba innocentis gustus. Natura ei refrigerandi. quare folia ulceribus quæ serpunt, & ignibus sacris, conuenienter cum polline polentæ illinuntur. ægilopia, capitisq; dolores, trita & imposita per se sanant. æstuanti stomacho auxiliantur. parotidas, cum sale detrita, illitu discutiunt. Valet succus eius aduersus ignem sacrum atq; ulcera quæ serpunt. cum cerussa, rosaceo & argenti spuma, ad ægilopas. cum pane, infantium adustioni, quam syriasin uocãt, cum rosaceo per fusus proficit. in collyrijs, aquę uel oui uicem exhiber, contra acutas fluxiones illitus. aurium doloribus instillatus prodest. Mensium abundantiam sistit, in uellere subditus. succus fuluo gallinarum cortalium fimo subactus, & linteo appositus, ægilopijs præsentaneo est remedio. Est & aliud solanum, quod peculiari nomine halicacabon, id est, uesicariam, aut physalida uocant, foliis antedicto latioribus. cuius caules, posteaquàm adoleuerunt, prona terram spectant folliculis orbicu

latis, fuluo intus acino, uesiculis simili, rotundo, læui, quo coronarij utuntur, & co-

A rallas factitant. Vim usumq; hortensis solani habet, uerùm cibis nequaquam expetitur. regium morbum purgat, semine poto, & urinam pellit. Ex utraq; herba succus extrahitur, qui siccatus in umbra, reconditur, ad eadem ualens.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Solanum hortense, siue satiuum & urbanum, Græcè Στρύχνος κηπαῖος. *Officinis corruptè solatrũ. Germanis* Nachtschad. *Gallis* Morella *dicitur.*

Aliud solanum, quod peculiari nomine Græcis Στρύχνος ἀλικάκαβος, *Latinis Veficarium, seu Vesicaria, Officinis Mauritanos sequutis, Alcaquengi dicitur, corrupto nimirum Græco uocabulo, Germanis* Judenkirssen/Judentöckle/Schlotten & Boberellen. *Brabantis* Crieckẽ van ouerzee. *Gallis Concret dicitur.*

Hortense solanum uulgo cognitum, in hortis & satis omnibus prouenit, acinis racematim coëuntibus, rotundis, primùm uiridibus, à maturitate nigris aut rubris. A multis nationibus estur in holere. Sullatitius eius liquor, hodie nullam non incandescentem ardoribus inflammationem restinguit. Aliqui ueficariam dici putant, quòd folliculi speciem ueficarum imitentur, uel quòd ueficæ calculis medeatur. Calculos enim cum uuis maturis acinos miscent, ut uinum habeant acinaticium, Germanis ein Rappis oder Beerwein/ *contra retium & ueficæ mala. Hoc propinatum magnam arenularum uim deturbat.*

Solanum somniferum. Caput LXII.

SOlanum somniferum, aliqui etiam halicacabon appellant, fruticat multis ramis, densis, caudicosis, fructu contumacibus, pinguium foliorum, coroneæq; mali similium plenis: flore grandi, rubro. fructu in folliculis crocato. radice longa, sub rubro cortice uestita. nascitur in saxis, non procul à mari. Radicis cortex, in uino drachmæ pondere potus, somnificam uim habet, opio mitiorem. Semen uehementer urinam cit. Corymbi duodecim hydropicis dantur. si quid numero adijcia tur, alienationem mentis faciunt Remedio est aqua copiosa mulsa, potui data. Succus pastillis inseritur, & medicamentis quæ doloris leuamentum præbent. decoctus in uino, si in ore contineatur, dentium doloribus auxiliatur: radicis succus cũ
B melle illitus, oculorum hebetudines tollit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Στρύχνος ὑπνωτικός, *id est, Solanum soporiferum, id dormitorium uel marinum cognominant, Germani* Schlaff beerlin *uocant: ea non est, quam quidam falsò hoc nomine depingunt, folio lugladis, caule scipionis crassitudine, procero, grandioribus ramis brachiato, flore inferius herbaceo, labris supernè purpureis, bacca primùm uiridi, loculosa, per maturitatem nigra. quæ dehiscens, uel sponte diffiliens ostendit acinosum semen, uuæ modo accruatim collectum, quinis myrrhi foliolis, stellatim decussatis, baccam fulcientibus, huius genuinam nomenclationem & picturam quære cap. de Mandragora.*

Manicum solanum. Caput LXIII.

SOlanum manicon, aliqui persion, alij thryon appellauere. huic folium erucæ simile, maius aliquanto, satis acantho, quem pederota uocant, accedens. caules à radice proceros emittit decem aut duodecim, ulnæ altitudine adolescentes: caput in cacumine oliuæ figura, sed ut platani pilulæ, hirsutius, uerùm maius, latiusq;, flo rem nigrum. postquàm eo exuitur, racemus exit rotundus, niger, denis aut duodenis acinis constans, similibus hederæ corymbis, ut uuæ mollibus. radice firmatur candida, crassa, caua, cubitali. gignitur in montibus, uento perflatis, & platanetis. Radix drachmæ unius pondere pota ex uino, facit species uanas, imagines q; non iniucundas obuersari. sed duplicatus hic modus, ad treis usq; dies mentis alienationem affert. quadruplicatus, interimit. Remedio est aqua mulsa copiosius pota, & uomitione reiecta.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Manicon & Manice uocatum est, quasi furiosum, siue furiale, eo quòd furorem excitet, & insaniam faciat, paruo etiam succo: quanquàm & Græci autores in locum uertêre, ut scribit Plinius, Drachmæ enim pondere lusum pudoris gigni dixerunt, species uanas imagines q; conspicuas obseruari demonstrantes. Duplicatum hunc modum legitimum insaniam facere. Quicquid uerò adijciatur ponderi, repræsentari mortem. Ea hoc de radice testantur Dioscorides & Theophrastus.

Dorycnium.

Dorycnium. Caput LXIIII.

A

DOrycnion Crateuas halicacabon, aut caleam uocat. frutex oleæ nuper prodè unti similis: nascitur in petris, non procul à mari, ramis cubito minoribus, foliis oleæ similibus colore, minusculis, firmioribus, præter modum scabris: flore cãdido, siliquis in cacumine, ceu ciceris, densis, rotundis, quinis intus aut senis seminibus, exigui erui magnitudine, læuibus, firmis, uersicoloribus. radix ad digiti crassitudinem & cubiti longitudinem adolescit, id somniferum esse constat. Copiosius haustum mortem adfert. Nec defuere qui dicerent, semen in amatoria expeti.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Halicacabus peregrinus.



Stramonia.



Dorycnion appellata est hæc herba ab infectione, quæ Græcis Κυνός *dicitur, & à ferratis lancearum cuspidibus, quas ijdem dorata uocant, eo quòd succo ipsius etiam cuspides in prælijs tingerentur, & inficerentur, non minus quàm alterius, quod furiosum propriè dicitur, & insaniam facit, solanum: de quo sic scribit Plinius: Hoc est uenenum, quod innocentissimi autores simpliciter dorycnion appellauere,* B *ab eo quòd cuspides in prælijs tingerentur illo passim nascente &c.*

Cæterùm plantãtur hodie in Germaniæ hortis aliæ duæ herbæ ex Italia allatæ, quarum nemo antiquorum scriptorum, quod equidem sciã, mentionem fecit. primam Itali Stramoniam, & pomum spinosum appellant, & inter Solani species numerant, nõ quòd descriptioni respondeat, sed quòd eius folia opij odorem referre uideantur. Quibusdã uocatur Nux Methel, Germanicè Thozen öpffel. Alterum planta est pergulis operiendis aptissima, latissimè enim suis clauiculis sese diffundit: folia habet oblonga, & laciniata. Flores candidos, uesiculas Halicacabo similes, in quibus semen includitur pisis aut ciceribus simile, in cuius medio effigies ueluti cordis insculpta & incisa manet: nos discriminis gratia Halicacabum peregrinum appellauimus, Welsch schlutten/German. Brabantis Roomsche Crieck en oner zee.

Mandragoras.



Hoc loco harum picturam inferre libuit, ut alijs occasionem daremus cogitandi de his plantis, uidentur enim uiribus parum à solani generibus distare.

Mandragoras. Cap. LXV.

MAndragoram aliqui antimalum, alij circæam uocant, quoniam uideatur radix ad amatoria conducere. duo eius genera: niger, quæ fœmina existimatur, thridacias appellatus, angustioribus foliis, ac minoribus quàm lactucæ, graueolentibus, in terra sparsis. mala gerit sorbis *similia, pallida, odorata, in quibus semen ueluti pyrorum. radicibus inhæret benemagnis, binis, ternisue, inter se conuolutis, nigris

*Ouorum lutei.

A Dollkraut/ Schlaffkraut.



B

foris, intus albis, crasso cortice uestitis. uerùm is mandragoras caule uiduus est.

Alter candidus, qui mas dicitur, nonnullis morion uocitatus. huius folia magna, alba, lata, lævia ut betæ: mala quàm alterius duplo maiora, colore in crocum inclinante, iucundè cum grauitate quadam olentia. horum pomorum cibo, aliquantum opiliones soporantur. radix, alterius similis, maior & candidior, orbata caule. Succus fit è cortice recentis radicis tuso, & prælis subiecto: qui insolatus ubi concreuerit, fictili reconditur. Malis quoq; succus depromitur, sed aliquanto ignauior. Delibratur radix, & traiectus lino cortex, ad usum suspenditur. Aliqui radices in uino ad tertias coquunt, & defæcatum ius seruant: cyathoq; uno utuntur in peruigilijs, & doloribus, & ante sectiones ustionesq;, ne sentiantur. Succus duobus obolis ex mulso potus, ut ueratrum, per uomitiones bilem atram pituitamq; extrahit. uerùm potu largiore, uita adimitur. medicamẽtis ocularibus, & his quæ dolores finiunt, pessis quoq; emollientibus, admiscetur. semi oboli pondere inditus, per semenses & partus expellit. subditus sedi pro balano, somnificus est. Radix ebur emollire fertur, quæ senis horis cum eo decocta sit: & ad accipiendam, quam effingere optaueris, formam, ipsum facilè præstat. Folia recentia conuenienter oculorum inflammationibus, & collectionibus quas ulcera citarunt, cum polenta illinuntur. duritias omneis, suppurationes, strumas & tubercula discutiunt. stigmata sine exulceratione delent, si quinis senisue diebus sensim perfricentur. folia seruantur in murijs eosdem ad usus. Trita radix ignibus sacris ex aceto, & serpentium ictibus ex melle aut oleo, medetur. strumas atq; tubercula, cum aqua dissipat articulorum cruciatus, cum polenta sedat. Fit citra coctionem uinum è cortice radicis, ad hunc modum: Ternæ minæ in uini dulcis metretam cõiiciuntur. Dantur ex eo terni cyathi, ijs qui secari aut amburi debent, ut antè dictum est: siquidem nullo tunc afficiuntur dolore, sed ueterno quodam pressi, torpescunt. Mala soporem afferunt olfactu, & etiam si mandantur. item expressus ex eis succus. nimio tamen odore percussi, obmutescunt. Semen malorum potum, uuluas purgat: appositumq; cum sulphure ignem non experto, rubra fœminarum profluuia sistit. Scarificata punctisq; multifariam * aperta radice, erumpens lachryma cauo uase recipitur. liquamentum autem succo lacteo præstantius est: sed non ubiq;, ut experientia docet, radices lacteum succum delachrymant. Alium tradunt esse mandragoram, nomine morion, in opacis iuxta specus enatum, foliis albi mandragoræ, minoribus, albis, dodrantalibus, radicem ambientibus: quæ mollis est & candida, paulò maior palmo, pollicemq; crassitudine æquat. Tradunt eam in pane, * offa obsonioue, drachmæ pondere deuoratam, usum rationis intercipere. Obdormiscit enim homo eo ferè quo comederit habitu, sensus impos, ternis quaterniue, ex quo data est, horis. Hac medici utuntur, cùm scindendi, urendiq; necessitas adest. Antidotum esse uolunt radicem, cum maniculo solano potam.

* In testudinis morem.

* Polenta.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Μανδραγόρας. Latinè, Mandragoras.
Officinis Mandragora. Germanis, Alraun. Gallis

Gallis de la mandegloyre appellatur. A

Duo Dioscoridi & Plinio, Mandragoræ sunt genera. Mas candida est, μάνδρακορ Græci uocant, huius hîc effigiem damus: fœmina nigra, Græcis θριδακίας, à similitudine foliorum appellata. Theophrastus autem lib. 6. de historia plantarum capite secundo, tertium quoddam genus Mandragoræ constituit, cuius fructus sit μέλας, καὶ ῥαγωδης, καὶ οἰνώδης τῷ χυμῷ, hoc est niger, acinosus, & succo uinosus: huius picturam quoq; damus, Germani Dollkraut/ & Schlaffber appellant.

Mandragoræ maris ceu præstantioris, cortex crassus, lino traiectus ad usum suspenditur: refrigerandi uehementissima, ut ordine tertio, & siccandi primo. Gal. lib. 7. simp.

Mala insana.



Nec sunt hoc loco prætereunda silentio, mala insana uulgo uocitata, quæ Hermolaus Barbarus in suo Corollario, Mandragoræ speciem, quam Morion uocant, arbitratur &c. Quam tamen sententiam cur non probem facit, præcipuè quòd Morij fructus letalis sit, mala uerò insana minimè. de his pomis nihil ueteribus fuisse scriptum, desino mirari, quòd multa huiusmodi reperio, sicut permulta quondam fuere, quæ hodie uel ignorantur, uel certè non habentur. Galli amorum poma, Germani Melanzan/ nominant. Mala ergo insana è frutice uulgari dependent, qui Personaceam frondibus & caule prorsus æmulatur: is passim nascitur foliis propè ficulneis, flore oblongo, specioso, candido, fructu pomi magnitudine, in orbem absolutum circinato, colore uel puniceo, uel niueo, in quibus cartilago, granis intercepta cucumeraceis, cõtinetur, quæ edendo sit. Estur uulgo pomum ex oleo, sale, pipere, fungorum modo coctum. Alij ubi paulùm inferbuit, igni in orbiculos uel taleolas digerunt, & in acetarijs ex oleo, uel pipere & aceti momento mandunt. Salgamarij in muria acida seruant, cibo per hyemem & uer ori non ingrato, sed tamen qui ægrius concoquitur. B

Aconitum. Cap. LXVI.

AConitum, aliqui pardalianches, alij cammoron, alij thelyphonon, alij myoctonon, alij theriophonon uocant. folia habet cyclamini, aut cucumeris, tria aut quatuor, minora & subhirsuta. caulem palmo altum, radix scorpij caudam æmulatur, & alabastri modo splendet. Torpescunt, ut fama est, scorpiones admota radice, stupentq; : qui rursum hellebori contactu excitantur. oculorum medicamentis leuandi doloris gratia adijcitur. enecat pantheras, sues, lupos & feras omneis in carnibus obiectum. Est & alterum aconitum, quod aliqui cynoctonon, alij lycoctonon appellant.* Huius genera sunt tria: unũ quo utuntur uenatores, alia duo in usum suum uertere medici. è quibus tertium, quod Ponticum nominatur, plurimum in Italia, montibus Iustinis exilit, à priore distans, quoniam folia faciat effigie platani, crebriore diuisura, longiora, & multò nigriora: caulem filicis, leuem stylum, cubitali altitudine, aut ampliorem. semen in siliquis oblõgis recondit. radices in modum squillæ marinæ cirrhorum nigrescũt, quibus ad uenationem luporum utuntur. insertæ siquidem crudis carnibus, & deuoratæ, lupos enecant.

* Omnia hæc à quibusdam desiderantur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, παρδαλιάνχες, ἀκόνιτον.

Latinè Pardalianches, quòd Pardi eo necentur: & Scorpium, quòd radicem Scorpioni similem habeat.

Officinæ Vuam uersam, & uulpinam.

Germani Wolffsbeer/ & Dollwurtz.

A



Blawe Eisenhütlin.



Lycoctonon, Pardalianches.



Galli de la Tora appellant.

Alterum lycoctonon Græcis dicitur, quoniam deuoratum lupū confestim interficit.

Officinæ Lupariam.

Germani Wolffswurtz.

Galli pate louine appellant: hæc in Germaniæ hortis duplex cō spicitur, Vna flore luteo, foliis latioribus. altera floribus cæruleis, fō lijs subnigris: hanc à florum similitudine, qui galerum repræsentare uidentur, Eisenhütle/ & Münchskappen appellant.

Erosione & putrefactione enecant. Aconita ideo toto genere letalia sunt.

Tertium genus semine & siliquis huic simile, floribus cæruleis.

Cicuta. Cap. LXVII.

CIcuta caulem ædit geniculatum, ut fœniculi, grandem, in cacumine ramosum: folia ferulæ, angustiora, graui odoratu. rami, mox umbellæ in summo prodeunt: flores quoq; albicantes, & semen anisо candidius: radice non alta, concaua. Cicuta

Cicuta.



cutæ letale uenenũ est, suaq; A
ui refrigeratoria necat. Remedio est uini meraculi potus. Succus exprimitur contusis cacuminibus, priusquã semina & comæ ficcescant: qui sole densatur in pastillos. multus ad medendi rationem usus est aridi. commodè miscetur collyrijs, quæ leuandi doloris gratia temperantur. ignes sacros, & ulcera quæ serpunt, illitu restinguit. Herba cum coma trita, & testibus circumlita, libidinum imaginationes in somno compescit: sed genitale resoluit. lac puerperarum mammis apposita extinguit. in uirginitate mammas coërcet, & increscere non patitur. pueris præstat, ut eorum testiculi cibum non sentientes, intabescant. Efficacissima uis Creticæ, Megarensi, mox Atticæ, & in Chio & Cilicia nascenti.

B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κώνειον, τό. Latinè, Cicuta, Conion. Officinæ & Herbarij Latinum nomen seruant.
Germani Tygerkraut/ Schierling/ Wũtrich/ Wilde Petersilge.
Galli Cigue, siue segue appellant.
Dioscorides, Theophrastus, & Plinius uno cicutæ fastigio sunt contenti. Recentiores faciunt duo genera, aquaticæ frigentis naturæ, terrestris calidæ: uerùm quoniam nullum idoneum præferunt autorem, uereor ne, ut ferè solent, hallucinentur. Cicutæ uis est, si Celso credimus, exedendi corpora, ut forsitan seminibus & foliis frigida sit potestas, caulis feruida, cæterùm semini, & foliis refrigeratoria uis. Cicuta uenenum est, publica Atheniensium pœna inuisa, ad multa tamen usus non omittendus.

Taxus.



Taxus. Cap. LXVIII.

SMilax à Græcis, taxus à Latinis appellatur, arbor abietis magnitudine, & foliorum eiusdem figura, in Italia & Narbonensi Gallia Hispaniæ contermina nascens. Auiculæ quæ Italicæ taxi baccas deuorant, denigrantur: & qui ederint easdem homines, alui profluuio corripiuntur. Narbone tam præsentis est ueneni, ut si qui dormiant sub ea, aut in eius umbra subsideant, læ dantur, & sæpenumerò moriantur. quare de taxo hæc traduntur, ut ab ea caueamus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

A

Græcè, Σμίλαξ, Τάξος. Latinè, Taxus arbor. Officinis inusitata.

Germanis Eybenbaum dicitur. Gallis arbre qui on appelle yf.

Taxus ad Herciniam syluam satis frequens, perpetua fronde, abietis aspectu, sed humilior, aliisq; frequentioribus sinuosa, folio pinguiore, sed molliore, baccis rufis, rotundis, mollibus, gustu non insuaui, radice breui, graciliper summam cespitum. In medicina nullum usum inuenio, præterquàm ut suffitu muros enecet. Sunt tamen qui tradant eius baccis aluum resolui, & altiles & cohortales gallinas saginari. Arcus apud nos elegantes, & pulchros puniceo ferè colore fabricant, qui uulgo Ybenbögen dicuntur: inde & ea arbor, cuius picturam damus, passim in Germania, Taxi nomen sibi usurpat falsò, quòd ex hac quoq; tales fabricentur arcus.

Apocynum. Caput LXIX.

Longis. APocynon, siue cynocrambe, brassica canina, frutex est paruis *uiticulis constans, malè olentibus, lætis, uitilium q; modo obsequiosis, fractu ferè inuictis: folio hederæ, mollioretamen, & per extremum acutiore, lento, graui odore. id luteo succo turget. Siliquæ, ceu fabarum, folliculari specie, digiti longitudine protenduntur: semine intus albo, duro, paruo. Folia cum adipe in panes coacta, canes, lupos, uulpes, & pantheras enecant, in cibo data, & protinus eorum coxendices resoluunt.

EXPLICATIO.

Galeno quoq; Cynocrambe dicitur, Canes & omnes quadrupedes necat, si uescantur, hodie incognitum: aliquibus Hippomanes dicitur: hanc, ut Hesiodus scribit, si ederint equi, in furorem aguntur, &c.



B

*Crassioribus.

Nerium, seu Rhododendrum. Caput LXX.

NErion aliqui rhododaphnen, alij rhododendron uocant, frutex est uulgaris notitiæ, longioribus quàm amygdala foliis, asperioribus *: flore in rosam conformato: fructu nuci Græcæ simili, corniculato, qui patefactus quandam lanosam naturam ostendit, spinarum pappos repræsentantem: radice longa, acuta, lignosa, gustanti salsa. nascitur in amœnis, maritimis, & secus amnes. Flores & folia mulis, canibus, asinis, & quadrupedum plurimis uenena sunt: hominibus uerò contra serpentium morsus præsidia, è uino pota: eò magis ruta addita. imbecillæ etiam animantes, ut pecus & capræ, si aquam bibãt in qua folia ea maduerint, moriuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Νήριον.

Latinè Nerium, Rhododendrum: & ut Plinio placet, rhododaphne.

Officinis & Barbaris Oleander.

Germanis Olander.

Gallis rosagine appellatur.

Nerium apud nos in hortis ex Italia aduectum plantatur, foliis lauri nunquam decidentibus, amaris, rosæ flore leuiter in puniceum uergente, sed modico, fructum amygdalæ similem, ueluti cornu, qui dehiscens lanea natura semine plenus est, radice longa, gustu salsa. Si Luciano, & Apuleio credimus. Huius & flores & folia cunctis quadrupedibus perniciosa sunt. Emoriuntur autem ueluti comitiali morbo

morbo correpti, quod & Alexandro res in India gerente constitit. Mirum tamen folia eius quadrupedum uenenum esse, homini uerò contra serpentes præsidium, ruta addita & uino pota. A

Fungi. Caput LXXI.



FVngorum differentia duplex: aut enim mandũtur, aut perniciales sunt. Multis de causis uenenosi gignuntur, ubi uidelicet clauus ferreus, in quo sit rubigo, aut panni marcor adfuerit: aut si iuxta serpentis cauernam, arborésue, quæ priuatim pariunt noxios fructus, erumpant. Continent qui tales sunt, nescio quod strigmentum cõcretamq; pituitam, terraq; eruti, quàm celerrimè computrescunt, atq; marcore uitiantur. Sed qui ueneno imbuti non sunt, suauem in iuribus gratiam habent, largius tamen sumpti nocent, & ægrius concocti strangulãt, aut choleram morbum citant. Remedio est nitri potus, aut lixiuium cum acida muria, aut feruefactæ satureiæ, aut origani iusculum. debellantur etiam gallinacei fimi potu ex aceto, aut eiusdem delinctu cum melle multo. Corpus alunt, sed ægrè dissoluuntur, cum magna ex parte integri ipsi, cùm recrementis alui reiiciantur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Μύκης. Latinè, Fungus. Officinæ Latinum nomen seruarunt. Germanis Schweñ/Pfifferling/Reyfken.

Gallis ung champignon, ou potiron dicitur. Aquitanis ung Mousseron.

Fungi frigidi, pituitosi & mali succi sunt, si Paulo Ægæ credimus, ex his boleti, innocentiores sunt, & manifestæ qualitatis expertes, probè ad summum elixi. Qui uerò amanitæ dicuntur, secundum post boletos bonitatis locum obtinent. A cæteris abstinere conuenit. Plures enim eorum mortiferi, ut qui uulgo Fliegenschweñ appellantur, ac ipsi quoq; boleti, nisi percocti edantur, præsens periculum sæpe minantur. Cæterùm pratenses ante omnes laudati, quòd procul ab arboribus nati meliore ex terra succo, quàm ex arborum pituita gignuntur. Superius candidi, inferius nigricantes. De his Horatius in Sermonibus sic decernit: Pratensibus optima fungis Natura est: aliis malè creditur. Et hi boleti intelliguntur, qui inter fungorum genera præcipui habẽtur. & de quibus lib. 22. capit. numeri eiusdem Plinius tradit. Solum gulæ satisfaciebant olim (quanquam hodie esculenti sint) ob quam quanti olim æstimati fuerint, indicat uel illud Martialis: B

Argentum atq; aurum facilè est, lenamq; togamq;
Mittere, boletos mittere difficile est.

Plinius pediculos uocat, quibus corpus & caput insidet, & qui terræ inhærentes, boletum sustinent, alij coliculos & thyrsos.

Colchicum.



Colchicum. Cap. LXXII.

COlchicon, aliqui ephemeron, sunt qui agrestem bulbum uocant, autumni exitu florem ædit croci, candicantem: ab eò tempore folia bulbi, sed pinguiora: caulem palmo altum, ferentem rufum semen: radicem foris è nigra rufescentem, quæ delibrata, candida & mollis spectatur, lacteo succo madet, atq; gustatu dulcis inuenitur. bulbus eius mediam habet rimam, fissuramq;, qua flos erumpit. plurimum in Messenia, & Colchis enascitur. Ea comesa, fungorum more, strangulando enecat. Hanc aũt depinximus, ne à quoquam imprudenter pro bulbo deuoretur: mirũ enim in modum

A modum saporis uoluptate imperitos allicit. Remedio sunt eadem quæ fungis. bubulum etiam lac potum auxiliatur. itaq; cùm adfuerit, non aliud desideratur auxilium.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Serapio hermodactyli nomine principio, Dioscoridis Colchicum repræsentat, deinde etiam Ephemeron. Colchicum Græci κολχικὸν. Officinæ perperã Hermodactylum, Germani Zeitloß/ Herbstblümen/ Zunds boden/ Wild Saffran blům. *Galli Canineca appellant. De omni hoc genere plura in annotationibus, in caput proximè sequens, & Musa in examine, & Tagaultius suis in Mesuæ simplicia annotationibus doctis pariter ac luculentis plura.*

Ephemerum. Caput LXXIII.

EPhemeron, aliqui syluestrem irin appellant, folia habet lilij, sed tenuiora: caulem parem: florem candidum, amarum: semen molle: radicem unam, digitali crassitudine, longam, astringentem, odoratam. nascitur in syluis & opacis. Huius radix dentibus præcipua, si decocto colluantur. folia in uino cocta, discutiunt tumores, & tubercula, quæ nihil adhuc humidi contraxerunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hermodactyli duo fastigia facit Mesues, Vnum radice digitali longitudine, quod Ephemerum esse uidetur Dioscoridis, Galeni, & Pauli: radice oblonga, digitali crassitudine, odoratum, iris agrestis appellatum, repellendi, & digerendi facultate præditum. Alterum radice rotunda, & ea foris uel nigra (quod Colchicum est ephemerum, & deleterium, prædictis autoribus passim frequens, flore croci per autumnum erumpente, de quo in capite proximè præcedente) uel rubente, uel alba, ut intus, quam eligit solam, si crassa sit, ac modicè dura, & ex loco edito lecta: calida sicca initio secundi gradus, stomacho aduersissima est. Pituitam crassam à iuncturis præsertim extrahit, ob id podagræ, & ipsi arthriditi prodest, per se, uel decocto sumpta, aut etiã admota cum farina hordei, uitellis ouorum, micâ panis.

Hermodactylus Officinarum.

B



Hæc omnino est quam Hermodactylum uocat, & ab utroq; Ephemero separat, ueteribus indicta radix, uti quæ rubens Mesuæ dicitur. An uerò quæ in Officinis ostenditur.

Horum utrum sit Hermodactylus, uel Colchicum, discernere non est difficile his qui legunt, aut integras habent radices, nam delibratæ ad nos conuehuntur. Canis tamen largam eius copiam depastus innoxiè, & multorũ tutò hac radice purgatorum experientia quotidiana facit, ut credam uel Hermodactylum hunc esse Mesuæ, & neotericorum, ueteribus indictum, uel saltem non esse Colchicum.

Helxine, id est, Muralis herba. Ca. LXXIIII.

HEelxine nascitur in parietinis, sepibus & macerijs. folia ei mercurialis insunt, hirsuta: cauliculi subrubentes, & circa eos ueluti semina aspera, adhærentia uestibus. folia refrigerandi spissandiq; naturam habent, qua ex causa sanãt illitu sacros ignes, adusta, condylomata, panos incipientes, tumores, inflammationesq;. Succus eius cum cerussa, ignibus sacris, & ulceribus quæ serpunt, commodè illinitur, imponiturq; podagris cum hircino adipe, aut cerato cyprino. ueterem tussim emendat instar cyathi haustus. tonsillis inflammationem sentientibus utiliter & gargarizatur, & oblinitur. aurium dolorẽ cum rosaceo instillatus leuat.

Helxine.



Germanis

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἑλξίνη, ἡ περδίκιον. Latinè Helxine, Vrceolaris, Perdicia, Officinis Parietaria.

Germanis, S. Peters kraut/ Glaßkraut/ Tag vnd nacht/ quamuis & alia herba hoc nomine appellatur. Gallis parietoire dicitur. A

Qualis herba sit helxine, satis ab hoc descriptum est. Helxine uerò dicta est à uerbo Græco ἕλκω, quod est traho, eo quòd asperitate sua tenaci nexu uestes, quibus adhæserit, ad se trahat: habet enim & caules & lappas in quibus semen continetur & folia aspera. Vrceolaria & uitriaria autem est nuncupata, quoniam urceolos & uitra cæteraq; uasa pulchrè mundat & purificat. Et Germani ob hanc causam á uitris ipsam Glaßkraut uocant. Perdiciam autem uocant à notissima aue perdice, eo quòd illa semine eius præcipuè uescatur, & herbam eruens in illa uolutetur. Muralis & parietaria Officinis & uulgo dicta à natalibus, eo quòd in muris & parietibus nascitur frequens. Monendi sunt hoc loco Medici, ut rectum Helxines usum discant: nam pleriq; eam non rectè frigidis morbis aut affectibus profomento usurparunt, cùm refrigerandi constringendiq; facultate prædita sit. Cæterùm cùm abstergendi quoq; illi facultas insit, potest etiam calculosis, & ijs qui difficulter urinam reddunt, exhiberi, potissimùm si aliquid consimilem facultatem obtinens ei admisceatur.

Alsine. Caput LXXV.

Alsine minor.





B

ALsinen, aliqui anthyllion, nonnulli myosota uocant, quoniam musculorum aures folia imitantur. Lucis opacisq; gaudet, undealsine dicta est. Hæc erat eadem quæ helxine, nisi humilior esset, & foliis longioribus, nec hirsuta. cùm teritur, odorem cucumis reddit. Vim refrigerandi adstringendiq; obtinet. oculorum inflammationibus cum polenta illinitur. Succus auriũ doloribus infunditur. quin & emendat omnia quæ helxine, id est, muralis herba.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Eam esse hodie arbitrantur, quam uernaculo sermone Germani Hünerdarm/ Vogelskraut/ Hünerserb. Galli mouronen, quasi muraurem, uel potius muris aurem, appellant. Itali pauerinam, quòd anseribus gratum pabulum subministret. Auiculas caueis inclusas, cùm fastidiunt escam, aucupes solent hoc cibo recreare, quandoquidem helxine similis est, minoribus tantùm foliis minusq; hirsutis. In hortis quoq; prorepit, & macerijs opacisq; lætatur. Vita semestri contenta. Herba cucumis, cùm teritur, odorem remittit, sed non illam peponis maturi iucunditatem, sed herbaceum cucumeris uirus subolet, quanquàm id, quod de odore memorant, multis exemplaribus Dioscoridis non legitur.

Altera minoribus est foliis, ad eosdem tamen usus cum priore est.

Lens palustris. Caput LXXVI.

Lens

A



LEns paluſtris inuenitur in aqua non fluente, muſcus lenticulæ ſimilis, refrigeratoriæ naturæ. Propter quod conuenienter collectionibus, igni ſacro, & podagris illinitur per ſe, & polenta glutinat & procidentia puerorum interanea.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Φακὸς ὑδατόπλωτος.
Latinè, Lens uel lenticula paluſtris.
Officinis Lens aquatica.
Germanis, Waſſerlinſen/Merlinſen.
Gallis lentille de mer. Itali Zen appellant.

Lens paluſtris ſine radice conſpicitur, ſine ſolijs, etiam ſi id quod in ea fructificat, ſit ſimile folio, minus habili humore, quàm ut in eo folium conflari poſſit. Quidam aliud genus, non in aqua, ſed ulignoſis dilutiſq; nascens, maius eo tradunt, carens folio, agriam phacam, hoc eſt, ſyluaticam lentem uocantes.

Semperuiuum, ſeu Sedum. Caput LXXVII.

Maius.

B





Minus.



Medium.



SEmperuiuum magnum ideo nominatur, quoniam perpetuò folia uirẽant: cuius caules cubiti altitudinem implent, interdum excedunt, pingues, craſsitudine pollicari, uirentes, characiæ tithymali modo inſecti: folia pinguia, carnoſa, longitudine pollicari, in cacumine linguæ ſimilia, alia in terram conuexa, alia in capite ſtantia inuicem, ita ut ambitu effigiem imitentur oculi. naſcitur in montibus, & teſtaceis. ſupra domicilia etiam ſeritur. Eius uis refrigerare, & aſtringere: medentur igni ſacro, nomis, ulceribus quæ ſerpunt, oculorum inflammationibus, ambuſtis igni, podagris per ſe, & cum polenta illita folia. Succus capiti, in doloribus, cum poleta aut roſaceo perfunditur. datur in potu contra phalangiorum ictus, dyſenteriam, aluiq; profluuia. teretes tineas potus in uino excutit. ſubditus in uellere, mulierum abundantiam ſiſtit. ſuccus oculorum lippitudinibus, ſanguinis uitio conceptis, inungitur. Semperuiuum paruum in petris, parietinis, & macerijs, nechon ſcrobibus opacis naſcitur, caulibus ab una radice multis, tenuibus, crebrò foliatis: exilibus ſolijs, rotundis, pinguibus, mucronatis: caule à medio emicante, palmum alto, umbellam herbidoſq;

herbidosq; flores & tenues gerente. Folia eisdem cum priore uiribus prædita sunt. A Tertium uidetur semperuiui genus, quam aliqui andrachnen agriam, aut telephion uocauerunt, Romani illecebram: pusillis, crassibusq; foliis, hirsutis, portulacæ proximis. nascitur in saxis. Vis ei excalfactoria, acris, exulcerans, illita cum axungia strumas discutit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sedum maius Græcè ἀείζωον μεῖζον. Latinè Semperuiuum: ἀεὶ enim semper, ζῶον uiuum, significat.
Officinis Latinum nomen seruauit.
Germanis, Haußwurtz/Taubenweytzen/Donderblümen.
Brabantis, Donderbaert. Gallis Ioubarbe.
Dioscorides huius tria genera statuit: primum cuius nomenclaturam indicauimus. Nascitur in montanis & fictilibus. A quibusdam autem in tectis domorum seritur. Alterum, in muris & petris, & sepibus, oppidorumq; fossis nascitur situ umbroso, cauliculis pluribus ab una radice, folio denso, minuto, pingui, longo, mucronato, in medio caulis altus palmo, umbellam & florem herbaceum sustinet tenuemq;. Huius foliis eadem quæ sedo maiori natura est. Germani uocant Kleyn Haußwurtz. Tertium genus capite de Telephio descripsimus, capite ultimo libri tertij.

Vmbilicus Veneris. Caput LXXVIII.

Cymbalaria.



COtyledon, siue umbilicus Veneris, folio est in acetabuli formam tornato, ineuidenter concauo, breui in medio cauliculo, in quo semen in est: radice oliuæ modo ro B tunda. Succus cum uino circunlitus, instillatúsue, contecta genitalia nudat. inflammationibus, sacris ignibus, strumis, pernionibus, illitu auxiliatur. stomachi ardorem refrigerat. Folia cum radice comesa, calculos frãgunt. urinam cient. hydropicis ex melle dantur. Herba uruntur ad amatoria. Est & alterum genus eiusdem, cymbalion aliqui uocant, pinguibus foliis, latioribus, ligularum modo densis, circa radicem medium oculi ambitum describentibus, ut in maiore semperuiuo, adstringentis gustus: cauliculo tenui, in quo flores & semina hyperici: radice maiuscula. Facit eadem quæ semperuiuum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κοτυληδών. Latinis Cotyledon. Romanis Vmbilicus Veneris.
Officinis Vmbilicus Veneris, & Cymbalaria. Germanis Nabelkraut.
Gallis cymbalaris herba, Rotundata, Rondela.
Folio tenui est, anguloso, hederaceo, flore paruo, purpureo, in muris terræ nascens, omnino eandem esse puto eam, cuius picturam damus, cùm & similitudo confluat, & folium hederæ habuerit: nam ei tribuitur orbiculatum, ineuidenter concauum, quod non longè abest ab hederaceo: reliqua paria ferè comperiuntur, nec radix oliuæ modo rotunda, nec natales dissentiunt.
Alterum genus eiusdem quidam falsò Telephium purpurascens faciunt. hoc Germani uocant Wundtkraut/weible/foliis sordidis, latioribus, densis, densioribusq; circa radicem uelut oculum cingentes, gustus asperi, in eo flos & semen hyperici à multis genus aizoi reputatur. Huius usu Hippocrates in cibo fœminum sexum concipi, sicut priore masculinum prodidit.

Vrtica. Caput LXXIX.

A Vrtica.



B

DVo urticæ genera: sylue-stris, asperior, latioribus, nigrioribusq; foliis: semine lini, sed minore. altera non æquè aspera, minuto semine. Folia utriusq; illita, canis morsibus, addito sale, medentur. gangrænas, carcinomata, sordida ulcera, & quæ cacoethe uocantur, item luxata, panos, tubercula, parotidas, suppurationesq; sanant. lienosis cum cera to imponuntur. faciunt ad profluuia narium, cum succo trita, & naribus indita. mẽses ciunt, eadem detrita cum myrrha, & imposita. procidentes uuluas, recentia contactu resilire cogunt. Semen potum ex passo, uenerem stimulat. uuluæ ora patefacit. cum melle delinctum, orthopnœæ, lateris & pulmonũ inflammationibus prodest. thoracem expurgat. erodentibus medicamentis admiscetur. Cocta cum conchis folia, aluum emolliunt. urinas mouent. inflationes discutiunt. decocta cum ptisana, uitia pectoris extrahunt. mulierum menses euocant, cum myrrhæ modico pota. Inflammatione turgentem uuam, gargarizatus succus exprimit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κνίδη, ἀπὸ τοῦ ἀναλύφειν. Latinè Vrtica, aburendo dicta.
Officinis Latinum nomen seruauit. Germanis, Nesſel.
Gallis de l' ortie griesche, ou picquante.

Dioscorides Vrticæ duo genera facit. Vnam asperam, quam hodie Officinæ & Herbarij Romanam, Germani Römisch oder Welsch Nessel appellant. Huius quidem semine in Officinis utendum, non alterius quæ passim in sepibus ac dumetis nascitur. Alterum genus maius est, minuto semine, sed ut Dioscorides tradit, non æquè aspera: hæc nisi ea fuerit, cuius picturam damus, quam Germani Brennend nessel & Hexter nessel uocant, caule uidelicet glabro: aliam in Germania propius delineationi accedentem, me uidisse non memini: præter hæc duo genera alia plura inueniuntur, uiribus tamen haud multum à Romana discrepantia, cùm haud secus atq; hæc pungere uideantur. Vrticæ fructus, id est, semen, & folia præcipuè, utilia sunt, nam uehementer calfaciunt: tenuium sunt partium, digerunt, phymata & parotidas, crassis & lentis humoribus pulmones purgant.

Galiopsis. Caput LXXX.

GAliopsis frutex in totum caulem & folia habet urticæ, leuiora, & quæ grauem odorem trita reddant: flore purpureo, tenui. nascitur circa sepes, ædificiorũ areas, ac semitas ubiq;. Folia, caules, semen, succusq;, duritias & carcinomata dissipant: strumas, panos, & parotidas discutiunt. oportet bis die tepidum ex aceto cataplasma imponere, & eius decocto fouere. ad putrescentia, gangrænas, & nomas, cum sale efficaciter illinuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Γαλιόψις. Latinè, Galeopsis, urtica labeo, Lamium, anonium. Officinis

Galeopsis.



Vrtica mortua.



Officinis Vrtica alba, & mortua: archangelica. Germanis Taub neſſel/ Weiß neſſel/ Bynſaug. A

Gallis Orties mortes appellantur.

Vrtica quæ iners & mortua uulgo dicitur, herba cognita eſt, ſolijs non mordentibus, ſolijs mordacis minoribus, candidioribus, tactu innocentibus: flore albo, luteo, aut purpureo, cauliculos coronante. A multis Galeopſis eſſe ea herba putatur, quæ Officinis Scrophularia maior, Ficaria, Millemorbia & Caſtrãgula. Germanis Sawwurtz/ Drüſewurtz/ Braunwurtz/ Groß feigwartzen Kraut dicitur. Brabantis, Spenencruyt. Gallis uerò agri palma. nanq; frutex eſt thyrſo ac frõde urtica leuioribus, quæ detrita grauem fundunt odorem, flore purpureo, cacumine caulis aſpero. naſcitur propter uias in ſepibus & ruderatis. Huic recentiores quoq; facultatem tribuunt ſanandi ulcera putreſcentia, & mariſcas. Succum eius mederi deformitati faciei iam ferè elephanticæ tradunt. Semen in expellendis & enecandis lumbricis eſſe efficax adijciunt, id quod ab eius amaritudine nõ abhorret. Non carent ea matronæ in Gallia, uuluæ uitio opportunæ, nanq; ſuo graui odore reuocat, & uelut exanimes recolligit. An hæc ſit eadem cum Galeopſi, peritioribus iudicandum relinquo. B

Gallion.



Gallion. Cap. LXXXI.

GAllion nomen ex eo traxit, quòd in contrahendo lacte, coaguli uicem impleat. ramulum foliumq; habet aparinæ ſimillimum, rectum: floremin cacumine luteum, tenuem, denſum, copioſum, odoratum. Flos igni ambuſtis illinitur. ſanguinis profluuia ſiſtit. Cerato roſaceo gallion admiſcetur, inſolatum uſq; dum albeſcat. laſſitudines reficit. radix uenerem concitat. Naſcitur in paluſtribus.

NOMINA ET EXPLICATIÒ.

Græcè, Γάλλιον.

Latinè, Gallium uel Galium, alijs galerion, alijs galation.

Officinis neglecta & incognita.

Germanis, Vnſer frawen bettſtro/ Megerkraut/ Wållſtro/ uocant. Nomen inuenit à lacte, cui additum pro coagulo eſt.

Galli petit muguet, hoc eſt, muſchetum minus appellant, quòd flos iucundo placeat odore. Nanq; ramulum foliumq; profert aparinæ ſimillimum, rectum: florem in cacumine luteum, exilem, denſum, frequentem, odore gratum. In aruis & humidis prouenit.

Senecio. Cap. LXXXII.

A



Senecio cauliculo est cubitali, subrubro, foliis cõtinuis, diuisura erucæ, sed minoribus multò: luteis floribus, qui celeriter dissecti uanescunt in pappos. nomen uerò sibi uendicauit, quoniam flores capillorum ritu, uere canescant. radice superuacua. nascitur maximè in macerijs, & circum oppida. Folia cum floribus refrigerant. quare illita cum uini modico, uel per sese, testium & sedis inflammationes sanant. quin & ex manna thuris medentur cùm reliquis uulneribus, tum ijs quæ nerui acceperunt. Illiti per se cum aceto pappi, idem munus præstant: uerùm recentes epoti strangulant. Totus caulis, si coctus in passo potui detur, stomachi dolores à bili contractos persanat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè. πολυέιρων. Latinè, Senecio.

Officinis Scutum cœli.

Germanis, Creutzwurtz/quamuis & alia herba hoc nomine appelletur. Brabantis, Senesson. Gallis du senecon appellatur.

Nomen Græcum inuenit, quòd uere canescat. Callimachus acanthida appellat, alij pappum: nascitur in tegulis & muris. Nec deficere, qui alterum genus facerent, nec quale esset demonstrarent, dantes contra serpentes bibendum. Sunt qui senectionem intellexisse Nicandrum putent, cùm geraon pogena dixit, quasi hirci barbam: cùm uerisimilius sit, herbam hirci barbulæ similem notari, quæ uulgo Bocksbart dicitur: de qua alio loco diximus.

Thalietrum. Caput LXXXIII.

Thalietrum.



B

THalietron folia coriandri habet, pinguiora paulò: caulem rutæ, in quo folia. Quæ trita, illitu antiqua ulcera ad cicatricem perducunt. Nascitur maximè in campestribus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Θάλικτρον. Latinè, Thalictrum.

Officinis Cotula fœtida.

Germanis Krottendill/Stinckend Camillen.

Brabantis paddelbloemen. Gallis l'herbe appelee argentine dicitur.

Nascitur ubiq; præsertim in campestribus. Dioscorides rutæ caulem ei tribuit, nõ papaueris, librarijs similitudine uocabulorum deceptis, in quos Plinius inciderat. Medentur ulceribus folia cum melle.

Marinus muscus. Cap. LXXXIIII.

MArinus muscus nascitur in scopulis, testaceisq; haud procul à mari, gracilis, capillaceus, caulis expers. præcipua ei spissandi uis, & collectiones cohibendis & podagras, quas refrigerare opus sit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Βρύως θαλάσσιον.

Hodie uulgo Græci Σχολίσο Βότανιυς.

Latinè, Muscus marinus.

Officinis corallina: quia ut Corallus in aqua nascitur, & eodem cum corallis loco, unde forsan aliqui falsi, & corallorum folia esse rati, nomen hoc indiderunt. Germani Meermôß uocant. Galli Coralline. Plura utde in annotationibus nostris in cap. 20. lib. 1.


Fucus marinus. Caput LXXXV.

EFuci marini generibus, quoddam latum, & alterum ſublongius, & rubens. tertium candidum, naſcens in Creta, floridum ualde, quod nulla corruptionis labe polluitur. Omnia uim habent refrigeratoriam, non podagræ modò, ſed etiam inflammationibus, in cataplaſmatis efficaciter utilem. uerùm ηs uti humidis conuenit, priuſquam exareſcant. Nicander, puniceum aduerſus ſerpentes dedit. Hoc fuco quidam putant mulieres ſuum colorem mentiri, cùm tamen ſit radicula eiuſdem nominis, qua ſeſe fucant. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Φῦκος θαλάσσιον. Latinè, Fucus marinus. Officinis incognitum.
Germanis, Mergraß. Gallis fruillet de mer, appellatur.
Multa complectitur genera: refrigerandi uim habet, ut Dioſcoridi placet, uiribuſq; haud multùm differunt à noſtra paluſtri lenticula.

Potamogeton. Caput LXXXVI.



POtamogeton, folium betæ ſimile, hirſutum, paululum ſupereminens extra aquam. Refrigerat & inſpiſſat. pruriginibus utile, & cõtra ueterum ulcerum nomas. Nomen ex eo inditum eſt, quòd paluſtribus & aquoſis enaſcatur.

NOMINA ET explicatio.

Græcè, ποταμογείτων.
Latinè, Potamogeton, & Fontalis.
Officinis incognita.
Germanis, Seehalden/ Samkraut/ dicitur. Brabantis, Fonteincruyt. B
Potamogeton autem quaſi fluminibus uicina dicta eſt: ſiquidem aquoſis & paluſtribus locis naſci amat. Stachyites uerò quaſi ſpicata, ob caulem quem ex ſe mittit floribus & ſemine ſpicatum. Aſtringit & refrigerat ſimiliter Polygono, ſed eſſentia eius craſſior, quàm polygoni eſt.

Stratiotes. Ca. LXXXVII.

STratiotes in aquis naſcens, iiſdem ſupernatat, & ſine radice uiuit: unde cognomentum traxit. Herba ſemperuiuo ſimilis, ni maiora haberet folia, quæ refrigerant. ſanguinem qui defluit à renibus, pota ſiſtunt. uulnera quæ inflammationem minantur, intumeſcere non ſinunt. ignibus ſacris & tumoribus ex aceto illinuntur.

NOMINA ET EXplicatio.

A Græcis celebratur ſtratiotes. Et ea, ut Plinius autor eſt, in Aegypto tantùm & inundatione Nili naſcitur, ſedzoo ſimilis, ni maiora haberet folia: hodie planè ignota herba eſt.

Stratiotes millefolium. Caput LXXXVIII.

A



STratiotes millefolium exiguus frutex, palmi altitudine, aut amplius assurgit. foliis auricularum pennas imitantibus, breui admodum dissectoq; foliorum exortu. folia sylvestre cuminum simulant, præsertim breuitate atq; scabritia, breuiora paulò, densiore umbella, & pleniore. Surculos in cacumine gerit exiguos, & capitula immodum anethi: flores paruos, candidos. Nascitur in asperis agris, præcipuè circa semitas. Eximij usus ad ulcera uetera, recentia q; profluentem sanguinem, & fistulas.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Στρατιώτης χιλιόφυλλος. Latinè Stratiotes chiliophyllos. Officinis Millefolium. Germanis Garben/ Schaffrip/ Schaffgarben/ & Gerwel. Galli millefeulle appellant.

Quibusdam nomen hodie cuminum syluaticum, alij anethum syluestre, alij asininum daucum uocant. sed falsò, si uiro doctiss. Euritio Cordo credimus, qui Stratioten chiliophyllon nostrum esse millefolium, in suo Botanologico clarè demonstrat: recentiores quoq; ad eosdem usus, ad quos ueteres suum Chiliophyllum, adhibent: ad sananda nimirum omnis generis uulnera, dissoluendum sanguinem concretũ, & ad cõstringendos mẽses. Vnde à Stratiote millefolio nõ esse diuersum, omnibus perspicuũ fit.

Digitalis lutea.



Verbascum. Cap. LXXXIX.

Königs kertz.

B



Digitalis purpurea.



VErbascum differentias summas habet duas, hoc nigrum, illud album: in quo mas & fœmina intelligitur. Fœminæ igitur folia sunt brassicæ, pilosiora multò, & latiora, candida: caulis albus, cubitalis, aut amplior, subhirsutus: flores albi, aut ex luteo pallescentes: semen nigrum: radix longa, gustu acerba, crassitudine digiti. nascitur in

Primula ueris.



tur in campestribus. Verbascum, qui mas appellatur, oblongius, albis foliis, & angustioribus, tenui caule. Sed nigrum prorsus albo simile esset, nisi nigriore latioreq; cõstaret folio. Syluestre folia fert saluiæ, altas uirgas & lignosas, & circa eas ramulos quales marrubium: flores luteos auri æmulos. Sũt & phlomides duæ, hirsutæ, rotundis foliis, humiles. Tertia lychnitis appellatur, ab aliis autem thry allis, foliis ternis, aut quaternis, uel paulò pluribus, asperis, crassis, pinguibusq; : apta ad lucernarum lumina. Radix priorũ duarum astringit: quare quod magnitudine ludicrum talum æquet, in alui profluuio conuenienter ex uino datur. decoctum ruptis, conuulsis, fractis, antiquæ tussi, auxiliatur. Dentium dolorem collutione mitigat. Verbascum cui flos aureus, capillos tingit, & quocunq; abiecta tur, blattas in se cõtrahit. Cocta in aqua folia, aduersus tumores, inflammationes oculorum, lyde- A

Mas.

Verbascum syluestre.





B

A





Lychnitis, Frawenrößlin.



Verbascu lum, Waldt Kornblüm.



Blattaria.
Goldtknöpfflin.



rata ulcera, ex uino & melle illinuntur. cũ aceto quoq; uulneribus medentur. contra scorpionum ictus sunt auxilio. Syluestris folia ambustis igni sunt cataplasmata. Aiunt in foliis eius, quam fœminam dicimus, aridos ficus omnino non putrescere.

A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Φλόμος.
Latinè, Verbascum, Candelaria, Candela regis, Lanaria.
Officinis Tapsus barbatus.
Germanis Wullkraut/Kertzenkraut/Vnholden kertz.
Gallis de Bouillon.

Verbascum omnium ueterum testimonio duo habet summaria genera. Candidum unum foliis, alterum nigrum est. Candidum rursus in marem & fœminam digeritur. Præter tria hæc, & syluestre habetur, Wild Wullkraut Germani appellant. Galli de bouillon sauuage. Sicut etiam uerbascula duo, quæ à nostris Herbarijs herbæ paralysis, & uulgo artheticæ, Officinis primulæ ueris uocantur. Germanicè Schlusselblümen. Gallicè Bracha cuculi, & primi ueris. Horum unum est odoratum, alterum odoris expers. Est & tertium genus, Verbasculum ueteribus, quod lychnitim alij, alij autem Thryallida appellant. Germani Weiß & braun Frawen röß lin/& Marien röß lin uocant. His uerbasci generibus annumeramus nos ex Cordi sententia eas herbas, quas Fuchsius nomine digitalis pictas dedit, unam purpureis floribus, alteram luteis, prima digitalis purpurea. Germanicè Braunerfingerhût / altera digitalis lutea, Gelber Fingerhût/à florum similitudine appellatur. Demum & huius generis sunt, quæ quibusdam Verbasculum, Germanicè Wild Kornblûm / & Blattaria, Germanis Goldtknöpfflin/dictæ. Omnia Verbasci genera cùm eiusdem sint effectus, Plinius ea distingui superuacuum putat. Priorum duorum radix gustu acerba est, & fluxionis affectibus prodest folia digerendi uim habent. Sic etiam aliorum folia, potissimum autem eius quæ aureos flores obtinet. Verbasculo odorato (nam inodorum inutile) recentiores hos effectus assignant. tritum imponitur efficaciter articulorum doloribus. Radicis decocto ueficæ, renumq; obstructiones soluuntur. Ius herbæ propinatur & illinitur aduersus rupta, luxata & tumentia. Præterea calidum & siccum esse constat. Lychnidis sup. mentionem fecimus.

B

Aethiopis. Caput XC.

AEthiopis folia habet uerbasco similia, perquàm hirsuta, densaq;, in orbẽ circa radicem imam redacta: caulem quadrangulum, scabrum, similẽ apiastro, aut arctio, multis concauum alis: semen erui magnitudine, geminum, in uno cõceptaculo: radices ab eodem cespite numerosas, longas, plenas, glutinosas gustu, quę siccæ nigrescunt durantur q;, ut cornua possint uideri. plurima nascitur in Ida monte Troadis, & in Messenia. Auxiliatur purulentis excreationibus, ischiadicis, pleuriticis, arteriæ scabritijs, decocta radix & pota: quin & cum melle. eclegmatis uicem præbet.

Herba est hodie Germanis incognita.

Arction. Caput XCI.

ARction, aliqui potius arcturon uocãt, similis est uerbasco foliis, nisi quòd hirsutiora & rotundiora sunt: caule longo, molli: semine cumini, paruo: radice tenera, alba, dulci q;. Decocta cum semine radix in uino, dentium dolorem mulcet, si contineatur ore decoctum. ambusta pernionesq; fouentur eodem. bibitur aduersus coxendicum dolores, & stranguriam, è uino.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἄρκτιον. Latinè, Arction, prosopion maius, uel arcturus. Officinis Lappa, siue Bardana maior. Germanis, Klein Kletten. Gallis petit Bardana, & gleteron appellatur.

Arction ab urso nomen habet. Hallucinantur qui ungulam Caballinam, Officinis dictam Arction esse sentiant, cùm, ut suprà demonstrauimus, bechion sit, & tussilago quam ungulam uocant caballinam.

Personata,

A

Perſonata, ſiue Lappa. Caput XCII.



B

PErſonata folia habet cucurbitæ, maiora & hirſutiora, & craſsiora: caulem albicantem, quanquàm & interdum uiduo caule reperiatur: radice intus candida, foris nigra. Hæc drachmæ unius põdere pota, cum pineis nucibus, purulenta & cruenta extuſsientibus auxiliatur: trita dolores à contorſionibus artuum contractos, illitu ſedat. Folia utiliter antiquis ulceribus illinuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἄρκτειον, ἄρκτιον, προσώπιον.

Latinè, Perſonata, uel Perſonatia, Arction, Proſopion, Dioſcoridi Arcion. Officinis Bardana maior, Lappa maior, in differẽtiam præcedentis, quæ fòlijs est multò minoribus, nec ita rotundis. Germani Groß Kletten Kraut/Bůcholter uocant. Brabanti Groot Cluſſen.

Gallis Gloteron, Bardane dicitur.

Herba, cuius picturam damus, fòlio cõstat omnium lapparum maximo, parte auerſa herbido, aduerſa cano: caule oblongo, interdum caule uiduo, grandibus lappis, quæ tranſeuntium uestibus adhæreſcunt, in qucis flos purpureus naſcitur, non euidens, ſed occultus intra ſe germinans, radice grandi, candida intus, foris atra. Digerit ſimul & deſiccat: ſed & aſtringit nonnihil.

Petaſites. Cap. XCIII.

PEtaſites pediculus cubito maior, craſſitudine pollicis, à quo prægrande folium, galeri modo amplum, ceu fungus dependet. Cõtra phagedænas, & ulcera quę cacoëthe uocant, efficaciter illinitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, πεταςίτης. Latinè, Petaſites herba.

Officinis inuſitata.

Germanis Peſtilentzwurtz appellatur.

Petaſites à petaſo, piliũ ſignificante, dicta est, quòd fòlium eius pediculo ſuperpoſitum, petaſi modo amplũ, ut fungus dependeat. Germanicum nomen ab effectu ſortita est: experimento enim comprobatum, ut uir doctiß. Hieron. Tragus aſſerit, radicem hanc mirificè cõferre peſtilentialibus febribus, quòd ſudorem uehementer moueat, ſi in puluerem redacta cum uino ſumatur.

Petaſites, peſtilentz wurtzel.



Nec

Nec minori efficacia bibitur à mulieribus, quas uteri tormina & præfocationes exercent. Valet etiam unicè ad euocandos lumbricos. Succurrit quoq; ijs qui ſpiritus difficultate laborant. Ducit urinam & menſes. Efficax eſt ad uulnera præhumida, & ad reliquas cutis fœditates: hæc uerò poſſe, docet eius amaritudo, cuius quidem hæ ſunt facultates. A Gal. lib. 4. ſimp.

Epipactis. Caput XCIIII.

EPipactis, ab alijs helleborine, parua herba, fruticoſa, exiguis foliis. Iecinoris uitijs utilis, & contra uenena pota.

Nulli hodie, quod ſciam, herba hæc cognita.

Fumaria.



Capnos, ſeu Fumaria. Cap. XCV.

FVmaria fruticoſa herbula eſt, prætenera, coriandri ſimilis: foliis candidioribus, undiq; numeroſis, cineracei coloris: flore purpureo. huius ſuccus claritatem facit oculis, delachrymationemq;: unde nomen traxit. illitus cum gummi, euulſas palpebras renaſci prohibet. Commanducata herba bilioſam urinam trahit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Καπνός.
Latinè, Capnos. Fumaria.
Officinis Fumus terræ.
Germanis, Erdtrauch/ Taubenkropff/ Katzenkerbel.
Brabantis, Gryſecom.
Gallis Fume terre appellatur.

Fumaria acris, amara, ſubacerba, urinam bilioſam & multam commanducata aut pota prouocat, hepar obſtructum purgat & roborat, ſcabiem & pruritum inde ſanat: ſiccata uentriculum cum uino roborat, cum melicrata aluum ſubducit, ſucco ſuo oculorum claritatem, & delachrymationem fumi modo molitur, unde illi nomen Officinis & uulgo: herba hodie uſitatiſſima. B

Lotus, Sibengezeyt.



Lotus urbana. Caput XCVI.

LOtum urbanam, alij trifolium uocant. naſcitur in hortis. extractus ſuccus, addito melle, oculorum argema, nubeculas, cæteraſq; caligines diſcutit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Latinè, Lotus urbana & ſatiua.
Officinis Trifolium odoratum.
Germanis Siben gezeit/ Wolriechender klee.
Gallis du treffle odoriferant. *Vide annot. noſtras ſup. in cap. de Trifolio.*

Syluestris Lotus. Caput XCVII.

SYlueſtris lotus, quam trifolium minus appellant, plurimum in Lybia gignitur, caule bicubitali, & ſæpe maiore, alis multis: foliis trifolij pratenſis: ſemine fœnigræci, multò minore, guſtu medicato. Vim calfaciendi & leniter adſtringendi obtinet. uitia cutis in facie, maculasq;, cũ melle peruncta expurgat. trita per ſeſe aut cum maluæ ſemine,

in uino

A *Lotus syluestris*, Steynklee.



in uino aut passo bibitur aptissimè contra dolores, qui uesicam malè habent.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Λωτὸς ἀγρία.
Latinè, Lotus syluestris.
Officinæ falsò pro meliloto utuntur.
Germanis Steynklee dicitur, & Guldenklee.
Brabantis Steen clauer.

Caulem fert bicubitalem, & sæpe maiorem, folia fœnograco similia, in quouis pediculo tria: floribus pisi, multò tamen minoribus, luteis aut candidis, odoratis, deorsum nutantibus, semine per ramulos diffuso fœnigræci, sed multò minore, gustu medicato, radice subcandida, quæ notæ delineationi Syluestris lotæ ad amussim respondent, nulla penitus reclamante, ut eandem esse nemo sanæ mentis deinceps dubitare possit.

Cytisus. Cap. XCVIII.

CYtisus, frutex est albus in totum, ut rhamnus, ramos spargens cubito longiores, in quibus folia fœnigræci, aut loti trifoliæ, minora, dorso medio prominente. ea digitis trita erucam olent, gustataq; cicer sapiunt. Folia refrigerant. tumores inter initia discutiunt, si cum

B *Cytisus Trag. Trifolium magnum.* Grosser Geyßklee.



Cytysus.



pane

pane trita illinantur. decoctum potu urinam ciet. Nonnulli, quòd apes alliciat, pro- A
pe aluearia serunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Multi eruditi uiri eum fruticem, qui hodie passim in Germaniæ hortis seritur, nomine Sene Arabum, sed falsò, uulgò Verbũte Kũchlin/ueterum esse Cytisum putant: siquidem folium mittit fœnogræco non absimile, ramis exilibus, membraneo folliculo, pellucente, prætumido, & ueluti quodam spiritu distendente, turgido, ita ut si digitis prematur, crepitans dissiliat, in quo semen pullum, durum, latum, lentis magnitudine, ciceris gustu, quæ notæ omnes non malè conueniunt cum delineatione Cytisi: an idem sit, doctioribus iudicandum relinquo.

Hieronymus Tragus uerò Cytisum exhibet, Germanicè Grosser Geyßklee.

Lotus Aegyptia. Caput XCIX.

EST & in Aegypto lotus, quæ in campis flumine inundatis prouenit, caule fabæ: flore paruo, candido, lilio simili, quem tradunt occidente sole comprimi, occludiq; ad ortum autem aperiri: addunt q; caput ipsum uespera aquis condi, & ad exortum solis emergere. Caput quale papaueris, maximum: & intus grana ceu milij, quæ Aegyptij exiccant, & in panes cogunt. Radicem lotos hæc habet mali cotonei similitudine, quæ cruda coctaq; manditur: decoctaq; lutei oui qualitatem exhibet.

EXPLICATIO.

Loti nomen uagum est per herbas & arbores aliquot, quæ uerò Aegyptia sit, apud Theophrastum, Athenæum, & Pausaniam, nam cùm nobis peregrina planta sit, non est cur frustra de hac plura uerba facere uelimus.

Millefolium. Caput C.



MYriophyllum, siue millefolium, caulis est tener, singularis, unica nixus radice: plurimis foliis, læuibus, fœniculo similibus: unde nomen accepit. caulis flaueſcit uarius, ac ueluti ex industria delimatus. nascitur in palustribus. uulnera recentia ab inflammatione uindicat, si uel uiride, uel siccum ex aceto oblinatur. præcipitatis in potu cum aqua & sale datur. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Millefolium seu Millefolia. Hetruria hoc nomine appellat herbam in pratis tenuem, à lateribus capillamenti modo foliosam, eximij usus ad uulnera: boum neruos abscissos uomere solidari ea, rursusq; iungi addita axungia affirmans. Germanicè Garb/Schaffgarb/Tausentblat. Brabantis, Gerwe. Alia est millefolia, Græcis χιλιόφυλλον, inter sideritides, Achillea etiam dicta. Est & stratiotes chiliophyllos: de quibus ordine suo diximus.

Myrrhis.



Myrrhis. Cap. CI.

MYrrhis simillima est cicutæ, caule foliisq; radix ei oblonga, mollis, rotunda, cibo non insuauis. Quæ pota in uino, phalangiorũ morsibus auxiliatur. cit menstrua, & partus secundos, purgatq; à puerperio fœminas. subuenit & phthisicis cocta in sorbitione. Aiunt quoq; eandem bis die terue potam ex uino, in pestilentia salutarem esse, & ne morbi contagia sentiantur, obstare.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Μυῤῥίς. Latinè, Myrrhis.

Officinis & Herbarijs cicutaria. Germanis Wilder Kerffel. Gallis perſil dafne dicitur.

A Herba cuius picturam damus, omnino cum delineatione Dioſcoridis, qua myrrhin depingit, nulla reclamante nota, reſpondet, ut eandem eſſe nemo deinceps dubitare poßit, ſiquidem ſimillima eſt cicutæ, caule & folijs, radice oblonga, molli, rotunda, cibo iucunda. Hanc Plinius ſmyrrhizam, alij myrrham uocant. Falluntur qui cherephyllon, item qui Robertinam Officinis dictam, Myrrhin eſſe rentur, cùm & folio ſimiles poſſint uideri, non tamen caule nec floribus.

Myagrum. Caput CII.

MYagron, aliqui melampyron uocant, herba eſt ſurculacea, folijs rubiæ, pallidis, tripedanea. ſemen oleoſum, fœnogræco ſimile. Quod contuſum igni torrent, perunctisq; uirgis ad lucernarum lumina utuntur. hoc pingui, ſcabritias corporis leuigari, atq; expoliri conſtat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Myagrum, ſiue Melampyrum.



B

Μελάμπυρον, uel Myagros, Officinis & uulgo incognitum: Galli uocant du ble frime, & Carmeline: herba ſurculoſa eſt, folijs rubeæ, pallidis, tripedanea, ſemen oleoſum, fœnugræco ſimile, in utriculis conceptum. Hoc in areis pauitis, rura ſtagris decutiunt, & uannis in auram uento ſiliciem iactant, dum ſiliquarum recrementa uaneſcant, tum truſatilibus molis ſubijciunt, uerſandoq; ſubinde oleum exprimunt, quo non ad lumina tantùm lucernarum, ſed & ciborum quoq; condimentis pauperes utantur: magno huius olei prouentu. ſunt qui eam eſſe uolunt, quam nos uulgo Lindotter appellamus.

Onagra. Cap. CIII.

ONagra, ſiue onothera, aut onuris, frutex eſt arboris inſtar, prægrandis, amygdalino folio, ſed latiore, lilio non diſſimili: flore roſaceo, magno: radice candida, longa: cùm ſiccata eſt, uinum olente. naſcitur in montibus. Aqua in qua radix maduerit, in potu data, feras mitigat, & cicures facit. illitu quoq; tetra ulcera mulcet.

Frutex eſt Germanis incognitus, Oenochora Theophraſto dictus.

Cirſium. Cap. CIIII.

CIrſium, caulis eſt tener, duorum cubitorũ, triangulo ſimilis: ab imo foliola, roſæ ſpeciem referentia: anguli ſpinoſi, per interualla molles: folia bugloſſo ſimilia, maiora, ſubcandida, modicè hirſuta, partibus extremis aculeata. cacumen caulis orbiculatum, hiſpidum, in quo capitula purpurea, quæ ſoluuntur in lanugines. Radicem huius loco laboranti adalligatam, dolores uaricum ſedare Andreas ſcripſit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cirſium, ſi Ruellio credimus, ea eſt cuius picturam damus, ſcilicet ea, quam nunc uulgo Bugloſſam dicũt Germani Ochſenzung/ alia ab ea, quæ borago uocatur, de qua poſtea agetur cap. 112. Eſt autem duplex Bugloſſa, unum Germanicum Echij ſpecies. alterum uerò Italicum, in quo omnia ſunt maiora, ea Cirſion eſt cùm ei delineationes totæ, paucis exceptis, ſubſcribant, ſiquidem caulis ei tenet bicubitalis, folia bugloſſo ſimilia, longiora tamen, ſubcandida, leniter hirſuta, in partibus extremis aculeata, cacumen caulis circinatum,

Cirsium.



A
Cirsium Italicum.
Welsch Ochsenzung.



Cirsium syluestre, Wild Ochsenzung. B



circinatum, hirsutum, in quo capitula purpurea, quæ fatiscunt in lanugines, quæ oculata fide in herba, dicta nobis buglossa maior, deprehenduntur. Dicta est autem cirsion à uaricibus, quos Græci Cirsos uocant, quoniam doloribus illorũ medetur adalligata. Sunt autem uarices uenarum dilatationes, quæ ex atræ bilis materia fiunt, aliquando in temporibus, aliquando sub umbilico, nonnunquam circa testes, sæpissimè autem in cruribus, fiuntq; plurimùm in his, qui diutius stare, aut iter facere consueuerunt. altera syluestris & domestica buglossa: Species sunt Echij.

Aster Atticus, seu Inguinalis.

Caput CV.

ASter Atticus cauliculus lignosus, florem in cacumine habens purpureum, lutetimue, & in ambitu diuisum, anthemidis modo, capitulum: sed ea quæ caulem ambiunt folia, stellæ modo radiata, oblonga, hirsuta. Fer-

A



Aster Atticus.

B

uenti stomacho, oculorum inflammationibus, procidue sedi, ac inguinibus illitu auxiliatur. Tradũt purpureum florem, si ex aqua bibatur, anginis, & pueris comitiale malum sentientibus, opitulari. inguinum inflammationi recenter illinire conuenit. Si aridus flos siniſtra dolentis manu decerpatur, & inguinibus adligetur, dolore liberat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἀστὴρ ἀττικὸς. βοτρώνιον.
Latinè Aster Atticus. Inguinalis. Officinis inusitata.
Germanis Sternkraut/ Klein Wegerkraut.
Gallis Aspergoutte mineur dicitur.

Asteris nomen non à foliorum in caulibus, sed in floribus potius figura & situ, accepit, siquidem foliorum in huius herbæ flore numerus & forma, stellam præ se ferunt: uel ut Plinius ait, capitula per ambitum diuisa, foliis pusillis, stellæ modo radiata sunt. Erant itaq; qui singula folia in caulibus stellæ formam repræsentare putant. Bubonium & inguinalis, quòd inguinum præsentaneum sit remedium, dicta est. Germanis Bruchkraut/ qui ad herniam puerorum utuntur. flores fert purpureos. nascitur in collibus, montibus, & altis syluis. Augusto mense ut plurimum floret. Mixtæ est potentiæ, uti rosa: refrigerat enim, non tamen uehementer, & digerit atq; exiccat, quòd illi scilicet amara insit qualitas.

Isopyrum. Caput CVI.

ISopyron aliqui phasiolon ob similitudinẽ uocant, quoniam folium, quod est aniso simile, in pampinos torquetur. capitula sunt in summo caule tenuia, plena seminis, melanthĩ gustum imitantis. Contra tussim, & cętera pectoris uitia, semen ex aqua mulsa bibitur. hepaticis, & sanguinem excreantibus utile.

EXPLICATIO.

Isopyrum Plinius quoq; describit foliis aniſi, capitulis in summo tenuibus, plena seminis melanthij: quæ uero, aut quo nomine hodie appelletur, ignotum est.

Viola purpurea. Caput CVII.



VIola purpurea folium habet hederæ minus, tenuius ac nigrius, nec multò dissimile. cauliculus à radice medius prodit, in quo flosculus, suauiter olens, purpureus. opacis & asperis nascitur. Refrigerandi naturam habet. Folia per se & ex polenta illinuntur aptissimè stomacho æstuanti, & oculorum inflammationibus, sediq; procidenti.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Ἰόν, id est, uiola omnis, & præcipuè nigra, seu purpurea, quamuis in eodem genere est alba, etiã uulgo martia dicitur, & quadragesimale, quòd Martio mẽse, & quadragesima floreat. Germanis Mertzen violen/ Viõnle/ Blaw/ Weiß violen. Brabantis, Violetten. Gallis uiolettes, & uioles de martz, ou careſme dicuntur. Est etiam multifolium, ob id Dasipodium Græcis. Germanis Gefüllte violen/ dictum, concolor prę mæ, sed plenior: frigida est, & humida primo ordine. Syrupus ex multis florum uiolæ nigræ recentium, ut rosarum, flore Persici, infusionibus soluit aluum. Quin & semen uiolæ nigræ, album, rotundum, milij æmulum apertè cholagogum est. Est quoq; eius generis syluestrior toto habitu strigosior, magis serpens, flore purpureo, in albũ languescẽte, inodoro. hanc Germa. Hunds violen/ Wild violen. Galli uiolette sauuages uocãt.

Cacalia.

Cacalia. Caput CVIII. A

Cacalia Italica.



CAcalia, quæ leontice uocatur, folia fert magna, alba: è quibus medius caulis emicat, rectus, albus, florem ferens robori* aut oleæ similem. nascitur in montibus. Radix in uino madefacta, ut tragacantha, delinctu aut manducatu per se tussibus, scabritijs arteriæ, medetur. Grana quæ post excussum florem innascuntur trita, & cum cerato illita, faciem erugant, & cutem extendunt. * Musco.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lilium conuallium.



Græcè, Κανναλία.
Latinè Cacalia.
Officinis Lilium conuallium.
Germanis Meyblůmlin/Meyenrösslin.
Galli du muguet, muschetum maius, appellant.

Sua sponte nascitur in opacis & lucis, unde nomen lilij conuallensis: caule multo, tenuiore, flore candido, suauiter olente, unde Galli muschetum appellant, gustu subamaro, semine molli, radice singulari, longa, adstringente: interdũ cæruleo flore conspicitur. Plurimæ profectò, quin potius omnes Cacaliæ, à Dioscoride descriptæ notæ, ferè huic lilio conuallium respondere cognoscuntur, quapropter à Dioscoride Cacalia appellari putandum est: fallũtur qui hanc esse Ephemeron non letale arbitrantur, radice apertißimè reclamante. nec huic uita adeò breuis, ut ephemero, quod uno aut altero die commoritur, cùm in tres septimanas etiam decerptum uitam humore refocillatum prorogare posßit cacalia. Hanc Galenus Caucanon uocauit. Paulus cacaliam, non Caucanon, sed caucano similem esse tradit.

Bunium. Cap. CIX. B



BVnion caulem ædit quadrangulum, procerum, digiti crassitudine, in quo ramuli minutis foliijs ac floribus scatent: folia proximè radicem, apio similia, longè tenuiora, coriandrinis proxima: flores anethi: semen odoratum, hyoscyamo minus. Vrinam ciet. excalfacit. secundas euocat. lieni, ueficæ, renibus utile. tam humidi quàm sicci, expressiq; succi caulibus, foliijs, radicibusq;, usus inualuit ex aqua mulsa. Pseudobunion palmi altitudine fruticat in Creta, folia ramulosq; napi ferens, acri gustu. Tormina, atq; stranguriam, laterumq; dolores, sanant quaterni rami eius poti in aqua. illiti quoq; cum sale & uino, tepentes, strumas discutiunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Βούνιον. Latinè, Bunium. Officinis inusitata.
Germanis S. Barbaren Kraut.
Gallis Herbe au charpentier, dicitur.
Plura uide suprà in annotationibus nostris in cap. 109. lib. 2.

A

Chamæcissus. Caput CX.

Hedera terrestris.



B

CHamæcissos folio est hederæ, tenuiore, longiusculo, ramulis à radice quinis senisue, dodrantalibus, foliosis. flore uiolæ albæ simili, candidiore, ac tenuiore, gustu supra modum amaro. radice tenui, candida, inutili. nascitur in cultis. Bibunt conuenientissimè ischiadici folia, tribus obolis in aquæ cyathis tribus, tricenis quadrageníue diebus. eodem pota modo, senis aut septenis diebus, regium morbum purgant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Χαμαίκισσος. Latinè, Chamæcissus, Hedera pluuiatica.
Officinis Hedera terrestris, Corona terræ.
Germanis Grundtreben/Erdcrentzlin/Erdtnolen.
Brabantis, Onderhaue.
Gallis Lyerre terrestre dicitur.
Dubium est apud multos, an hæc herba, cuius picturam damus, uera Chamæcissos sit, cùm aliquot notis delineationi omnino non respondeat: quare aliqui elatinen maluerunt appellare, ut suprà monuimus.

Chamæleuce. Cap. CXI.

CHamæleuce lumborum doloribus propitia est, herba uirens, incuruis foliis, surculisq; flore rosaceo.
Vide annotationes nostras in cap. 105. lib. 3.

Buglossum, seu Lingua bubula. Caput CXII.

Syluestre buglossum.
Waldt Ochsenzung.



Buglossum.



* Omnia hæc quidam non habent.

BVglossum (* nascitur in campestribus, & sabulosis. Iulio mense colligitur. Aiunt eam quæ treis thyrsos emittit, cum semine & radice tritã, potamq; contra tertianos horrores prodesse: quæ quatuor, ad quartanos. ea in uino decoquitur. herbam abscessibus utilem esse uolunt.) Verbasco simile est, folium in terra sparsum, nigrius, asperum, bubulas imitans linguas. Quod in uinum deiectum, animi uoluptates auget.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO. A

Buglossus, bubula lingua Catoni dicta, Græcis ἡ βούγλωσσον. Germanis Bozretsch/Ochsenzung/Buglossen/Borrich. Gallis borache appellatur: Calida humida, ob id uinis iniecta lætitiæ ac hilaritatis causa esse creditur, unde euphrosinum quoq; Græcis uocatur. Officinis Corago, corruptè Borago, una mutata litera.

Cynoglossum. Caput CXIII.

Cynoglossum Officinarum.
Gemeyn Hundszung.

Cynoglossa uera.
Lind Hundszung.

Cynoglossum.
Hundszung.



CYnoglosson folia latifoliæ plantaginis habet, arctiora, minora, lanuginosa: caule uacat, & humi sternitur. prouenit in sabuletis. Folia cum suillo adipe ueteri, medentur morsibus canum, alopecijs, & ambustis. emollit aluum, decoctũ herbæ ex uino potum.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κυνόγλωσσον. Romani linguam caninam appellant. Officinæ Græcum nomen seruarunt.
Germani Hundszung. Galli Herbe au chien uocant.

Cynoglossam non esse eam canis linguam, quam Officinæ circumferunt, cuius picturam sub nomine Cynogloßi Officinarum damus, euidentius est, quàm ut probari desideret: cum uidua caule prodit ur à Dioscoride, humi strata, folio latifoliæ plantaginis. Nam Officinarum canis lingua, nec plantaginis effigie, sed angusta prælonga, subtus lanuginosa gerit folia, nec uenosa, molliaq;, caule cubitali, surculoso, flore purpureo, semen in lappaceis umbilicis ruso, & exili. Altera, cuius picturam damus, nomine ueræ Cynoglossæ, inuenitur in sabuletis, folio molli, uenoso, latiusculo, lanugine molli, canescens, primo anno sine caule, hanc omnino ueram Dioscoridis Cynoglossam esse putauerim, uulgo etiam ob similitudinem caninæ linguæ, ac fœtidum canis odorem hoc nomine cognita.

Phyteuma. Caput CXIIII.

A PHyteuma folia habet radiculæ, minora: copiosum semen, perforatum: radicẽ paruam, tenuem, per summa terræ nitentem: quam ad amatoria conuenire, nonnulli scriptum reliquerunt.

Herba peregrina & incognita, quam Plinius describere superuacuum habuit, cùm sit usus eius tantùm ad amatoria.

Leontopodium. Caput CXV.



* Odoratior.

B

LEontopodion duûm digitorum herbula est, folia ferẽs angusta, longitudine ternûm quaternúmue digitorũ, hirsuta, quæ iuxta radicem lanosiore flocco * canescunt, capitula in summo caule quasi perforata: flores nigri: semen usq; adeò spissa lanugine inuolutum est, ut sæpe fallat: radice parua cohæret, quam tradunt appensam ad amatoria prodesse, & tubercula discutere.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Ruellio uidetur esse leontopodion. Ea quæ cruciata dicitur Herbarijs, & Officinis, Germanis Aleyn vergiß mein nit/ & Blaer augentrost. *hirmi ferè serpit, digitali longitudine, folio angusto, longo ternos ferè digitos, hirsuto, ab radice lanoso, & canescente, in caulicolorum cacuminibus capitula tanquam pertusa, in quibus flosculi dehiscunt nigricantes, semen spissa occultatur lanugine, radice exili, &c.*

Laurus Alexandrina.



Hippoglossum. Ca. CXVI.

HIppoglosson frutex est folia habẽs ruscitenuis figura, & spinosam comam, & in summo ceu linguas è foliȷs exeuntes. Capitis dolorem corona ex comis imposita minuit. malagmatis radix succusq; admiscetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἱππόγλωσσον.
Latinè Hippoglossum, Laurus Alexandrina.
Officinis uuularia.
Germanis Zepfflin kraut/ Keelkraut.
Gallis Lingua pagana.
Italis Bonifacia appellatur.
Vide plura in annotationibus nostris in cap. de Lauro Alexandrina.

Antirrhinum. Cap. CXVII.

ANtirrhinon, alij anarrhinon uocant, herbam caule & foliȷs anagallidi similem: flore albæ uiolæ, purpureo:

Antirrhinum.



reo: ideoq; syluestris anagallis A
nominata est: semine uituli narium simili. Tradunt perunctos ea, cum oleo lilino, uenustiores fieri: nec ullo medicamento lædi posse, si quis appēsum gestet.

NOMINA ET explicatio.

Græcè, ἀντίῤῥινον. Latinè, Antirrhinum. Officinis incognita.

Germanis, Orant / Streckkraut / Streichkraut. Gallis Oculus catti, moron uiolat dicitur.

Galenus hanc & bucranion, hoc est, bubulum, uel uitulinum caput dici meminit. Florem uiolæ albæ ei cōtribuit Dioscorides, Plinius hyacinthi: nescio an ianthino, hoc est, uiolaceo potius esset legendū: nam ea quam rura nostra Orant uocant, uiolaceum florem præ se fert herbula, caule & fōlijs anagallidis, flore purpureo, paruo, semine uituli narium, nam fructus excusso flore uitulinarum narium rudimenta quædam exprimit.

Catanance. Ca. CXVIII.

EX eo genere una, folia coronopi habet, longa, radicem iunci modo prætenuem: capitula sena, septenáue, in quibus erui semen inest. Arescens in terram flectitur, & se contrahit ad speciem unguium milui exanimati. Altera mali paruæ magnitudinem explet, radice exiguæ oliuæ magnitudine: foliȝs quoq; oliuæ colore, & figura, mollibus, diuisis, humi inclinatis: semen, ut cicer, minutum in uirgulis depēdet, punicei coloris, multis foraminibus pertusum. Vtramq; narrant in amatoria expeti. Thessali cæ mulieres his uti traduntur. B

EXPLICATIO.

Harum cognitio, ut herbarum pauci usus, ad amatoria & phyltra tantùm expetitas planè desijt. Plinius quoq; qualis esset, à se describi superuacuum duxit. Illud non ab re est dixisse, ad detegendas magicas uanitates, electum ad hunc usum coniectura, quoniam arescens, contraheret se ad speciem unguium milui exanimati.

Tripolion. Caput CXIX.

TRipolion in marinis nascitur locis, quæ allidit unda, recedensq; dimittit. neq; in mari, neq; in sicco: folio glasti crassiore: palmeo caule, in mucrone diuiso. Eius, ut tradunt, flores colorem ter die mutant, manè candidi, meridie purpurei, serò punicei conspiciuntur. radice alba, odorata, calidi gustus. Quæ drachmis duabus in uino pota, aquam, urinamq; per aluum extrahit. in medicamenta digeritur, quæ uenena arcent.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Dioscoridis Tripolium, Serapionis Turbith est. Tripolij nomen retulit, quòd flores eius (Dioscoride teste) ter die mutentur, candidi manè, purpurei meridie, punicei in occasu. Nascitur in maritimis, ubi allidit unda, iterumq; retro commeat. hoc Arabum aliquos Turbith cognominasse constat. Actuario tamen duo à tripolio diuersa turpeta esse apparet, alterum uocari alypiam turpet album exponit. Alibi uerò

pityusæ

A pityusæ radicem (quæ Officinis dicitur Esula) turpeton cognominat, quasi alterius coloris. hodie peregrinæ, & incognitæ radices sunt, nec temerè pharmacis commiscendæ.

Adiantum. Caput CXX.

Adiantum album.

Adiantum nigrum.




ADianton, polytrichon, pusilla gerit folia, similia coriandri, in summo incisuris diuisa. cauliculi, quibus exoriũtur, nigro colore nitent, prætenues, palmum alti: radice superuacua, neq; caulem, neq; fructũ, neq; florem profert. Decoctũ herbæ potum, prodest spirandi difficultati, suspiriosis, lieni, & felle suffusis, & urinæ difficili. calculos frãgit. aluum sistit. serpentium morsibus auxilio est. Contra stomachi fluxiones in uino bibitur Secundas ciet, & mẽstrua. sanguinis reiectiones inhibet. Contra serpentium morsus cruda herba illinitur. alopecias densat. strumas discutit. furfures. & manantia capitis ulcera, ex lixiuio emendat. defluentes capillos continet, cum ladano & myrtino, & susino, aut hyssopo, uinoq;. Decoctum eius cum lixiuio, & uino infusum, idem præstat. coturnices & gallinaceos pugnatiores facit, in cibos eorum additum. Seritur gratia utilitatis pecorum, circa ouilia. Vmbrosis, & palustribus, circa parietum aspergines, & B fontium specus enascitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἀδίαντον. Latinè, Adiantum, quidam politrychon, alij callitrychon appellant, ab effectu, tingit enim capillum. Duo genera eius, candidius, & nigrum, breuiusq;, Theophrastus assignauit. Triplex Dioscoridi esse uidetur. Primum speciatim polytrichon uocat. Adiantum album Theophrastus. Gaza cum uulgo,

Politrychon Apuleij.

Guldin widertodt.



& Officinis

Rot Steynbrech.



& Officinis capillum Veneris, Germani Steynraut/ Maurraut. Alterum trichomanes, nigrum Theophrastus, uulgus, & Officinis adiantum nigrum, Germani Frawenhar/ Frembder/ & Welscher steinraut. Tertium similitudine filicis, & foliis lenticulæ, uulgo, & Officinis Politrychon, Germa. Rot Steynbrech &c. Quartum addi potest, quod Apuleij polytrichon appellabimus, ne quispiam Dioscoridis & aliorum Græcorum intelligeret, hoc Germanicè Widertodt/ Widerthon/ & à colore aureo, quē habet, Guldiner widerthon/ appellatur. Galenus adianthum non diuisit, fortè quòd omnium eadem sit facultas. Callitrichon à nonnullis trichomanes dicitur: tamen qui de herbis scripserunt, adiantum uocant, callitrichon potius quàm trichomanes: Polytrichon autem, & callitrichon diuersa facit Gal. lib. 1. comp. pharma. part. Recens melius, nisi cum siccandum, & astringendum ualentius. Adianthon seu polytrichon, calido, frigido temperatum, gustu acerbo, siccat, tenuat, digerit, ob id strumis confert, lapides frangit in nobis, crassa & lenta expulmone educit, capillos reddit, præsertim ustum. A

Fidicula, seu Trichomanes. Caput CXXI.

TRichomanes nascitur eisdem in locis, quibus adianton, filici simile, sed exilius: foliis lenticulæ, tenuibus, in ordinem utrinq; digestis, aduersis in se, in ramulis tenuibus, acerbis, fusco colore splendentibus. Eadem quæ & adianton præstare posse constat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Τειχομανές. Officinæ Polytrichum uocant. Vide plura in annotationibus nostris in caput proximè præcedens.

Xanthium, siue Lappa. Caput CXXII.



XAnthium nascitur læto & pingui B solo, & lacubus exiccatis, caule cubitali, anguloso, pingui, prodeuntibus ex eo crebris alis. folia atriplicis habet, insecta, nasturtium odore imitantia: fructum grandis oliuæ modo, rotundum, & ut platani pilula, spinosum, qui contactu uestibus adhæresci. Is antè collectus quàm perfectè ficcescat, tunditur, & fictili uase reconditur. Flauos autem facit capillos, si acetabuli instar tepida aqua madescat, mox caput, nitro antè perfrictum, illinatur. Alij in uino tundunt, & ita asseruant. Semen aptissimè tumoribus imponitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis Ξάνθιον.

Latinè, Xanthium, nomen ab effectu inditū, quòd rufet capillum.

Officinis & Herbarijs hodie lappa minor, & lappa inuersa.

Germanis Bettlers leuß/ Spitz Kletten.

Brabantis, Clissen. Gallis Gloteron dicitur.

Cùm discutiendi uires habeat, facilè colligitur tēperamento esse calido & sicco præditum, id quod ex sapore etiam, qui est amarus, & subacris, deprehendi potest.

Aegilops,

A

Aegilops, siue Festuca. Caput CXXIII.

AEgilops herbula folia tritici habens, sed molliora, in summo capite semina bina ternáue rubra, quibus aristæ quasi capillaceæ exeunt. Illita cum farina herba ægilopijs medetur. duritias discutit. Succus farinæ admixtus siccatur, & eorundem gratia reponitur. *Bromus herba ægilopi similis, exiccatoriam uim habens, decoquitur cum sua radice in aqua ad tertias, & iuri colato par modus mellis adijcitur: rursus incoquitur, dum liquidi mellis crassitudo fiat. Linteum eo humore imbutum, & naribus inditum, contra graueolentiam ulcerum efficax est. Aliqui tritam aloën addunt, & eo modo utuntur. Cum ficcis rosis cocta in uino, graue oris halitum emendat.

* Hæc ad finem capitis usq; quidã non habent.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἀιγίλωψ, festuca, secundùm genus auenæ, Gazæ festucago est autem auena sterilis, de quo plura in annotationibus nostris suprà libro 2. in capite de auena. Hoc caput uidetur in Dioscor. omnino superfluere.

Glaux. Caput CXXIIII.

GLaux cytiso & lenticulæ folijs similis, quæ supernè uirent, auersaq; candidiora spectantur. ramuli à terra exiliunt quini seniue, tenues ab radice, dodrantem alti. flores ceu uiolæ albæ, purpurei exeunt, minores tamen. nascitur iuxta maria. Coquitur cum hordeacea farina, sale & oleo in sorbitione, ad reuocandam extincti lactis ubertatem.

EXPLICATIO.

Glaux, ut Ruellio placet, frequens in Gallia iuxta specus aquosos, & in ueteribus foueis: sed adhuc nullum inuenit nomen.

B

Aleyn Bibenell.



Polygala. Cap. CXXV.

POlygala palmi altitudinem petit: folijs lenticulæ, gustu adstricto. Quæ pota, lactis abundantiam facit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, πολύγαλον, quòd lactis abundantiam faciat.
Germanis Bibenel die kleiner/uel, ut alijs placet, Nagelkraut.
Brabantis, Aleyn Beuernelle.

Osyris. Cap. CXXVI.

OSyris frutex est niger, ramulos ferens tenues, lentos, fractuq; cõtumaces: & in his folia, quaterna, quina, senáue, ceu lini, nigra in initio, dein colore mutato rubescentia. Decoctum eius potum, iuuat arquatos.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Osyris, ut Plinius scriptum reliquit, ramulos fert nigros, tenues, lentos, & in ijs folia nigra ceu lini, semenq; in ramulis, nigrum initio, deinde colore mutato rubescens. Ea Officinis hodie incognita, osyris nomine, namq; à similitudine nouum emendicarunt nomen, lizmariam appellantes, quo nemini non noscitur, Germani uocant Harnkraut/ Flachskraut/ Leinkraut/ Krottenflachs/ Nabelflachs/

S. Catherin blůmen.

Heliochryſus. A



Smilax aſpera.





B



ſtachs/Wildſtachs/ Nabelkraut/Scheißkraut/ ſimilitudine eſulæ decepti.

Eſt & linaria hortenſis, uulgò flos S. Catherinæ, floribus partim phœniceis, partim cœruleis, & albis, nigro ſemine in oblongis folliculis. Tertium genus, linariæ ſimile, gracilius tamẽ, floribus in ſummo Stœchadis citrinæ in ſtar, uilloſis, rubicũdioribus. fortaſſe heliochryſon Dioſc.

Aſpera ſmilax. Ca. CXXVII.

SMilax aſpera, folia habet periclymeni: ſarmenta tenuia, multa, rubi modo aut paliuri aculeata, arbores ſcandit, ab imo ad ſumma perreptans, ſe conuoluens eis. fert racemos exiles, qui maturi rubeſcunt, guſtumq; leniter mordent. naſcitur in paluſtribus & aſperis: radice dura, craſſaq;. Folia et acini, & antè & pòſt epoti, uenenorum antidota ſunt. Tradunt, ſi infantibus nuper in lucem æditis, quid ex his tritum propinetur, nulla poſtmodum uenena nocitura. Inciditur etiam ad alexipharmaca, id eſt, ad ea medicamenta, quibus uenena arcentur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Smilax aſpera hodie Germaniæ peregrina & incognita, nam ea cuius picturam damus, Germani inter genera uolubilis referunt, & Stechende/ ſiue Scharpffe winden/uel Range. Brabanti Wranghe, appellant.

A



Ruſcus.

Læuis ſmilax. Cap. CXXVIII.

LAeuis ſmilacis folia hederæ ſimilitudinẽ habent, molliora, læuiora, tenuiora. huius ſarmenta nullis horrẽt ſpinis. conuoluitur arboribus, ut prior. fructum parit lupini modo nigrum, exiguum, floribus in cacumine perpetuis, multis, rotundis. Hac ſmilace, quadam topiariorũ arte, tentoria contra æſtus moleſtiam factitantur. folia per autumnum decidua. Semine cum dorycnio poto, ternis ſingulorũ obolis, uaria & tumultuoſa in ſomnis obuerſari tradũtur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Læuem ſmilacem, Dioſcoridis Ciſſampelum maiorem eſſe, ſuprà oſtendimus ſuo loco, quæ autem uera ſmilax læuis fuerit, hodie nemini quod equidẽ ſciam cognitum, niſi fortè ea fuerit, quam Padani Ligures Balſaminam, Hieroſolymitanum pomum Hetruria, Mirabile Gallia, uulgus Garantiam, quoniam ſepti modo in hortis feneſtriſq; per cancellos opere topiario digeritur, de qua nihil apud ueteres inuenio. Ea tenuibus prælongisq; flagellis ultro citroq; reptantibus euagatur, fõlijs hederæ, molliora, leuiora, tenuiora, articulatioribus, exilibus pampinis, ex alarum ſinu prodeuntibus, quibus illigantes ſeſe cancellatim uicinis implicant ſtatuminibus, flore cucumeris, ex albo in luteum languſcente, turbinato utrinq; fructu, carnoſa cute, & per uerſus uerrucoſa, ac rigidioribus bulbis intumeſcente, cucumeris puſilli, uel citrij ſimili-tudine, malo uerius ac tubere quàm grandi bacca, aut folliculo: aureus maturo color, cartilago intus punicea, uel lutea, ſanguineuſq; ſuccus. Pomum maturitate diſſilit, inanitasq; confricto patet, ſemina intus aliquot lenticulæ figura continens, ruberrima, ex quibus oleũ exprimitur, ad uulnera præcipuũ eſt.

Ruſcus. Cap. CXXIX.



Ruſcus arboreſcens.



SYlueſtris myrtus, aliquibus oxymyrſine, aut myrtacatha, Latinis ruſcum appellatur. folium fert myrti, latius in formam lanceæ mucronatum. baccæ per maturitatem rubeſcunt, rotundæ, à medio folio dependentes, oſſeo intus nucleo, cubitales ramuli ab radice

radice exeunt, uitilium modo lenti, fractu contumaces, folioſi: radice graminis ſimi A
li, acerba, & ſubamara. Folia & baccæ in uino potæ urinam cient. menſes pellunt. ue
ſicæ calculos frangunt. ſtillicidio urinæ medentur. dolores capitis ſanant, & regiũ
morbum. In aſperis & præcipitibus locis enaſcitur. Decoctum radicis in uino po-
tum, eoſdem præbet effectus. Cauliculi recentes, aſparagorum uice, in cibo ſumun
tur: amari autem ſunt, ſed urinam mouent.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ὀξυμυρσίνη. Latinè, Ruſcus. Officinis corruptè Bruſcus. Germanis Brůſch dicitur. Bruſcum hodie, addita litera, licet corruptè, uocant officinæ: humilis herba eſt, fruticoſa, foliis acutis, & mucrone rigentibus, dependentibus à medio baccis quæ per maturitatem rubeſcunt, oſſeo intus nucleo, ramulis cubitalibus, uitilium modo lentis, folioſis, fractu contumacibus, radice graminis acerba, ſubamara. Alterum genus nonnulli faciunt, quod proceritatem arborum æquat, folio lato, duro, & per angulos aculeato, immortali quoq; uirore, baccis rubentibus, & racematim collectis, hãc Germani Strechend palmen/Galli houſſon uocant. Scio ruſci fructum, cubebas Mauricè uocatas credi. Sed ab ijs diſſentio, qui hoc adfirmant, in teſtimonium citans Actuarium, Aëtium & Galenum. Nam cubebas, nec oxymyrſines ſeu myrti ſyluestris fructus, nec cubebas Galeni eſſe, cum Serapione apertè harum deſcriptio oſtendit, & conferenti patet.

Carpeſium Galeni.



Hæ enim ſunt fructus tenues, piper æmulantes, ſed minus acres & ſubamari, Galeni uerò κασσιαι, quorũ picturam damus, ſunt κασσιαι (ita enim legendum cenſeo) ἀκρέμονες, id eſt, ſurculis cinamomi, ſimiles odore uocati φῦ, ſed ualentiore, & nonnihil aromatico, quẽ & guſtatus deprehendit, facultate etiam phu ſimilia: ſed quia ſunt tenuiora, uiſcerum obſtructiones potentius detergent, & urinam mouent, & renum calculos expurgant. Non adeo tamen ſunt tenuium partium, ut Cinamomi loco uſurpari poſſint, cum Quinto: cùm multò ſint deteriora optima caſia. In Side Pamphiliæ loco, quia luxuriat carpeſium ibi, eſt utiliſſimum.

Laurus Alexandrina.



B

Laurus Alexandrina. Cap. CXXX.

LAurus Alexandrina folio eſt ruſci maiore, molliore, & candidiore: ſemine inter folia rubro, ciceris magnitudine: ramos ſpargit in terra, dodrantales, interdum longiores: radice ſyluestri myrto ſimili, maiore, molliore, odorata. inuenitur in montoſis. Difficiles partus accelerat, radice pota ſex drachmarum pondere in uino dulci. & ſtillicidio urinæ auxilia tur. ſed ſanguinem extrahit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hanc omnino eandem eſſe puto, quam ſuperius Hippogloſſum appellauit, quod mihi non credens, eius hiſtoriam conferat cum ipſa herba, cuius picturam damus, intelliget ſingulis notis adamuſim reſponde re, nulla prorſus reclamante. Siquidem frutex eſt foliis oxymyrſinæ cõ cauis, è quibus folium exit minutum, linguæ forma. Nec me fugit nullã in ea, qua uuæ medeatur, familiaritatẽ inueniri, à qua tamen hoc ei no men inditum, ut hinc etiam Germanicè Bauchblat/ Reelkraut/ & Zapffenkraut/ id eſt, uuulæ folium dicatur. imò ne aliquem foliorum quidem uſum. Fuiſſe tamen olim non paruum illum ex hippoglotti & hypogloſſidij nomenclatura cõſtat, quæ hinc proculdubio facta illi eſt, quòd ſub lingua teneri ſolita ſint folia, ut uel hodie, non tantùm apud Inſubres, ut Vergilius Marcellus ait, aliasq; alibi gentes, ſed etiam in Germania noſtra fit, quoties abundantem puerorũ ſaluã et deſtillãtem in fauces humiditatem, unde uel pro-

A *lixa columella, id est, uuula, uel fauces balbucie linguæ impedimentum oritur, cohibere: & siccare oplù est.*

Daphnoides. Caput CXXXI.

DAphnoides cubiti altitudine fruticat, ramis flexilibus obsequiosisq; multis, inde sursum uersus foliosis. cortex supra modum uiscosus ramos uestit. folia lauri, graciliora, & molliora, fractu contumacia, quorum gustatu os & fauces incendiuntur: flores candidi: bacca, cùm ematuruit, nigra. radix inutilis. nascitur in montosis. Pituitas extrahit folium recens uel aridum in potu. menses ciet, & uomitus caput inanit commanducatum. sternutamenta mouet. Baccæ quindecim potæ, aluum resoluunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Officinæ hanc laureolam uocant, siquidem laureola frutex nascitur ramosus, cubitalis, molliori angustioriq; quàm laurus folio, tristi aspectu, flexilibus uirgis, supra modum uiscosis, uersus cacumen foliosis, flore candido, bacca cùm percoxit atri coloris, fronde fractu contumaci, cuius gustatu mordetur os, incensumq; guttur uellicatur, radice inutili, &c.

Chamædaphne. Caput CXXXII.

CHamædaphne uirgas emittit cubitales, singulari ramulo constantes, rectas, tenues, leues: folia lauri similitudine, leuiora multò, ac uiridiora: semen rotundum, rubens, annexum foliis. Illinuntur capitis doloribus: trita folia, stomachi ardores mulcent ad sedanda tormina, cum uino bibuntur. Potus cum uino succus, mensES & urinam ciet. idem facit posso appositus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hanc, ut priorem, Officinæ & Herbarij uocant Laureolam: namq; unico ramulo & cubitali, erecto folio, laureo, tenui, multò leuiore, acini rubentes, rotundi, foliis annexi quibus adnascantur.

Veratrum album. Caput CXXXIII.



B

HElleborum album, Latini ueratrum album uocant, fert folia plantaginis, aut betæ syluestris similia, sed breuiora, & nigriora, rubescentia: caulem cauũ, quadrantalẽ, tunicis cõuolutum cùm arescere cœpit. radicibus nititur multis, tenuibus, ab oblõgo & exiguo capite exeuntibus, ceparũ modo fibratis. nascitur in mõtibus & asperis. radices messibus colligẽdæ. Optimum habetur candidũ, friabile, carnosum, modicè extentũ, nec tamen iuncti modo mucronatũ, quod frangendo puluerẽ emittit, & tenuẽ habet medullam, gustu nõ admodũ feruens, neq; saliuam subinde ciẽs, huiuscemodi aũt strangulat. Primatum Cyrenaicũ tenet. Galaticũ autẽ & Cappadocicum, candidiora, & puluere quodã obsita, celerius strangulatus mouẽt. Vomitione aũt uarios extrahit humores. collyrijs admiscetur, quę caliginẽ oculorum discutiunt. partus impositum necat. mẽses pellit. sternutamẽta excitat. mures interficit, cum melle & polẽta subactũ. absumit carnes, si coquatur unà. datur per se ieiunis, & cũ sesama, aut ptisanæ succo, aut halicæ, aut lentis cremore, cum aqua mulsa, aut pulte, aut quauis alia sorbitione. Cogitur cum pane, & ita inassatur. Præparatio corporum, ac uictus ratio, diligenter tradita est, cùm ab his qui de medica eius potione scriptitarunt, tum maximè à Philonide Siculo Ennensi, cui nũc assentimur. quippe longum nimis esset, in hac præsertim

æditione de materia, simul medicam curandi rationem exponere. Dant nonnulli in pultis sorbitione, aut copioso halicæ cremore: aut paucum antea cibum dari præcipientes. statim ueratrum offerunt, ijs præsertim, quibus strangulationis suspicio imminet, aut si ualetudo corpus infirmat. hoc enim modo deiectio nihil periculi minatur, quòd cibo munitis non intempestiuè medicamentũ corporibus offeratur. Vomitiones concitant subditæ ex eo balani, cum aceto. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἐλλέβορος λευκός. Latinè, Elleborus albus. Officinis Latinum nomen seruat.

Germanis Weiß nießwurtz/Weiß nießkraut. Gallis du uiratre, uerarum dicitur.

Elleborus olim terribilis fuit: postea tam promiscuus, ut plerique studiorum gratia sumpserint: albus autem multò terribilior nigro. Radiculæ graciles, breues, & uelut decurtatæ ex ceposo uelut capite procedentes in usum solæ uenunt Dioscor. nec hæ totæ, sed harum cortex deligendus, carnosus, speciosus, medullosam intus partem, quæ eximenda est, habens tenuem, gustu acer & feruidus, asperis tumulis & locis siccis, qualis Anticyra est, natus, in frangendo puluerem emittens Plin. Semen tamen à quibusdam purgationibus adhibetur: summa quoque radix, quæ uelut cepe canibus datur purgationis causa. Meßibus albi radices leguntur Dioscor. & Plin. Albus amarior est, & minus acer nigro Gal. Albus eligendus gustu feruens, non tamen uehementer, sed saliuam particulatim, non simul mouens, mediocriter extentus, candidus, fragilis, carnosus, nõ acuminatus aut iunceus, nec dum frangitur, puluerulentus, medullam interiorem habens exilem, qualis Cyrenaicus. Improbatur Galaceus, Cappadocius, Italus, albior & magis puluerulentus. Pauli tempore utebantur elleborismo per album, & nunc quoque: si enim bonus est, uenenosus non fuerit. Quin ellebori nomine apud Hippoc. & Gal. albus uenit, ut Aph. 1. lib. 5. Apud Arabes contrà Ellebori nigri cum alijs misti usus non est difficilis. Sæpe magno successu in melancholia morbo usus est Iac. Syl. hac tempestate doctiß. medicus Syrupo sa poris, largo satis elleboro nigro incocto, & Ioh. Manardus non difficilem eius usum expertus est, & drachmam integram solam potam parum profecisse. Paulus infundit aquæ dies quinque unc. duas: ergo multus satis mannæ, uel melli, uel alij incoquatur. Si in radicem raphani immittatur albus elleborus, ellebrismi modus simplicior est Paulo.

Veratrum nigrum. Caput CXXXIIII. B

Veratrum nigrum. Christwurtz.



HElleborum nigrũ appellatur melãpodion, quoniã caprarum pastor, nomine Melampus, furẽtes in Prœtidas, primus purgasse, & sanasse fertur. folia ei uiridia, platani similia, minora, foliꝭ sphondylij proxima, subaspera, nigriora, pluribus diuisuris incisa: caulis asper: flores purpurei, candidi. racematim cohærentes: semen cnici, quod in Anticyra sesamoides uocant, quo deiectiones moliuntur. radicibus cohæret nigris, tenuibus, à capitulo cepæ simili confibratis, quarum est usus. in collibus, asperis, & sitientibus locis enascitur. Optimum est quod ex huiusmodi petitur terris, ut ex Anticyra. Nigrum inibi probatissimum gignitur. Eligi debet corpulentum & plenum, in quo tenuis sit medulla, acre gustu, feruensque. cuiusmodi est in Helicone, Parnaso, & Aetolia natum, attamen Heliconium præcellit, Veratrum nigrum

A purgat uentrem. detrahit bilem pituitasq; datum per se, aut cum scammonia, & tri bus obolis, siue drachma salis. decoquitur cũ lente & iusculis, quæ purgationis causa sumptitantur. prodest morbis comitialibus, melancholicis, insanientibus, articularijs doloribus, & resolutis. menses inditum trahit. partus necat. purgat fistulas impositum, & tertia die detractum. item contra grauitatem auditus in aurem demitti tur, ibiq; in alterum aut etiam tertium diem esse finitur. scabiem sanat, illitum cum thure, aut cera, & pice, & cedrino oleo. uitiligínibus, lepris, impetiginibus, ex aceto medetur. dentium dolorem collutione mitigat. erodentibus medicamentis commiscetur. hydropicorum uentri utilissimè imponitur factum ex eo, farina hordeacea, & uino, cataplasma constitum proximè radices uitium, uinũ purgandi facultate donat. Huius resparsu domos expiari arbitrantur: quare inter fodiendum stantes, Apollinem, Aesculapiumq; precantur, ac uitant aquilæ uolatus: aduolare enim non sine periculo tradunt. nanq; si auis effossionem hellebori conspexerit, moriturum qui succidit, augurium est. Celeriter effodiatur oportet, quoniã halitu caput aggrauat. quapropter, ad id arcendum, fossuri allium præsumere, & uinum bibere cõsueuerunt. nulli ita noxæ opportuni redduntur. Veratri albi modo emedullatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, ἐλλέβορος μέλας. Latinè, Veratrum nigrum. Officinis elleborus niger. Germanis Schwartz Nieſswurtz. Elleborus niger coquitur cum lente, aut iure aliquo Dioſc. albus autem datur per se, & cũ sesamo, aut thapsiæ succo, aut alica, aut mulsa, aut pulte, aut lenticula, aut sorbitione alia. Nigrum cum scamonio & sale dat idem. Album debilibus cum succo ptisanæ, aut alicæ, aut alio simili. Paulus. Niger pituitam & bilem infernè purgat, Dioſc. bilem maximam flauam, Pau. Albus autem uomitu purgat res uarij coloris, Dioſco. Rem uisu terribilẽ in uarijs coloribus uomitionem. Pli. Elleborus bonus ad exanthemata, impetigines, lepras, herpetas, erysipelata, icterum, Pau. Albus oculorũ collirijs contra caligines imponitur, Dioſc. Oculorum caliginem fotu discutit, Pli. Niger auri inditur, & post biduum aut triduum eximitur in difficili auditu. Nigri obolos tres, aut drachmam unam dat Dioſ. adiecto etiam scamonio. Manardus quoq; drachmam unam dedit, cũ granis duobus scamonij in malo cydonio assi, minusq; & leuius purgant quàm iusta dosis pilularum, quas aggregatiuas uocãt. Albi Themison dabat drach. duas, sequentes quatuor, antiquorum uitium cognoscentes, qui ob metum parcius dabant, cùm celeriùs crumpat, quo largius sumitur. Vetant tamen dari senibus & pueris, & mollibus, ac fœmineis corporibus. Paulus dat à drach. una ad drach. duas, debilioribus in succo alicæ, aut ptisanæ, fortioribus in aquæ calida aut melicrato: sectiua tamen non in puluerem tritum, ut antè monuimus. Albo non est usus Manardus, ex Italis tamen robustos ferre posse putat: non dandum tamen nisi in diuturnis & ualentibus morbis, per alia remedia non sanatis, ut hydropi, cachexia, elephantomus & longissimas esse consueuit, & auxilia communia uel contemnere.

Aliam herbã, ab aliquibus hactenus pro ueratroni gro habitã, Germa. Christwurtz/ quòd circa natalẽ Domini flores edere soleat, Brabantis Kerstcruyt/ siue Viercruyt/ uocatam, ueri simile est Consiligñẽ esse Ruellij, cuius & Plinius meminit.



Sesamoides magnum.

B

Sesamoides magnũ. Ca. CXXXV.

SEsamoides magnum, in Anticyra helleborum uocant, quoniam albo ueratro in purgationibus misceatur. simile est senecioni aut rutæ: longo folio: flore cãdido: radice gracili, ignaua: semẽ gustu amaro, cætera sesamæ simile. Ventrẽ detrahit. datur tritum ad bilis pituitæq; dejectiones,

fectiones, quantum tribus digitis capitur, addito ueratri albi ſeſquiobolo, ex aqua A
mulſa. Seſamoidi paruo cauliculi ſunt dodrantales: folia coronopi, minora, hirſutiora: & in cauliculorum cacumine capitula, florum penè purpureorum, medio eorum albo: ſemen ſeſamæ, fuluum, amarum: radix tenuis. Detrahit bilē pituitasq; ſemen ex aqua mulſa potum dimidio acetabulo, illitum ex aqua, tumores ac tuberacula diſcutit. Naſcitur in aſperis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Seſamoidem quidam elleborum nigrum ob ſimilitudinem appellant. huius ſpeciem eſſe eam herbam, cuius picturam damus, multi haud ineruditi uiri arbitrantur, quamuis eius delineationi ad omnia non reſpondere uideatur, uiribus autem parum differat: nigro ueratro omnino ſimilis planta eſt, niſi quia caulem obtinet craſſiorem, foliaq; minora. Florem etiam etſi herbaceum habet, tamen è medio eius, folliculi aut ſiliquæ duæ, aut tres, in quibus ſemen eſt, exeunt: floret uere & initio æſtatis, in montibus, aſperis, lapidoſis ac ſublimibus naſcens. Calidus atq; ſiccus ordine tertio, quòd pediculos enecat, Germani Leuſſkraut uocant, purgat inferiorem uentrem uehementer, pituitam & flauam bilem ducens.

Syluestris cucumer. Caput CXXXVI.



CVcumis ſyluestris fructu ſolo diſtat à ſatiuo cucumere, quem longè minorē parit, oblongis glandibus non diſsimilem. folia atq; ſarmenta ſatiui refert: radice cādida, magna. naſcitur in ſabuletis, & ruderibus, frutice in totum amaro. Inſtillatus foliorū ſuccus, aurium dolori cōuenit. Illita ex polēta radix, ueterem omnem tumorem diſcutit. impoſitā cum reſina terebinthina, tubercula rumpit. iſchiadicis infunditur. podagras diſcutit, decocta ex aceto, & illita eius decocto dentes in dolore colluuntur. aridæ farina impetiginē, lepras & uitiligines abſterget. nigris cicatricibus colorem reddit, & in facie maculas expurgat. Radicis ſuccus ſeſquioboli pondere, & item cortex, acetabuli quarta parte, bilem pituitamq; deijciunt, præſertim in hydropicis. deiectiones autem citra ſtomachi iniuriā mouet. radicis ſelibra, in uini præſertim Libyci hemina conteritur, danturq; ex eo terni cyathi triduo, dum tumor abundè deprimi cernatur. E fructu huiuſce cucumeris, fit medicamētum quod Elaterium uocatur, ad hunc modum: Decerpti cucumeres, qui tacti protinus exiliunt, ſeruantur nocte una: poſtridie impoſito ſupra craterem rariore cribro, utriſq; manibus prehenſi, ſigillatim ſupino cultro, ſurſum uerſus aciem habente, finduntur: atq; per cribrum humor in ſubiectum uas exprimitur: ſimulq; carnoſum quod hæſit cribro, quò facilius excidat, eliditur. quod ita preſſum eſt, reſidere ſinitur, atq; in uicinam peluim demittitur. coaceruata autem in cribro ſegmina dulci aqua perfunduntur, & denuò preſſa abijciuntur. humor in pelui agitatur, & linteo opertus, ſoli exponitur, dumq; ſteterit, tota ſupernatans aqua cum humore concreto, effunditur. hoc uerò identidem fieri ſolet, donec exiſtens aqua liqueſcat: qua ſtillatim exhauſta, ſedimentū mortario ſuſcipitur, & conterendo cogitur in paſtillos. Sunt qui ad hauriendā protinus ſucci abundantiam, cribratos cineres humi inſpargant, & medium cauantes, triplicatum linteum obtendāt, per quod elaterium cum ſua humilitate diffundūt, ſiccatumq;, in pila, ut dictum eſt, cōterunt. Aliqui pro dulci aqua marinam perfundentes, ita eluunt. Alij in nouiſsima lotione mulſam aquā reſpergūt. Elaterium optimum eſſe conſtat, leue, nō ponderoſum, cum cādore leniter humectum, guſtu amariſsimum, quodq; lucernarum luminibus obiectum, facilè flagret. Porraceum tamen ſcabrumq;, ſi turbidum ſpectetur, atq; erui cineriſq; B

A plenum * ſit, graue & uitioſum eſſe ſolet. Nec deſunt qui cucumis ſucco amylum im-
* Alij colore medium. miſceant, ut candorem ipſum & leuitatem imitentur. A bimatu ad decennium deie-
ctionibus utile eſt. Integer modus, obolus eſt: minimus, ſemiobolus: pueris, chal-
ci duo: ſiquidem copioſius, periculum adfert. Bilem ac pituitam utrauis parte ex-
trahit. optima ſuſpirioſis eſt purgatio. quod ſi in animo ſit deiectionem moliri, adie-
cto ſalis duplo, & ſtibij quod colorare ſufficiat, ex aqua, erui magnitudine catapo-
tia dato, poſtea cyathus unus aquæ tepidæ ſorbeatur. ad citandas tamen uomitio-
nes aqua diluens elaterium, ſubiectas linguæ partes penitiſsimè pinna oblinito.
quòd ſi quiſquam difficilius euomat, oleo aut unguento irino reſoluito, ſomnum in
hibeto. porrò his qui eximiè uacuantur, continuè uinum & oleum dari conuenit,
etenim uomendo reſtituuntur. quòd ſi uomitiones non finiantur, aqua frigida, po-
lenta, poſca, poma, & quæ ſtomachum denſando corroborant, offerenda ſunt. Ciet
elaterium menſes. partus enecat, in peſſo ſubditum. morbo regio medetur, cum la-
cte naribus infuſum. diuturnis capitis doloribus liberat. efficaciſsimè anginis illi-
nitur, cum uetere oleo, melle, aut felle taurino.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σικυς ἄγριος. Latinè, Cucumis ſyluestris. Officinis aſininus, anguinus, erraticus.
Germanis, Wild ſpringend Kürbslin/ Hundskürbslin. Brabantis, Wild Concommeren.
Gallis cocombre ſauuage appellantur.

Germaniæ peregrina herba, ex Italia ad nos translata, hodie paſſim in hortis ſeritur. Elaterium ſuccus ex huius fructu quomodo trahatur, Dioſcor. docet. amarus extremè Galen. Paulus dicit uacuare ut ſcammonium tribus obolis, tritum cum lactis cotyla. A trimatu incipere, & nullum ex medicamentis longiore æuo durare, & quo uetuſtius eò melius, ſcribit Plinius, & ducentis annis ſeruatum teſtatur Theophraſtus.

Staphis agria. Caput CXXXVII.

Staphis agria. Leußkraut/ Rodel.

STaphis agria, ſiue herba pedicularis, folia habet labruſcæ, diuiſa: & cauliculos rectos, molles nigroſq; fert florem glaſti: & folliculos uirides, ſimiles ciceri, & in his nucleum triangulum, ſcabrum, ex nigro ſubfulueſcentem, intus album, guſtu acrem.

acrem. Grana quindecim*, si trita in aqua mulsa dentur, crassum humorem per uomitum purgant. sed qui hauserunt, ambulare debent. prudenter tamen attendere oportet, & aquam mulsam continuò potui dare: quoniam pericula strangulationis inferunt, & fauces adurunt. Trita, & ex oleo illita, phthiriasi prodest: item prurigini & psoris. cit plurimam pituitam commanducata, cocta in aceto, dentium dolori, colluto ore, subuenit. rheumatismum gingiuarum sistit. ulcera oris manantia, cum melle sanat. urentibus malagmatis imponitur. A

* Decem aut quindecim.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcis σταφὶς ἀγρία. Latinis Staphis agria. Officinis corruptè, staphis agria & pituitaria.


Germanis Staphis Körner/Leußkraut/Leußsamen. Gallis de l' estaphisagrie, l' herbe aux poulx.

Plinius staphin agriam, uel staphin uuam Taminiam ab aliquibus, ut Celso, uocari falsò existimat, suum enim genus habet cauliculis nigris rectis, foliis labruscæ, fert folliculos uerius quàm acinos, uirides similes ciceri, in ijs nucleum triangulum. Matureſcit cum uindemia, nigreſcitq; cùm Tammeæ rubentes nouerit Plinius acinos: sciuerit illam in apricis nasci, hanc non nisi opacis.

Staphis agria semine est uehementer acri & urēte, quod mansum pituitam in os ex capite plurimam detrahit, & illitum ex oleo capiti puerorum pediculos enecat: unde pedicularis quoq; herba dicitur.

Est et alia herba, Germanis Leußkraut/siue Rodel/uocata, humidis pratis nascens, floribus puniceis, instar urticæ mortuæ quam uocant, semine rotundo, foliis incisis, geranio quasi similibus. Alterum illius genus est, floribus citrinis, foliis tamen non usq; adeò incisis.

Thapsia. Caput CXXXVIII.



THapsia nomen ideo accepit, quòd in Thapso, eiusdem nominis insula, primùm inuenta sit. tota uerò natura ferulæ similis est: graciliore caule: foliis fœniculi: umbella anethi in cacumine, à singulis furculis erumpente. flore luteo. semen quale ferulæ, latum, sed aliquanto minus. radix foris nigra, intus candida, longa, acris, crassiore libro uestita. Lactis extrahendi ratio hæc est: Facto in ambitu scrobe, cortices inciduntur: aut radix in fornicis speciem in se excauata cooperitur, quò merus succus confluat. oportet illuc sequenti die se conferre, & congestum succum extrahere. Tunditur etiam radix in pila, & succus organo per qualium expressus fictili crasso insolatur. Aliqui folium unà terunt: sed inualidior huiuscemodi succus. Hoc autem interest, quoniam qui ab radice manauit, grauius olet, & humidus permanet: è foliis autem extractus exiccatur, atq; teredinum iniuriam sentit. Qui succum colligit, stare debet non obuersus uento: aut potius, cùm dies apricus est, & à flatu silet: quoniam ob halitus acrimoniam facies uehementer intumescit, nudaq; corpora inuadūt pustulæ: ob id prius liquido cerato & adstringente, nudas partes illinunt, & ita muniti accedunt. Tam cortex radicis, quàm succus, purgandi uim habent. lacteus succus in aqua mulsa potus, utrinq; bilem extrahit. Radicis modus, quaterni oboli, cum tribus seminis anethi drachmis: succi, terni oboli: lactis obolus unus. quod eo amplius assumitur, periculosum est. Huiusmodi purgatio conuenit suspiriosis, & diuturnis laterum doloribus, reiectionibusq; datur in cibis aut obsonio, quibus difficile sit uomere. Tam radix quàm succus omniū maximè, quæ pares cum eis uires adepta sunt, uim habent extractoriam ex alto, ubi ex imo aliquid euocandum est, aut meatuum laxitas aliò transferenda est. unde succus illitione, aut radix recens affricta, alopecias explent. Radix succusq; cum æquis ceræ thurisq; portionibus, fugillata liuoresq; tollunt. sed non plus binis horis demittantur: locus deinde aqua maris calida foueatur. Vitia cutis in facie emendat, cum melle illitus succus. lepras tollit. tubercula discutit, perunctus cum sulphure. in diuturnis pulmonum, laterum, pedum, articulorumq; ualetudinibus utiliter illinitur. ualet ad integendam colis glandē, ijs qui natura, non circumcisione, curti sunt, tumorem enim excitat, qui pinguium fotu emollitus, præputij iacturam resarcit. B

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO.

A Radix quam Officinæ pro thapſia uendunt, cuius picturam exhibemus, thapſia eſſe ab effectu demonſtratur, nam in puluerem redacta ſoluit, & præſertim corticis puluis, ut Dioſcorides inquit: in Thapſo eiuſdem nominis inſula primùm inuenta eſt: naſcitur & in Apennini Alpibus, ubi uulgo Craffegnana dicitur.

Errant qui ex folijs ſuccum ſeruant, quoniam, ut inquit Dioſcorides, nullius momenti eſt.

Spartium. Caput CXXXIX.

Genistella. Genista.



B

SPartion frutex eſt longus, ferens uirgas, ſine folijs, firmas, fractu contumaces, quibus uites uinciuntur. ſemen lenticulæ, in folliculis phaſiolorum modo naſcens: florem, ut albæ uiolæ, luteum. Purgant per ſuperna uehementer, hellebori uice, citra periculũ flores & ſemina. quinis obolis in aqua mulſa pota. Semen dejectionem mouet. Ramis in aqua maceratis, mox tuſis, extractus ſuccus, iſchiadicis & angina laborantibus auxiliatur, ſi cyathi modum ieiuni bibant. Quidam marina aqua macerare malunt, & infundere iſchiadicis clyſtere. ſtrigmenta autem elicit cruenta.

NOMINA ET EXplicatio.

Græcè, Σπαρτίον.

Latinè, Spartion uel Spartos.

Officinis Genista nomine ſaltem cognita, ut Germanis & Gallis, qui hæc tria genera, quorum picturam damus, confundũt, Pfrimmen/Ginſt/oder Genüſt/appellantes. Brabantis Vrem.

Sparti uerò quo uites ligãtur, cuius hoc loco Dioſcorides meminit, uirgas longas profert, ſine folijs, ualidas, difficulter fragiles, quibus uites ligant. Siliquis phaſeolorum modo fert, & in ijs ſemina lentis formam habentia, florem luteum ueluti Leucoium, ſemen & flores cum aqua mulſa ſi bibuntur pondo obolorum quinq;, per ſuperna purgant, ut Elleborus albus, ſine periculo. Semen autem per inferna purgat. Virgæ uerò iſchiadicis proſunt: eaſdem uires Galenus quoq; tribuit genistæ, unde perſpicuum omnibus fit, Sparto & genistæ, non obſtante quòd forma nonnihil diſtent, eandem ineſſe facultatem. Genistella uerò quam Germanicè Stechend ginſt/Erdpfrimmen/& Aleyn Streichblümen appellamus, aſtringentem cũ amaritudine facultatem poſsidet, ac proinde ualenter ſimulq; citra mordacitatem exiccantem.

Silybum. Caput CXL.

SIlybon lata ſpina eſt, folia ferens Chamæleonis albi. Hæc recens cũ ſale oleoq; cocta eſtur. Radicis ſuccus drachmæ pondere potus, uomitiones ciet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Silybon niſi ea ſpina fuerit, quam ſuprà Chamæleontem nigram appellauimus, Germanis Eberwurtz dicta, quod tamen ueriſimile non uidetur, cùm, ut Plinius tradit, in medicina uſum nullum habeat, hodie peregrina ac incognita eſt.

Glans unguentaria. Caput CXLI.

GLans unguentaria, fructus eſt arboris myricæ ſimilis, magnitudine auellanæ nucis, cuius nucleus græcarum nucum more tritus, humorem reddit, quo ad precioſa

precioſa unguenta pro oleo utũtur. naſcitur in Aethiopia, Aegypto, Arabia, & Petra oppido ſecus Iudæam. Præfertur plena, recens, cãdida, quæ facilè delibretur. Ea drachmæ põdere pota, lienem abſumit. cum lolij farina & aqua mulſa, podagricis illinitur. pſoras lepraſq; decocta in aceto, uitiligines & nigras cicatrices cũ nitro, emẽdat. & cum lotio lentigines, uaros & papulas in facie, & cutis uitia tollit. uomitiones mouet. aluũ cum hydromelite reſoluit. ſtomacho aduerſatur. Oleũ quod ea exprimitur, aluum potu ciet. Cortex eius magis adſtringit, uerum tuſæ & expreſſæ ſuccus abſtergentibus medicamentis adijcitur, quæ aduerſus prurigines & ſcabritias idonea ſunt. A


NOMINA ET EXPLICATIO.

Βάλανος μυρεψικὴ, id eſt, glans unguentaria, Myrabolanus quoq; Plinio dicta, ex Barbarica regione allata, ben Arabibus dicta, hodie frequens, ſtomacho aduerſatur, cum hydromelite pota carnis huius drachma una, eſt uomitoria: cum oxycrato autem iecur & lienem purgat, cum doxicrato item (quo maximè gaudet ad agendum) lepras, pſoras, lentes, uitiligines, pruritum exterget, lieni & hepati indurato illinitur cum farina aliqua ſiccante, ut erui, lolij, lieni etiam prodeſſe ſcribit Gal. in theriaca ad Piſonem. Carnis huius ſuccoſa cultate calido utuntur aromatarij: id enim inodorum cùm ſit, omnibus ſuſcipiendis odoribus eſt aptiſſimum, ut inſipidum ſaporibus, & coloris expers coloribus. Id oleum Balaninum Dioſcoridi dicitur, ut ſuprà ſuo loco oſtendimus. Oleo expreſſo quod reliquum eſt magma terreum, & amarum, incidit, terget, contrahit, ſkipat, ad prædicta etiam efficax, ſed minus, Id autem uidetur eſſe μυροβαλάνου πίεσμα, id eſt, expreſſum, quod cataplaſmatis miſcet Galen. lib. 11. & lib. 13. Meth. & bis lib. 9. comp. phar. part. ſpleneticis remedijs, & ad ſcirrhoſos lienis affectus adhiberi ſcribit Gal. Quo in loco μυροβαλάνου tantùm, aliquando μυροβαλάνου σαρκὸς, aliquando βαλάνου μυρεψικῆς leges, aliquando μυροβαλάνου ἄλευρον, id eſt, farina & puluis, & μυροβαλάνου λεπόχανα, id eſt, putamen & cortex, & μυροβαλάνου λεπυρα κεκομμένα καὶ σεσισμένα, id eſt, myrabolani teſtæ & cortices inciſi & tuſi cribratiq;.

Omnia hæc ad ſplenicos ſcribuntur, ut ſit credibile maximè de fructu eodem, ſcilicet Balano myrepſica, & eius partibus, omnia hæc intelligi.

Quam uero myrabolanum Arabicam intelligat Dioſcorides, cui ſimilem facit fructum palmæ Aegyptiæ, de qua nunc dicam, planè ignoro. B

Nam Arabum recentiorum Myrabolani quinq; generibus diſtinctæ ucteribus indictæ putantur, & prunorum generi potius, quàm Balanorum, id eſt, glandium, aſſignandæ ſunt. Sunt uerò hæc.





Lutea ceu citrina refrigerant cholagoga.

Inda & nigra, melancholiam purgat & exhilarat.

Cepula phlegmagoga, uiſum illuſtrat, coctionem iuuat, pectus purgat, hydropicis confert.


Empelitica (quæ Actuario ἀμπελιλίξα & ἔμβελι, quoq; diuidetur (etiam phlegmagoga, uentriculum purgat & roborat, appetentiam reuocat, uomitum ſiſtit.

Beleetzica empyos iuuat, hemorrhoides & capilli deſluuium. De his plura leges in Arabibus.

Narciſſus,


A

Narcissus. Caput CXLII.



Verus Narcissus.
Narcissen rößlin.

B



Narcissum

NArciſſum ſunt qui ut lilium, liriũ appellarint. folia porro ſimilia, tenuia, multo minora, & anguſtiora: caulis uacuus, & ſine foliis, ſupra dodrantem attollitur, flos albus, intus croceus, in quibuſdam purpureus: radix intus alba, rotunda, bulboſa: ſemen uelut in tunica nigrum, longum. probatiſsimus naſcitur in montibus, ſuaui odore. cæteri porrum imitãtur, atq; herbaceum uirus olent. Radix cocta, ſiue eſtur, ſiue bibitur, uomitoria eſt. ambuſtis igni prodeſt, cum exiguo melle trita. præciſos neruos illitu glutinat. luxatis malleolis, diuturniſq; articulorum doloribus trita ex melle & impoſita, ſubuenit. uitia cutis in facie, uitiligines q;, cum ſemine urticæ & aceto emaculat. cum eruo & melle, ulcerum ſordes expurgat. abſceſſus rumpit concoctioni repugnantes. infixa corpori extrahit, illita cum oliſ farina & melle. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Dioſcorides hoc loco, ut Plin. lib. 21. cap. 5. & 10. Narciſſi duo genera facit, licet à Theophraſto & Apuleio non niſi unum genus conſtituatur: niſi ex floris diuerſitate duplex eius genus facere uoluerint. Eſt autem Narciſſus planta congener aut ſaltem ſimilis lilio, quare quidam ipſum non minus quàm lilium, lirion uocant, ut tradit Dioſcor. Sunt qui hermodactylum eſſe uelint Narciſſum, quorum opinioni nos non ſubſcribimus, cùm ſcianus uulgarem hermodactylum eſſe hieronbulbum, qui & colchicon dicitur: de quo ſuprà egimus.

Non tamen omnino negamus, ex hermodactylorum genere eſſe poſſe narciſſum, cùm & ipſorum plura genera hodie reperiantur, ut ſuprà depicta uides.

Cæterùm dictus eſt Narciſſus, autore Plinio, non à fabuloſo puero, ut fingunt poëtæ, ſed à narce, quod torpor eſt, quoniam dolores & torpides capitis grauitates facit: idemq; teſtatur Sympoſij libr. 3. Plutarchus, dicens: Et Narciſſum appellauerunt quaſi neruos hebetantem, & torpides facientem grauitates: quapropter & Sophocles ipſum antiquum magnorum ducum, id eſt, ſubterraneorum coronamentum uocauit.

Verum Narciſſum præter omnes, Hieron. Tragus exhibet, Dioſcoridis deſcriptioni potiſsimùm ſimilem. Germanis Narciſſen rõßlin uocatum.

Hippophaës. Caput CXLIII. B

HIppophaës, quo fullones ueſtes interpolant, in ſabulofis maritimiſq; naſcitur, furculaceo frutice, undiq; denſo & largo. foliis oleæ, longioribus, molliori-busq;: inter quæ candicantes ſpinæ emicant, ſiccæ, anguloſæ, interſtitio quodã diſtantes. flores hederæ corymbis ſimiles, racematim cohærent, minuſculi tamen, & molles, candidi, ex parte rubeſcentes. radix lacteo ſucco madet, craſſa, mollis, amara guſtanti. ex qua, perinde ac thapſia, ſuccus eximitur, qui per ſe, & cum erui farina ſubactus, ſiccatur, & ad uſum reconditur. Syncerus pituitas, bilem, aquasq; detrahit, oboli pondere: erui uerò farina ſubactus, quatuor obolis, cum aquæ mulſæ dimidia hemina tritus datur. Radice & herba liquamentũ depromitur, uti in thapſia. huius in purgationibus modus eſt drachma.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hippophaës, aut Hippophyes, Lappago, Græcis ἱππόφαες: quidam Plinio aſperugnem dictam putant. Theophraſtus etiam ex tithymallo hippophaës optimum apud Tegeane confici ſcribit. Debent accommodatæ eſſe equorum naturæ, neq; ex alijs cauſis nomen accepiſſe: quippe quædam animalium remedijs naſcuntur locupleti diuinitate ad gerenda præſidia: Quæ hodie ſit, ignoratur.

Hippophæſtum. Caput CXLIIII.

HIppophæſton, id quod aliqui hippophaës appellant, naſcitur eiſdem locis quibus Hippophaës, eſtq; ſpinæ fulloniæ genus, humilis herba, ſine cauliculo, ſine flore: inanibus tantùm capitulis: foliis paruis, ſpinoſis: radiculas habens molles, craſſas. Succus radice, foliis & capitulo exprimitur, & exiccatur. Datus, cuiuoles, tribus obolis, in aqua mulſa, aquam pituitasq; detrahit. priuatim comitialibus morbis, neruorum uitijs, & orthopnœæ conuenit huiuſcemodi purgatio.

Et hæc hodie peregrina & exoleta.

Ricinus. Caput CXLV.



CIci, aut croton, nomen accepit à ricini animalis ſimilitudine. arbor prouenit paruæ ficus altitudine, folio platani, maiore, læuiore, & nigriore: ramis, caudicibusq; cauis, in arundinis morem: ſemine in uuis aſperis, quod corticibus exutum, Ricinum animal repræſentat: ex quo oleum, nomine cicinum, exprimitur, cibis fœdum, lucernis emplaſtriſq; utile. Grana triginta numero purgata, trita potu, pituitas, bilem, aquãque per aluum extrahunt. uomitiones mouent. ſed iucunda admodum eſt, & moleſta purgatio: ſiquidem ſtomachum uehementer ſubuertit. Tuſa & impoſita, uitia cutis in facie, uarosq; expurgat. Folia cum polenta trita, inflammationes oculorum, tumoresq; leniunt, rigentes mammas cohibẽt. eadem ex aceto illita, ignes ſacros reſtinguunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè Κρότων.

Latinè, Ricinus, Cici.

Officinis Kerua, manus Chriſti, palma Chriſti, Cataputia maior.

Germanis Wunderbaum/ Creutzbaum/ Zeckenkörner.

Brabantis Wollencruyt.

Gallis palma Chriſti appellatur.

Itali uocant, Miraſole, & Giraſole.

Ricinum à ſimilitudine animalis fœdi (uulgo ein Zeck) cum ſemine fruticis huius, appellant Ricinos.

Nuſquam non ſcribitur: apud nos in hortis ad arcendam effodientium talparum, ut uolunt, iniuriam, inſtar arboris paruæ profilit, folio platani, maiore, uel uitiũ, ramis caudicibusq; cauis, & in arundinis modum fiſtuloſis, ſemine in uuis aſperis, quod corticibus exutum: Ricinum animalis effigiem repræſentat tam proximè, ut ſi uita adeſſet, planè Ricinus uideretur. De Ricino oleo lib. primo egimus.

Tithymali. Cap. CXLVI.

TIthymalli genera ſeptem, quorum maſculus characias appellatur, ab aliquibus amygdaloides: alter, myrtites, qui fœmina exiſtimatur, eumq; myrſinitẽ aut caryitẽ uocant: tertius, paralius, quem tithymalida appellarunt: alius, helioſcopius: quintus, cyparisſias: ſextus, dendroides: ſeptimus, platyphyllos dicitur. Characiæ caules ſupra cubiti altitudinem attolluntur, rubri, lacteo ſucco atq; acri madentes. foliis oleæ circum ramos, anguſtioribus, & longioribus, radice craſſa, lignoſa, pendet in cacuminibus caulium, coma iunci, ſub qua caueolæ foliolis balnearum ſimiles, in quibus ſemen continetur. naſcitur in aſperis & montibus. Succus aluum purgat. trahit pituitam bilemq;, binis obolis in poſca ſumptis. & cũ aqua mulſa, uomitiones mouet. Appetente uindemiarum tempore, ſuccus congeſtis ramulis, mox diſſectis, & uaſe concluſis, excipitur. Aliqui adiiciunt farinam erui, & in paſtillos digerunt, qui erui magnitudinem impleant. Alii in aridas ficos, ternas quaternas naſue guttas inſtillant, ut cum his inareſcant: quas ad uſus recondunt. Per ſe etiam tuſus in pila, & in paſtillos coactus reponitur. Porrò cùm extrahitur lac, neq; quoquàm colligas, corpus, præſertim faciem, collum, ſcrotumq; genitalis, adipe aut oleo cum uino perungere. Fauces autem exaſperat. quapropter catapotia cera aut decocto melle oblini par eſt, & hoc modo dari. binas tamen ternaſue ficos, purgationis gratia ſumpſiſſe, ſatis eſt. Recens lac ex oleo, perunctos in ſole capillos euellit, renaſcentesq; flauos & exiles efficit. deniq; omnes perimit. Dentium cauernis incluſum, leuat dolores. ſed cera dentes oblinendi, ne ſuo delapſu, fauces & linguam uitiet: tollit illitu impetigines, formicantes uerrucas, penſiles, & quæ thymi

Platophyllos.

Dendroides. A



B

Helioscopius.

Cyparissias.



florem repræsentant. ualet aduersus pterygia, carbunculos, phagedænas ulcerum, gangrænas, fistulasq; . Legitur semen autumno, & siccatum sole leuiter tunditur, feruefactumq; loco mundo reponitur . Folia item siccantur . Semen & folia lactei

A

Nux uomica.







Süß Wolffsmilch.



Wald Wolffsmilch.



succi effectum præbent, ex mi dio acetabulo pota. Sunt qui inueterãt, admisto cum lacte lepidio, & caseo contuso. Radix drachmæ pondere in hydromelite pota, per inferna trahit, decocta cum aceto, dentium dolori auxiliatur, colluto ore. Fœmina, quam mirsyniten, aut caryiten uocarunt, similis suapte natura daphnoidi: foliis myrti, sed maioribus, firmis, in cacumine acutis, & pungentibus; ramulos ab radice mittit dodrantales. fructum fert alternis anni, nuci similem, mordaci gustu. nascitur in asperis. succus, radix, semen, folia, consimilem antedicto sortiuntur facultatem. sed ad ciendas uomitiones inualidior hæc est. Aliud tithymali genus dicitur paralios, quem tithymalida, aut mecona aliqui appellauere. nascitur in maritimis, ramis subrubentibus, palmum altis, quinis senisue à radice exeuntibus: foliis lini, angustis, paruis, oblongis, in uersus quosdam digestis: capite in cacumine orbiculato, in quo semen ut eruum, uario colore emicat. Flos albus. frutex totus cum radice lacteo succo turget. Similes ad usus reconditur. Helioscopius dicitur, foliis portulacæ, tenuioribus, rotundioribus q; : ramulis prodeuntibus à radice, quatuor aut quinq;, rubentibus, dodrantali altitudine, tenuibus, lactis copiosi plenis: capite anethi, semine uelut in capitulis incluso. Helioscopij nomen accepit, quoniam comas cum sole circumagat. circa oppida nascitur, potissimùm in ruderibus. Colligitur succus semenq;, ut aliorum. Eædem quæ superioribus uires, non tamen usq; adeò ualidæ. Cyparissias in caulem exit dodrantalem, uel maiorem, subrubrum: ex quo folia piceæ similitudine exoriuntur, molliora tamen, & tenuiora. & in totum nascentem piceam æmulatur, unde nomen traxit. candido succo madet, cui eadem uis quæ superioribus. In petris nascens, dendroides cognominatur. ampliter opacat. in cacumine frondosam spargens comam, succo lacteo prægnans, cauliculis rubentibus. foliis myrti tenuioris: fructu characiæ. Eiusdem effectus, cuius superiores, similiq; modo reconditur. Platyphyllos, uerbasco similis est. Radix, succus, & folia, per inferna trahunt aquas. Pisces necat, tusus, & aquæ inspersus. Reliqua tithymalorum genera quæ suprà scribuntur, idem efficiunt.


NOMINA ET EXPLICATIO.

Septem statuuntur Dioscoride & alijs ueteribus testibus, Tithymalorum genera. Prima Characias, hoc est, uallaris. sic dicta quòd uallis & septis muniendis apta sit, à uallo, quod Græcis χάραξ dicitur: quæ sepium iungendarum idoneitas causa fuit, ut baltheum etiam, id est, cinctura sit dictum: fortè ea quam Germani uocant Bexenmilch. *Secundus myrtites, quasi myrtacea, à foliorum myrthi figura. Sicut à nucibus*

quibus

quibus similem fert fructum caryites & myrsites. Hunc fructum sunt qui nucem uomicam, Germanis Kraen A
kuglin uocatum esse putant. Tertius paralius, id est, maritimus dicitur, eo quòd maritimis nascitur locis. Quartus Helioscopius, id est, soliscquus appellatus est tithymallus, eò quòd coma eius ad solis cursum circumagatur. hic Germanis quibusdam dicitur Sonnen wendende Wolffsmilch. Quintus Cyparissias nuncupata est, à foliorũ cupressi similitudine. Germani imitatione Latina Cypressene Wolffsmilch appellãt. Sexta dendritis siue dendroides, id est, arborescens, à ramorum copia, & quòd ferè arborescat, Germanis Die grõst Wolffsmilch dicitur. Septimus platophyllas, id est, latifolius, à foliorum latitudine nominatur, Breyt bletterte Wolffsmilch.

Turbith Officinarum.



Ex Tithymallorum generibus tria tantùm depicta damus, proferent fortè alij longè plura: nam etsi Dioscorides plureis species descripserit nobis incognitas, habemus tamen nos uicissim alias multas, quas ipse non descripsisse uidetur.

Turbith Mesue quibusdam uidetur secunda species tithymalli. Laudant Arabes eius corticem album, gummosum, uacuum, arundinaceum, recentem, friabilem: corrigunt zinzibere, & formatis ex eo trochiscis.

Genera tithymallorum habent acrem calidamq; facultatẽ, inest uerò & amaritas, ex quarto itaq; calfacientium sunt ordine, & ualenter desiccant.

Pityusa. Caput CXLVII.

PItyusam specie à cyparissia differre constat, & si tithymalorum generi assignetur. caulis supra cubiti altitudinem assurgit, geniculatus: foliis piceæ, acutis, exilibus: flore paruo, uelut purpureo: semine instar lenticulæ, lato: radice crassa, candida, succo referta. quibusdam in locis frutex hic prægrandis inuenitur. Detrahit per aluum radix, drachmis duabus data in aqua mulsa. item seminis drachma succi cum farina subacti cochlearium in catapotio datur, modus foliorum drachmæ tres. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Pityũsæ, hoc est, pityusa hodie omnibus herbarijs Officinisq; ac recentioribus medicis incognita, frutico sa est, caule supra cubiti altitudinem assurgente, geniculato, foliis piceæ, acutis exilibusq;, flore paruo purpureo, semen latũ forma lenticulæ, radicẽ madidam succo, quam quidam rhizotomi circulatores pro albi hellebori radicibus diuendunt. Scaphon Germa. appellant. Actuarius turpenton uocauit simpliciter. Pityusa bilem & pituitam per aluum detrahit, radix decocti hemina, aut seminis ligula in balanis &c.

Lathyris.



Lathyris. Caput CXLVIII.

LAthyris, quam aliqui tithymalum appellant, eamq; tithymalorum numero adscribunt, caulem emittit cubiti altitudine, & digitali crassitudine, inanem. gignuntur in cacumine alæ, & folia in caule oblonga, amygdalinis proxima, latiora, & læuiora. quæ autem in summis ramulis exierunt, minora conspiciuntur, aristolochiæ, aut oblongæ hederæ figura. In cacumine fructum summis surculis gerit, triplici loculamẽto insignem, rotundum, ceu capparin, in quo grana * intercurrentibus membranis inter se distincta continentur, eruis maiora, rotunda. quæ dum corticibus exuuntur, candida sunt, & gustu dulcia. Nullus radicis usus. totus frutex lacteo succo turget, uti tithymalus. Grana sex aut septem in catapotio, aut cum ficis aut palmulis deuorata,

* Adde, tria pur purea.

A aluum pargant: sed aqua frigida postea sorbenda. trahunt autem bilem, pituitam, & aquas. Succus tithymali modo exceptus, eundem effectum præbet. Cum gallinaceo aut oleribus folia decoquuntur ad eosdem effectus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Λαθυρὶς. Latinè, Lathyris. Officinis Cataputia minor.
Germanis, Springkörner/ Treibkörner. Gallis espurge dicitur.
Sunt qui Lathyrin dicant Tithymali speciem esse, tum quòd similiter illis succum habeat, tum quòd eodè modo purget, uniuersáq; illis facultate similis sit, nisi quòd semen gustantibus uideatur dulce: quod sanè etiam maximam uim purgatoriam obtinet. Calidam in tertio, & in primo humidam statuunt.

Peplus. Caput CXLIX.

PEplos frutex est lactei succi plenus, foliis paruis, ut rutæ, paulò latioribus: rotunda coma, ferè dodrantali, humi respersa: semine sub foliis rotundo, minore quàm candidi papaueris. pluribus scatet auxiliis: unicam radicem habet, superuacuam, ex qua fruticat. nascitur inter uites, & in hortis colligitur messibus. siccatur in umbra, & continuè uersatur. fructus tusus & feruefactus reconditur. Bilis ac pituita detrahitur, acetabulo eius in hydromelitis cyatho poto. obsonijs insperſa cõturbat aluum. muria conditur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Peplum, Officinæ Esulam rotundam. Germani Runde Wolffsmilch.
Galli Vineale reuelium uocant.
Græcis Πεπλὸς dicitur: inter uites & in hortis inuenitur frutex lactei plenus succi. foliis rutæ paulò latioribus, circinata coma, palmati, humi procumbente, fructu sub foliis rotundo, tribus loculis discreto, in quibus semen nigrum, papaueris magnitudine continetur. Semine poto aluus soluitur, ac pituita detrahitur.

Peplis. Caput CL.

B PEplis, quam aliqui syluestrem portulacam uocãt, Hippocrates peplion, in maritimis maximè nascitur, latè opaco frutice, candidi succi pleno: foliis satiuæ portulacæ, rotundis, infernè rubentibus: semine sub foliis rotundo, uti in peplo, feruente gustu: radice singulari, superuacua, tenui: Colligi, & reponi ac dari, uti peplos, & sale condiri solet. Easdem habet uires.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè Πεπλὶς. Latinè Peplis, herba maritima, quæ & peplion, & portulaca syluestris: hodie planè incognita, nisi ea fuerit, quam hodie Officinæ omnes Soldanellam appellant, ut quidam arbitrantur.

Chamæsice. Caput CLI.

CHamæsicen aliqui sycen nominant. ramos emittit quaternum digitorum, rectes, succosos, in terram deiectos: folia lentis, parua, peplum planè referentia, tenuia, quæ à terra non attolluntur. semine sub foliis rotundo, ut in peplo: neq; caulem, neq; florem promit. radice firmatur tenui, superuacanea. Rami ex uino triti uuluæ dolores sedant, in pesso appositi. tollunt tumores ac uerrucas omnium generum illiti. decoctorum cibo aluus resoluitur. Succus simili effectu prodest. illitus contra scorpionis ictum auxiliatur. aduersus caligines oculorum utilis, & hebetudines, incipientes suffusiones, nubeculas, cicatrices, cum melle inunctus. In squallidis petrosisq; nascitur.

De hac hodie nihil certi constat.

Scammonia. Caput CLII.

SCammonia ramos ab una radice emittit trium cubitorum, multos, pingues, & qui nonnihil crassitudinis præ se ferant. foliis helxinæ, aut hederaceis, mollioribus tamen, hirsutis, & triangulis: flore candido, rotundo, in calathi modum cauo, graueolente: radice prælonga, crassitudine cubitali, cãdida, graui odore, succo grauida.

uida. Legitur ad hunc modum succus: Capite exempto, radix in testudinis speciem A
cultro excauatur, quo fit ut in cauum cõfluat succus, qui conchis demum excipitur.
Alij scrobes in terra concamerato sinu fodiunt, in quos, subiectis iuglandium foliis, profundunt succum, siccatumq; extrahunt. Laudatur autem scammonium leue, nitidum, rarum, & colore quàm simillimum taurino glutini, fungosum, tenuibus fistulis, quale ex Mysia regione Asiæ deportatur. Nec attendere solùm par est, si linguæ tactu albescat (hoc enim euenit adulterato, quòd admisto fit tithymalli lacte) sed longè magis antea annatis. item si non uehementer linguam exurat, id quod mi sti tithymalli argumentum est. natione autem Syriacum & Iudaicum deterrima habentur, grauia, densa, erui farina & tithymalo uitiata. Succus drachmæ unius aut quaternum obolorum pondere hausus, ex aqua pura uel mulsa, per inferna bilem & pituitam extrahit. ad resoluendam aluum binos obolos cum sesama, alióue semine, sumpsisse satis est. dantur efficacioris purgationis causa, succi tres oboli, cũ duobus ueratri nigri, & aloës drachma una. Fiunt purgatorij sales, drachmis uiginti succi scammoniæ, in senos saliscyathos adiectis: Horum modus proportione uirium: integer quidem, tria cochlearia, medius duo, minimus unum. Radicis drachma una aut altera purgat, cum iis quæ retulimus. Nonnulli decoctum radicis bibunt. Coquitur in aceto, & cum hordeacea farina teritur, ac taplasmate ischiadicis utili. Partus enecat succus, uuluæ in lana subditus, tubercula discutit cum melle aut oleo illitus. decocto in aceto perunctæ lepræ abiguntur. diuturni capitis dolores ex aceto & rosaceo perfunduntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

*Scammonium quoniam cæteris præstat, quod in Colophone (quæ insula est Ioniæ, Apollinis oraculo nobilis) gignitur, ideo & Colophonium nominatur. itaq; eiusmodi succus, qui in quotidiano medicinæ usu ad purgationes præstantem & maximam uim habet, quatuor modis colligitur apud Mesuen, duobus tantùm Dioscoride. Vis bimo nec antea nec postea. Medicinas omnes exacuit, & stomacho (ut Galenus scribit) inimicum est, atq; eius dissolutionem facit. Recentior autem Græcia & Officinæ nostræ, lachrymam hanc, quo minus stomachum offendat, in cotoneo malo decoquunt, atq; tum illam Diacridion, quasi dicas, lachrymulam uocant: B
hæ uerò corrupto uocabulo diagredion appellant. Plinio præter Colophonium commendatur & Mysium, Prienense, specie nitidum, & quàm simillimũ taurino glutini, fungosum, tenuissimus fistulis, citò liquescens, citrus redolens, gummosum, linguæ tactu lactescens, quàm leuissimum, cum diluitur albescens. Dosis ultima Scammonij per se. Mesue sunt grana 12. Aëtio scrupuli duo, uel, ut inquit, pro uirtutis ratione maior aut minor. Galeno & Oribasio exhibetur pondere drachmæ unius. Dioscorides quoq; integram drachmam non uetetur offerre: sufficere tamen ad soluendum aluum dicit duos obolos. Quod si efficacius purgare, uel ut ipse inquit, quaterni oboli, cum duobus ueratri nigri, & Aloës drachma una, si ipsum Dioscoridem sequamur, dari possent. Ego, inquit Manardus, licet nunquam sim ausus tantum dare, duodecim tamen grana transcendere non sum ueritus, scioq; quosdam scrupulum integrum hausisse sine noxa.*

Chamelæa. Caput CLIII.

CHamelæa surculosa fruticat, ramis dodrantalibus. folia oleæ similitudinẽ habent, tenuiora* & amara, quæ gustata linguam mordent, & arteriam deradũt. *Alij, addunt densa.
Detrahit pituitam bilemq;, foliis præsertim in catapotia deuoratis: nanq; dua abfinthij partes, adiecta chamelææ una, hydromelite excipiuntur, & in catapotia coguntur: ea autem in uentre non liquescunt: siquidem quotquot fuere deuorata, regeruntur. Foliis cum melle tritis sordida ulcera & crustosa repurgantur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Officinis & recentioribus Herbarijs Leo terræ, aut Linum syluestre, item Oluella.
Germanis Zylandt. Gallis boys gentil appellatur.
Plura uide in annotationibus nostris in caput proximè sequens.

Thymelæa. Caput CLIIII.

THymelæa est, qua granum gnidium, quod est semen ipsius, colligitur. hoc Syri *apolinum uocant, quoniam satiui lini frutex suapte natura similitudinem *Euboëa
referat: uirgas ædit perpulchras, multas, tenues, tripedaneas: foliis chamelææ, angu

A Thymelæa.



ſtioribus,& pinguioribus, uiſcoſis, gummoſisq; ſi mordeantur: flore candido: fructu myrti in modum rotundo, qui inter initia uiret,& tandem rubeſcit: inuolucrum fructus durũ, foris nigrũ, intus album. Hoc per inferna bilem, pituitam, aquasq; detrahit, ſi uiginti granorum pars interna bibatur: uerùm fauces adurit. Itaque cum farina aut polẽta, aut in uuæ acino dari debet, aut mel le cocto obductum deuorari. qui ægrè deſudant, trito ſemine cum nitro & aceto, inunguntur. Folia quæ peculiariter cneorum appellantur, per meſſes colligi debent,& ſiccata in umbra recondi. Quibus darè libeat, antea tundere,& neruos eximere conuenit. Il litum acetabuli modo cum diluta uini potione, aquam extrahit. mediocrius purgat, addita lente cocta, aut cõtritis oleribus. Thymelææ farina uuæ acerbæ ſucco excipitur, & in paſtillos diuidi tur. herba ſtomacho infeſta. partus impoſita necat. Naſcitur in montibus & aſperis. Hallucinãtur qui coccon gnidium fructum eſſe chamelææ exiſtimant, decepti quadam foliorum ſimilitudine.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Thymelæa cuius mentionem hoc loco Dioſcorides facit, eſt Mezereon Meſue & Officinarum, ut patet conferenti fructum, myrti baccæ æmulum utriq;, quod Granũ gnidium dicitur Dioſcoridi, Officinis Coccum gnidium. Germanus Wellershals. Foliaq; oleæ ſimilia faciunt ambo, ſed anguſtiora Dioſco. matora Meſues. ramos Meſuæ bicubitales. Dioſcoridi tripedaneos. Cùm hi Chamelææ (quam nonnulli Mezereon putant) ſint dodrantales & palmo tantùm alti: unicam autem thymelæam facit Dioſcorides: multas Mezerei ſpecies facit Meſues.

Sambucus. Cap. CLV.

B Ebulus, Attich.



Sambucus, Holder.



SAmbuci duo genera. Vnum in arborem aſſurgit, ſurculos ſpargens arundinaceos, teretes, cauos, candicantes, proceros. folia juglandis, terna quaternáue, ex interualis circa ramos exeunt, grauia odore, minutim in ambitu ſecta: & in ramulorum cacuminibus cauliculisq; circinatæ umbellæ, quę florem candidum pariunt, mox acinum terebinthо ſimilẽ, in nigredine ſubpurpureum, racemoſum, ſucco madentem, uinoſumq;.

Alterum

Alterum genus, chamæacte uocatur, Romanis ebulum, lõgè humilius est, magisq; herbaceo generi assignandum, caule quadrangulo, geniculato, foliis amygdalæ, ex interuallo longioribus, geniculatim expansis, pinnatisq;, graueolentibus, in ambitu serratis: muscario sambuci, flore & acino eiusdem: radice nititur longa, crassitudine digitali. Eadem utriusq; uis, & usus exiccans, aluo detrahens aquam, stomacho inutilis. Folia olerum more coquuntur, ad pituitam bilemq; detrahendã. Caules teneri in patinis cocti, eadem efficiunt. Radix in uino decocta, & in cibis data, hydropicos adiuuat. prodest uiperarum morsibus, eodem pota modo. uuluas emollit insidentium decocto: patefacit earum spiracula, & uitia corrigit. Acini in uino poti eodem funguntur munere. denigrant capillos illiti. Folia, si prætenera ac mollia ex polenta illinantur, inflammationem mitigant. ambustis & canis morsibus illitu prosunt. ulcera quæ dehiscunt in fistulam, agglutinant. iis qui podagra tentantur, cum seuo taurino aut hircino prosunt illita folia. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sambucus uel Sabucus Græcis Ακτή. *Officinis Latinum nomen seruauit. Germanis* Holder/Flader. *Brabantis* Vlier. *Gallis, Seu, Suseau dicitur.*

Ebulus Græcè Χαμαιάκτη. *Officinis genuinum seruauit nomen. Germanis* Attich. *Brabantis* Addick. *Gallus* Hieble *appellatur.*

Vtraq; Sambucus, & arboreſcens & herbacea, exiccandi, conglutinandi, modicéq; digerendi facultatem obtinent. Paulus Aegineta hæc adijcit: Potæ & manducatæ aquam per aluum educunt, propter quam causam quia purgatoriam uim habent, de ipsis hoc libro agit Dioscorides, cùm alioqui recenseri debuerant inter arbores.

Picnocomum. Caput CLVI.

PIcnocomon constat erucæ foliis, acrioribus, scabris & crassis: caule quadrangulo: flore ocimi: semine marrubij: radice nigra, aut pallida, rotunda, exigui mali figura, terram redolente. Inuenitur in saxosis locis. Semen grauia somnia & rumultuosa facit, drachmæ instar potum. tumores discutit, illitum cum polenta. picũ la, adactosq; corpori aculeos, extrahit. Folia illitu tubercula, panosq; discutiũt Radix eius in aqua mulsa duũm drachmarum pondere, aluũ soluit & bilem extrahit. B

Picnocomon hodie planè neglectum & incognitum.

Apios. Caput CLVII.



APios iuncos duos siue tres spargit, ru bros, tenues, qui à terra parum attollũ ur: foliis rutæ, oblongioribus tamen, & angustioribus, herbaceis: semine paruo, radice hastulæ regiæ * in formam pyri turbinata, rotundiore tamen, succi fœcunda, intus habet corpus candidum, extrà cortices nigros. Superior pars eius uomitione bilem pituitasq; extrahit: inferior per aluũ. tota utrinq; purgationes mouet. Succum si libet eximere, tusa radix in fictili mergitur, & agitata aqua, quod supernatat pinna selectum, exiccatur. Purgat utraq; parte is succus, sesquiobolo potus. * Sphondilij.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Apion, cuius picturam damus, hodie apud Germanos Erdtnuß/ Erdfeigen/ Erdmandeln *appellatur. Brabanti* Muysen met steerten/ *uel* Teensche castanien.

Colocynthis. Caput CLVIII.

COlocynthis sarmenta foliaq; satiui cucumeris emittit, per terram repentia, diuisa, fructum in speciem mediocris pilæ conglomeratũ, uehementer amarum: quẽ legere oportet, cùm cœperit in pallidũ colorẽ permutari. Medulla fructus purgatoriam

A Colocynthis.



gatoriam uim habet, si quatuor oboli cum aqua mulsa, melle cocto, myrrha & nitro excipiantur, & cogantur in catapotium. Arefactæ pilæ teruntur, & infusæ clysteribus prosunt neruorum resolutioni, coxendicum doloribus, & coli uitijs, ut quæ bilem, pituitam & strigmenta, interdum etiam cruorem eliciant. fœtus admotæ enecant. dentium dolorē tollit, si unà repurgetur, & luto oblita cum aceto & nitro inferueſcat, hocq; iure decocti dentes colluantur. si aqua mulsa aut passum in eadem incoquatur, & sub diuo refrigeſcat, potu crassum humorem & strigmenta alui detrahet. stomacho supra modum aduersatur. subdita ex ea balano, alui excrementa eiiciuntur. Virentis succo utilissimè ischiadici perfricantur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κολοκυνθις. Latinè, Colocynthis, Cucurbita syluestris.

Officinis corruptè Coloquintida. Germanis Coloquint. Gallis Courge sauuage, coloquinte.

Mesue duplex genus Colocynthidis constituit, Nempe marem & fœminam. Mas grauis, durus, asper, nigricans, & lanuginosus est. Fœmina eidem autori præfertur mari, præsertim magna, siue ut dicunt, grossa, lenis, laxa, candida, leuis, & perfectè matura: & cuius pars interior, siue medulla, pulposa, laxa, leuis, hoc est, non aspera & insigniter alba est. Optima Venetijs emitur Colocynthis, & quæ ex orientalibus regionibus, utpote calidioribus, ad nos aduehitur. Quæ apud nos nascitur, inefficacior est, & ægrè aluum soluit. Cæterum probatissima syluestris huius Cucurbitæ medulla, siue, ut loquuntur, pulpa, antequam in usum assumatur, primùm incidenda est, deinde terenda diligenter, & sæpius cribranda. Ad usus tempore rursus cum
B mulsa mortario exquisitissimè subigenda, id enim illi, inquit Aëtius, peculiare est, ut trita antequam madefiat, subtilissima appareat: sed post mulsæ infusionem ita intumescat, ut qui uideat, cribratā minimè putet. Quodam igitur frustulum eorum quæ intumuerint, sæpe uentri aut stomacho inhæret, sæpius tamen intestinorum anfractibus implicatur. Cumq; sit naturaliter acris & mordax, ulcerat intestina, parit & contractiones. Propterea exquisitissima diligentia ad ultimam minutiem redigenda est. Sed mulsæ prius aut rutæ decocto infunditur, tum exiccata in puluerem redigitur. Paulus & Auicenna, quem est Mesue secutus, ipsam Colocynthida etiam plurimùm teri uidetur. Serapion autem, sed malè, contrarium asserit, eam uidelicet non multum esse terendam. Dosis pulpæ colocynthidis ad summa est, decem ceratia, Mesue. Paulus drachmam integram dare non ueretur, quæ eiusdem sententia pendet ceratia decem & octo. Datur Aëtio Colocynthidis medullæ scrupulorum duorum pondere, ex duobus mulsæ cyathis. Imbecillibus tamen inquit, scrupulus sufficit. Quatuor obolis sumptu purgat hoc loco Dioscoridi, melle cocto, myrrha & nitro excepta, atq; in catapotium coacta.

Epithymum.



Pituitam, bilem, & strigmenta Dioſco. purgat: bilem uerò & muccos, non à sanguine, ut elleborus scammonium, sed à neruis & neruosis partibus, Paulo. Danda quibus caput est læsum, & meninges, aut pericranæon, uertiginosis, hemicranicis, epilepticis, apoplecticis, cynico, spasmo, asthmaticis, orthopnoicis, Paulo.

Cum oleo spinæ affricatum lumborum & coxarum dolores sanat, & alia multa potest, Dioscor. Plin. Galen. Paul.

Epithymum. Cap. CLIX.


EPithymon, flos est è thymo duriore, satureiæ simili. capitula habet tenuia, & leuia, & in eis caudiculas, quasi capillamenta. Potum cum melle detrahit pituitā, bilemq; atram, per inferna. Priuatim prodest melancholicis, & inflatis, acetabuli mensura, ad quatuor drachmas, cum melle, sale, & aceti exiguo. Plurimum in Cappadocia & Pamphilia gignitur.

NOMINA

NOMINA ET EXPLICATIO. A

Epithymum Græcorum est flos thymi satureiæ similis, calidus siccus gradu tertio: omnia potest quæ thymus, sed efficacius, ob id illius penuria hoc uti licet, mensura tamen maiore. Datur Epithymum drach. 4. cũ sero lactis uel mulsa, ad educendum humorem melancholicum. Horum loco si Arabum Epithymo, hoc est, cassuta thymo innata, ut satureiæ seu thymbræ, Epithymbrum Actuario dictum & hyssopo, & maioranæ epyssopum: & orobo orabranche, & lino linanche, uti libet, quia uires cum thymi flore easdem illi Plinius uetetum solus tribuit: dabitur cum Mesue ob imbecillitatem à drach. quatuor decim ad drach. uiginti. Epithymus autem Arabum, ut thymus, est duplex, hortensis, & hoc calidior, siccior montanus.

Alypum. Caput CLX.



ALypon surculosa herba est, subrubra, gracilibus ramulis: tenuibus foliis: flore molli, leui, & copioso: radice betæ, tenui, referta, acri succo: semine Epithymi: gignitur in maritimis, maximè Lybiæ, quàm largissima: quanquã alibi quoq; plurima prouenit. Semen atram bilem deijcit, si mensura epithymo pari cum sale & aceto sumatur, uerùm interanea leuiter exulcerat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Alypon uel pityusam Dioscoridis esse Turbith, uel Turpetum Actuarij, quidam arbitrantur, quam etiam Turpet à barbaris uocari scribit Dioscor. nec fortè uox ea cum Leoniceno & alijs quibusdam expungenda ex Dioscoride fuerit, quum aliàs pleraq; appellationes barbaras interponat, Turbith autem Mesue, ut suprà monuimus, ab hoc diuersum est, & quibusdam uidetur secunda tithymali species. Alypion uel Alypia aluum soluit, in aqua mulsa, Plinio, addito sale modico. Minima potio est duarum drachmarum: media quatuor: maxima sex, ea purgatione, quibus datur ex gallinaceo iure. Depellitur atra bilis semine, Dioscor. si mensura Epithymo pari, cum sale & aceto sumatur. purgat autem maximè bilem atram, qua purgata animi tristitia in melancholicis pellitur, à quâ ui seu facultate potuit illi nomen fieri. Est enim Græcis Alypon, quod tristitia doloreq; caret, aut liberat. B

Empetron.



Empetrum, seu Calcifraga. Caput CLXI.

EMpetron aliqui phacoides uocant, nascitur in montibus & maritimis, salso gustu: sed quo propius terreno fuerit, amarius sentitur. Trahit bilem, pituitam, & aquam, si bibatur in iure aliquo, aut hydromelite.

NOMINA ET EXplicatio.

Ab alijs describitur herba sesquipedalis, geniculatis cauliculis, succulenta, folio marini roris, nisi quòd multò carnosius & rarius, semine corymbis dependentibus, fœniculi effigie, flosculo luteolo, singulari radice, exili & breui, odore gustuq; salsis Galliæ uulgus quòd medijs erumpat saxis, percepierre, hoc est perforipetram. Sanctones rumpe pierre, id est, rumpi petram, multi marinam cristam, quòd montium iugæ & scopulorum crepidines ea uestitæ cristentur, Aliam tamen omnino ab ea, quam cretam appellant marinam. Frequens est in Massilienſi ora, neq; non in maritimo Sanctonum tractu. Germaniæ uerò peregrina. Hallucinantur qui eam herbam Officinæ saxifragam albam, Germani Weiß & hohen steynbrech appellant, Empetrum esse contendunt, notis omnibus supradictis apertissimè reclamantibus, nempe caulem habet

A Saxifraga alba.

habet lanuginosum, subrubicundum, folia exigua, rotunda, in extremitatibus incisa, flores candidos, radicem exilem, cui granula Coriandri seminis quantitatem referentia adhærent, partim alba, partim rubra, quibus Officinæ pro semine eius utuntur. hæc urinam mouet, calculos frangit & conterit. Stranguriæ itaq; confert: abstergit enim expurgatq;, & quæ in uenis est crassiciem, sicut alia omnia, quæ amara sunt, incidit. Menses quoq; cit, crassáq; ac glutinosa ex thorace educit. hanc quidam arbitrantur pseudobunion esse Dioscoridis.



B

Vitis syluestris. Cap. CLXII.

Lyenen/Wyelen.



VItis syluestris sarmenta uitis modo prælonga emittit, aspera, lignosa, rimoso cortice: folijs hortensis solani, longioribus ac latioribus: muscoso flore, & capilla ceo: fructu exiguis uuis simili, post maturitatem rubente. rotunda est acinorum facies. Feruefacta radix in aqua & in cyathis duobus uini aqua marina diluti pota, humorẽ alui ciet. ideo hydropicis datur. Vuæ eius, uitia cutis in facie, & maculas omneis expurgant. Enascentes uiticulæ, cibi gratia, sale condiuntur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Syluestris uitis quibusdam ea uidetur, cuius picturam exhibemus, uidelicet quam suprà clematin alteram fecimus, uulgo Lienen/Wielen. *Brabantis* Wondtwijngaert. *Gallis hardea & uiorna appellata.*

Vitis alba. Caput CLXIII.

VItem albam aliqui bryoniam uocant. Folijs uiticulis, pampinisq;, satiuam uitem imitatur, sed hirsutiora sunt omnia. ea quos prope se nacta sit frutices, suis clauiculis complectitur. fructus rubens in uua dependet, quo coria pilis spoliantur. Ex ea asparagi, qui prima germinatione exeunt, decocti in cibo, aluum & urinam cient. Folia, fructus, radix, acrem uim sortiuntur. itaq; ulcerum phagedœnis, gangrænis, chironijs, putrentium tibiarum tædio, efficaciter ex sale illinuntur. Radix corpus abstergit, & cutem erugat. uitia cutis in facie, uarosq;, lentigines & cicatrices nigras emendat, cum eruo, creta Chia, & fœnogræco, eodem effectu prodest decocta


Bryonia.

decocta in oleo, usquedum liqueſcat. ſugillata tollit, reduuias committit. inflammationes diſcutit illita ex uino. ſuppurationes rumpit. medicamento aptè immiſcetur, quod carnem exeſt. infracta oſſa extrahit, trita & impoſita: datur comitialibus in potu drachmæ pondere, quotidie, anno toto. prodeſt attonitis, & uertigine laborantibus, conſimiliter aſſumpta. cõtra uiperarum ictus pota drach. duabus, auxiliatur. partus necat. mentẽ interdum ſubturbat. fœminarum locis appoſita, partus ſecundasq; morantes trahit. cit urinam pota: eclegma ex ea fit cum melle, difficile ſpirantibus, ſtrangulatu oppreſsis, tuſsientibus, uulſis, ruptis, & laterum doloribus lienem ternis obolis pota ex aceto triginta diebus, conſumit. illinitur ad eadem cum fico. ad muliebres inſeſſus decoquitur: ſiquidem uuluas purgat, ſed abortum facit. Succus è radice uere exprimitur, qui trahit pituitam, cum aqua mulſa potus. Ad pſoras & lepras ſemen efficaciter illinitur. lactis abundantiã facit ſuccus eius, ſi cum tritico decocto ſorbeatur. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè ἄμπελος λευκή. *Latinè, Vitis alba.*

Officinis Bryonia.

Germanis Schmerwurtz/ Zaunrüben/ Wilder zitwan.

Gallis Colubrine, Coulurce, dicitur, fortè quòd in hac colubri ſæpe ſtabulantur.

Caletum multum Bryonia baccis rubentibus, quibus depilat, B *& ob id coria dentantibus, eſt utilis, & quicquid attigerit, rubrificat ignis modo, unde Gallis quoq; ignis ardens, eorum idiomate, du feu ardant, tota planta dicitur. Galen. fructus eius maturitate ruber, racemoſus, eſt Pſilothrum ut planta ipſa. Nam ἄμπελος λευκὴ Βρυωνίαν καὶ ψίλοθρον καλοῦσι. Galen. lib. ſimplic. tamen ἄμπελος λευκὴ & Βρίωνια ſeparat lib. 1. com. ph. part. in pilos corrumpentibus medicamẽtis.*

Vitis nigra. Caput CLXIIII.

NIgra uitis, quam alij nigram bryoniam uocant, folia fert hederæ, ſed maiora, ſmilaceis proxima: caules etiam cognatos, capreolis ſuis arbores, quaſi adminicula, comprehendit. fructus racematim cohærent, qui inter principia aurent, & poſt maturitatem nigreſcunt. radix foris nigra, intus buxeo colore nitet. uiticulæ quæ primo germinum partu erumpunt, in olera recipiuntur. Menſes pellunt, urinas cient. lienem abſumunt. uertiginoſis, comitialibus, neruorum reſolutione tentatis, proſunt. Radix eadem, quæ uitis alba præſtat, ſed inefficacius. Folia cum uino ex ulceratis iumentorum ceruicibus commodiſsimè illinuntur. luxatis itidem imponuntur.


NOMINA ET EXPLICATIO.

Falluntur qui nigram uitem aliam eſſe plantam ab alba differentem arbitrantur, cùm eadem ſit colore, in radice, quæ huic nigra, alteri alba, & fructu tantùm differunt, quem alba uitis rubrum, nigra uerò nigrum profert: alba uitis rubro fructu in agro Argentinenſi, nigra uerò radice & fructu nigro in Norico copioſiſsimè proueniunt. Simul naſcentes nuſquam reperi.

Filix. Caput CLXV.

FIlici folia ſine caule, ſine fructu, ſine flore, ex uno pediculo, cubitali longitudine, multifida, & lateribus pinnata, ſubgraui odore. radice per ſumma ceſpitum nigra, oblonga, filices multas fundente, ſubaſtringente guſtu. naſcitur in montibus & ſaxoſis. Radix latas tineas excutit, ſumpta drachmis quatuor ex aqua mulſa, me-

A



Filix mas.



Filix fœmina.

lius si cum scammoniæ aut ueratri nigri totidem obolis detur. sed qui sumunt, allia prægustare debent. laborantes lienis incremento recreat. radix & potu & illitu cum axungia uulneribus sagitta arundinea factis, est auxilio. Cuius rei probatio talis fertur: Peribit filix, quam per ambitum sata copiosior arundo coronet. & contrà, euanescens abibit arundo, quam obsepiens multa filix in orbem cinxerit. Filix fœmina foliis est filicis, surculosis, altioribus q̃, & quæ non singulari, ut illa, pediculo fulciantur: radicibus longis, pluribus, obliquis, quæ ex nigro in luteũ flauescunt. aliquæ etiamnum rubræ inueniuntur. Pellunt lata interaneorum animalia cum melle eclegmate sumpto. potæ cum uino drachmis tribus, teretes tineas eiciunt. datæ fœminis, sterilitatem faciunt: & prægnantibus abortum, si supergrediantur. Farina humidis ulceribus, & cicatrici repugnantibus, inspargitur. iumentorum ceruicibus medetur. Folia recentia in oleribus cocta manduntur, ut uentrem emolliant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

B *Filicis Plinio ut Dioscoridi duo genera, nec florem habent, nec semen: unum πτερὶν Græcis. Latini Filicem maiorem. Germani Hohe farn. Galli osmundam regalem uocant, cuius ex una radice complures exeunt filices, bina etiam cubita excedentes, non graues odore. Alterum genus Græcis ὑπλὸν πτερὶς. Latinis Filix fœmina. Germanis Nider farn. Gallis fugera, feuchiere dicitur.*

Nascuntur ubiq;, maximè uerò frigido solo. Filicis radix maximè utilis, amara, subastringens, lumbricos latos necat, partum mortuum eijcit, ulcera ualenter, sed sine morsu siccat imposita, hepatis meatus probè tergit sine manifesta calfactione aut refrigeratione.

Filicula, siue Polypodium. Caput CLXVI.

Polypodium.



FIlicula nascitur in montosis petris, & uetustis arborum caudicibus, præsertim quercuum, palmi altitudine, filici similis, subhirsuta, non tenui perinde diuisura. radix pilosa, in qua continentur cirrhi, ceu polyporum, crassitudine digiti minimi, coloris intus herbacei, austera aliquantum, & gustu subdulcis. Purgandi uim habet. coquitur cum gallina, aut piscibus, aut beta, aut malua, ad aluum soluendam. aridæ farina aquę mulsæ inspersa, detrahit bilem & pituitam, trita luxatis efficaciter illinitur, & aduersus rimas quæ inter digitos fiunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Πολυπόδιον. Latinè Polypodium.

Genuinum nomen Officinis retinuit.

Germanis Engelsüß. Gallis Polypode dicitur.

Melius & efficacius est Polypodium, quod in uetustis arborum, & maximè montanarum quercuum nascitur, quàm quod in petris inuenitur, de quo hoc loco Dioscorides agit. Hoc enim superfluam habet humiditatẽ, & (ut inquit Mesue) indigestam, quæ flatus, nauseam & stomachi subuersionem excitat. illi aũt querno polypodio, de quo in capite mox sequenti, bonitatis notas octo Mesue attribuit, sed obscurè multùm; & non

conformiter

consormiter bonis auctoribus. Deligendum itaq; censemus Polypodium illud, quod eas habeat proprietates, quas alij iam assignauimus. Dosis Polypodij est Mesue à drachmis duabus usq; ad aureos quatuor. Aëtius expurgatæ radicis scrupulos sex, qui in aqua mulsa præferbuerint, exhibet. Oribasius drach. duas coquit in ptisanæ succo, datq; bibendum suecum. Sunt qui unciam integram dederunt sine noxa. Polypodij radix dulcis, & austera, multùm siccans, sed sine morsu, purgandi uim habet Galen. bilem, pituitamq; trahit, Dioscor. in quo non bilem sed Melancholiam legit Serapio: sic & Mesues, & alij post eos plerique, Melancholiæ purgatricem uim tribuunt. Sic crassum, solidum, cirrhosum, ex rubro nigrescens, colore intus herbaceo, ut pistacium recens, quercubus innatum potius quàm saxis & muris: alijs contrà uidetur, nisi astringendum sit. A

Dryopteris. Caput CLXVII.

DRyopteris nascitur in ueterum roborum musco, filici similis, multò minore foliorum incisura, radicibus inuicem implexis, hirsutis, gustu acerbis, in dulcedinem uergentibus. Psilothrum est cum radicibus trita: illinitur enim primum usquedum sudorem euocet, mox sudor abluitur, & recens imponitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hæc omnino ea uideretur, quam hodie Officinæ & Herbarij Polypodium quercinum, Germani Eychfarren appellant, nisi uiribus eam ab hac seiunxisset. Psilothrum enim non est nostrum Polypodium.

Cnicus. Caput CLXVIII.



CNicus foliis constat oblongis, per ambitum diuisis, asperis, spinosis, caule sesquipedali: capitulo magnitudine grandis oliuæ: flore croci: semine candido, aliqui rufo, lõgo, anguloso. Huius flore in obsoniis utuntur. Seminis tusi & expressi succus, cum aqua mulsa, uel iure gallinacei, aluum purgat: sed stomacho aduersatur. ex eo autem fiũt offulæ, quas placentulas uocant, adiectis succo amygdalis, nitro, aniso, & melle decocto. quæ aluũ emolliunt. Hæ in partes quatuor finduntur, quæ nucis iuglandis magnitudinem impleãt: è quibus ante cœnam duas uel tres sumpsisse satis est. Ratio temperandi hæc est: Cnici candidi sextarius, amygdalorum tostorum & delibratorũ cyathi tres, anisi sextarius unus, aphronitri drachma una, cum carnibus triginta caricarum. Seminis succus laccogit, & magis ipsum resoluendæ alui facultate donat. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Κνῆκος. Latinè, Cnecus uel Cnicus. Officinis Carthamus, Crocus hortensis.

A Germanis Wilder Saffran/Feldtsaffran/Flox. Gallis Saffran bastart appellatur.

Semen Carthami, ex sententia Mesue, eligendum est candidum, planum, hoc est, læue, grandiusculum, & plenum, cuius medulla est unctuosa & pinguis, cortice tenui. Paulus coquit drachmas quinq; medullæ Carthami, cum Ptissana, & paucis salibus, ut educat aquam. Cnici semen calidum, ordine tertio, purgat pituitam, ut cap. 5. lib. 2. simp. docet Galen. & lib. 5. sanitatis tuendæ: in diacnici compositione: nihil tamen aut minimum harum uirium in consueto nobis semine Cnici expertus, fortè quòd à regionibus calidioribus non sit allatum, sed in nostro agro natum, Carthamus Gazæ cum uulgo appellatur.

Mercurialis. Caput CLXIX.

Fœmina. Mas.



B

LYnozostis, aliqui parthenion, alij hermu botanion appellant, foliis constat ocimi, minoribus, helxinæ cognatis: ramulis duplici geniculorum nodo cinctis, alarum cauis multis, fructu fœminæ, copioso, quandam racemorum speciem præbente: mari, è foliorum sinu dependente, paruo, rotundo, ceu binis testiculis unà cohærentibus. frutice dodrantali aut maiore. Vtraq; in oleribus manditur, ad aluum cient. dam. cocta in aqua, epoto iure, bilem aquamq; detrahit. constat ut mares gignātur: hunc facere, ut fœminæ, illam: si à purgatione bibantur, & trita folia genitalibus admoueantur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Duo Mercurialis genera, masculus & fœmina, quæ efficacior: utriusq; picturam damus. Mas qui Græcis ἕρμου πόα, ἢ λινόζωστις ἄρρην uocatur. humilior, folio nigriore constat, fœtu propter genicula rariore, breui, contorto, in binos ueluti testiculos coëunte, fœminæ coma albicat, fructu copioso, soluto & candido, quandam racemulorum imaginem præsentante, Græcis λινόζωστις θήλεια dicitur. Vtraq; Officinis Latinum nomen seruauit. Germani Bingelkraut/Bengelkraut/ & Scheißkraut appellant. Mercuriali omnes duntaxat ad uentris purgationes utuntur. Verum enimuerò si quis eius facere periculum uoluet in catasplasmate, sanè digerentis admodum facultatis esse experietur.

Cynocrambe,

Cynocrambe. Caput CLXX.



CYnia aut Cynocrambe, cauliculum binum dodrantum altitudine emittit, mollem, subalbidum. folia mercuriali aut hederæ similia, certis interstitijs subalbida. semen foliis adhæret, paruum, rotundum. Folia cum caulibus pota, aluũ cient. oleribus commendantur. Ius decocti & pituitam & bilem aquamq; detrahit. * Caput hoc additiũ uidetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Officinis nostris nota syluestris atriplicis nomine, easiquidem cauliculum habet duũm palmorum, folia herbæ mercurialis, aut hederæ, subcandida ex interuallis, semen prope folia paruum, rotundum. Germani uocãt Wilde milten. *&* Scheißmilten. *Aliqui existimant syluestris esse bliti genus, cùm more illius seminosum sit, cæterùm crenatum huic folium, ut Mercuriali, aut hederæ modo in angulos exit, quod non in blito syluestri reperitur.*

Heliotropium. Cap. CLXXI.

HEliotropio magno flos est effigie scorpionis caudæ, unde scorpiuro ei nomen. & quoniam folia cum sole circumagat, heliotropion dicitur. folia ocimi habet, hirsutiora, candidiora, * & maiora. ramuli à radice terni, quaterni, aut sæpe quini exiliunt, multis alis concaui: flos in cacumine candidus, aut subfuluus, incuruatur ut scorpionis cauda. radix tenuis est, & inutilis. nascitur in asperis. Decoctum herbæ ex aqua, fasciculo manus plenæ potu pituitam bilemq; per aluum extrahit. contra scorpionum ictus ex uino potum & illitum prodest. adalligatur ad conceptus arcendos. Aiunt per horam unam ante accessiones seminis grana quatuor cum uino quartanas finire: tria uerò, tertianas. illitum semen formicantes uerrucas pensilesq;, & thymos, & epinyctidas exiccat. Folia infantium destillationibus, quas syriasis uocant, podagris, luxatisq; utilissimè illinuntur. menses cient. partus trita & imposita pellunt. Heliotropion paruum nascitur in palustribus, iuxta lacus, foliis antedicto proximis, rotundioribus: semine, acrochordonum uerrucarum modo, pensili, rotundo. Herba cum suo semine pota, adiecto nitro, hyssopo, nasturtio, & aqua, latas tineas teretesq; excutit. Pensiles uerrucas, quæ acrochordones uocantur, cum sale illita tollit. Scorpioides herbula est, foliis paucis, semine caudæ scorpionis effigie. Illita scorpionũ ictibus præsentaneo est auxilio. *Nigriora. B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Dicta est heliotropium similiter & heliostrophon, eo quòd ad solem se uertat, & ad motum ipsius circumagatur herba. Scorpiuri uerò nomen habet ab effigie scorpionis caudæ, à Celso Solaris herba dicitur, à paucis hodie ne medicis quidem, pace semper eruditorum dixerim, cognoscitur, nouo ab herbarijs indito nomine: uocant enim herbam cancri, quòd flores in caudæ cancri similitudinem inflectantur, namq; scorpionem nostri rarius uident, à re potius nota, cancro scilicet, potius quàm Scorpione ignota, traxerunt appellationem. Nanq; herba cancri, ut singulas prosequar notas, pingui solo cultoq; maximè nascitur. Florere incipit circa Solstitium. Folia ab ortu in occasum solem sequuntur, ita ut quacunq; cœli parte sedem teneat sydus, in eam conuersa spectent, coq; nubilo etiam cœlo dirigantur: folia ocimo similia, hirsutiora, maiuscula, candidiora: ramuli à radice terni aut quaterni sæpius exiliunt, multis alis concaui. Flores in cacumine candidi aut fulucescentes, instar caudæ scorpionis, incuruantur. Radix tenuis & superuacua. Floret medio Augusto in exitum autumni: qua depicta nunc effigie nusquam in agris per id tempus conspicitur. Heliotropion minus omnino priori simile, foliis tantùm minoribus: in palustribus & circa lacus inuenitur. Scorpioides uerò quæ sit hodie ignoratur: sunt qui dicant radice & semine scorpionis effigiem hanc herbulam repræsentare &c.

Finis Libri Quarti.

PEDANII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE MEDICINALI MATERIA, LIBER QVINTVS. IOANNE RVELLIO SVESSIONENSI INterprete, Cum figurarum debita appositione, & annotationibus in singula capita, Per Gualtherum H. Ryff, Argentinum, Medicum, ex doctiss. uirorum lucubrationibus adiectis.

PRAEFATIO.

SVperioribus quatuor libris, amicissime Aree, tradidimus de aromatibus, oleis, unguentis, & eorundem lachrymis ac fructibus: item animalibus, melle, lacte, adipe, cerealibus, oleribus, necnon de omni radicum herbarum, succorum, seminumq; ratione. In hoc autem totius operis Quinto, disseremus de uinis & metallicis, à uite nostram commentationem auspicati.

Vitis uinifera. Caput I.




B

FOlia uitium & triti capreoli, capitis dolores illitu mitigant: & inflammationem stomachi ardoremq;, cũ polenta. folia etiam per se, ut quæ refrigerent & adstringant, imponi solent. Potus eorũ succus dysentericis, sanguinem excreantibus, stomachicis, & grauidarum malaciæ medetur. Eadem efficiunt madefacti in aqua capreoli & poti. Lachryma uitium, quæ ueluti gummi in caudicibus concrescit, ex uino pota calculos pellit, illita lichenas & psoras leprasq; nitro prius perfrictas sanat: eadem cũ oleo sæpius pilis illitis, psilothri effectum habet: maximeq; sanies, quam accensa sarmenta uitium uiridia exudarunt qua & peruncte uerrucarum formicationes extrahuntur. Cinis sarmentorum & uinaceorum, detractis in sede condylomatis, & thymijs, illitus ex aceto medetur. prodest luxatis & uiperarum morsibus: contra lienis inflammationem illinitur, cum rosaceo & ruta & aceto. Labrusca duorum generum est. alterius uua non matuescit, sed flore tenus œnanthen nominatam perducit. alterà ad frugem peruenit, paruis acinis, nigra, & adstringens. Folia, caules, & clauiculæ quibus repunt, uim habẽt cultæ uiti similem.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè ἄμπελος ἥμερος, οἶνος, οἰνόη, οἰνοφόρος. Latinè, Vitis urbana, uinifera.
Germanus Weinreben/Weinstock/Weintrauben. Gallus uigne appellatur.
Innumera uitium reperiuntur genera, quæ singula persequi superuacaneum esset. Si quis tamen illa disquirere desiderat, rei rusticæ scriptores, Plinium q; lib. 13. natural historiæ, qui diligentissimè de ijs scripsit, legat. Labrusca Græcis ἄμπελος ἀγρία. Germanis Wild vngepflantzte Reben. Gallus Vigne sauuage dicitur.

Vua. Caput II.



VVæ recentes aluum turbant, & stomachum inflant. innocentiores, quæ decerptæ diu pependere, ideo quod in eis copiæ humoris exiccatur. utilesq; fiunt stomacho. ægrisq;, atq; cibi auiditatem excitant. in uinaceis & ollis seruatæ, ori & stomacho gratæ* sunt. aluum sistunt, sed uesicam & caput tentant, & sanguinem excreantibus conueniũt. Similesq;, quæ in musto fuere. Sapa aut passo conditæ, stomachum magis infestant. At quæ solem prius passæ in

* Plinius cõtrà sentit lib. 23. capit. 1.

in aqua cœlesti conduntur, minus uinosæ sunt, siticulosis, ardentibus & longis febri A
bus salubres. Reconditi uinacei inflammatis mammis, rigentibus ac præduris, cum
sale illinuntur. decoctura eorum dysentericos, cœliacos, & fœminas fluxione uul-
uæ laborantes iuuat infusa, ad desessiones, ac fotus assumitur. Nuclei acinorum ad-
stringendi uim obtinent. stomacho utiles sunt. inspargitur farina tostorum, polentę
modo, dysentericis, & cœliacis, & solutis stomacho. Vua passa alba adstringentior
est. prodest esitata caro earum tussi, faucibus, renibus, ac uesicæ. estur in dysenteria
per se cum nucleis, & decocta in patinis cum melle, admista milij ac hordei farina et
ouo. ualet ad purgandum caput, eiusdem gratia cum pipere commanducatur. testiũ
inflammationes sedat, illita cum lomento fabarum, aut cumini farina. fauos, epiny-
ctidas, carbunculos, enatas in articulis putredines, & gangrænas, sine nucleis trita,
& cum ruta imposita sanat. podagræ conuenienter cum panacis succo illinuntur.
mobiles ungues illita, celerius extrahit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, Σταφυλή. Latinè Vua præcipuè in uite dicitur ab uuido, id est, liquore contento.
Germanis Weintraub/Weinbeer. Gallis Roisin appellatur.

Vuarum genera omnia explicari hoc loco nihil opus fuerit, cùm pleræq; ex uitium generibus à Plinio & rei rusticæ scriptoribus enarratis facilè possint cognosci. Omnium partium uitis temperamentum ex facultatum enarratione apud eosdem patescet. Vuæ tamen immaturæ & acerbæ frigidæ & siccæ sunt, maturæ uerò calidæ & humidæ in primo gradu, autore Simeone Sethi.

Vuæ satiuæ uitis coquit, astringit, leuiter digerit: Vuæ passæ, quam Germani Wertreubel/& Rosin. Galli roisins en capatz uocant, caro, tantum astringit quantum eget hepar affectum. Habet præterea facultatem coquendi crudos humores, & emittendi malignos: ægrè corrumpitur, tota substantia familiaris est hepati, & usu crebro consueta est: ob id felicissimè miscetur medicamentis hepaticis. σταφίδας κεκαθαρμένας, id est, exemptis uinaceis. Act.

Oenanthe. Caput III.

OEnanthe uocatur uitis syluestris fructus, cùm floret. Recondi debet fictili non B
picato, collectaq; substrato linteo, in umbra siccatur. Laudatissima in Syria
& Cilicia & Phœnice. Vis ei adstrictoria, quare pota stomacho ac ciundæ urinæ uti
lis. aluum sistit, ac sanguinis excreationes. contra fastidia & acorem stomachi, sic-
ca & illita efficax est. capitis doloribus tam uiridis quàm sicca, ex aceto & rosaceo
perfunditur. sanguinolenta uulnera cataplasmate, & incipientes ægilopas, oris ulce
ra, & genitalium nomas, trita cum melle, croco, myrrha, & rosaceo, ab inflammatio
ne uindicat. pessis miscetur, ad sistendum sanguinem. contra oculorum delachry-
mationem, & stomachi ardores, cum polline polentæ & uino illinitur. Cinis crema-
tæ in testa, candentibus prunis, facit ad oculorum medicamenta, reduuias & pte-
rygia, abscedentes gingiuas, cruentasq;, cum melle sanat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè, οἰνάνθη, ἄμπελος ἀγρίας ἄνθος.
Latinè Oenanthe, Labrusca, Vitis syluestris fructus, cùm floret.
Germanis Wild reben/Holtzrauben blůet. Gallis Grappe de uigne sauuage dicitur.

Labruscæ alterum genus, ut Dioscorides quoq; testatur, uuas ad maturitatem non perducit, sed ad florẽ tantùm dictum Oenanthum promouet. Altera perficit paruis acinis. Vis huic eadem quæ satiuæ, folio, caprea-lis & caulibus, sed nigra astringentioris est naturæ.

Omphacium. Caput IIII.

OMphacion succus est acerbæ uuæ, nondum matureſcentis, è Thasia uite aut
Aminça. Oportet autem ante canis ortum, expressam melliginem in rubro
ære, linteo cooperto, insolare, usquedum cogatur, semperq; quod ceruici uasis con
cretum hæsit, reliquo humori permiscere: noctu à subdialibus locis in lectũ refer-
ri, quandoquidem nocturni rores ipsum concrescere non sinunt. Eligendũ est fla-
uum, friabile, uehemẽter astringens, & linguam mordens. Sunt qui coquendo mel-
liginem cogant. Prodest cõtra tonsillas, uuam, ulcera oris, humida gingiuarũ uitia,


A purulentas aures,cum melle aut passo.item ad fistulas,uetera ulcera,nomasq;,ex aceto: dysentericis,& mulieribus fluxione uuluæ laborantibus clystere infunditur. oculorum claritati,& scabritiæ,& erosionibus angulorum conuenit. bibitur ad recentem sanguinis excreationem,etiam si rupta parte aliqua contingat: sed pauco, & aquatiore est utendum: ualde siquidem exurit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè ὀμφάκιον. Latinè Omphacium. Officinis agresta. Germanis Agrest. Gallis uerius dicitur.

Omphacium sic à uino differt, ut oleum omphacinum à dulci: siccato interdum utimur, ut Heraclides apud Galen. lib. 6. comp. phar. part. id quia repellit, incipientibus phlegmonis est salubre.

Vini natura. Caput V.



VIno uetere nerui lædũtur & reliqui sensus, quod tamẽ gustu suauius est. quare cauendum ijs qui intestinæ alicuius partis imbecillitatem sentiunt. attamen in secũda ualetudine paucum, aqua dilutum, innoxiè sumitur. Nouum inflat. ægrè coquitur. insomnia parit grauia. & urinam ciet. Aetate medium, utraq; uitia fugit: quare ad uictus sanorum ægrorumq; usurpatur. Album, tenue, stomacho utile est, ac facilè in membra distribuitur. Nigrum uerò, crassum est, & concoctu difficile. carnem alit, & ebrietatem creat. Giluum, utpote quod medium est, medias inter utrunq; uires habet. In secunda tamen & sinistra ualetudine, cum primis laudatur album. Quin & uina sapore distant. siquidem dulce crassis partibus constat, & difficilius à corpore expirat. stomachum inflat. aluum & interanea, ut mustũ, turbat: sed minus inebriat. renibus, & uesicæ aptissimum. Austerum, per urinam celerius transit: sed capita dolore tentat, & temulentiam gignit. Acerbum, ad ciborũ
P per membra digestionem accommodatissimum. aluum, & cæteras fluxiones cohibet, minusq; urinam expellit. Nouum neruos minus tentat. Vinum aqua marina factum, stomacho aduersatur. sitim stimulat, neruos infestat. aluo aptum. à ualetudine se recolligentibus inutile. Passum, quod uuis sole siccatis in area, aut in sarmento torrefactis exprimitur, Creticum cognomine, aut pramnion, aut protropon, & sapa, quæ fit musto igni decocto, Græci sirion aut hepsema appellant: nigra quidẽ, & quæ dicuntur melampsithia, crassa sunt, & corpora multùm alunt: candidum, tenuius: & heluola inter hæc media, medias sortiuntur uires. Omnia tamen adstringunt, & pulsus reuocant. faciunt aduersus uenena quæ exulcerando necant, ex oleo pota, & uomitionibus reddita. contra cicutas, meconium, pharicon, toxica, & concretum in grumos lac. item contra renum, ac uesicæ pruritus, rosiones, exulcerationesq;. inflant tamen, & stomacho aduersantur. priuatim prodest melampsinthiũ, si uenter rheumatismum sentiat. album, magis cæteris emollit aluum. Gypso conditum neruis officit, caput aggrauat, & incendit, ac uesicæ aduersatur. contra uenena cæteris aptius. Picata, aut resinata, excalfaciunt, concoquunt, sanguinem excreantibus inimica. Quæ uerò aparachyta uocant, ut quæ admistam sapam recipiunt, caput implent, temulentiam gignunt. ægrius in halitum expirant. stomachum malè habent. Inter Italica uina Falernum principem locum obtinet, quod inueteratum perquàm facilè coquitur. pulsus excitat, aluum adstringit, stomacho utile. sed uesicæ nocet, atq; ijs qui uisus hebetudinem sentiunt: & ad potus crebros minimè idoneũ. Albana crassioribus constant partibus, dulcia. stomachum inflant, uentrem emolliunt: sed concoctionem non æquè adiuuant, & neruosa minus infestant. uetustate, eadem austerum saporem concipiunt. Cecubum, cùm sit dulce, est & Albano crassius. corpus & colorem alit: ægrè tamen coquitur. Surrentinum, ualde austerũ est: quare intestinorum & stomachi fluxiones cohibet. & cùm tenue sit, caput minus tentat. inueteratum suauius redditur, & stomacho utile. Adrianum & Mamertinum in Sicilia æquè crassis partibus gignuntur. modicè adstringunt, & ocyssimè inueterantur, minusq;, ob suam tenuitatem, neruos tentant. Paræ typianum, quod ex Adriatico

tico sinu defertur, odoratum ac tenuius est: quarè liberaliter epotum fallit. diu ser- A
uat ebrietatem & soporem adfert. Istricum Parætypiano simile est, sed urinam uehementius pellit. Chium tamen antedictis mollius, & aptum potui est. bene alit, & minus inebriat. fluxiones cohibet. oculorum medicamentis utile, Lesbium facilè membra subit, Chio leuius, & aluo idoneum. Ephesium eandem uim habet, quod phygelites nominatur. uerùm Asianum è Tmolo monte, Mesogites appellatum, capitis dolores ciet, & neruos lædit. Coum uerò & Clazomenium, quoniam multã sibi maris aquam uendicant, facilè corrumpuntur. flatus mouent, aluum turbant. neruis officiunt. Vinum omne (ut reliqua in commune dicantur) merum ac syncerum, & sua natura austerum, excalfacit, facilè in membra distribuitur. stomachũ adiuuat. appetentiam ciborum inuitat. uires alit, ac robur auget. somnum conciliat, & commendat colorem. potum liberalius auxilio est contra assumptam cicutam, coriandrum, pharicum, ixiam, meconium, argenti spumam, taxum, aconita, fungósue, contra serpentium morsus, & omnium ictus quæ refrigerando necant, aut stomachũ in uomitiones effundunt. facit ad longas inflationes, rosiones q; præcordiorum, ac distentiones, stomachi resolutionem, & si uenter aut interanea rheumatismum sentiant. Conueniunt sudatoribus, & quibus corpus immodico sudore digeritur, maximè alba, uetera, & odorata. Quæ tamen uetustate dulcescunt, renibus ac uesicæ accommodatiora redduntur. uulneribus, inflammationibus q; in succida lana imponuntur. tetra ulcera & phagedænica, & fluxionibus obnoxia, commodè perfundũtur. Quæ marinam non receperunt, austera & alba, ad sanorum uictus usurpantur. In his præstant Italica, Falernum, Surrentinum, Cecubum, Signinum, & permulta Campaniæ, & Parætypianum ab Adriatico sinu, & Siculum quod Mamertinum appellatur. Ex Græcis Chium, Lesbium, & Phygelites ex Epheso. Crassa uerò & nigra, stomacho negocium exhibent. inflationem pariunt. corpus augent. Tenuia tamen & austera stomacho prosunt, & minus carnes alunt. Vetera ualde tenuia, & cãdida uehementius urinam ciunt, & dolores capitis mouent, neruos q; largius potà tentant. In media ætate, ut à septimo anno, potui saluberrima sunt. Modus autem pro ætate, & tempore anni, & consuetudine, & qualitate uini definiatur. Non siti- B
re, & modicè cibos prolui, optimum est præceptum. Nocet ebrietas omnis, & maximè assidua, siquidem obsessos neruos quotidie remittit: largior q; potus, acutorum morborum adfert initia. Mediocris tamẽ uinolentia, aliquot diebus, maximè post aquæ potus, utilis: nanq; modo, quodam ex alto euocat, sensiles q; expurgat excretus, & per cæca corporis ducit spiracula. sed aquam post uinolentiam bibere oportet: siquidem ualetudinis alicuius gratia factæ temulentiæ remedium affert frigida. Omphacites nomine, peculiariter fit in Lesbo, siccata sole acri uua, paulò ante maturitatem decerpta, triduo aut quatriduo, donec racemi in rugas contrahantur, expressum q; uinum cadis insolatur. Vim adstringendi habet. prodest dissolutis, stomacho, & ilei dolore laborantibus, item prægnantium malaciæ, & crudis. in pestilentia quoq; sorptum auxiliari dicitur. Huiusmodi uina non nisi post multos annos bibi possunt. Lora, quam deuteriam, alij potimon appellant, fieri solet, adiectis metretis tribus aquæ, in uinacea, quibus triginta uini metretæ extractæ fuerint: calcatis uinaceis, expresso q; decocto ad tertias parteis, additis in singulos congios modi eius qui remansit, binis salis sextarijs post hyemem transfunditur in uasa. Lora intra annum utendum: etenim celeriter exolescit. Conuenit ægris quibus timemus noxam uini, coacti sæpe desiderijs eorum obtemperare. item à longa ualetudine se recolligentibus. Fit & uinum quod adynamon uocant, loræ uires habens, hoc modo: Pares aquæ & musti mensuræ coquuntur molli igne, donec absumatur aqua. quod, ubi refrixerit, elutriatum, picato uase reconditur. Alij marinæ & cœlestis aquę, mellis & musti pares miscent portiones, decapulant, & quadraginta diebus insolant. quo ad* annum utuntur ad omnia eadem. Vinum è sylueſtri uua nigrum adstringit. prodest alui & stomachi fluxionibus, & cæteris quibus constrictione & contractione opus est. *Post.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Vinum protropum, id est, quod ab uuis defluit, antequàm calcentur. Gal. lib. 8. com. phar. part.

Germanis Der vorschuß. *Gallis* Lib. 8. Simp.

A Gallis l' mere goutte, medium inter calidum & frigidum, hepaticis saluberrimum, præsertim cum hepate lupi: qui proprietate substantiæ hæc nutriunt, nec calfaciunt, nec refrigerant.

Vinum mustcum calidum primo ordine, uetus tertio, medium secundo, calori proportione respondet siccitas. Ex musto cocto fit ἕψημα, id est, sapa. Germanis Gesotten most/lib. 7. comp. phar. part. Nescio quo modo neglectum est, quod à nostris Asiæ Græcis ἕψημα dicitur, ab his qui Attico sermone magis utuntur, σίραιον, id est, sapa: quamuis etiam σίραιον dicitur, quod pinguibus ficis in aqua coctis efficitur, Officinis mel passulatum dictum, quod magis digerit & terget. Mustum uerò coctum magis est emplasticum, non rodens, libro 7. comp. phar part. Ex sapa dissolutum castoreum cum opio, dolorem aurium inflammatarum magis sedat, quàm uinum dulce, mitio lib. 2. etusdem. Facultatum uini differentiæ sunt permultæ: à substantia tenui, crassa: colore albo, fuluo, rubro, nigro: odore imbecillo, ualenti, sapore uario, sumendæ: de quibus Galenus lib. de uinis: lib. 4. & magis quinto de sanitate tuenda. Aph. 17. 18. 21. lib. 2. methodi. 7. maximè. 12. libro 1. antidot. lib. 3. alim.

Vinum medicamentis stomachicis, cæliacis, hepaticis, feliciter miscetur, si absit phlegmone, erosypelas, abscessus, intemperies calida. Nam totius substantiæ similitudine alit, coquit, roborat, putredinibus resistit, intemperiem frigidam uel humidam, si qua adsit, tutò persanat, libro 8. comp. phar. part.

Vinum melitides. Caput VI.

MElitides datur in longis febribus, quæ stomachum infirmarunt. nanq; aluum leuiter emollit. urinam ciet. stomachum expurgat. prodest articulario morbo, renum uitijs, imbecillo capiti, & mulieribus abstemijs. odoratum siquidem est, & corpus alit. Distat à mulso quod fit è uino uetere, austero, & melle exiguo. Melitides autē adiecto ad quinq; congios austeri musti, mellis congio, & salis cyatho, cortinis magnis, quò magis ad efferuescendum locus pateat, fieri oportet, sensim aspersо sale: cumq; efferuere desierit, in alia uasa transfunditur.

Vinum hoc neglectum, ac minimè in usu est.

Mulsum. Caput VII.

B  

MVlsum è uetere uino austeroq;, & bono melle factum, præfertur. minus enim inflat. ac celeriter id genus in usum uenit. uetus corpus alit. media ætate, aluo prodest. urinam pellit. à summo cibo sumptum nocet. & inter initia potum, implet. dein appetendi auiditatem reuocat. Fit mulsum duabus uini metretis admixta una mellis. Aliqui, quò celerius præberi possit, mel cum uino coquunt, & ita transfundunt. Alij utilitatis gratia, ad lextarios sex musti feruentis, unum mellis adijciunt, & ubi ferbuerit, uasa recondunt. dulce autem permanet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Oenomeli Gal. podagricis, arthriticis, nephriticis, & scrubus, ex melle, & uino Sabino, aut simili, & pe-
Gal. lib. 1. Sanitatis tuendæ. troselino componit, adiecta bethonice, & sarxiphago in nephriticis. Qui uerò curiosius cõponunt, etiam spicæ nardi aliquid injiciunt: hodie uerò eidem magnam aromatum mixcellam immittunt. Olim fuit usu celeber ad cerebri, neruorum, & aliarum partium affectus frigidos, sed id medicamentosius, quale à ueteribus, Mesuæ præsertim, scribitur: nunc magno harum frigidarum regionum incommodo, in usu esse desijt. præterquàm quòd circa natalem Christianum in Bacchanalibus uulgi regalibus, plebecula ad palati gratiam, nõ ad intemperaturæ frigidæ propulsionem, etiam largus bibit, & Claretum uocat: magnates uerò præciosius, ἐνόσαχαρ: parciore tamen mensura, quod fere è sex sach. unc quatuor, & Cinamomi unc. dimidia in lib. uini singulas conficitur, & Hippocraticum uinum appellant, tanquàm Hippocrate inuentore dignum. ob utrium & saporis excellentiam: cui etiam mellis parum addunt quidam, præsertim si uinum austerius ad saporis gratiam, & coloris: clarius enim euadit colatum.

Aqua mulsa. Caput VIII.

AQua mulsa eadem quas mulsum uires possidet. Cruda utimur, cùm molliri deiectionem, aut uomitionem incitare uolumus: ut ijs qui uenena hauserunt, ex oleo,



ex oleo. Decocta datur imbecillis, & hominibus elanguescentis pulsus, quos illi dixere microsphyctos, tussientibus, peripneumonicis, & ijs qui immodico sudore digeruntur. Iam paratum conditiuum q̃, quod aliqui hydromeli propriè uocãt, media ætate adynamo uino, aut loræ in recreandis uiribus respondet, & similem uim adipiscitur. quare inflammationibus alicuius membri plus quàm lora prodest. inueterati tamen usus damnatur inflammatis, aut constrictis, sed laborãti stomacho, aut cibum fastidienti, sudatoribúsue conuenit. Fit, duabus pluuiæ aquæ ueteris ad unam mellis partem additis, & insolatis. Alij fontanam aquam adhiciunt, & ad tertias parteis decoquunt, & ita recondunt. Nec desunt qui hydromeli appellent, quòd à melle elutis aqua fauis confici ac seruari soleat. sed meracius confieri* conuenit. Aliqui id coquunt. ægrotantibus noxium est, quoniam plurimùm ceraginis sibi uendicat. A

*Bibere.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Μελίκρατον recens, ὑδρομέλι sepositum ut seruetur, Dioscoridi dicitur: alijs confunditur pro aqua mulsa, seu mellita, quam Germani Honigwasser/ hydromeli uerò Meet uocant. Cruda mulsa inflationes & tormina maximè excitat, quoniam in aqua tantùm calfacta mel dissoluitur: qualem mulsam crudam Serapio uult dari dormituræ mulieri, quam concepisse suspicamur, nisi eius potui sit assueta. In arthritide calida, pro mulsa, aqua sacharata est præstantior. Quòd si uel à mulsa, uel sacharata aqua post usum septem diertum, aut uires nimis collabantur, aut uentriculis malè coquat, ad unum redeundum, uel potius uinum mellis transeundum. Secundum hydromelitis genus à Dioscoride descriptum, infinitis partibus ualentius & generosius est, & idem quod uinum mellis uocat Plinius. Colore enim & calore, & saporis gratia uinum exoticum, quod Bastardum uocant, mentitur, hoc Germani uocant Meet/ estq; efficacissimum in affectibus cerebri, & partium neruosarum frigidis, paralysi, apoplexia, epilepsia, lethargo, colicis item, & nephriticis, & uentris inferioris intemperie frigida, seruatur q; & ualentius euadit tempore & loco calido. Vires eius miraberis, si parum antè coxeris, & despumaueris: deinde dies quadraginta aut circiter, extra pluuiam sole uerno exposueris. Exponitur etiam æstiuo & autumnali, nec infeliciter, nisi quòd interdum in acetum longè omnium acerrimum abit, si solem non habuerit liberum, nec post feruefactionem & insolationem fuerit operculatum. Fermentum non miscendum, ut hodie solent, ut nec Plinius, id tamen accelerare feruorem, & augere acrimoniam certum est, quanta uerò mensura sit miscendum ex Mesuæ corruptis codicibus difficilè est conijcere: hi enim unc. tres in lib. centum aquæ & mellis expetunt: alij in singulas libras aquæ, & mellis simul mistarum uncias tres fermenti miscent: alij ad mellis lib. unam, aquæ lib. octo fermenti, unc. unam. Melieratum Hippocrati est noxium biliosis, & quibus magna sunt uiscera. Galen. etiam febribus colliquantibus: aquosius urinas, & sputa magis promouet, minus aquosum aluum magis subducit. B

Aqua. Caput IX.



DE aquis in uniuersum decernere, propter locorum proprietates, & peculiares naturas, cœlum, & alia pleraque, difficile est. Magna tamen ex parte optima est dulcis, syncera, nullius omnino qualitatis particeps, & quæ ne minimo quidem tempore in præcordijs commoratur. ad hæc, quæ & facili uia fertur, & citra molestiam. nec inflationes creat, & minimè computrescit. Aqua maris calida est, & acris. Stomacho aduersatur, aluum enim conturbat. pituitam expellit. si uerò calida ad fotus adhibeatur, elicit & discutit. neruorum uitijs, & pernionibus, ante ulcera prodest. miscetur cataplasmatis ex hordeacea farina, & emplastris, & discutientibus malagmatis. ad mouendas deiectiones tepefacta infunditur: ad tormina, calida. pſoras, pruritus, impetigines, lendes, & mammas rigentes, foueri utile est. liuores fotu discutit. ad uenenatos ictus, qui tremorẽ & refrigerationem adferunt, salutaris intelligitur, maximè scorpionum, phalangiorum, aspidum q;. Etiam si quis in calidam descendat, auxiliatur. & malo habitu confectis

iamdiu

A iamdiu corporibus,neruisq;,balneæ ex ea utiles.hydropicos,capitis dolores,aurium grauitates.feruentis uapor leuat.syncera,& sine potabilis aquæ miſtione reposita,uirus deponit.Sunt qui etiam præcoquant,& ita recondant. Datur ad purganda corpora per seſe, aut ex poſca,aut cum uino,aut melle. uerùm poſt deiectionem dant gallinæ aut piſcium iuſcula,ad domandam morſus acrimoniam.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Aquarum bonitatem Galenus à tribus ſenſibus primò æſtimat,nempe guſtu,uſu,& odoratu.Guſtu purã dicit,ſi nullam offerat qualitatem,ſed ad unguem expers maneat ſingularis alicuius guſtus.Viſu,quum ſyncera fuerit,ac planè perlucida: ſic nec odoratu ullam præ ſe ferre qualitatem debet, ut ſunt quædam extremæ prauitatis,quæ aut acidum,aut acre,aut ſalſum aliquid,uel putridum,uel aliquod aliud uitium uix eſſatu ſingulari nomine præ ſe ferunt.Si à loco unde erumpant aquarum bonitatem uelimus cognoſcere, Galenus & Hippocrates uolunt aquam potabilem exurgere à loco ad orientem ſpectante,quæq; per meatus mundos celeriter currat,per terramq; puram coletur,æſtate frigida,hyeme tepida: quæq; eadem celeritate caleſiat & refrigeretur: hanc omnibus ætatibus uolunt accommodam &c. De aquarum bonitate uide plura apud Palladium lib.1.rei ruſticæ.C.Celſum lib.2.cap.17.Aeginetam lib.1.cap.50.Oribaſium lib.2. de ſu.ſimpl.Hippoc. de aere,aqua,& reg.Galen.lib.7.de curand.morb.Actua.lib.9.cap.12.& Platonem lib.5.de legibus. De marina aqua uide plura in annotationibus noſtris in caput de muria.

Thalaſſomeli. Caput X.


QVod thalaſſomeli uocatur,uehementer purgare cõſtat. Temperatur autem æquis portionibus,maris,mellis,& imbris ex alto, defæcatis,& picato uaſe per canis æſtus inſolatis. Alij ad binas marinæ coctæ ſingulas mellis adijciunt,& uaſe condunt.huiuſmodi moderatius eſt aqua marina,& mitius.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Græcè Θαλασσόμελι, temperatur æquis portionibus, maris & mellis. Confectionem eius aliam lege apud Plin.lib.31.cap.5.

B

Acetum. Caput XI.



ACetum refrigerat,& adſtringit.ſtomacho utile,appetentiam excitat.erumpentem undecunq; ſanguinẽ, potu inſeſſiue ſiſtit. prodeſt alui fluxionibus coctum cum cibis.cruentis uulneribus inditur.inflammationes arcet, in ſuccidis lana aut ſpongia impoſitum. reprimit procidentia ſedis,uuluæq;.item abſcedentes gingiuas, & ſanguine manantes ad nomas,& ignem ſacrum, ulcera quæ ſerpunt, lepras,impetigines,pterygia, cum aliquo conuenienti efficax eſt.phagedænas ulcerum,nomasq; fotu continuo cohibet. podagricis calido fotu,cum ſulfure auxiliatur.ſugillationes rapit, cum melle illitum contra capitis ardores cum roſaceo in ſuccidis uelleribus,aut ſpongia imponitur. ad aquam intercutem,grauitatem aurium,& ſonitus,ſibilosq;,feruentis uapor proficit.inſtillatum quoq; aurium uermes necat.panos coërcet tepidi fotus, aut ſi imbuta aceto ſpongia admoueatur.pruritus permulcet,contra uenenatos ſerpentium ictus, qui refrigerãdo nocent,calidum commodè fouetur: & frigidum,ijs quæ exurens uirus eiaculantur.calidum potum,atq; uomitionibus redditum, aduerſus omnia uenena efficax eſt,præſertim contra meconium,& hauſtam cicutam, conglobatum in uentre ſanguinem,lac coagulatum,fungos,ixiam,taxumq;,cum ſale. hauſtu uoratas hirudines,ſi ſorbeatur,ejicit, tuſsim ueterem mitigat, & recentem laceſsit. in orthopnœa calidum commodè ſorbetur.gutturis fluxiones gargarizatum inhibet. anginis & uuæ procidenti conuenit.contra dentium dolorem, calidum colluitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Gal.lib.1.ſimp. *Acetum craſsis partibus,fæcibus,ſeu fæci proportione reſpondentibus,calidum uidetur,non tamen cauſticum,tenuibus uerò partibus frigidum,idq; magis quàm calidum,aut fortè frigidum per ſe,calidum per accidens. Nam ſpongia aceto madida,plebeio cuidam admota in principio & poſt horam unam,duas,tres,frigus percipit; ablata deinde ſpongia,ſenſim naſcentis in parte caloris phantaſiam & opinionem habet, acri-*

monia

moniæ mordentis ratione. In ædematis uerò calorem inducit: omnino autem siccat. idem purum, idem aquæ non mistum, & perlucidum maximè est partium tenuium, libro 1. comp. phar. gen. Acetum incîdit, tenuat, digerit, refrigerat, reprimit, ac repellit influxum. Nam substantia modicè calidum est, plurima parte frigidum, tenuium est partium. si est acre admodum, & nihil uini qualitatis repræsentans. Idem solum ob suæ uirtutis uehementiam capitis affectibus non adhibetur, sed mistum alteri: album magis est tenuium partium, libr. 6. comp. phar. part. A Gal. lib. 1. & 2. com. pha. part.

Acetum atram bilem parit, & in massam attollit, bilio sis salubre, Hippo. lib. 3. rat. uict. acut. & ibidem Galen. tamen quartanis datur ad incidendum & tenuandum.

Acetum mulsum. Caput XII.

ACetum mulsum, quod oxymel uocant, hoc modo temperatur: Aceti heminas quinq;, salis marini pondo, mellis minas decem, aquæ sextarios quinq; pariter coquito, decies efferuescente cortina: atq; ubi refrixerit, diffundito. Sumptũ crassos humores extrahere, & ischiadicis, comitialibus, & articulorum morbo conflictatis prodesse creditur. contra morsum eius uiperæ, quam sepa uocãt, hausta meconium, ixiámue, auxilio est. anginis utiliter gargarizatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Oxymeli Græcis, nobis acetum mulsum, crassa in uentriculo, & uenis tenuat, lenta incîdit, ac strenuè terget, obstructa liberat, sine manifesto calore: obid nec febres accendit, sputum euocat, sitim sedat, aliáq; permulta efficit. Hippo. lib. 3. rat. uict. Si tamen immodicè utatur, intestina rodit, neruosa lædit, tussim excitat, etiam in synochis tutò datur lib. 11. meth. Eius compositionem uide apud Galenum lib. 4. sanit. tuend. & Paulus lib. 7. Si diutius uis seruare, coque perfectius, donec aceti & mellis qualitates planè fuerint unitæ, nec acetum adhuc crudum gustanti appareat. In syrupi substantiam cum Mesuæ coquunt ea ratione nostri pharmacopolæ, cum liquore dissoluendum, ut potabile fiat. Quod autem cum Galeno, quadrifariam coquitur ad tertiam, uel etiam quartam partem, parum diu, ut dies octo, uel circiter, æstate præsertim, etiamsi loco frigido condatur, seruatur integrum. Nam corruptione abit in acetum acerrimum, quod hydromeliti quoq; calido aëre accidit, tamen longè est omnibus medicis potionibus idem iucundius, ut id etiam uino ægri plerig; præferant, præsertim si paulò est aquosius, quale æstate & in febribus coquere soleo, aut aqua cocto mista parare, ferè autem aquæ mensuras sex lib. ij. mellis igni lento despumo, ut sit clarius. post aceti quartaria tria incoquo cætera, ut in libro nostro de componendis pharmacis in usum Officinarum Germanicarum conscripto copiosius leges. Oxymeli aliter inquit Dioscor. & post cum Plinius. Oxymeliti & hydromeliti incoquere potes, quæ eius actionem intendunt, tenuantia, incidentia, tergentia, ut hyssopum, thymum, saturciam, origanum, pulegium, calamintham, & quæ ipsius uim ad partem affectam deducunt, ut asplenium, tamaricen, in obstructione lienis, eupatoriũ, cichorium, obstricto hepate. Vnde Paulo est oxymeli splenicum, & oxymeli calculosis efficax. Quinetiam purgantia eidem incocta clementius & efficacius uacuant, ut minus, agaricus: pituitam, epithymus, polypodium, chamædrys, chamæpitys, elleborus niger: melancholiam, rhabarbarum, scammonium: bilem flauam, cortex radicis sambuci: colocynthis, aquas: ut id unum pro omnibus propè tum iulepis, tum syrupis esse possit, si quis cognouerit uti. Vnde & Mesuæ est oxymeli cholagogum, phlegmagogium duplex, & melancholiam uacuans. Id oxymeli qua ratione sit coquendum, lib. 4. sanit. tuend. docetur, quas uires habeat, ibidem, & locis alijs permultis, præsertim lib. 3. uict. acu. Hipp. lib. 3. rat. uict. acut. morb. B

Vt uerò mulsa multum cocta est calidior, magis incidens, tenuans, tergens, quia mel retinet largius, aqua in uaporem magna parte solum: sic oxymeli, quod pharmacopolæ ad consistentiam syruporum coquunt, ut seruari possit, est potentius quàm aquosius, & minus coctum: sed hoc est gratius: & citius ob fluxibilem cõsistentiam penetrat, quam uim aceti tenuitas non minus quàm aquæ fluxibilis substantia iuuat, ut lib. 1. simpl. Aquam uerò, ut cætera humida iuuare distributionem, docet Hippo. aph. 11. lib. 2. & Galen. initio lib. 4. usus part. Illud autem uix potabile, nisi aqua, uel cruda, uel alia diluatur.

Acida muria. Caput XIII.

ACida muria, quam Græci oxalmen uocant, contra nomas fotu, putrida ulcera, canum morsus, & uenenatos ictus auxiliatur. sanguinis fluxiones post excisos calculos sistit, si statim calida in uulnus inijciatur. prociduam sedem reprimit. dysentericis, si nomas sentiant, infunditur. oportet autem ex lacte instillare. hirudines sorbitione aut gargarizatu necat, furfures & manantia capitis ulcera exterget.

A Oxalme olim fiebat ex aceto & muria mixtis, hodie exoletum ac planè inusitatum.

Thymoxalme. Caput XIIII.

THymoxalme ueteres utebantur, dabantq; laborantibus imbecillitate stomachi, ternos quateruósue cyathos, aqua calida dilutos, in articularibus morbis, & inflationibus. crassos humores, atrosq; trahit. Hoc modo factitatur: Thymi triti acetabulum, salis idem modus, rutæ, pulegij, polentæ, singulorum exiguæ portiones in uas coniiciuntur, aquæ terni sextarij, & aceti terni cyathi infunduntur, & circumpositio linteo sub dio madescunt.

Res peregrina & exoleta.

Scillinum acetum. Caput XV.

SCillinum acetum hoc modo fit: Scilla, quæ candida fuerit, expurgata concidi-
tur, traiectaq; lino segmenta modicis interuallis, ne se contingat, siccantur in
umbra quadraginta diebus. mina eorum in aceti boni sextarios duodecim immergitur, & uase diligenter operto septenis diebus in sole madescit. post eum numerũ dierum scilla eximitur, & expressa abijcitur. defæcatum acetum transfunditur & reponitur. Aliqui scillæ minam, quinq; aceti sextarijs miscent. Alij citra exiccationẽ repurgantes, parem mensuram adijciunt, & senis mensibus macerari patiuntur. Id multo magis humorum lentitias digerit. gingiuas humore prægnantes collutione stringit firmatq;, & motos dentes stabilit. putredines oris, & graues halitus tollit. durat fauces sorbitione, & callosas facit. uocem expedit, & lympidam canoramq; reddit. datur stomachicis, ægrè cibum cõcoquentibus, melancholicis, comitialibus, uertiginosis, mentecaptis: item uuluarum strangulationibus, lienis incremento laborantibus, ischiadicisq;. imbecillos admodum recreat. corpus sanum reddit, & bonum colorem præstat. oculorum aciem exacuit. tarditatem quoq; aurium infusione purgat. in summa, ad omnia efficax. Cauendum tamen intestinis exulcera-
B tionibus, in capitis dolore, aut neruorum uitijs. Datur quotidie ieiunis sorbendum, inter initia exiguum, paulatim adaugendo, ad cyathum usq;. Nonnulli binos dant cyathos, aut largius.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Acetum scillites ueteribus frequens usu, hodie rarum per se, ob amaritudinem, & acrimoniam mordacem: idq; multi cum melle, & fit oxymeli scilliticum: alij cum saccharo in syrupi formam percoquunt. Id acetum incidit, tenuat, terget humores crassos, lentos, putres, quales pituitosi & melancholici in omnibus partibus corporis: ob id affectibus ab eorum copia excitatis, & diutinis conducit, epilepsiæ, uertigini, auditui obtuso, asthmati, raucitati, familiaribus senectuti uitijs, & cæteris, ob hæc à morbis præcauet, & sanitatem tuetur, si per se sumatur: melius autem cum melle in syrup. datur à drachma una ad drachm. octo. manè cum aquis aut decoctis aptis: in affectibus autem thoracis paulatim lambatur.

Si tamen ætas est, aut febris hectica, uel alia adest, absq; huius usu ob scillæ caliditatem, aqua ex aceto scilliticо destillata est gratior, & efficacior. Vomitu etiam ualenter purgat humores in uentriculo crassos, lentos, putres, datum ad sescunciam cum mellis aut sacchari rub. uncijs tribus, aquæ hordei cyathis tribus.

Eodem propè modo quo ueteribus acetum scillites fiebat, hodie nobis fiunt ex floribus siccatis rosarum, saluiæ, sambuci, lauendulæ, rorismarini &c. acetum rosatum, saluiatum, sambucatum, lauendulatum, rorismarinatum dictum, & præter hæc uuatum, ex uuis passis.

Scillinum. Caput XVI.

SCillinum uinum fit hoc modo: Dissectam, uti dictum est, scillam, & sole siccatam contundito, minam eius tenui cribro incernito, & linteo raro illigatam, in uini cenos sextarios musti recentis ac boni demergito. ubi trimestri spacio maduerit, elutriatum uinum, obstructo diligenter uase, recondito. Licet quoq; sic humida scilla uti: In orbiculos, rapi modo, dissectam duplicato pondere, quadraginta diebus insolari oportet, & ualde inueterascere. Alia parandi ratio: Scillę dissectæ & repurgatæ tres minas, in Italicam metretam musti demittito, & senos menses in uase obstructo macerari finito: post id tempus defæcatum & excolatum uinum recõdito.

Vtile

Vtile est contra cruditates,& ciborum corruptiones:item ijs qui reuomunt cibum, A & si pituita in uentre,aut stomacho coierit. prodest lienosis,malè habitis corporibus,aquæ inter cutem,regio morbo,difficili urinæ,torminosis,inflationibus, resolutioni neruorum,horroribus longis,uertiginosis,& uulsis.menses pellit.minimè neruos infestat.Hoc uinum uetustate fit melius . Cauendus in febre usus,aut si interanea ulcus sentiant.

Marina. Caput XVII.

MArina uariè factitantur. Aliqui enim statim quum decerptæ sunt uuæ, aquã maris admiscent. Alij in area uuas sole siccant: quibus calcatis,marinam adijciunt. Alij passas prius uuas in dolijs marina aqua macerant, mox calcatas exprimunt.id magis passi generibus adscribitur . Quæ tamen austeriore gustu temperantur,contra febrium aduentantium indicia ualent, si modò meliora non adsint. aluum subducunt. prosunt purulenta extussientibus,aut si dura aluus exerceat. Quæ ex Aminæis uuis fiunt, caput tentant, stomacho aduersantur,flatus creant. Verùm quo plenior habeatur historia, ijs qui huius studio tenerentur,non inutile existimamus uarias uinorum compositiones adferre, non quòd frequens eorum aut necessarius existat usus,sed ne quid omisisse uideremur, quod ad eorum rationem attineret. Sunt autem quædam ex ijs factitia,minoris curæ ac impendij, quæ cadunt in usus: uti quæ ex cotoneis malis,pyris,siliquis, item myrti baccis compo nuntur.

Cydonites. Caput XVIII.



CYdonites,nomine alio melites appellatur, & ita fieri consueuit: Mala cotonea exemptis seminibus, frustatim rapi modo scinduntur,& duodecim minarum pondo,in musti metretam,triginta diebus macerantur, postea defæcatum uinum reponitur. Alia faciendi ratio: B Oportet ad singulos mellis sextarios,denos succi cotoneorum tusorum pressorumq; adijcere, & ita recondere. Vinum hoc adstringit, prodest stomacho,dysenterię,hepaticis,renum uitijs,& urinæ difficultati. Melomeli,quod & cydonomeli nominant, sic fit: Cotonea mala seminibus suis castrata , in quamplurimum mellis,quo penitus demersa contegantur,conijciuntur: id post annum mitescit,mulso non dissimile. Præstat eadem quæ superior compositio.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hodie desierunt esse in usu,eorum loco parant Officinæ Syrupum de cydonijs, qui dysenteriam hepaticam mirè sanat,modicè per cassiam aut mannam uacuato corpore. Sed ualentior est ex succo cydoniorum paruorum,quæ mascula uocamus,& quæ acerbiora sunt,quàm ex succo strutiorum seu prægrandium, quæ fœminæ uulgo dicuntur. Hoc recentiores quidam Μηλοξύλαπτον,& κυδωνίτην χύλισμα uocant: Alijs uina cydoniorum simplex dicitur. Paulus etiam hunc hydromelum uocat.

Hydromelum. Caput XIX.

FIt hydromelon duabus mensuris aquæ coctæ, & sub caniculæ sydus insolatæ, additis ad unam melomelitis,facti ex cotoneis. Vis huius eadem est.

Omphacomelites. Caput XX.

OMphacomelitis faciendi ratio hæc est: Acerbæ uuæ adhuc immaturæ, & tribus diebus insolatæ exprimuntur,& ad ternas succi partes,mellis optimi despumati singulæ partes adijciuntur: & insolatur in uasa transfusum. Vim reprimẽdi ac refrigerandi habet.stomachicis cœliacisq; conuenit.usus post annum est.

Apijtes. Caput XXI.

A Fit & è pyris, perinde atq; cotoneis, uinum, apijtes nomine, sed ita ut pyra non magnoperè matureſcant. Ex ſiliquis etiam, meſpilis, ſorbis, ſimili modo temperatur. Omnia hæc genera acerba ſunt, & adſtringunt. ſtomacho utilia ſunt, atq; inteſtinas fluxiones cohibent.

Oenanthinum. Caput XXII.

Fit è feraci uite ſylueſtri, quód uocatur œnanthinum: Sicci flores minis duabus muſti cado macerati, poſt triginta dies mutantur, mox colatum uinum reconditur. Facit aduerſus ſtomachi imbecillitatem, cibi faſtidia, cœliacos & dyſenteri cos.

Rhoites. Caput XXIII.

Fit è puniceis malis maturis, quod rhoiten nominãt, ſucco expreſſo ab acinis eorum, quibus lignoſus nucleus abeſt, apyrena uocant, ac decocto ad tertias, & ita repoſito. Efficax eſt contra fluxiones internas, & febrim cum alui profluuio exortam. ſtomacho utile. adſtringit aluum, & urinam mouet.

Rhodites. Caput XXIIII.

Rhodites ſic fit: Roſarum ſiccarum tuſarumq; minam linteolo deligatam in ſextarios octo muſti demergito, & poſt tres menſes, defæcatum uinum trãsfundens recondito. Vtile ijs qui febricarent, & ad ſtomachi coctiones, & dolores à cibo potum, & contra humidas aluos, & dyſenterias. Fit quoq; ex ſucco roſarum, addito melle, quod rhodomeli uocant, quod arteriæ ſcabritijs conuenit.

Myrtites. Caput XXV.

B Myrtites fit, baccis nigris, quæ maturitatem exceſſerint, tuſis, & organo expreſſis. Aliqui ad tertias coquunt. Alij baccas prius ſole torrẽt, & quaternis ſextarijs contuſarum, ternas aquæ heminas adijciunt, & uini ueteris parem modũ poſtea exprimunt, & ſeruant. Magnoperè aſtringit ſtomacho utile. fluxionibus uentris ac ſtomachi prodeſt: & contra inteſtinas ulcerationes, & profluuia. denigrat capillos.

Myrſinites. Caput XXVI.

Myrſinites ſic temperatur: Rami nigræ myrti cum ſuis baccis & foliijs tuſi, decem minarum pondo, in tribus muſti congijs feruefcunt, donec duo ſuperſint, aut certè dimidium id uinum colatum ad uſus reconditur. Contra furfures, ulcera in capite manantia, eruptiones papularum, gingiuas, tonſillas, & purulentas aureis efficax eſt. ſudores ſiſtit.

Lentiſcinum & terebinthinum. Caput XXVII.

Lentiſcinum ſimiliter ut myrſinites temperatur, nec ſecus terebinthinũ. Nanq; bacciferi eorum rami ſumi debent. Similes inſunt uires. adſtringunt. ſtomacho accommodantur, & defluxionibus inteſtinorum, ueſicæ, & ſtomachi, & ſanguinis profluuio. ulcera omnia fluxionibus obnoxia, fotu ad cicatricem perducunt. fluxiones uuluæ ac ſedis, inſeſsione cohibent.

Palmeum. Caput XXVIII.

Palmulas maturas, quas uocant chydæas, in urceolum imo pertuſum, & obſtructum picata arundine, demittito: lino foramen ſit obturatum, & quadragenis ſextarijs ternos aquæ congios infundito. quod ſi ipſum ita dulce eſſe non libeat, quinq; congios infudiſſe ſatis eſt. poſt decem dies detracto ab arundine linteo, aſſumito uinum craſſum & dulce, & reponito. Suaue illud quidem, ſed capiti noxium. contra fluxiones, propter adſtrictoriam uim, efficax. ſtomachicis, cœliacis, ſanguinem expuentibus conuenit. Aliqui idem addita aqua iterum capiunt, & tertio, quarto, quinto, ſextóue faciunt, quod tandem acore uitiatur.

Catorchites.

Catorchites. Caput XXIX. A

CAtorchites, aliquibus ſycites uocatur, in Cypro fit, ita ut palmeum. ſed hoc intereſt, quoniam pro aqua tantundē humoris adñciunt, in quo recenter preſſa uinacea maduerint. Caricæ quæ chelidonſæ aut phœniceæ appellantur, præſertim nigræ macerantur, uti diximus, & poſt decem dies humor excipitur. atq; iterū aut tertio, idem modus aquæ in qua uinacea maduerint infunditur. ſimili modo intercedente ſpacio, quarto aut quinto aſſumitur. demaceratarum liquor non ſecus acorem contrahit, & aceti uſum præbet. Id tenue eſt. flatus gignit, ſtomacho aduerſatur. faſtidium parit. aluo tamen prodeſt. urinam ciet. menſes trahit. lactis ubertatem facit. uitioſum ſanguinem creat, & elephantiaſin adfert, ut potio quam xythō appellamus. Aliqui ſex amphoris, decem ſalis ſextarios adñciunt. Alñ muriæ amphoram. quod non facilè uitiatur, & aluo idoneum fore cēſent. Alñ thymum & fœniculum imo ſubñciunt, & caricas ſuperponunt: & ita uicisſim, donec uas expleuerint. Fit & è ſycomoris eodem modo uinum, ſed in acetum acre degenerat, quoniam non ita præualet uis eorum, ut fluentis liquoris dulcedinem retinere poſſit.

Reſinatum. Caput XXX.

REſinatum uinum populatim factitari ſolet. copioſum in Galatia: quoniam uinum illic coaceſcat, uua non matureſcente, ob cœli algorem, niſi picea reſina temperetur. Reſina autem cum cortice tunditur, & amphoræ dimidiata hemina permiſcetur. Aliqui ubi efferbuit, excolant, ſeparantes reſinam: alñ relinquunt. Hęc uina uetuſtate dulceſcunt. Omnia capitis dolorem, & uertigines faciunt. concoctionem tamen adiuuant urinam cient. tuſsientibus, ac deſtillatione uexatis conueniunt. item cœliacis, dyſentericis, & hydropicis, & fœminis fluxione uuluæ laborantibus. alris exulcerationibus infunditur. In hoc autem genere nigricans magis albo conſtringit.

Strobilites. Caput XXXI.

STrobilites fit maceratis in muſto nucibus pineis, recentibus, fractisq;, præbetq; reſinati effectus. Si quis madefactas nuces pini muſto decoquat, potum affatim conuenit ñjs qui tabitudine conficiuntur. B

Cedrinum. Caput XXXII.

CEdrinum, iuniperinum, cupreſsinum, laurinum, pineum, aut abiegnum, ſimili ratione fiunt. Diuiſos recenter ramos, cùm fructum ædūt, aut ſoli, aut balneo, aut igni, admouere oportet, uti conſudent, congioq; uini minam unam permiſcere, & poſt duos menſes transfundere, & antequàm recondantur, inſolare. Factitiorū uinorum uaſa impleri debent: namq; non plenis uaſis, uina in acorem corrumpuntur. Medicata autem uina, rectè ualentibus inſalubria. Omnia excalfaciunt. urinam cient, & ſubſtringunt. Laurinum tamen uehementius excalfacit. Fit quoq; è fructu cedri maioris uinum, congio muſti adiecta tuſarum baccarum ſelibra, diebus quadraginta inſolari debet, & defœcatum in uaſa transferri. Fit etiam uinum è baccis iuniperi, non aliter quàm cedrites, & ad eadem ualens. Cedrites hoc modo fit. Cedriam dulci aqua lauant, & ſingulas amphoras ſingulis cyathis diluunt, & ita muſto replent. Hoc genus uini excalfacit, extenuat. tuſsi antiquæ utile ſine febre. pectoris laterumq; doloribus, torminibus, uentris & interaneorum ulceribus, purulentis excreationibus, mulieribus uuluæ cauſarñjs, hydropicisq;. facit aduerſus uentris tineas & horrores. contra uenenatos ictus auxiliatur. ſerpentes necat. aurium doloribus inſtillatum medetur.

Picatum. Caput XXXIII.

PIcatum ex liquida pice & muſto temperatur. Picem autem primum marina aut maria tantiſper eluere oportet, dum inalbuerit, & ſyntera maris aqua defluat, mox aqua dulci proluenda. congñs octo muſti, uncia picis una aut altera adñcitur. ubi efferbuerit & conſtiterit, in uaſa diffunditur. Hoc genus uini excalfacit, conco

A quit,purgat,abstergit.utile doloribus pectoris,alui,iecinoris,lienis & uuluæ,si sine febre sint,ueteri rheumatismo,exulcerationibus in altum recedentibus,tussi, suspiriis,concoctionibus tardis,inflationibus,& luxatis,præsertim in succida lana impositum.

Absinthites. Caput XXXIIII.

ABsinthitę faciundi ratio euariat. Aliqui enim duodequinquaginta sextariis Italicarum amphorarum, admistam absinthij Pontici libram decoquunt ad tertias: & ubi infuderint sex aceti sextarios,& absinthij selibram, ac diligenter permiscuerint,diffundunt in uas: dumq; conquieuerit,defœcant. Alij absinthij minam in amphoram demittunt,tusamq;,& raro linteo deligatam, in cado musti macerant, binis mensibus. Alij absinthij quadrantem, alij trientem,& nardi Syriacæ,cinnamomi,casiæ,floris iunci odorati,calami,elatæ,palmarum, singulos sextantes injjciunt in metretam musti,& tundentes prius pila,obstructo uasis spiraculo, binis ternisue mensibus dimittunt: postea defœcatum uinum transfundunt ad usus. Alij addunt in musti cadum,Celticę nardi drachmas quatuordecim,& absinthij drachmas quadraginta.linteo inuolutas,& post quadragesimum diem elutriant. Alij in senos sextarios musti, absinthij libram, & siccæ pini resinæ sextantem immittunt,& post decem dies excolant,& recondunt. Vtile est stomacho.urinam cit.tardam concoctionem accelerat.hepaticis,regio morbo,& renum uitijs auxiliatur. fastidia discutit. ijs prodest quibus stomachus negocium exhibet.ualet contra longam præcordiorum distentionem,& inflationes, teretesq; uentris tineas, & remoratos menses. contra hausta ixiæ uenena quamplurimum potum, & uomitionibus redditum, auxiliatur.

Hyssopites. Caput XXXV.

HYssopites è Cilicio hyssopo maximè laudatur,fitq; similiter,foliorum hyssopi tusorum libra in amphoram musti coniecta.linteolo raro, cum quibusdam
B lapillis,folia inuoluuntur,ut degrauatus ponduſculo fasciculus fidat. uinum post quadraginta dies defœcatum elutriatur.Contra pectoris,laterum,& pulmonis uitia,ueterem tussim,& suspiria prodest. urinam cit.torminibus & horroribus febrium circuitu repetentibus auxiliatur. menses mouet.

Ex diuersis plantis facta. Caput XXXVI.

SImili modo chamædryites fieri solet.Excalfacit,discutit. conuulsis, regio morbo,uuluæ inflationibus,tardæ concoctioni,incipienti aquæ inter cutem, subuenit.Inueteraſcens melius redditur.Stœchadites non secus temperatur. Congijs sex stœchadis minam addere oportet. Crassitiem,inflationes, laterum, neruorumq; cruciatus,& perfrictiones discutit.comitialibus commodè datur,cum pyrethro & sagapeno.Fit adeadem acetum è stœchade herba, ut paulò antè diximus,aceto macerato,quod eosdem implet effectus. Fit uinum è betonica,quam cestron psychotrophon appellant.herbam semine maturo prægnantem, cum suis ramulis minæ pondo,congijs duobus uini macerant,& post septimum mensem transfundunt. ad multa interaneorum uitia,ut frutex ipse,pollet.Et ut in uniuersum dicatur,factitia uina sibi misturarum uires adsciscunt.quare non difficile fuerit,ijs qui illarum naturas norint,uinorum uires coniectura quadam cõsequi. ueruntamen uinorum usus febricantibus abdicandus. Fit etiamnum è betonica acetum ad eadem uitia utile. Tragoriganites fit quaternis tragorigani drachmis linteolo colligatis, in quaternos musti sextarios coniectis,& post tertium mensem transfusis. Prodest torminibus,uulsis,ruptis,laterum doloribus,spirituum discursationi,ægris concoctionibus. Epapis fit uinum,nomine bunites,drachmis duabus tusi napi in sextarios duos musti additis,& cæteris eodem modo factis.Prodest stomachicis,& dimicationem aut longo equitatu fatigatis,Dictamni drachmas quatuor macerato quaternis musti sextarijs.Facit aduersus stomachi fastidia.menses,& purgamentum à partu subducit.Marrubij adulti folia tundito,& sextarios octo in musti metretam demitto,& reliqua consimiliter facito. Conuenit hoc uinum pectoris uitijs,& omnibus quibus

quibus marrubium. Thymi tusi & cribrati uncias centum linteo colligatas, in amphoram musti adiicito. Valet contra ægras coctiones, fastidia, dysenteriam, neruorum & præcordiorum dolores, hybernos algores, & uenenata animalia, quorum morsus frigus insequitur, aut putrescit locus. Simili modo è satureia uinũ fit, quod eadem quæ thymites præstat. Sic quoq; origanites ex heracleotico origano conficitur similiter cum supradicto. Facit eadem quæ thymites. E calamintha, pulegio, & abrotono uina fiunt eodem quo thymites modo. prosunt stomachicis, cibum fastidientibus, & regio morbo, quòd urinam moueant. Fit item è conyza uinum, contra uenenata ante alia efficax. A

Aromatites. Caput XXXVII.

ARomatites ita fit: Palmæ, aspalathi, calami, nardi gallici, singulorum quatuor sextarios* sumito, postquam contriueris, passo subigito: coactis ingentibus offis, & in sextarios duodecim austeri musti deiectis, operculato uase, quadraginta diebus quiescere finito: deinde ubi fæce expurgatum fuerit, recondito. Alia eius ratio: Calami uncia, phu drachmæ septem, coisti drachmæ duæ, nardi Syriaci drachmæ sex, casiæ uncia, croci drachmæ quatuor, amomi drachmæ quinq;, asari drachmæ quatuor: omnia simul trita & linteo colligata in cadum musti demerguntur, & postquam uinum deferbuerit, transfunditur. Facit ad pectoris, & laterum, & pulmonis dolores, difficili urinæ, horroribus, retardatis mensibus, atq; ijs qui per frigora iter faciunt, potum conuenit, pituitæ crassitiem extenuat, colorem alit, somnũ conciliat, dolorem finit, renum & uesicæ uitijs auxiliatur. * Chœnicem.

Ex diuersis odoramentis facta. Caput XXXVIII.

FIt & uinum ad destillationes, cruditates, tussim, inflationes, & si humor in stomacho coijt. myrrhæ duæ drachmæ, piperis candidi drachma una, iridis drachmæ sex, anisi drachmæ tres, omnia plenius tusa & linteolo inuoluta in sex uini sextarios conijciuntur: uinum post triduum colatur, & in lagena reconditur. Datur post deambulationem, meraculum, cyathi unius mensura. Fit quoq; nectarites ex helenio herba, radice sicca pondo quinq; drachmarum linteolo colligata, & in congios sex musti addita, & post tres menses effusa. Facit ad stomachi & pectoris uitia, urinam pellit. E Syriaca nardo, & Celtica, malabathroq; uinum factitatur, hac ratione: Singulorum selibram in binos musti congios mittito, post menses duos colato. datur cyathus unus cum tribus aquæ. Hoc uinum efficax est contra uitia renum, hepaticos, regium morbũ, & urinæ difficultatem. prodest stomachicis, atq; ijs quos pallor decolorat. Alij unciam aut sextantem acori, & Celticæ nardi quadrantem, in musti amphoram adijciunt. Asari quadrantem in senos musti sextarios itidem demittito: id uini genus urinam ciet. hydropicis, & regio morbo laborantibus, hepaticis, ischiadicisq; conuenit. Radicis syluestris nardi recentis & tritæ cribratæq; bessem in congium musti conijcito, duos menses quiescere finito. Vtilè est hepaticis, difficili urinæ, inflationibus, stomachicis. B

Ex diuersis herbis facta. Caput XXXIX.



RAdicis dauci contusæ drachmas sex in musti amphoram imponito, & similiter transfundito. Facit ad dolores thoracis, præcordiorum, & uuluæ. menses pellit, ructus ciet, & urinam. prodest tussi, ruptis, uulsisq;. Saluiæ unciam in musti amphoram, quod idem cum ceramio est, mittito. Valet contra renum, uesicæ, & laterum dolores, reiectiones sanguinis, tussim, rupta, uulsa, & suppressos menses. Panacis unciam in musti congium mittito, & transfundito. Prodest ruptis, uulsis, contusis, orthopnœæ, lienis crassitiem extenuat. contra tormina, coxendicum dolores, efficax est. tardas concoctiones accelerat. menses & partus extrahit, quæ inter cutem, & serpentium ictibus auxiliatur. Vina ex aceto

A & dulci radice consimili modo fiunt. Oportet enim singulorum uncias octo in senos congios mittere, tribus mensibus macerare, mox in uas transferre. Faciunt ad pectus, & latera, & urinam mouent. Seminis apij recentis, maturi & cribrati unciæ nouem in linteo colligatæ in musti amphoram demittantur. Appetitum excitat, stomachicis, & difficili urinæ auxiliatur. faciles spiritus facit. Ex fœniculo, anetho, & petroselino, uina eodem modo fiunt, & ad eadem efficacia. Fit & è flore salis uinũ, multò ad purgandum efficacius, quàm uinum aqua marina temperatum. Fauces, uesicam, renes, & stomachum infestat: quare neq; in secunda, neq; aduersa ualetudine prodest. Fit etiam uinum quod phthorium uocant, quoniam partus necat, & abortus facit, ueratro aut scammonia, aut syluestri cucumere, iuxta radices uitium fato: siquidem uites sibi illorum uires adsciscunt. Id uinum partus enecat. datur ieiunis mulieribus, quæ antè uomuerunt, cyathorum octo mensura, dilutum. Ramorum thymelææ cum suis foliis & fructu triginta* drachmas mittito in congios tres musti, & leui igne coquito, donec congij duo supersint, defæcatumq; recondito. Aquosa purgat excrementa, & lienem absumit.

* decem Hermol.

Chamelæa dum floret, cum foliis tusa & cribrata decem drachmarum ponderè, in musti congium additur. Post duos menses uinum in uas transfertur. aquæ intercutem, hepaticis, & lassitudine contractis, efficax est. item mulieribus, quæ à partu ægrè purgantur. Chamæpityinum simili modo fit, ad eadem conueniens. urinam quoq; ciet. Libram radicis mandragoræ concidito, segmenta lino tranjcito, quod se libram æquat in musti cadum dimittito, ibiq; esse finito ad menses treis, deinde transfundito. Media potio, heminæ dimidium. bibitur, passio in duplum addito. Aiunt heminam uini congio mistam, potu saporem adferre. cyathus unus cum sextario uini potus, enecat. mediocris usus eius, doloris sensum adfert. fluxiones incressat. olfactu. potuq;, & cùm inditur, idem præstat. In congium musti aqua marina diluti, drachmas duodecim nigri ueratri triti in linteo mundo, mittito: dumq; efferbuerit, in marinæ aquæ congios quatuordecim aut quindecim, ubi pleniusculè frigeris, injjcito. post aliquot dies colato, & utitor. Dato cyathum unum ex aqua balnei in potu, ad aluum soluendam, jjs qui euomuerunt à cœna. Alia ratio: Veratri drachmas uiginti, iunci odorati uncias duodecim, spicæ Syriacæ uncias tredecim, cribratas & linteo colligatas in septem uini Coi sextarios diebus quadraginta macerandas indito, postmodum colato. dabis in potu sesquiheminam. Aliter: Decoctæ marinæ aquæ ex alto petitæ sextarios duodecim. ueratri candidi libras sex, in musti amphora quadragesimo die quàm madefeceris, colato, & utitor. Alia ratio: Veratri drachmas duodenas, & aphronitri quaternas, in senis musti sextarijs, diebus quinisdenis macerato, mox colato: & semestri exacto, utitor. Id uini genus abortus facit, & partus necat. Aut uuas in sole siccatas imponito in musto metretam (implet autem metreta congios duodecim) & gypsum in uinũ mittito pondo drachmarum uiginti, & biduo residere finito, conijcito ueratri nigri drachmas triginta, iunci odorati, calami, singulorum drachmas triginta, baccarum iuniperi sextarios duos & trientem, myrrhæ & croci singulorum drachmam, inuoluens linteolo diebus quadraginta appendito, postea colato, dabis heminas treis aut duas diluitas. Purgat à partu & abortu fœminas. fœtus extrahit. contra strangulatus uuluæ efficax. Scammonites sic fit: Radicis scammoniæ per messes effossæ, tritæ, & linteo colligatæ drachmas quinq; in musti congium mittito, ad dies triginta. Aluum purgat, bilem & pituitam extrahit.



NOMINA ET EXPLICATIO.

Actuario quoq; uinorum uariæ condituræ, ut absinthites, saluiatum, & cete. Sed hæc longus prosequi superfluum uidetur, cùm partim hodie negligantur, & de his omnibus diligentissimè scripserit Arnoldus Nouicomensis, cuius libellus de uinis medicatis, propediem à nobis sub incudem reuocatus, ac nouis scholijs illustratus repurgatusq; in lucem prodibit.

Metallica omnia, & primùm cadmia. Ca. XL.

EX cadmiæ generibus optima est Cypria, botryitis nomine, densa, modicè grauis, & in leuitatem magis declinans, racemosa

facemosa facie, colore spodij, quæ fracta cinerulenta est, & æruginosa. Proxima habetur foris cœrulea, intus candidior, internatis uenarum discursibus onychitæ lapidi similis, cuiusmodi sunt quæ è ueteribus metallis effodiuntur. Quædam etiam placodes, id est, crustosa, dicitur, segmentis quibusdam perinde quasi zonis cincta, ob quod eam zonitin appellauere. Alia ostracitis nominatur, gracilis, & magna ex parte nigra. sed quæ testaceam faciem habet, terram amplexa est. Improbatur candida. Oculorum medicamentis botryitis nomine, & onychitis, utiles: reliquæ ad emplastra, & farinas quæ cicatricibus inducendis insparguntur. ad eadem Cypria prodest. ex Macedonia uerò, Thracia & Hispania delata, improbantur. Cadmiæ effectus adstringere, caua explere, sordes expurgare, exiccare, corporis meatus infercire, excrescentia in carne coërcere, crustas creare, & ulcera quæ cacoëthe uocantur, ad cicatricem perducere. Gignitur cadmia ex ære in fornacibus candente, fuligine egesta flatu, & lateribus camerisq; fornacum inhærente. Prægrandes autem ac ferreæ sunt rudes, ab officinis appellatæ aceſtides, per summa fastigia connexæ & concameratæ, ut quæ ab ære iactantur sursum corpuscula cohæreant, & inibi detineantur. quæ cùm spissius insident, in corpus concrescunt, & modo genus unum eius, modo duo, modo omnia perficiunt. Extrahitur & cadmia in Cypro è monte qui Solis incumbit, cremato lapide cui pyritæ cognomen est, in quo etiam monte quædam quasi uenæ chalcitis, misyos, soreos, melanteriæ, cæruleï, chrysocollæ, atramenti sutorij, diphrygisq; inueniuntur. Nec desunt qui cadmiam in lapidum fodinis inueniri tradant, falsi quadam lapidum cognatione. qualis inuenitur & apud Cumas lapis, nullam sui uim ostendens. Ii eo deprehenduntur, quòd sunt cadmia leuiores, nullumq; alienum mandentibus saporem exhibent. commanducatus item lapis, dentes offendit. cadmia, utpote cùm cedat, esum non respuit. Alio autem discerni possunt argumento: Cadmia in farinam detrita, & aceto subacta, atq; in sole siccata, coit: quod in lapide non accidit. Item tritus & igni appositus lapis, prosilit, & fumum igni similem eiaculatur. cadmia uerò quieta manet, fuliginemq; luteo colore aut æreo splendentem expuit, uario zonarum discursu. Insuper lapis ignem expertus, atq; refrigeratus, colorem mutabit, ac leuior multò fiet. sed cadmia nihil euariat, nisi quis eam multis diebus cremauerit. Fit & in argenti fornacibus candidior, ac minus ponderosa, sed uiribus nequaquam comparanda ærariæ. Vritur cadmia superior carbonibus obruta, donec translucida spectetur, & ferrei stercoris modo bullet. mox extinguitur uino Aminæo, quæ ad emplastra præparatur: sed quæ ad psorarum medicamenta præparatur, aceto. Alij hoc modo exustam conterunt in uino, rursumq; fictili crudo torrent, donec pumicosa uideatur: iterumq; tritam ex uino, tertio urunt, donec prorsus in cinerem redigatur, nihil scabritiæ retinens. hac spodij uice utuntur. Lauatur autem in mortario trita, effusa subinde aqua, dum sordidum nihil emergat. dein coacta in pastillos reponitur.

A

B

NOMINA ET EXPLICATIO.

Metallica (ut Iano Cornario medico doctissimo placet) appellantur mediciꝰ, quæ in metallis, aut sponte naturæ, aut per fornacem gignuntur. Itemq; ea quæ ex his ipsis ab hominibus per quencunq; modum fiunt, ut est ceruſa, psoricon, sandix, fucus, autore Gale. lib. 9. de simp Videntur autem ipsa Metalla, ab inquirendo et perscrutando, hoc est, ἀπὸ τοῦ μεταλλᾶν, appellata esse. Eorum enim gratia in uiscera terræ imus, & in sede manium opes quærimus, ut Plinius ait: Quanquam idem Plinius, non inde appellata metalla Græcis putare uideatur, uerùm quòd non solitariè, sed simul, & cum alijs eorum uenæ reperiuntur, dictáq; ob id μεταλλα, quòd cum alijs, hoc est, μετ' ἄλλων, uel μετὰ τὰ ἄλλα, id est, post alia reperiãtur. Plinij uerba lib. 33. cap. 6. hæc sunt. Et ubicunq; una inuenta uena est, non procul inuenitur alia, hoc quidem in omni ferè materia, unde Metalla, Græci uidentur dixisse: Quanquam uideo ita accipi posse, ut metalla, ab inueniendo dicta doceat, quod perscrutando & effodiendo in aliorum uicinitate maximè contingit. Habent autem Metallica uim medicamentosam magna sui parte maximam. quædam etiam deleteriam, ut coniectura sit magna, ex his uapores caloris interni ui elatos plantarum uarietatem non parum iuuare. Ne putes massam tantam frustra à Deo Maximo conditam, & ociosam, in quibus facultates naturales etiam omnes inesse soli chimistæ testantur, nec meo iudicio malè sentiunt, quod oculus in multis apertè uidet: licet plumbo metallorum soli incrementum concedat Galenus.

Cadmia botryitis hodie dicitur, Tutia Officinis, Germanis Grawer Augsteyn, *quidã corruptè Cadmiam Climiam, & Catimiam uocant.*

Naturalem

A *Naturalem Cadmiam hodie uocant, Lapidem Calaminarem. Germani Galmey/quo æs tingunt, ex rubi do in albidum (Rupffer in Messing) ex quo lebetes fiunt. In præsenti capite uidentur quædam deesse, quæ ex Serapione restitui possunt.*

Pompholyx. Caput XLI.

POmpholyx specie sola, non genere, à spodio distat. Siquidem spodos nigricat, & plerunq; ponderosior est, palearum pilorumq; plena, quasi purgamentū quoddam, quod ab ærariarum officinarum pauimentis & fornacibus euerritur. pompholyx uerò pinguis est, & candida, usq; adeo leuis, ut in auras euolare possit. Cuius duo fluxerunt genera: unum ad aëris colorem uergens, subpingue: alterum magnoperè candidum, summamq; leuitatem nactum. Cādida fit pompholyx, quoties in perficiundo ære, fabri præstantiorem facere uolentes, detritam cadmiam cumulatius insparserint: nanq; tenuissima* fauilla, quæ effertur, in pompholygem coit. Cæterùm pompholyx non ex æris modo materia & fabrili industria factitatur, sed est cadmia quoq;, ad gignendam ipsam, eximiè follibus proflata. Cuius faciundæ ratio hæc est: In domo gemina contignatione operta fornax extruitur, iuxta quam mediocris fenestra ad tabulatum à supernis partibus pateat. domicilij paries fornaci proximus, tenui foramine ad fornacem usq; perforetur, ad excipiendam follis narem. ostium mediocre habeat pro exitu ingressuq; artificis fabricatum. domūcula altera huic coniuncta sit, in qua & folles & flator suo munere fungantur. deinde carbonibus in camino succensis, assidens artifex cadmiam particulatim fractam inspargit, à locis supra infurnibulum extructis. idem negocium obit infernè artificis minister, simulq; carbones adijcit, usq; dum indita cadmiæ copia prorsus absumatur, itaq; egesta suffitu tenuis pars & leuis materiæ in summam domum euolat, & parietibus, tectis, fornicique adhæresc it: conflatum autem inde corpus, inter initia erumpentibus aquarum bullis simile prodit, postea minus incrementum capessens, glomusculis uellerum simile redditur ponderosius autem in ima loca se recipit. sed hoc
B fornacibus offunditur, illud domus pauimentò cohæret: quod tenuiore deterius existimandum est, ideo quod multum terræ collegerit, & spurcitia in aceruatione referciatur. Sunt qui hoc modo tantùm fieri spodium arbitrantur. de qua antedictum est. Optima creditur Cypria, quæ accepto aceto halitum æris præstat, colore aliquantum piceo, sapore cœni horrido, & si fraudem non experta flagranti carbone inferuescit, aëreum colorem contrahit. Antedictis autem notis diligenter attendendum est. Siquidem à nonnullis adulteratur taurino glutine, ouillo pulmone, aut marino, aut crematis grossis, & quibusdam consimilibus. quod facilè cognitu fuerit: quippe nihil in ijs probandis inuenietur eorum quæ antè dicta sunt. Pompholygem in commune ita lauari oportet: Ligatam linteo mundo modicèq; raro, aut siccam, aut aqua respersam, in labellum demittito, quod imbrem contineat, & huc atq; illuc fasciculū deferens, immergito: ita enim limosa pars eius ac utilis effluet, & omne sedimentum in linteolo remanebit. postea residere sinens, aquam cum cinere colis incernito, & nouam infundens, agitato, & effundito: mutata tātisper aqua, & colata, dum arenosi nihil fidat. demum aquam exprimito, & siccatum cinerem recondito. Alij, quantum maximè fieri potest, siccant, & manibus in aqua conterunt, dum mellis crassamentum imitetur. deinde linteo faucibus excepturi uasis obtento, aut laxius illigato, colant, & quo facilius transeat, infusa per linteum largiore aqua, cinerem conturbant. mox spumosum, quod traiectum est, & supernatat uasi, concha excipiunt, & fictili nouo ad usus recondunt. quod uerò resedit, sensim cribratum, in aliud uas transfundunt, relicto arenoso quod pessum ierat. rursus lapidosa fidere patiuntur, & in uas aliud excolant. hoc identidem faciunt, donec cinis merus & arenæ expers inueniatur. Alij paulatim integram in aqua respergunt, arbitrati arenas lapillosq; suo ponduſculo degrauatos, pessum ire, pilos autem & paleas leuitate sua in sublime attolli. cæterùm cinerem medium separant, & in pilam cōiectum, ut cadmiam, eluunt. Quinetiam lauatur uino Chio aqua marino diluto, modis quos suprà diximus. & ita redditur adstringentior, quàm aquis elota. Vis pompholygis astringere, refrigerare, explere, purgare, obstruere, & aliquantum exic-

** candidissima.*

care

care (* inter medicamenta numeratur, quæ leniter crustas obducunt.) Quòd si spodon torrere libet, diligenter tritam & irrigatam aqua, colliges in pastillos, fictiliq; nouo, subiectis leuibus prunis, orbiculos continuò uersabis, dum assiccati fluescant. Neq; ignorandum, ex auro, argento, plumboq; fieri spodion: uerùm post Cyprium, plumbeum maximè commendatur. Quoniam spodos sæpenumero desideratur, necesse est ostendere, quæ simili uirtute polleant, ut in spodij locum suffici possint, antispoda uocant, quoq; modo sumi debeant. Folia itaq; myrti, cum floribus & baccis immaturis, in fictile crudum coniecta, indito operculo continua foramina habente, uruntur fornacibus, donec figlinum percoquatur. iterum in fictile aliud crudum transferuntur: quod ubi peraßatum fuerit, exempta lauantur ad usus. Idem quoq; fit è termite syluestris oliuæ, si habeatur: sin secus, satiuæ cum suis floribus, aut malis cotoneis dissectis, & detractis ossibus, aut gallis, aut laceratis linteolis: item ex moris immaturis, id est candidis, in sole prius arefactis, aut terebintho, aut lentisco, œnanthe, aut mollibus rubi foliis, uel è buxi coma, uel pseudocypero cum flore. Alij ficulneas frondes in sole antea siccatas, eodem modo parant. alij taurinum gluten. alij succidas lanas asperas, pice aut melle irrigatas. quæ omnia in spodij uicem usurpantur. A

* *Quidam hæc non habent.*

NOMINA ET EXPLICATIO.

Quatenus Pompholyx à spodio seu spodo differat, hoc loco Dioscorides, Galenus 9. simp. phar. docent. Vnius enim generis Dioscor. esse ait, specie tantùm differre. Galenus autem neq; spodio neq; antispodio, quòd eandem uim habeat, se usum esse dicit, propterea quòd semper pompholyge abundarit. Ocularij medici hodie uulgo Tutiam uocant, quanquàm alij Cadmiam hac appellatione accipiant, ut suprà diximus. Sed in pharmacopolijs Nihil appellatur, unde etiam dictum uulgatum: Nihil oculis commodißimum esse, quo ambiguè cũ pompholygem oculis utilem, tum oculos non multis medicamentis contingendos innuunt. Estq; nil album appellatum, uera pompholyx. Sicut gascum aut nigrum dictum. Verum spodium metallicum à Dioscoride & Galeno descriptum. Nam quod alias hodie spodium Officinæ uocant, antispodium est, uulgoq; ebur ustum esse creditur. Auicenna radicum cannarum exustarum cinerem spodium esse dicit. hic animaduertendum Dioscorides non fictitium, sed metallicum & fossile esse, nec intra corpus sumendum. Nihil. B

Aes ustum. Caput XLII.

AEs ustum probatur rubrum, & quod contritu colore cinnabarim imitetur. nigrum uerò pluſquam deceat exustum est. Fit autem è clauis solutarum nauium, fictili crudo compositis: subsperso sulphure cum sale pari, omnibus uicißim insparsis, fictile, circumlito figulari creta spiramento, fornacibus inditur, donec figlinum percoquatur. Quidam pro sulphure & sale alumen insparguntur. Alij sine sulphure ac sale, fictili multos dies urunt. Alij sulphure solo utuntur. fuligìnem tamen excutiunt. Alij oblitos scißili alumine clauos, cum sulphure & aceto, fictili crudo cremant. alij in ænea olla aceto respersos urunt, & iterum ac tertio idem efficiunt, postea recondunt. Principem locum tenet, in Memphide combustum: proximum in Cypro. Adstringit, exiccat, reprimit, extenuat, attrahit, ulcera purgat, & ad cicatricem perducit, uitia oculorum emendat. excrescentia in carne consumit. nomas cohibet, uomitus ciet, cum hydromelite potũ, aut cum melle delinctum, illitumue. Lauatur ut cadmia, mutata quater die aquæ, donec nulla prorsus sordes emergat*. Aeris recrementum, stercusue, quam scoriam uocant, eodem modo lauatur, & eandem uim, sed imbecilliorem, habet.

* *splendor elinceat.*

NOMINA ET EXPLICATIO.

Aes ustum Kupfferſteyn/Gebrant ärtz/astringit, reprimit, acre est: ob id tenuat, ulcera purgat, siccat, cicatricem inducit carni duræ, in molli laudandum &c.

Flos. Caput XLIII.

FLos æris, quem nonnulli clauorum ueterũ pſegma, quasi resegmẽ aut segmentum, nominarunt, optimus est friabilis, in attritu fluescens, milij effigie, & numero, breuis, ponderosus, modicè splendens, atq; constringens, qui delimatã æris scobem non recepit, qua sæpe adulteratur. Sed id facilè deprehenditur, cùm dentiũ illiſa

A illiſu dilatantur ramenta. Fit autem, cùm æs fornacibus fuſum, in receptacula dilabi tur, per cola fiſtularum ad ea pertinentium. tum huic negocio addicti miniſtri, ſordes expurgantes, aquam clariſsimam infundunt, refrigerandi propoſito. itaq; repe tino concretu, ac addenſatione, uelut expuitur & erumpit antedictus flos. Adſtringit, & excreſcentia coërcet. offuſam oculis caliginem emendat, ſed magnoperè mordet. quaternûm obolorum pondere datus, craſſum humorem extrahit. carnoſa narium & ſedis uitia abſumit. eruptiones papularum cum uino cohibet. Candidus contra diuturnas aurium grauitates tritus, in eas per fiſtulam flatu impellitur. uuam, tõ ſillasq; reprimit, farina eius cum melle admota.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Turpi errore quidam hodie arbitrantur æris florem eſſe, noſtrum æs uiride, non animaduertentes æris florem, ut hîc Dioſcorides ſcribit, cùm æs in fornace fuſum, in receptacula delabitur per canales, miniſtris aquam clariſsimam, ut refrigeretur, affundentibus. ſubitò exilire, milij effigie breuis, grauis, ſplendeſcens, cùm noſtrum æs uiride potius æris rubigo ſit, ut infrà audies. Galeno adulteratur æris ſquama, ut limatura.

Squamma æris. Caput XLIIII.

SQuamma æris excuſſa ex Cypriis Officinarum clauis, craſſa quidem ipſa præſtantior. quæ helitis, id eſt clauaris, nominatur. ſed ex uili promiſcuoq; ære, aut candido, uitioſa intelligitur: quam, utpotè tenuem & inualidam, damnamus, maximè approbantes craſſam, rufam, præſertim ſi aceti reſperſu æruginem contrahat. Vim habet adſtrictoriam, extenuantem, reprimentem, & erodentem. nomas coërcet. ulcera ad cicatricem perducit. pota ex aqua mulſa, aquam trahit. aliqui farina ſubactam, dant in catapotio. additur ad oculorum medicamenta. genarum ſcabritiam abſumit, & fluxiones exiccat. Lauatur hoc modo: Siccæ æris ſquammę expurgatæ ſelibra, cum nitida aqua in mortario manu diligenter conturbatur, quouſque peſſum ierit. abiicitur quod ſubſidit*, & effuſa aqua, hemina cœleſtis imbris adiicitur, & diſtenta manu, ſquamma, quaſi deſtringenda ſit, uehementer confricatur, B dumq; lentorem emittere cœperit, aqua ſenſim ad ſex heminas uſq; ſuperinfunditur, terendo ualidè, ſquamma ad latus mortarij colligitur, ibiq; apprimitur. quo facto, expreſſus humor pyxide ex ære rubro facta, excipitur. hoc eſt enim uelut flos ſquammæ, ualens uiribus, & ad ocularia medicamenta cum primis efficax. inutile imbecillumq; quod ſupereſt, lauatur donec nullam prorſus lentitiam excernat, & linteo apertum biduo conquieſcere ſinitur, effuſaq; extante aqua, ubi ſiccatum erit, reconditur pyxidicula. Alij ut cadmiam lauant, & reponunt. Squammæ ex acie aut mucronibus decuſſæ, quam uocant ſtomoma, eadem uis. Lauatur modo ſimili, & reconditur: ſed ad moliendam alui deiectionem, inefficacior eſt.

* *quod emerſit.*

NOMINA ET EXPLICATIO.

Squamma æris, Germa. Hamerſchlag/ & Kupfferſchlag appellatur, differt ab æris flore, quòd hæc ui & arte excutiatur, alter ſponte cadat affuſa aqua. Probatur craſſa, ruffa, præſertim æruginoſa.

Aerugo raſilis. Caput XLV.

AErugo raſa fit ijs modis: In cadum, aut aliud conſimile uas acetum quàmacerrimum infunditur. ſuperponitur inde inuerſum æneum uas, præſertim concameratum: ſin minus, planum. fitq; obſtructum, nullumq; habeat ſpiramentum, exempto, quo doliolum obturaueris operculo. decimum poſt diem inſidens æruginem deraditur. Aut æris lamina in cadis ſuper acetum ita ſuſpenditur, ne ipſum attingat, & totidem poſt dies raditur. Aut maſſula æris, aut lamina una pluresue, uina ceis non recentibus, ſed iam aceſcentibus conduntur, & ſimili modo uerſantur. Quinetiam ex delimata æris ſcobe æruginem facere licet, necnon è laminis, quibus bracteæ auri concluſæ malleo ducuntur, ſi quis eas aceto reſpargat, & ter aut quater uerſet, donec æruginem contrahant. Tradunt æruginem in Cypriis metallis gigni, lapidibus quibuſdã nonnihil æris habentibus, quibus ærugo efflóreſcit: addunt̃q; per caniculæ æſtus è quodam ſpecu manare: ſed illam paucam & optimã eſſe: hanc ſpeluncis effluentem, copioſam quidem, & boni coloris, ſed uitioſam, quod lapides

multos

multos collegerit. Pluribus autem modis adulterant aliqui pumice admisto, alij A
marmore, alij atramento sutorio. Sed deprehendemus pumicem aut marmor, dum pollice sinistræ manus madefacto, æruginis portiunculam altero atterimus: siquidem eam diffundi constat. marmoris autem pumicisq; partes coëunt non dissipatæ, demumq; ttactatione crebra & humoris complexu dealbescunt, quin & dentium appressu: siquidem syncera cedit, lævis, & sine asperitate. Atramentum verò sutorium igne coarguitur. namq; si fictile, aut lamina adulterata ærugine illinatur, & feruenti cinere aut carbonibus incalescat alterutrum, mutabitur, rubescetq; id quod atramentum sutorium acceperit, quòd id ustum suapte natura talem sortitur colorem. Aeruginis quam uocant scoleciam, duo sunt genera. quædam fossilis est, altera factitia ad hunc modum: In mortario Cyprij æris dimidiam heminam aceti albi acrisq;, pistillo cupreo conterito, donec strigmenti crassitudinem imitetur: deinde aluminis rotundi drachmam unam, cum salis fossitij, translucentis, aut marini quàm albissimi, solidiq;, aut certè cum nitri pari pondere terito in sole, æstuosissimis diebus, sub sydus caniculæ, donec colorem æruginis contrahat, & concretu strigmentosum fiat. ubi autem se in uermiculorum Rhodiacis similium speciem coëgerit, recõdito. Efficax & ualde boni coloris redditur, si duas partes urinæ ueteris cũ una aceti adieceris, & alia quæ dicta sunt peregeris. Sunt qui æruginem rasilem, quę in apparatu non respondit, gummi misto digerant in formas, & ita uendant. quod genus, ut uitiosum, improbatur. Fit & quædam ærugo ab aurificibus, mortario & pistillo Cyprij æris, cum urina pueri impubis, qua aurum ferruminant. Antedicta æruginum genera, usto æri omninò respondent, sed magis effectu ualent. Sciendũ fossilem scoleciam præstantissimam esse: derasam sequi, postremo loco factitiam, mordacissima tamen est hæc, & magis adstringens. aurificum autem ærugo rasæ respondet. Aerugines omnes adstringunt, extenuant, excalfaciunt. oculorum cicatrices emendat. lachrymas cient. nomas sistunt. uulnera ab inflammatione tuentur. ulcera ex oleo ceraq; ad cicatricem perducunt. callos & sordida ulcera purgant. cum melle coctæ, callum fistularum erodunt, cum ammoniaco, collyrij modo in eas adactæ. ad gingiuarum autem excrescentias, & extuberationem utiles. magnoperè ex- B
tenuant genarum crassitiem, cum melle illitæ. uerùm post illitionem spongia ex aqua calida locus fouendus est. resina terebinthina exceptæ, cum cre & nitro lepras abigunt. Vritur ærugo, quacunq; uelis, minutissimè fracta comminutaq;, in fictili patina, flagrantibus prunis superposita: uersaturq; donec se mutet, & colorem cinereum concipiat. postea refrigerata reponitur ad usum. Sunt qui cruda olla eam urant, uti dictum est: sed non prorsus eundem colorem cremata reddit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Aerugo est æris uelut rubigo in æreis uasis, laminis, squamis, scobibus, lapidibus concreta decem diebus aceti acerrimi uapore, aut crescentium uinaceorum contactu, post decussa uel derasa. Est acris, mordet, detrahit, liquet carnem, etiam duram, digerit, uehementer siccat. Adulterandi & adulteratam nascendi rationem sciens omitto, quòd larga eius syncerę copia toti Galliæ & Germaniæ à mulieribus Monspessulanis suppeditatur. Germani Spangrün. Galli uerdegris appellant.

Aerugo usta & lota neruo uulnerato prodest, non usta autem iusto est mordacior. Cæterùm ærugo uermiculata à similitudine ad uermiculorum speciem, dicta est, quomodo etiam Græci σκώληκος ἰὸν uocant, quem Plinius scoletiam dixit. Estq; duplex: altera naturalis, & fossilis, altera artificialis, uelut hoc loco Dioscor. & Plinius lib. 34. cap. 13. docent.

Rubigo ferri. Caput XLVI.

RVbigo ferri restringit. sistit fœminarum profluuia admota: potuq; præstat ne concipiant illita ex aceto, ignibus sacris, & papularum eruptionibus medetur. perquàm utilis ad scabritias genarum, reduuias, & pterygia. condylomatis prodest. gingiuas firmat. podagras illita lenit. alopecias replet. Vinum aquáue, in qua candens ferrum sit restinctum, potu cœliacis, dysentericis, lienosis, cholera laborantibus, & dissolutis stomacho auxiliatur. Stercus ferri, quam scoriam uocant, eadem potest quæ rubigo, sed inefficacius. aconito, ex aceto mulso potum, opitulatur.

A NOMINA ET EXPLICATIO.

Rubigo ferri, Eiſen roſt. Gallis ruilleure deſer dicitur. Scoria eſt omnium metallorum ſpurcitia, recremẽtumq;, & uelut ſtercus, Germanis Schlacken dicitur: ſiccat, ſed omnium maximè ſcoria ferri, leuiſſimè trita.

Plumbum elotum. Caput XLVII.

LOtura plumbi ſicfit: In mortarium plumbeum aquam inĵciens, piſtillo plumbeo terito, donec nigreſcat aqua, & limi modo craſſeſcat, aut lutulenta reddatur. linteolo deinde colato, aquam ſuperinfundens, quo facilius quicquid eſt reſolutum incerni poſsit. hoc iterum facito, uſquedum ſatis tibi habuiſſe uideatur. ubi cõſederit, priore aqua effuſa, nouam adĵciens, ut cadmiam lauato, donec nulla extet nigritia. poſtea in paſtillos cogens reponito. Quidam ſcobem mundi plumbi lima quæſitam, mortario piſtilloq; lapideis terunt, aut manibus cum aqua paulatim adiecta fricant, donec nigreſcat. mox ubi id peſſum ierit, effuſa aqua, colligunt in paſtillos. nam tritum uehementer, ceruſæ ſimile redditur. Alĵ elimatæ ſcobi modicã plumbaginem adĵciunt, affirmantes ita elotum plumbum præſtantius eſſe. Poteſt refrigerare, adſtringere, inducere, mollire, explere caua, ſiſtere oculorum fluxiones, & ulcerum excreſcentia ſanguinem ſupprimit. prodeſt contra ſedis ulcera, condylomata, & hæmorrhoidas, ex roſaceo. item, ad ea quæ ægrè cicatricem ducunt: & in totum ſpodĵ effectus præbet, niſi quòd non obducit cruſtas. Syncerum plumbum affrictu, marini ſcorpionis draconisq; plagis auxiliatur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Germanis Bley. Gallis plomb. Frigidum humidum, ob id liquor quiuis frigidus (ut oleum omphacinum, roſaceum, melinum, myrtinum, ſemperuiui, cotyledonis, intybi, lactucæ ſuccus) in mortario plumbeo, piſtillo plumbeo ductus dum craſſeſcat, ſeipſo frigidior euadit, optimumq; fit remedium phlegmonarum incipientium, & fluxionum altarum, in inguina, pedes, articulos alios, & ulcerum rebellium, & cancrorum. Lamina plumbi lumbis inſtrata ueneris inſomnia ſedat, ganglia diſſecat illigata. Plumbum uſtum & lotum ulcera rebellia, chironia, cancroſa, carne implet, ac cicatrice tegit.

B

Plumbum uſtum. Caput XLVIII.

VRitur plumbum ſic: Super quàm tenuiſsimas plumbi laminas, fictili nouo inditas, ſulphur inſpargito: additisq; alĵs rurſus laminis, interiecto ſemper ſulphure, uſq; dum uas expleueris, ſuccendito. flagrante autem plumbo, ferrea rude uerſato, donec perfectè redigatur in cinerem, nihilq; è plumbo non uſtum hæſerit: tum demum, obſtructis naribus, eximito: alioquin halitus plumbi noxius ſentitur. Aut elimatam plumbi ſcobem in olla ſulphure urito. Alĵ laminas in fictili crudo, ut dictum eſt, imponunt fornaci, aut foco, & circumlinentes operculum, dato exili ſpiramento, urunt. Alĵ pro ſulphure ceruſam aut hordeum inſpargunt. Alĵ integras laminas imponentes, acri igne utuntur*, & rudicula ferrea continuè mouent, dum in cinerem ſoluantur. ſed difficilis huiuſmodi uſtio, & ſi uehementius uratur, contrahit ſpumæ argenti colorem. magis tamen nobis placet prima urendi ratio. Plumbum uſtum lauatur ut cadmia, & reconditur. Eoſdem effectus habet, quos plũbum elotum, ſed multò acriores. Recrementum plumbi, quod ſcoriam uocant, optimum eſt, denſum, fractu contumax, ceruſam planè repræſentans, nihil plumboſi habens, quod ad luteum colorem accedit, & uitri ſplendorem imitatur. Eadem quæ plumbum exuſtum poteſt, ſed magis adſtringit. Lauatur in mortarĵs infuſa aqua, & refuſa ſumma aquæ parte, quæ luteum colorem duxit: idq; ſæpius, dum recremẽtum abſumatur. dein ubi conſederit craſſamentum, aqua effuſa, digeritur in paſtillos. Molybdoites lapis à plumbi ſimilitudine dictus, reſpondentẽ recremento uim habet, & eodem modo lauatur.

* *Alĵ, imponentes aceto, igne urunt.*

Stibium. Caput XLIX.

STimmi optimum, quod ſplendidiſsimum eſt, modoq; nitedularum emicat, confractu cruſtoſum, nihil terræ aut ſordidi habens, friabile, quod ſtibi appellarũt, alĵ platyophthalmon. Vis eius aſtringere, meatus obſtruere, refrigerare, excreſcentia in carne cohibere, ulcera ad cicatricem perducere, ſordes & ulcera oculorum expurgare.

expurgare, sistit & sanguinem è cerebri membrana profluentem. & ut in uniuersum A
dicatur, uis usto plumbo similis est. priuatim, ambusta igni, in pustulas erumpere nō
patitur, cum adipe recenti illitum, crustosas exulcerationes ad cicatricem perducit.
cum cera & exigua ceruſa. Torretur pinsita farina circumlitum, & carbonibus ob-
rutum, donec carbunculetur crusta, exemptumq; restinguitur mulieris lacte, quę ma
rem peperit, aut uetere uino. Vritur etiam carbonibus succensis efflatum, quoad i-
gni deflagret. si enim paulò magis concremetur, plumbum fit. Lauatur, ut cadmia
& æs. Sunt qui ut plumbi recrementum eluant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

*Stimmi, id est, Stibium, siccat, astringit, oculorum collyrijs liquidis & siccis miscetur, illotum ualenter as-
stringit, lotum soluitur, & naturam assequitur propè rosionis expertem, fossilium melius. Quod enim osten-
dunt, igni coctum est, idq; purius, uel fæculentius & scorioſum. Oleum ex stibio præciosissimum. Mulieres
oculis gratiam Stibio conciliant, ipsum palpebris specillo inducentes quotidie, sic ne oculi membranam intus
contingat. Stibium Officinis Anthimonium. Germanis* Spießglaß *dicitur: naturale,* Rohe spießglaß/ *ar
tificiale siue factitium,* Geleutert spießglaß *uocant.*

Molybdæna, seu Plumbago. Caput L.

MOlybdæna optima est flaua, argenteæ spumæ æmula, modicè splendens: cùm teritur, rufa. cocta cum oleo iecinoris colorem trahit. Vitiosa est, quæ aërem aut colorem plumbeum refert. Gignitur ex auro & argento. Est etiam quædam fossilis, ad Sebastiam & Coricum inuenta. Quo in genere probatur, quæ lapidosa non sit, aut recrementosa, sed nitens & flaua. Vim habet spumæ argenti, aut recremento plumbi similem. uritur lauaturq; eodem modo. miscetur conuenientissimè medica mentis, quæ liparas uocant, atq; emplastris minimè mordentibus. carnem recreat, & ulcera ad cicatricem perducit. glutinantibus tamen medicamentis, aut abstergentibus non conuenit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Molybdæna substantiæ est crassioris, & frigidioris, quàm Lithargyros, non terget tamen, cætera usum B
*habet propè eundem in emplastris, licet uarium colorem afferat. Ambo liquantur tardius cum hydrelæo, ce-
lerrimè oxelæo.*

Molybdæna naturalis, German. Zwytter *dicitur: factura uerò* Dech.

Argenti recrementum. Caput LI.

REcrementum argenti, quod scoriam uocant, aut helcysma, aut encauma, mò-
lybdænæ uim habet. quare emplastris quas phæas appellant, additur, ac me-
dicamentis quæ cicatricem obducunt, utpotè cùm adstringat, extrahatq;.

Spuma argenti. Caput LII.

SPuma argenti quædam gignitur ex arena, quam molybditin uocant, in fornaci-
bus conflata, donec perfectè igni incandescat. altera ex argento, tertia ex plum-
bo. Probatissima est Attica. secunda Hispaniensis. has sequitur quæ fit Dicæar-
chiæ, id est Puteolis, Baijs, in Campania, & Sicilia: plurima enim hisce locis è flagrā
tibus laminis plumbeis gignitur. Quæ flauo colore splendet, chrysitis appellatur,
omnium optima: quæ in Sicilia, argyritis: quæ ex argento, calabritis. Vis autem
adstringere, mollire, explere caua, excrescentia in carne reprimere, ad cicatricem
ducere, refrigerare, & occludere. Vritur argenti spuma, confractis partibus ad ma-
gnitudinem iuglandium, prunæ superpositis: ita accensa follibus, ut conflagret, ab
stergitur insidens spurcitia, & reconditur. Aliquiter aceto aut uino restinguentes,
rursus urunt, & eadem prosequuti, reponunt. Lauatur ut cadmia. Vt argyritidi no-
minatæ, aut, si desideretur, alteri candor detur, ea in parteis magnitudine fabarum
confracta, chœnicis atticæ mensura, fictili nouo superfusa aqua, addito candidi tri
tici pari pondere, priuatimq; pugillo hordei, linteolo puro, raro, ansulis uasis alli-
gato, coquitur, donec hordeum fractum disiliat: deinde omnia in nouum craterē
oris ampli transfunduntur. triticum abijcitur, spuma argenti uehemēter manibus

A affricando infusa aquâ lauatur, aſsiccataq; in Thebaico mortario teritur, affusa fer
uente aqua, donec soluta fatiſcat. excolata aqua, iterum tota die teritur, & ueſperi
infusa calida aqua ſinitur. manè colis excernitur, alia infunditur, atq; ter die excola
tur, id septẽ diebus fieri ſolet. poſtea additis ad ſingulas minas ſpumæ argenti, qui-
nis ſalis foſsilis drachmis, infusaq; calida aqua, ter die teritur, & addita aqua excola
tur: cumq; inalbuerit, calida infusa, idem facito, dum nullam prorſus ſalſedinem re
ſipiat. demum ardentiſsimo ſole siccata, eiecto prius humore, reconditur. Sin mi-
nus, mina ſpumæ argyritidis diligenter teritur, addito ſale foſsili trito, triplicato
pondere, in fictile nouum conĩcitur, aqua infunditur, ita ut ſuperemineat. mouetur
quotidie manè & ueſperi, aquaq; ſuperfunditur, priore nequaquam effusa. hoc fit
triginta diebus: nanq; niſi moueatur, craſſeſcit, uſq; in duritiem teſtæ. Poſt hæc effu
ſa leniter muria, in Thebaico mortario ſpuma argenti teritur, coniectaq; in fictile a-
quam continens, manibus diligenter agitatur, mutata ſubinde aqua, donec nullum
ſalſuginis indicium præbeat. deinde quod ex argenti ſpuma candidum apparet, in
uas aliud transfertur, & redactum in paſtillos, plumbea pyxide conditur. Alĩ ſpu-
mam argenti in fabarum magnitudines confractam, in uentre ſuillo crudo ex aqua
coquunt, dum uiſcus eliqueſcens contabeſcat. exemptamq; cum ſale pari terunt, &
ut ſuprà dictum eſt, lauant. Sunt qui ſalis libram unam, & ſpumæ argenti tantundẽ,
in ſole terant, aqua continuè mutata, dum candor ei detur. Alia ratio: Sumito quan
tãuis argenti ſpumã: ubi lana candida inuolueris, fictili nouo indita aqua cũ pu-
gillo fabarum recentium repurgatarumq; decoquito. Cumq; fabæ diſruptæ dehi-
ſcent, lanaq; non denigretur, exemptam argenti ſpumam, & altera lana inuolutam,
iterum coquito, cyathum aquæ & parem fabarum modum adĩciens. eadem tertio,
Locus ex Plinio reſtitutus. quæ ſuprà, facito. in ſumma, tantiſper, dum lana iam non inficiatur. Inſuper trans-
fũdens in mortarium, ad ſingulas ſalis foſsitĩ libras, adĩcito octogenas ſpumę ar
genti drachmas Atticas, & terito: intermittensq; nitri quàm albiſsimi cum aqua di-
luti drachmas quadraginta ſeptem indito: iterum terito, donec ſatis candoris con
traxiſſe uideatur. ita autem fundens eam ex alto in fictile oris ampli, adiecta largio-
B re aqua, ubi conſidere deſierit, colato. tum nouam ſuperadĩciens aquam, manibus
probè uerſatam, ſinito ut conſidat, ac rurſus per colum adĩcito. alternis eadẽ pro-
ſequere, dum pura aqua dulcisq; effluat, & nullam ſalſedinem præ ſe ferat. poſtre-
mò in fictile nouum translatam, colato ſenſim omni humore, ſoli quadraginta die-
bus ſub caniculæ ſydus exponito, & ſiccata utitor. Elotam autem conſtat ad oculo-
rum collyria prodeſſe, & ad cicatricum fœditates tollendas, ad rugoſas facies, & ci-
catricoſas, laceratasq;, & macularum plenas.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Lithargyros eſt purgantis ſe igni materiæ uitium, ſiue ferueſcentis ſpuma, ut ſcoria iam purgatæ fæx eſt, ex plumbo Molybditis ſeu molybdæna, ex argento ἀργυρείτις, ex auro χρυσῖτις omnium optima præcipuè quæ foliata eſt. Lithargyros moderatiſs. omnium terreorum ſiccat ſine manifeſto calore aut frigore, modicè aſtringit & terget. Eius uſus latiſsimè patet libris propè omnibus comp phar. genere, maximè 2. & 3. Lythar gyros manifeſtè nec calfacit, nec refrigerat, nec humectat, ſed ſiccat primo abſceſſu à temperatis: nullam e- nim qualitatem mãifeſtam guſtatu exhibet: nec emplaſtica eſt, nec emphractica, nec repellit quod influit, nec digerit quod parti inflammatæ eſt infixum, nec ulcera terget, nec expurgat euidenter, nec rodit, nec car- ne implet, nec eam ſuper creſcentem abſumit, parum tamen à medijs ad partium craſsitiem receſsit (licet ſit tenuioris eſſentiæ quàm molybdæna) quam & coctione diuturna deponit fuſa ui ignis, & alterata. Ex his enim eſt medicamentis, quæ tota liquefiunt, ut reſina, cera, ſed non mox ubi ignem attigerit: quæ uerò mul- tis imponit, etiam non fundi putantibus. Cùm oxelæo autem cocta citius liqueſcit, & cum ærugine quàm cum hydrelæo uel œnelæo, & quò plus liquoris ad coquendum habuit, eò glutinantius fit medicamentum. Melius enim fit ex Lithargyro medicamentum, quo magis coctum erit, quòd ex liquidorum, quæ miſcentur, copia cõ tingit. Expers tamen pulchrarum harum uirium lithargyros, medicamentis miſcetur, ut phœnicino, diachal- citeos uiribus eius nec commodans, nec incommodans, ſed materiæ ad emplaſtri pharmaci compoſitionem i- doneæ rationem obtinet. Cruda etiam per ſe feminum exitinere attritus iuuat parum ſucando. Lithargyros abſolutè, interdum tamen ut in melinis à colore cydonij emplaſtris Lithargyros χρυσῖτις dicitur li. 2. com. phar. gene. Lithargyros Germanis Glett. Gallis Litharge dicitur.

Ceruſa. Caput LIII. Ceruſa

CEruſa fit hoc modo: Infuſo in urceum oris lati, aut fictile labellum quàm acer A
rimo aceto, laminam plumbeam ſupra fictilis ſpiraculum, ſubiecta prius arũ
dinea tegete, firmato: ſuperiectiſq; uelaminibus, ne halitum expiret acetum, ubi re
ſoluta fuerit, defluensq; deciderit, humorem purum ad ſumma delatum colato,
craſſamentumq; transfundito. debet quoq; ſiccari in ſole, mox truſatili mola teri,
aut aliàs tritum cribrari. pōſtea quod ſupereſt duri, in tenues partes redigendum
cribrandumq; uiciſsim eadem tertio quartoq; facienda. Melior, quæ primò cribra
ta eſt, & medicamentis oculorum aſſumenda. ſecundum locum tenet ſequens, & re-
liquæ ſuo ordine. nec deſunt qui ligneas rudes in medio uaſe appendant, & deraſo
ceu ſitu impoſito, ita ut acetum non contingat, inditoq; operculo circumlinentes di
mittunt. poſt dies decem, laxato obturamento uiſunt. cumq; reſoluta materia fue-
rit, reliqua, ut ſuprà diximus, exequuntur. Si autem quis in paſtillos uelit digerere, a-
ceto acri ſubacta, diuiditur in paſtillos, qui in ſole ſiccantur. Aeſtate tamen ſupradi
ctum opus obeundum eſt, ita enim candida atq; efficax redditur. Quinetiam hye-
me paratur, urceis ſupra furnos, balnea, aut fornaces impoſitis: aſcendens enim ca-
lor, idem quod ſol præſtat. Laudatiſsimam fieri putant Rhodi & Corinthi, aut La
cedæmonæ, proximam Puteolis. Torretur hoc modo: Flagrantibus igni carboni-
bus, fictili nouo, maximè Attico tritam ceruſam imponito, & aſsiduè uerſato, cũq;
cinereum colorem traxit, eximens refrigerato, & utitor. Eſt & aliud urendi genus:
Trita patinis nouis ſupra prunas imponitur, & ferulacea rude mouetur, donec co-
lore ſimilis ſandarachæ fiat: extractaq; ad uſus miniſtratur. quæ uerò ita parata eſt,
ſandyx à quibuſdam dicitur. Lauatur ceruſa cadmiæ modo. uis ei refrigerare, oc-
cludere, emollire, explere, extenuareq;: inſuper excreſcentia leniter reprimere, &
ad cicatricem perducere. miſcetur ceratis, & emplaſtris quæ liparæ uocantur, paſtil
lisq;. eſt autem letalis eius potus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Ceruſa aceti acris ui ex plumbo ſoluta refrigerat, ſiccat, aſtringit, emplaſtica eſt, candefacit, hæc lota B
*plumbo uſto loto uiribus proxima: uſta tranſit in Sandyca, fitq; tenuior, nondum calfaciens. Phrycos ceruſ-
ſæ frigiditate ſeruata tenuitatem aſſumpſit, quæ uis eius adiuta in profundũ corporis penetrat. Ceruſſa Rho-
diaca, uel illi ſimilis ex ciuitate Dicæarchia olim dicta, nunc Puteolis, præfertur, ſi emplaſtrum uis eximiè can
didum fieri, quia albidior, leuior, tenuiorum partium his, quæ alibi naſcuntur. Sal ex ceruſſa ad multa effi-
caciſsimus, & oleum ex Ceruſſa. Germa. dicitur* Bleyweiß. *Gallis Ceruſe.*

Chryſocolla. Caput LIIII.

CHryſocolla laudatiſsima Armeniaca, colorem porri quamſimillimè reddẽs.
ſecundum locum ſibi uendicat Macedonica, & proximum Cypria, quo in ge-
nere præfertur pura, damnatur, quæ terram aut calculos collegerit. Ratio lauandi
hæc eſt: Tuſam infuſa aquà, mortario expaſſa manu ad pilam uehementer fricato,
& ſtatim quàm conſederit, colato. alteram infundens aquam, rurſum trito. hæc ui-
ciſsim proſequere, donec pura ſyncera q; ſpectetur. dein ſiccato in ſole, & ad uſus
recondito. Quòd ſi utere uolueris, ex ea terens quod ſatis eſſe uidebitur, patinis ſu-
pra carbones adponito, & alia facito quæ ſuprà diximus. Dos chryſocollæ ad pur
gandas cicatrices. excreſcentem carnem coẽrcet. adſtringit, purgat, excalfacit, & mo-
dicè corpus mordendo exeſt. inter medicamenta intelligitur, quæ uomitiones con-
citant, & necem inferre poſſunt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

*Chryſocolla tam metallica, quàm factitia ualenter digerit, & ſiccat, carnem liquat ſine ualenti morſu.
Chryſocolla, Spodium, Pompholyx, Pſoricum, metallica ſunt admodum tenuis eſſentiæ citra calorem. Na-
turalis & foſſilis, Germanicè* Schiffergrũn *dicitur, factitia uerò, quæ auri ferrumini fundendo celerita-
tem addit,* Borras *appellatur.*

Lapis armenius. Caput LV.

ARmenius lapis præfertur læuis, colore cœruleo, perquàm æquabilis, calculo
carens, & friabilis. Eadem quæ chryſocolla præſtat, ſed inefficacius. Quin-
etiam uſum habet ad pilos in palpebris alendos.

A NOMINA ET EXPLICATIO.

Armenius lapis illotus suprà & infrà atram bilem uacuat, datus à drachma una ad scrupulos quatuor: lotus etiam quinquagies tutior est, ac tantùm infrà uacuat, à scrupulis quinq; ad scrup. sex. Alexander Trallianus in melancholia, & post eum Mesues in simplicibus.

Cœruleus. Caput LVI.

COerulei origo ex ærarijs metallis in Cypro, copiosior ex arena littorali: secundum quosdam sub cauatos specus maris inuenitur, qui magis probatur. Eligi debet inebriatus. Vritur ut chalcitis. lauatur ut cadmia. Vim habet reprimentem, et modicè erodentem, crustas gignit, & exulcerat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Cyanus siue Cœruleus, cathareticus, id est, detrahens, digerit potentius quàm Cinnabaris, & subastringit. Vim purgantem melancholiam suprà & infrà, ac melancholicum succum ipsi illoto præbet Mesues communem cum lapide Armeno, ob id ambos ualere censet aduersus omnes melancholicos affectus, maniam, melancholiam, epilepsiam alteram, elephantiam, cancros, alphos nigros, quartanas, hemorrhoidas. Sed & alias ei uires miras tribuit, uocatq; lapidem Lazuli & stellatum, quòd uelut stellæ quædam aureæ in eius fracturis cernantur. Is urendo cœruleus magis euadit, si uerus est, malus uerùm nigricat ustione. Tam hic quàm Armenus Medicis in usu hodie sunt rarißimo. Germani Lasursteyn appellant.

Indicum. Caput LVII.

INdici duo genera. unum sua sponte nascitur, tanquam spuma, germinatione Indicis arundinibus exiens. alterum infectoriæ dant Officinæ: & est spuma purpurea innatans cortinis, quam detractam artifices siccant. Optimum existimatur quod cœrulei speciem præbet. succum suum sorbet, & leue. Inter medicamenta est quæ leuiter adstringunt, & inflammationes, tumoresq; rumpunt. purgat & reprimit ulcera.

B NOMINA ET EXPLICATIO.

Indicum fossile aliquando & hodie in aurifodinis inuenitur, Germani Ein Bergbloe appellant, factitium uerò ex spuma Isatidis est, ut sup. suo loco diximus. Germani hoc Weydbloe/& Indichbloe. Galli de l'indefine, ou große appellant, hodie in medicina nullius usus.

Ochra. Caput LVIII.

OChram leuissimam, & omnino luteam eligere oportet, saturatam, non lapidosam, friabilem, natione Atticam. Vritur hæc, & lauatur cadmiæ modo. Vis eius adstringere, erodere, collectiones & tubercula dissipare. excrescentia in carne reprimit. caua cum cerato explet, & articulorum tofos comminuit.

Germanicè Oger & Berggel appellant.

Cinnabaris. Caput LIX.


HAllucinantur qui cinnabarin minio eandem esse existimant. Minium enim in Hispanijs ex lapide quodam argenteæ arenæ permisto, temperari solet, alioqui non dignoscitur. fornacibus autem in florentissimum flagrantissimumq; colorem permutatur. in metallis uerò strangulantem halitum eructat. itaq; facies incolæ ueficis obuelant, ut per illas spectent, nec respirando noxium aërem attrahant. eo pictores ad sumptuosa parietum ornamenta utũtur. Cinnabaris uerò ex Aphrica defertur, & magno constat. hactenus inuenitur, ut uix uersicoloribus pictorum lineis satisfaciat. intento colore nec diluto præditum: quare quidam sanguinem esse draconis existimauerunt. Vim habet cinnabaris hæmatitæ lapillo eandem. conuenit ad oculorum medicamenta, uerùm efficacius, magis enim adstringit, & sanguinem cohibet. ambustis igni, & papularum eruptionibus cerato excepta, medetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sanguis draconis & Cinnabaris uera, hodie ignorantur, uerùm si Iacobo Syluio medico doctiß. credimus, qui credit sanguinem draconis factitium esse, qui hodie ostenditur ex Bolo Armeno, sanguine hirci & succo

succo sorborum, uel alijs: Cùm tamen ille sanguis draconis, quo uitrarij utuntur atq; durifabri, ruberrimi coloris gratia uel sit naturalis & fossilis quum igne liquetur, omnino Dioscor. delineationi respondens: quare hanc ueram esse ueterum Cinnabarin crediderim. Cæterùm loco huius ubi eius copia desit, rectius utemur factitio quàm cinnabari neotericorum, ex sulphure uiuo, & argento uiuo simul ustis. A

Argentum uiuum. Caput LX.



ARgentum uiuum fit ex minio, quod abusiuè cinnabaris dicitur, patinis fictilibus, imposita ferrea concha cinnabarin continente, & calice cooperta, argilla superlita, carbonibus succendunt. siquidem detersa fuligo, quæ calici insidet, refrigerata in argentum uiuum coit. Quinetiam inuenitur in argentifodinarum tectis, stillatim concretum. Alij per sese in metallis inueniri tradunt. Seruatur in uitreis, aut plumbeis, aut stagneis, aut argenteis uasis: siquidem aliam materiam omnem exedit, & defluere facit. Potum uim pernicialem habet: suo enim pondere interna exest. Remedio est lac multum subinde potum, & uomitionibus reiectum, aut uinum cum absinthio, aut apij decoctum, aut semen ormini, aut origanum, uel hyssopum cum uino, auri limati scobs, id est, ramentum quàm tenuissimũ epotum mirabili est auxilio.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Argentum à colore, uiuum à motu Latinis dicitur. Germanis Queckſilber/ à consistentia uerò Græcis ὑδράργυρος, sed hanc arte factam Gale. lib. 9. simp illud minerale uult Hermolaus: cùm tam factitiam ex mineris, quàm minerale, seu argentifodinarum tectis stillatim concretum, siue per se in metallis inuentum, Dioscorides hoc loco hydrargyron appellat. Cui congener ex aquæ fontibus uomica perpetua scatuerit Plinio. Argentum uiuum est metallorum omnium cum sulphure materia à calore temperatissimo, sic per minima uitum, ut sic cum humido, & humidum sicco æqualiter in eo temperentur. Vnde opinor, chymistis calore & frigore temperatum quoq; dicitur, non quarto gradu cum quibusdam frigidum, cum alijs calidum. Neq; contra chymistarum placitum pugnare uidetur quod scribit Dioscorides, potum uim habere pernitialem, suo enim pondere interna erodere addit, non qualitate aliqua causticа. Neq; uerba Galeni lib. 4. simp. cap. 8. quod scilicet calore nostro calidum actu redditum per erosionem interimit, & lib. 5. cap. 18. quod tota sua substantia nobis contrarium sit, & uenenum si sumatur: neuter enim id aut calore immodico aut frigore deleterium dicit: sed ille pondere, hic tota substantia, ut scilicet omnino nos lædat necessariò, quantumuis paucum sit sumptum: cùm deleteria calore aut frigore sint sola quantitate deleteria. Geberus chymista præclarus. B

Ad hæc Galenus de sola hydrargyro factitia loquitur, cuius quòd interimat sumpta uel admota, se periculum fecisse negat, lib. 9 simp. Hodie uerò uel pueris maximè perspicuum est, maximo mortalium incommodo, quas uires sumptum uel admotum, uel suffitum in scabie Hispana, siue Gallico morbo, (ut uocant) & eius Symptomatis, & multorum artificum usu uario, habent argentum hoc semiuiuum, & crudum, quouis modo paratum & mistum. Quod uerò in metallis perfectius coctum est maximè, id longè omnium est efficacissimum, uti & præciosissimum, si quis secernere, & secreto nouerit uti. Illud essentiæ esset omnium tenuissimæ, indicant apertissimè celerrima eius in uaporem prætenuem abitio, & in corpus quoduis etiam densissimum penetratio, ut etiam calculum iactilem affrictu non ita multò subeat, intusq; dealbet, & fragilem maximè reddat. Ob id non probo ipsum enulato unguento, & alijs quibusdam misceri. Argentum uiuum sublimatum calore ignis erodente iam præditum, fit eodem quoq; deleterium, ut calx & uini fæx usta. Sublimandi autem (ut chymistæ loquuntur) modum docet Geberus, ex quo & alijs non contemnenda leges, quæ ad cognoscendam plenius argenti uiui naturam pertinet.

Rubrica Sinopica. Caput LXI.

RVbrica Sinopis maximè probatur grauis, densa, ad iecinoris imaginem uergens, calculorum expers, concolor, cùm diluitur impendiò fusilis. Effoditur in Cappadocia, speluncis quibusdam, expurgataq; defertur in Sinopem urbem, in qua uenditur: unde cognomentum accepit. Vim habet exiccatoriam, quasi inducendo obstruentem & adstrictoriam. quapropter uulnerarijs emplastris, & pastillis exiccantibus, & adstrictorijs commisceri solet. aluum sistit, in ouo sumpta aut clystere infusa. datur iecinoris uitio laborantibus.

Rubrica fabrilis. Caput LXII.

A RVbrica fabrilis,ad omnia Sinopide inferior est.Optima Aegyptia & Carthaginensis,lapidum expers,friabilis.Gignitur etiã in Iberia,quæ ad occidentem spectat,ochra exusta,& degenerante in rubricam.

Hodie Germanis dicitur Rötelstein.

Lemnia terra. Caput LXIII.

LEmnia terra, cuniculoso in specu nata, è Lemno insula,palustri loco defertur, inibi electa,& caprino sanguini permista: quam incolæ cogunt in pastillos,et imagine capræ signant: unde & sphragida ægos,hoc est,sigillum capræ, appellauere.Vim antidoti habet contra pernicioſa uenena singularem.pota cum uino,& prę sumpta,euomi uenena cogit.contra ictus morsusq; animalium , quæ exitiale uirus eiaculantur,prodest.antidotis familiaris.sunt qui hac ad sacrificia utantur.est & dysenteriæ utilis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sigillum Lemnium efficacius sanguinis ex quauis parte eruptiones cohibet,quàm Samius Aster: hic contra tenax & uiscosior,quàm lemnia terra: ambo moderatè tergent. Lemniceæ etiam adstrictio quædam inest μελτ& λήμνιαι *libro 9.comp.phar.part.in arteriace Andromachi 14. Ea hodie uera Constantinopoli affertur. Officinarum falsa est.*

Atramentum sutorium. Caput LXIIII.

ATramentum sutorium genere quidem unum & idem est,molle & concretũ: sed in specie differentias treis habet unum namq; humoribus stillatim in cuniculos quosdam colatis,concrescit: quare ab ijs qui Cypria metalla perficiunt,stillatitium appellatur.Peteesius ipsum pinarion uocat,alij stalacticon,id est, stillatitium.alterum simplici ratione fit in speluncis: postea transfusum in excauatos scrobes,concrementum capesit,quod pecton,id est,concretitium,propriè nominatur.
B tertium dicitur coctile,& in Hispania fieri solet: sed inutile ac inualidissimum esse constat. Ratio parandi hæc est: Aqua madefactum decoquunt, mox in piscinas transfundunt,& residere patiuntur.hoc certis diebus coalescit, in con plureis formulas digestum,tesserarum speciẽ reddentes,quæ racematim inter se cohæresc unt, Optimum esse creditur,cœruleum,graue,concretum,transluc ens: cuiusmodi stillatitium est,ab alijs lonchoton nominatum.proximum,concretitium. coctile uerò ad infectus & denigrationes,aptius cæteris esse compertum est.sed ad medicinę usum inualidius esse,experimenta docent. Valet adstringere, calfacere, & crustas inducere.latas uentris tineas necat,drachmæ pondere deuoratum, aut cum melle linctũ. uomitus ciet.aduersus hausta fungorum uenena,ex aqua potum auxiliatur.purgat caput,aqua dilutum,& in uellere naribus instillatum. Vritur ut paulò pòst in mentione chalcitis ostendemus.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Chalcanthum Romani atramentum sutorium,Germani Victriol & Kupfferwasser. *Galli* coperose. *Officinæ Vitriolum Romanum uocant,essentiæ est eiusdem & naturæ cum Chalciti: hæc autem natura est,& Genckel gût in argentifodinis appellatur,illud ex hac fictitium & in hanc tandem per se rediens: uehementißimè astringit,& calfacit non instrenuè,putridis ulceribus congruit , gargareonem etiam scirrhatentatum irritat.Adhæc quum medicamentum ,id est uehementißimum,ualidis utriſq; uiribus astringendi & calfaciendi præditum,uitanda eius per se uehementia.sed mitioribus mistis obtundenda. Vstum uerò & lotum multò moderatius redditur.*

Chalcitis. Caput LXV.

CHalcitis præfertur similis æri, friabilis,nec lapidosa,nec inueterata,intercurrentibus oblongis uenis,splendentibusq;.Huic absterſoria uis inest, excalfaciens,& crustas ulceribus obducens.purgat quæ oculis & eorundem angulis hærent. in genere leuiter exedentium est.ad ignem sacrum,& ulcera quæ serpunt , efficax est sanguinem è uulua & naribus erumpentem,cum succo porri sistit. gingiuarum uitia,depascentia ulcera, tonsillasq;,eius farina compescit. usta,& cum melle trita,

oculorum

oculorum medicamentis longè utilior redditur. callum genarum & ſcabritiam abſumit, abſtergetq; fiſtulas tollit, collyrij modo in eas adacta. Fit ex chalcite medicamentum, quod pſoricon uocant, duabus eius partibus cum una cadmia additis, & ex aceto tritis, oportet autem in fictili obruere fimo, diebus quadraginta, per caniculæ ardores: ſic enim fit acrius. Idem quod chalcitis poteſt. Alij pares utriuſque portiones in uino terunt, & eadem proſequuntur. Vritur chalcitis fictili nouo, uiuis carbonibus ſuperpoſito. modus autem uſtionis in humidioribus eſt, dum ipſa chalcitis bullas excitare deſierit, & perfectè inaruerit: in reliquis uerò, dum mutata in floridum colorem fuerit, & ſanguineum aut miniatum colorem contraxerit, tum demum eximenda eſt: inſidens autem ſpurcitia flatu expellenda, mox reponenda. Torretur etiamnum perflatis carbonibus uſquedum luteo colore palleſcat: aut fictili ſubditis candentibus prunis, ſubinde uerſata, donec igni cõflagret, & colorem mutet. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sori, Chalcitis, Miſy, acria, urendo eſcharas excitant, & nonnihil aſtringunt, eſſentiæ cõſiſtentia & ſitu differunt. Nam ſori in ſodina infimum ac craſſiſſimum: & quia lapidoſius ac uehementius compactum, in humore non liqueſcit, friando nigrius ceu melanteria apparet, ac ſcintillitat ut Miſy: in multa foramina dehiſcit, olfactu & guſtatu uirus olet, ſuppingue eſt. Miſy grumoſum & fruſtuloſum magis eſt durum, auro ſimile, quod friando auri colorem imitatur, & ſtellæ modo ſplendet, ſummum & tenuiſſimum, & à colore ingenito magis elaboratum, & ſiccius. Proinde ægrius liqueſcit, & corporibus duris admotum ob tenuitatem minus ea mordet, quàm Chalcitis, tametſi æquè calidum. Eadem ratione Chalcitis uſta minus mordicat, & minus aſtringit, non minus tamen ſiccat. Chalcitis ſitu & eſſentia eſt media, æri ſimilis, friabilis, non lapidoſa, promptiſſimè liqueſcit. ea uſta melior eſt quàm non uſta: quia tenuiore eſt ſubſtantia, ut alia omnia uſta, non tamen acriore, quod alijs multis uſtis accidit. Vſta autem omnia lauando mitiora & minus mordacia euadunt.

Soreos pars extima & ſumma in chalcitim, & chalciteos partes extimæ in Miſy tandem tranſeunt: in metallica ſodina, & quo loco ſeruantur, quomodo æri innaſcitur ærugo. Hæc Sori, Chalcitis, Miſy ualenter tergent, Miſy etiam modicè particeps eſt facultatis exedentis. Chalcitis cruda mordax eſt, uim autem eius urendo minuimus, idonea eſt columellæ inflatæ, quando uehementer inueterauit, & curatu contumax eſt. Chalcitis uſta eſt eligenda, quæ urendo cineritia euaſerit, non ἀχροξάνθου, qualis uſtione fit à multis. Chalcitis uſta non minus efficax, ſed minus mordax. B

Miſy. Caput LXVI.

MIſy aſſumendum natione Cyprium, auri ſimile, durum, quod friando auri colorem imitatur, & ſtellæ modo ſplendet. Vim habet & uſtionem cum chalcitide eandem, præterquàm quòd pſoricum ex eo non conficitur, exceſſus defectuſq; ratione tantùm differens. Aegyptium autem cæteris præſtat, utpotè quod efficacius habeatur, ſed ad ocularia medicamenta multò ſupradicto inferius.

Melanteria. Caput LXVII.

MElanteria geminæ eſt originis. quædam in faucibus cuniculorum quibus æs eruitur, talis modo concreſcit. alia uerò in ſumma facie ſupradictorum locorum coit, quæ terrena eſt. quinetiam inuenitur in Cilicia & alijs quibuſdam regionibus, foſſilis quædam. Præſtat, quæ ſulphuris colorem trahit, leuis, pura, æquabilis, & quæ contactu aquæ confeſtim nigreſcit. Vim cauſticam eam obtinet, quam & miſy.

Melanteria Atramentum citrinum, Germanis Gelber bergſchwefel dicitur.

Sory. Caput LXVIII.

SOry exiſtimarunt aliqui melanteriam eſſe, aberrantes. ſiquidem ſui generis eſt ſory, ei non abſimile. uerùm ſorei uirus ineſt graue, & nauſeam mouens. Inuenitur etiam in Aegypto, & alijs quibuſdã regionibus, ut in Libya, Hiſpania, & Cypro: Præfertur Aegyptium, quoq; frianti nigrius apparet, in multa foramina dehiſcẽs, ſuppingue, inſuper adſtringens, & olfactu deuorationeq; magnũ uirus olẽs, ita ut ſtomachus in uomitiones effundatur. quod autem friatum ſcintillas miſyos modo

A modo non emittit,& alterius generis esse,& inualidum censendum est. Vim & ustionem supradictis similem habet.dolori dentium,cauernis inditum medetur,eosq; labantes firmat.ischiadicis ex uino infusum auxiliatur.illitum cum aqua,uaros extinguit.medicamentis admiscetur,quæ capillos denigrant. Hæc autem ferè omnia & alia quæ ustionem experta non sunt,perustis ualidiora esse existimantur,præter salem & uini fecem,nitrum,calcem,& consimilia,quæ cruda remissiora sunt*. combusta enim,uiribus efficaciora redduntur.

* Dissoluuntur.

Sory Officinis Atramentum rubrum,Germanis Roter bergschwefel *appellatur.*

Diphryges. Caput LXIX.

DIphrygis tria genera esse creduntur. Quoddam enim metallicum est,quod in Cypro sola gignitur . lutosum nanq; extrahitur,ex luto cuiusdam inibi specus: extractum,sole siccatur,mox circumpositis sarmentis uritur . diphryges ideo uocatum est,quòd & à sole & à sarmentis uratur,aresçat,& fermè torreatur. Alterum perfecti æris,quasi subsidens fæx est.siquidem post frigidę aquę effusionem,ut suprà retulimus,cùm de flore æris differemus,sublato ære , fornacum ima parte cohærens id genus inuenitur,& adstrictionem & gustum æris habens.Tertium sic fit: Lapidem pyriten,ut calcem multos dies cremant in camino : cumq; colorem rubricæ contraxerit,eximentes recondunt.Quidam tradunt hoc ex sola materia quæ lapidem æris gignit fieri: quando in dictis areis assata & in scrobes translata perunitur: tunc enim ambientem scrobis locum comprehendit,& exemptis lapidibus nihilominus inuenitur.præfertur quod saporem æris reddit, æruginisq;, astringens, & uehementer exiccans linguam. quod sibi exusta ochra non uendicat,quæ cremata,diphrygis uice uænit. Vis eius adstringere, perpurgare,extergere,siccare excrescentia,consumere,ulcera serpentia,& quæ cacoëtheuocant,ad cicatricem perducere.suppurationes terebinthina aut cerato exceptum discutit.

NOMINA ET EXPLICATIO.

B *Diphryges,quasi bistostum, est perfecti æris uelut fex subsidens & cohærens imæ fornacum parti , tanquàm ustorum in foco lignorum cinis,ablato ære uisitur. Duobus alijs modis fit hoc loco Dioscoridi & Plinio : modicè & astringit,& acre est,ut æs ustum,uchementer siccat,ulcera rebellia sanat. ochra usta adulteratur.Germani uocant* Berggrün/ *unam diphrygis speciem.*

Auripigmentum. Caput LXX.

AVripigmentum in eisdem metallis, quibus sandaracha,gignitur. Optimum existimatur crustosum , aureo colore micans , nulli materiæ permistum,in squammas fissile: quale in Mysia Hellesponti nascitur . Huius duo genera fluxerunt.unum supradictum est : alterum (*glandis effigie pallidum) & colore sandaracham imitans,gleboſum,ex Ponto & Cappadocia defertur: quod etiam secundũ locum tenet.Torretur in testa noua uiuis carbonibus subiectis,assiduoq; uersatur, donec igne flagret , & mutet colorem: deinde refrigeratum,tritumq; reconditur. Vim habet adstrictoriam,& erodentem.crustas cum uehementi uredine, & uiolento morsu excitat.reprimit quæ excrescunt,& capillos euellit.

* Quidam hæc non habent.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Arrhenicon à uetustis Græcis,ab huius ætatis hominibus Arsenicum, Latinis auripigmentum: in iisdem metallis,ut auro ,argento,quibus sandaracha gignitur: ob id eadem gleba ambo sæpe mista uidimus: optimum existimatur crustosum,χρυσίζων (sic Galeno quoq; lib.9.& 1.comp.phar.part.) id est, aureo colore micans,nulli materiæ commistum,in squammas tanquàm bracteolas fissile: alterum globosum, pallidum, & colore sandarachon imitans.Vrendo multum sulphur exhalat,in argenti speciem fusum concrescit , sed intus rubet,causticum est nauseasq; cum uehementi uredine & uiolento morsu excitat , hypersarcosin absumit,astringit & rodit, depilat tam non ustum quàm ustum: quod tenuiorum est partium,miscetur digerentibus & tergentibus.

Sandaracha. Caput LXXI.

SAndaracha probatur rufa,& saturatior,& aliena materia uacans,friabilis , cinnabaris colore,sulphuris uirus redolens. Dos eadem & ustio, quæ auripigmento.

to, explet alopecias, resina excepta. scabros ungues cum pice eximit. contra phthiriasin ex oleo efficax est. Tubercula cum adipe discutit. prodest ad narium oris q; ulcera, & cæteras papularum eruptiones cum rosaceo: item condylomata. datur ex mulso, purulenta extussientibus. suffitur quoq; cum resina, aduersus ueterē tussim, rapto per fistulam nidore. uocem expedit, cum melle delincta, suspiriosis cum resina in catapotio optimè datur. A

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sandaracha Arsenico non solis natalibus, sed etiam tota natura affinis, ut coctione sola naturæ uideatur hæc Arsenicum uincere: id enim ustione Sandaracha fit, ut Cerussa trita, mota, probè usta, in sandaracham pictoriam abit Vitruuio lib. 7. Ad hæc Sandaracha licet rubra sit, aqua tamen soluta luteum colorem intensum facit: floridum autem colorem luteum reddit Arsenicum. Dioscoridi probatur rufa, saturatior, cinnabaris colore, sulphur uiuum redolens, friabilis, materia uacans. Auripigmentum rubrum dicitur Scrapioni. Eadem chymistis Arsenicum rubrum dicitur, ut Arsenicum croceum est auripigmentū. Arsenicum autem absolutè his est album naturale & fossitium. Risagalum siue Realgar (quod uocant) in genere est Arsenici in issdem fodinis inuentum. Exedunt sandarachæ. Petræ Asiæ flos. Arsenicum & sandaracha & chalcitis usta, emplastra reddunt flaua uel rufa. Sandarachæ drachm. semissem, & alumen scissile & rotundum naiscet Andromachus stomachicis, lib. 6. comp. phar. part. & misyos Ciprij drachm. 8. apud quosdam iecq; scribit, ibidē. Vide ne cum Arabibus Sandarachen uoces gummi iuniperi, neue uires illius huic attribuas.

Alumen. Caput LXXII.

OMne aluminis genus ferè in Aegypto, & in eisdem metallis inuenitur. etenim scissile quoddam, quasi flos gleboſi intelligitur. Gignitur & in alijs quibusdā locis, in Melo, in Macedonia, in Liparis, Sardinia, Hierapoli Phrygiæ, Aphrica, Armenia, & plerisq; alijs regionibus, sicut & rubrica. Plurimæ eius species uerùm ad medendi usum, scissile, rotundum, & liquidum expetuntur. Optimum est scissile, præsertim recens, candidissimum, gustu perquàm adstringens, grauè olens, calculorum expers, nec glebulosè aut assulosè compactum, sed ſigillatim in capillamenta quædam canescentia dehiscens, quale est quod trichites, quasi capillare nominatur, in Aegypto natum. Reperitur quoq; lapis huic alumini persimilis, qui gustus iudicio dignoscitur, quòd non adstringat. Damnatur in rotundi genere, quod manu cō fictum est: sed ex figura deprehenditur. Assumendum autem suapte natura rotundum, bullis turgens, albo propius, atq; ualidius adstringens, præterea nonnihil pal loris cum quadam pinguitudine præ se ferens, sine arenis, friabile, natione Aegyptium, aut ex insula Melo. Liquidi probatio, ut sit lympidum, lacteum, æquale, & semper succo madens, sine lapidibus, atq; quendam coloris igniculum expirans. Vim habent excalfaciendi, stringendi, & expurgandi, quæ caliginem pupillis, oculorum offundunt genarum carnem, cæterasq; excrescentias extenuant. Scissile rotundo efficacius intelligitur. Vri & torreri chalcitidis modo debent. Putrescentia ulcera compescunt. sanguinis fluxiones inhibent. gingiuas humore prægnantes comprimunt. motus dentium cum aceto & melle firmant. prosunt cum melle ulceribus oris, eruptionibus papularum, & fluxionibus aurium, cum sanguinalis herbæ succo. lepris conueniunt cum brassicæ foliſs* aut melle cocta. item pruritui, & unguium scabritiſs, pterygiſs, & pernionibus, aspersa cum aqua. ualent cum aceti fęce, & galla, pari pondere cremata, ad phagedænas ulcerum, & cum salis duabus partibus, ad uitia quæ pascunt. furfures cum eruo & pice illita abstergunt. ad lendes, pediculos, ambusta cum aqua illita auxilio sunt. contra tumores, & graue alarum inguinumq; uirus, illinuntur. ex Melo autem aduectum, mulieribus præstat ne concipiant, ante coitum ori uuluæ inditum. partus quoq; extrahit. gingiuis, si caro excreuit, uuæ ac tonsillis accommodantur. ori, auribus & uerendis cum melle illinuntur. B

* Succo.

Alij, accommodatur, & illinitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Alumen ab astrictione uehementissima Græcis στυπτηρία dicitur. Germanis Alun/crassarum est partium, maximè liquidum, & placites & pleurithes dictum, à crustæ & lateris forma: minus strongylon, & astragalotes, id est, rotundum in astragali modum: minimum schistum, id est, scissile non in fila, sed digitis friabile. Omne alumen in aqua soluitur, & igni liquescit, tardius scissile, quod sine bullis tandem mollescit.

idem

A *idem aquæ innatat, linguæ & cuti integræ est mordacißimum, adulteratur segmentis lapidis amianthi: sed hæc acrimonia carent, & ex pingui aliquo ardent rediuiuo corpore, aqua merguntur. & integra manent, in filaq; dißiliunt. Alumen scißile colore candidum & præstantißimum, idem tenuius & utilius, lib. 6. comp. phar. par. Et quia rarum inuentu, carius: liquidum contrà, crassum, & uilißimi precij, quia in omnibus regionibus inuentu est facillimum, lib. eodem sexto.*

Sulphur. Caput LXXIII.



SVlphur optimum existimatur uiuum, quod apyron uocant, nitedulæ modo splendidum, perlucens, minimè lapidosum. Probatur in genere sulphuris ignem experti, quod uiret, ac præpingue spectatur. Plurimum in Melo & Lipara gignitur. Supradictum sulphur calfacit, discutit, & celeriter concoquit. prodest tussibus, suspirioßis, purulenta extussientibus, in ouo sumptũ, aut suffitum. præterea partus, usti nidore extrahit lepras, lichenas, scabros ungues, cum resina terebinthina mistum, aufert. cum aceto autem illitũ, ad lepras efficax est. uitiligines tollit. scorpionis ictibus, ãddita resina, medetur. cum aceto uerò, draconis marini scorpionisq; plagas sanat. pruritus toto corpore erumpentes, cum nitro detersum, sedat. regium morbum emendat, insparsum fronti cochlearis mensura, aut in sorbili ouo sumptum. facit ad grauedinẽ, & destillationes. sudores quoq; consperſum inhibet. podagricis, cum aqua & nitro illitum, conducit. grauitatem auditus, suffiti nidore raptim per fistulam hausto, sanat. lethargicos suffitu excitat. erumpentem undecunq; sanguinem sistit. contusis auribus, cum uino aut
Myrrha. melle illitum, medetur.

NOMINA ET EXPLICATIO.


Sulphur omne calidum, tenuis essentiæ, trahit, terget: saliua uel lotio, uel oleo ueteri, uel melle, uel terebinthina exceptum, uenenatis ictibus impositum, sanat. Psoras, lepras, lichenas cum terebinthina tergendo &
B *dißipando persanat nobilißimum est ἄπυρον, id est, uiuum & ignem nondũ expertum, Germanis Lebendiger Schwebel/ignem expertum, quò uirentius, oleosius, pinguius, eò melius. Ex sulphure oleum chymistis efficacißimum, trahitur, fumo eius ardentis in campanam uitream recepto, in oleum concreto, & catmũ subiectum destillante: sed quia ex multo sulphure paucum ascendit, precioſum est. fit & aliter: Sulphur ijdẽ sublimando (ut illi appellant) purgatißimum & clementißimum efficiunt, etiam precioſum eadem de causa. Cuius usum non est quod uereare quorundam imperitorum exemplo: Cùm Galenus uiuum sulphur inpurißimum diamoro stomachico medicamento ad digerendum misceat bis lib. 6. comp. pharm. part. Nocet sulphur achoribus: quia plus quàm par est, eos calfacit atq; digerit.*

Pumex. Caput LXXIIII.

PVmicis probatio, ut magnoperè leuis, spongiosus, sciſsilis, nec arenosus, item teri facilis, & candidus. Crematur flagrantiſsimis carbonibus obrutus: & ubi candauerit, extractus, uino restinguitur odorato: iterumq; incensus extinguitur: & tertia ustione exemptus & per se refrigeratus, ad usus conditur. Vis eius adstringere, gingiuas abstergere. purgat cum calfactione, quæ caliginem pupillis offundunt. explet ulcera, & ad cicatricem perducit. excrescentia cohibet. fit ex farina eius dentifricium. corpori cruſtam obducit. auellendis capillis aptus. Theophrastus autor est, si quisquã in bullientem urceum uini pumicem iniecerit, feruorem statim sedari.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Pumex Germanis Pymsenſteyn/sarcoticis miscetur, dentes polit, facultate deterſiora, & asperitate ut



smiris, testæ, cornua animalium usta: ustus tenuiorum fit partium, & acrimoniam sumit, quam lotione deponit. Nunc scriptoribus propè satis ad papyrum expoliendam cum gummi Iuniperi est usui.

Sal. Caput LXXV.

SAl fossilis efficacior est. cõmuniter, si est candidus, calculis uacans, & perspicuus, densus, æquali compage, peculiariter Ammoniacus natione laudatur, si modò

modò findi facilè possit, & in recta segmenta diduci. In marino sale eligendus est A candidus, æqualis, densus. Probatissimus in Cypro fit, & Salamine Cypri, & Megaris, in Sicilia & Aphrica. Sed inter dicta salis genera lacustris præfertur: sed multò ualidissimus est Phrygius, nomine tapeus, aut tritæus, aut gantæus. Salis natura in commune perquàm utilis est. adstringit, absterget, expurgat, dissipat, reprimit, extenuat, & crustas inducit. sed hoc interest, quòd alius alio sit præstantior. quin & à putredine uindicat. admiscetur medicamentis psoras abstergentibus, excrescentia in oculis reprimit, & pterygia consumit, cæterasq; carnis extuberationes tollit. clysteribus infunditur. discutit lassitudines ex oleo illitus. contra hydropicorum tumores auxiliatur. dolores in saccis fotu mitigat. & pruritus sedat, ex oleo & aceto infrictus ad ignem, donec sudent. item lichenas, lepras, psoras q; anginam ex melle, aceto, & oleo illitus leuat. tonsillis uuæq; cum melle tostus: ulceribus in ore manantibus, gingiuis quas humor uexat, & phagadænis ulcerum, cum polenta crematus illinitur. aduersus scorpionum ictus, cum lini semine: contra serpentiũ* mor- *Viperarum.
sus, cum origano, melle, hyssopo: aduersus ceraften, cum pice, aut cedria, aut melle auxiliatur: contra scolopendræ morsus, cum melle & aceto: aduersus uesparum ictus, & teredines*, albidasq; capitis pustulas, thymos & tubercula, cum seuo uitu- *Crabrones.
lino: furunculos cum uua passa, aut suillo adipe, aut melle discutit. testium tumores cum origano & fermento maturius concoquit. crocodilorum morsibus auxiliatur, tritus, in linteolo, & intinctus aceto, ita ut uinculis loca constringantur. Prodest ad bestiarum morsus, sugillationes in facie, ex melle. Cõtra haustum opium & fungos, cum aceto mulso bibitur. luxatis imponitur cum farina & melle. ambustis ignî cum oleo impositus, pustulas erumpere non patitur. podagricis itidem imponitur, & aurium doloribus cum aceto. ignes sacros & ulcera quæ serpunt cum aceto aut hyssopo illitus sistit. Vritur fictili, diligenter opertus ne exiliat, conditusq; prunis, usquedum efferuescat. Aliqui fossilem subacto polline obliniũt, & carbonibus subijciunt, usquedum eius crusta exuratur. Solet & sal communis hoc modo uri: Aqua semel abluitur, & siccatus in ollam coopertam mittitur, subdito igne, mouetur q;, donec iam non exiliat. B

Spuma salis, spumosi maris lanugo siue ramentum est, in exilibus petris inuentũ, cui uis eadem quæ sali.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Sal tam fossitius, uulgo sal gemmæ, quàm marinus, terget, astringit modicè, ualidè siccat, digerit, lib. 6. comp. phar. par. Per se & cum galla leui attactu gargareonem inflammatum non durescentem in scirrhum: non autem initio, neq; dum augescit, aut cum multo calore uiget: quod si corpus sit plethoricum, aut saltem caput plenum, si initio adhibetur inflammato gargareoni, extrema laboranti noxa infertur. Sed astringit quum tergeat: siccat autem non minus quàm nitrum, aut nitri spuma: sed hæc non astringunt, ob id ceratis mixta ulcerum sordes tergent. Sal ob astrictionem id non præstat. Sal Armeniacus terget, subacris est, leuissimè astringit, humores acres in supercilijs insperſus consumit, à quibus pili malè triti excidunt. Hammoniaco sali similem forma schistum lapidem docet Dioscorides. Sal Hammoniacus ualenter digerit, lib. 6. comp. pharm. part. noster tamen nigricans, quem Officinæ corruptè Sal armoniacum. Germani Salmiax/tam nigricãs, quàm albicans factitius est.

Muria. Caput LXXVI.

MVria effectus salis præbet, abstergitq; dysentericis infunditur, etiamsi nome intestina corripit. & ischiadicis ueteribus. ad fotus, aquæ marinæ usum præstat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Muria, quam Græci ἅλμην. Germani Salzbrunn uocant, est aqua salsa, quæ si recoquitur, iterum ad naturam suam consumpto liquore redit, & sal fit, uti ex Catone liquet libri sui de re Rust. cap. 88. ubi candidum salem facere docet. Est autem nihil aliud muria quàm aqua salsa, uelut etiam ipsum mare salsum existit, sed hoc ex natura, illa arte paratur, prout usus expostulat plus aut minus salsum esse. Quare differt etiam à salsugine uel salsilagine salinarum, quæ etiam ipsa natura salsa est, magis etiam quàm marina, & ad hoc etiã liquida, quum muria etiam durata fieri possit, certa quadam ratione prodita à Columella lib. 12. cap. 6. quanquàm non duram, sed maturam legendum esse credere malim, nisi sæpe & Columella, & Cornelius Celsus, et Scribonius, & Marcellus sic appellarent, ut uidelicet duram & maturam pro eadem accipiamus, cui cruda

A opponatur. Sic dulcem facere docet Columella: Quum salem per aliquot dies uidebis in aqua tepescere, exto intelliges nondum esse muriam maturam. itaq; subinde alium salem tamdiu ingeres, donec in sporta permaneat integer, nec minuatur: quòd cùm animaduerteris, scias habere muriam maturitatẽ suam. Et paulò pòst: Est aliud muriæ maturæ experimentum. Nam ubi dulcem caseum dimiseris in eam, si pessum ibit, scies esse adhuc crudam: si innatabit, maturam.

Flos salis. Caput LXXVII.

FLos salis flumine Nilo defluit. lacubus tamen quibusdam innatat. Assumendus qui crocei coloris est, odore ingrato, ceu gari. interdum longè magis uirus olet, gustúq; mordacior, & pinguiter lentus. Fucatus autem rubrica, aut scrupulosus, improbatur. Præterea syncerus non nisi oleo resoluitur: adulteratus nonnulla ex parte, etiam aqua, diluente factitium colorem. ad ulcera quæ cacoëthe uocantur, & phagedænas, genitalium nomas, & purulentas aureis, efficax est. oculorum hebetudines, cicatrices, albugines q; tollit. emplastris unguentisq; coloris causa, ut rosaceo, miscetur. sudorem cit. aluum turbat, in uino aut aqua sumptus. stomachum malè habet. additur acopis & smegmatis, quæ albandi capilli gratia * componuntur. & in uniuersum acris est, & feruentis naturæ, ut sal.

* Alij, pilos ex palpebris effica citer detrahit.

Nitrum. Caput LXXVIII.

PRæfertur nitrum leue, roseo colore, aut candido, in foramina dehiscens, perinde quasi spongiosum quiddam, quale ex Bunis affertur. Humores euocat, qui in alto concreuerunt. Spuma nitri optima esse putatur leuissima, gleboſa, friabilis, colore penè purpureo, aut spumosa, & mordens, qualis ex Philadelphia Lydiæ defertur: secunda est Aegyptia. quin & in Magnesia Carię gignitur. Vim & ustionẽ salis habet, tam nitrum quàm spuma eius: præterea nitrum tormina sedat, si tritum cum cumino bibatur, in hydromelite, aut sapa, aut aliquibus quæ inflationes discutere possunt, uti ruta, uel anetho, febribus circuitu redeuntibus illinitur, antè suspectam accessionem. miscetur emplastris, quæ extrahunt, & discutiunt, extenuant, &
B lepras abstergunt. Cum aqua autem calida, aut uino infusum, inflationes, purulentas aureis, & tonitus earundem sanat. sordes expurgat, cum aceto instillatum, canũ morsibus ex asinino adipe aut suillo medetur. resinæ terebinthinæ admistum furũculos aperit. aquæ inter cutem cum fico illinitur: oculis ad claritatem uisus cũ melle succurrit: & uenenis fungorum, ex posca potum: aut si bupresti momorderit, ex aqua: ijs uerò qui taurinum sanguinem biberint, ex laserpitio: ijsq; qui cibum non sentiunt, utiliter obducitur: opisthotonisq; iam remissioribus, & luxatis, cum cerato. in resolutione linguæ, pani commodè permiscetur. Aliqui supradicta carbonibus urunt, subiecta prius testa noua, donec incandescant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Nitrum, spuma nitri, aphronitrum, potenter tergent cuti affricta: sin autem nitrum ex tenuibus partibus constans lapidosum est, urendum ac diligenter læuigandum. ἀφρὸς λίτρου, seu ὕφρον, id est, spuma nitri ab Aphronitro differt, (sic χάλκωσ à ἄνθος χαλκάνθου, & ἀνάνθη λευκὴ à λευκανάνθη, & multa alia similiter) illa enim alba est farinæ triticeæ similis, eiusdem cum nitro facultatis & naturæ, sed essentiæ tenuioris: hoc autem in glebas coactum & congelatum, amarum, in balneis sordes terget, & ichoras pruritũ excitantes digerit. Nitrum præsertim bernicum seu beronicum potius lib. 8. metho. siccat, digerit: sumptum autem in corpus incìdit, tenuat crassos & lentos humores multò potentius quàm sal, amarum enim est, cap. 1. lib. 4. simpl. ustum uerò tenuitatem substantiæ adeptum spumæ nitri proximum est. Nitrum rubrum lib. 9. comp. phar. part. Aphronitrum magis quàm hæc incìdit, stomacho inimicum est, ob id nõ deuoratur, nisi gratuis urgeat necessitas. Nitrum uerò sumitur, & aluum subducit. Omnia hæc hodie desiderantur, quorum loco supponunt Officinæ salem petræ (quam uulgo Salpeter & Salniter appellant) purgatum, in panes coactum. Id mentiri satius esset cineribus betæ, brassicæ, & aliorum nitrosorum.

Fæx. Caput LXXIX.

ELigenda fæx maximè à uino uetere, Italico: sin minus, ab alio consimili. Fęx aceti uiribus longè acrior est. crematur ut alcyonium, antè diligenter siccata. Sunt qui noua testa igni largo urãt, usquedũ penitus incendatur. Alij uiuis carbonibus

bus facis glebam obruunt, & idem opus prosequuntur. Experimentum est legitimæ ustionis, ut aërio nitore inalbescat, linguamq; tactu urere uideatur. Eadem urendæ fæcis aceti ratio. Vis ei supra modum urens, & abstergens. ulcera ad cicatricem perducit. adstringit. uehementer exest, siccatq;. Sed recenti utendum est, quoniam celeriter exanimatur. proinde non nisi in reconditorio, & uase aliquo reponi debet. Lauatur, ut pompholyx. Quæ ustionem experta non est, tumores & per sese, & cum myrto cohibet. uentris stomachiq; fluxiones illita sistit. muliebre profluuium, imo uentri aut genitalibus imposita, mitigat. panos discutit nondum exulceratos, & tubercula. rigentes mammas, suiq; lactis impatientes, cum aceto peruncta extinguit. Cremata uerò, ungues scabros cum resina aufert. addito lentiscino oleo, illita nocte tota, rufat capillum. Elota oculorum medicamentis, ut spodos, adiicitur. cicatrices eorum & caligines eadem abstergit. A

Calx uiua. Caput LXXX.

CAlx uiua hoc modo fit: Marinorum buccinorum testas igni condito, aut feruenti clibano, nocte dimittito: postera die, si candidissimæ fuerint, extrahito: sin aliter, iterum urito, usquedum uehementer inalbuerint. dein ubi in aquam frigidam immersæ fuerint, in fictile nouum coniicito, & exactè pannis operiens, noctem unam conquiescere sinito, manè eam extrahens. ubi perfecto omni opere elaborata fuerit calx, recondito. Fit & è littoralibus calculis igne crematis, nec non è uili & fusaneo marmore, quæ cæteris præfertur. Vis omni calci in commune ignea, mordens, adurens, & crustas inducens, quibusdam aliis immista, ut adipi, oleo, concoquendi uim assumit, mollit & dissipat. ulcera ad cicatricem perducit. Efficacior existimatur recens, nec aspersa aquis.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Calx uiua, Germanis Vngeleſchter Kalck/ *uehementer urit, adeò ut crustas efficiat, & mox ubi est extincta, iam diu, non est causticа amplius, sed calida sicca: carnem tamẽ liquat: lota ter quater sine morsu strenuè siccat.* B

Gypsum. Caput LXXXI.

GYpsum uim habet adstringendi, obstruendi. sanguinis eruptiones sudoresq; cohibet. sed potum, strangulationis modo iugulat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Gypsum, Germanis Gyps/ *siccat ut cætera terrea, emplasticum est: cogitur enim, & lapidescit liquore aliquo, ut albumine maceratum, sanguinis eruptionem cohibet, cum tenui farina pilis leporum uel similiter mollibus exceptum: ustum minus est emplasticum, tenuium partium. siccius est, ex oxycrato repellit. Nostrum uerò Gypsum, uti calx, urendo emplasticum magis euadit.*

Sarmentitius cinis. Caput LXXXII.

SArmentorum cinis urendi uim habet. cum axungia autem uel oleo illitus, fractis neruis, articulorum collisionibus, & neruorum nodis prodest. cum nitro & aceto, excrescentias carnis inscroto reprimit serpentium canumq; morsibus illitus ex aceto medetur. crustas obducentibus medicamentis admiscetur. fit ex eo lixiuium contra præcipitationes, & fungorum uenena, cum aceto, sale & melle.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Latini cinerem, Græci τέφραν. Germani Aſchen. *Galli cendre appellant, quicquid exustis corporibus remanet, siue hæc sint lapidum, siue arborum, siue animalium partes. Quare omne lixiuium eius cineris, cuius lotura est, naturam adipiscitur,* Vnde sanè *cùm non unum temperamentum omnis cinis habeat, neq; etiam lixiuium habebit, ut meritò à Galeno reprehensus Dioscor. uideatur, qui omni lixiuio astringentem naturam tribuit, cùm non omnis cinis hanc naturam habeat, ut Galen. lib. 8. simp. docet.*

Alcyonium. Caput LXXXIII.

ALcyonium quinq; esse genera compertum est. unum enim spissum, acerbi saporis, spongiosa facie. item tetri odoris, ponderosum, & piscẽ olens, quod pluri-

A 

mum in littoribus inuenitur. alterum pinnulæ oculorum aut ſpongiæ ſimile, fiſtuloſum, & leue, odorem algę refers. tertium uermiculi forma, & colore magis purpureum, quod Milleſium quidam uocant. quartum ſuccidis uelleribus non diſsimile, multis inanitatibus hians, leue. quintũ figura fungi, ſine odore, aſperum, parte interna quodam modo pumicoſum, foris læue, acre, quod plurimũ in Propontide iuxta inſulam Besbicon appellatam gignitur, patrio nomine halos achnen uocant. Duo priora in fœminarum ſmegmata aſſumuntur. contra lentigines, lichenas, lepras, uitiligines, nigritias, & maculas in facie reliquoq; corpore. Tertium ijs qui difficili urina uexantur, aut arenulas in ueſica colligunt, idoneum eſt. item renibus affectis, aquæ inter cutem, lieni. uſtum autem, & ex uino illitum alopecias replet. Poſtremum dealbandis dentibus aptum eſt. in aliâ ſmegmata, pſilothraq; aſſumitur, cum ſale miſtum. Si quiſquam alcyonium cremare uelit, cum ſale in crudum fictile mittat, & oblinens uaſis ſpiraculum luto, ita fornaci mandet, & cùm figlinum percoctum fuerit, extrahens ad uſus recondat. Lauatur ut cadmia.

Officinæ Spumam maris. Germani Merſchwamm *appellant.*

Adarces. Caput LXXXIIII.

«Galatia. 

B

FIt in Cappadocia* quod adarces appellatur. eſt autem tanquàm concreta ſalſilago, humidis & paluſtribus locis ficcitate emergens, & arundinibus ac herbis agglutinata, colore flori lapidis Aſij ſimilis, & omni forma molli alcyonio, & aliquantũ cano proxima, ut uideri poſsit lacuſtre alcyonium. Ad euellendas lepras, lentigines, lichenas, & uitia cutis in facie, & ſimilia, accommodatur, & in ſumma, uis ei acris. humorem euocat qui in alto concreuit, & iſchiadicis prodeſt.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Plinius adarcæ meminit lib. 16. cap. 27. inter harundines his uerbis Adarcam numerãs: Eſt & in Italia naſcens adarca nomine, & paluſtris: lib. uerò 32. cap. 6. quaſi antelatorum oblitus, inquit, inter aquatilia dici debet. Culaneochus Latinè adarcha appellata, naſcitur circa arundines tenues ſpuma aquæ dulces, & marinæ, ubi ſe miſcent. His uerbis penitus Plinius adarches uidetur hiſtoriam confundere. Satisq; incurioſè de hac diſſeruiſſe, &c.

Spongiæ. Caput LXXXV.

ESpongijs alias mares appellauere, tenui fiſtula, ſpiſſas: quarum duriores tragos nominarunt. fœminas autem, quæ contrarias dotes habent. Vruntur eæ ut alcyonium. Recentes ſine pinguitudine, uulnerariæ ſunt, & tumores reprimunt. recentia uulnera ex aqua poſcãue conglutinant. ueteres ſinus ex decocto melle iungunt. Vetuſtæ autem inutiles. Aridæ ligatæ lino, ſi penicilli modo adigantur, occluſa ulcera, callosq; laxant. ficcæ recentes & uacuæ ſenilia ulcera, quæ fluxione laborant, aut cuniculatim excedunt, impoſitu ſiccant. ſanguinis profluuium ſiſtũt. Crematarum cinis ex aceto, aridæ lippitudini auxiliatur: & ubi quid abſtergere, aut adſtringere opus eſt. Vtilius, in oculorum medicamentis lauare cinerem. Omnium cinis cum pice crematarum, profluentem ſanguinem ſiſtit. Candidæ curæ fiunt, è molliſsimis recentes, per æſtus tinctę ſalis ſpuma, quę petris cohęret: inſolantur inuerſę, hoc eſt, parte caua ſurſum ſpectante, & qua abſciſſæ fuerunt, deorſum. ſi uerò æſtiua ſerenitate ad lunam ſternantur, perfuſę ſalis ſpuma, aut maris aqua, maximum candorem referent.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Spongia Germanis Ein Badſchwam. *Gallis une eſponge appellatur. Lapilli in his reperti, triti, et uino poti*

poti lapides renum erumpunt, non autem ueſicæ, quia tenuioris ſunt eſſentiæ, ſine inſigni calore. Veſicæ tamen calculos rumpere hoc loco ſcribit Dioſcor. ſi ex uino bibantur. A

Corallium. Caput LXXXVI.



COrallium, quod aliqui lithodendron appellarunt, marinũ eſſe fruticem conſtat, qui alto extractus, duratur ſtatim atq; emergit, tanquam offuſo aëre protinus concreſcat. Plurimum inuenitur ad Syracuſas, in promontorio cui Pachyno nomen eſt. Laudatiſsimum, rubens, colore antherici aut ſandycis ſaturatæ, nec ſecus terenti facilè cedens, æquabili uſquequaq; concremento, rurſus algę aut fuci marini odore, quàm ramoſiſsimũ, forma fruticis, cinnamomi æmulum. Quod autem in lapidis duritiam coit, ſcrupuloſum, inane, & lacunoſum, uitioſum exiſtimatur. Adſtringit, & refrigerat mediocriter. excreſcentia coërcet. oculorum cicatrices abſtergit. ulcerum caua, & cicatrices explet. contra ſanguinis reiectiones magnoperè efficax eſt. urinæ difficultati auxiliatur, quin & potum ex aqua lienem abſumit. Quod antipates uocant, corallium eſſe arbitrantur, ſpecie tantùm diſtans, eſt autem colore nigro, arboris figura, ramoſum magis. Vires ſupradicti habet.

NOMINA ET EXPLICATIO.

¶ Corallus lapis Actuario dicitur, λιθόδενδρον aliqui uocarũt, fruticis forma, cinnamomi æmulus, creſcit ad promontoria in mari: aſtringit & refrigerat, contra ſanguinis reiectiones magnoperè efficax. Rubrum & nigrum tantùm facit Dioſcor. hoc loco. albiſsimus tamen hodie etiam uiſitur naturalis, & citra uſtionem.

Phrygius lapis. Caput LXXXVII.



PHrygius lapis, quo infectores in Phrygia utuntur, à qua nomen accepit, naſcitur in Cappadocia. Optimus habetur pallidus, modicè grauis, non ſolida corporis compage, intercedentibus albis ſegmentis, ut in cadmia. Vritur autem uino optimo perfuſus, uiuiſq; carbonibus obrutus: perflatur aſsiduè follibus, donec mutato colore ruſeſcat. rurſus extractus eodem uino reſtinguitur. hoc iterum & trinis uicibus faciendum. attendendum tamen, ne minutim confringatur, & in fuliginem euaneſcat. Vis crudo uſtoq; adſtrictoria, expurgans. ulceribus cruſtas quadamtenus inducit. ambuſtis cum cerato medetur. Lauatur ut cadmia. B

EXPLICATIO.

Phrygius lapis gleba pumicoſa eſt, in medicina, ut Plinius tradit, nullius uſus.

Aſius lapis. Caput LXXXVIII.

ASius lapis aſſumi debet pumicis colore, leuis, fungoſus, item friabilis, ſciſſiles uenas lutei coloris ad imum actas habens. Eius flos, ſalſugo ſubflaua eſt, ſummo lapide inſidens, compage tenui, colore in aliquibus albo, in alijs pumici ſimili, ad luteum uergente. admotus linguæ aliquantum mordet. Vim habet uterq; adſtrictoriam, & modicè erodentem. admiſtus liquidæ pici, aut terebinthinæ, tubercula diſcutit. Longè ualidior flos exiſtimatur. Decætero ſiccatus flos, uetera ulcera & cicatrici repugnantia ſanat. excreſcentia cohibet. tetra ulcera & fungis ſimilia, cum melle expurgat. ulcerum caua explet, & expurgat cum melle: depaſcentiaq; cum cerato ſiſtit. fit cataplaſma ex eo podagris, miſto fabæ lomento: & lienoſis, ex aceto & uiua calce. prodeſt flos ex melle phthiſicis linctu. Podagrici iuuantur, pedibus in ſolio ex eo lapide excauato inditis. Fiunt quoq; pulueres, qui corpora erodunt, & luxuriantem carnem, & corporum craſsitiem abſumunt, cum uice nitri in balneo ſparguntur. Si lauare libet, cadmiæ modo lauatur.

Ex hoc lapide olim fiebant ſarcophagi.

Pyrites. Caput LXXXIX.

A 

PYrites lapidis genus est, à quo æs conflatur. Eligi debet æris similitudine, facilè scintillas ædens. Vritur sic: Melle irrigatus molli pruna continuò flatur follibus, donec rufescat. Alij in multos carbones igni candentes, lapidem copioso melle perfusum deijciunt, & ubi ad fuluum colorem uergere cœperit, extrahunt: efflatoq; cinere, rursus madefactum cremant, donec æquabiliter assiccatus, friabilis reddatur. siquidē sæpe facies summa solum uritur. ita crematus, siccatusq; reconditur. Si eloto opus sit, lauari debet ut cadmia. Tam crudi quàm usti uis est, excalfacere, abstergere, offusam oculis caliginem expurgare, duritias concoquere, & concoctas discutere. resina exceptus excrescentia in carne cohibet, sed calorem quendam & adstrictionem parit. Ita ustum nonnulli diphryges appellant.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Pyrites lapis, de quo æs perficitur, æris aspectu scintillas leui percussu edens: crudus & coctus calfacit, terget, digerit. Validæ autem est facultatis, Galenus libro 9. simpl. Marcasita æris quibusdam dicta uidetur, Ertz stůff.

Hæmatites. Caput XC.

HAematites optimus habetur friabilis, saturato colore niger, durus & suopte ingenio æqualis, nulla sorde admista, nulloq; zonarum discursu. Vim habet adstringentem, & excalfactoriam aliquantū, extenuantemq;. oculorum cicatrices & scabritiam cum melle purgat. cum lacte autem muliebri, lippitudini, fractis, & oculis cruore suffusis conuenit. bibitur contra difficultatem urinæ, & fluxiones mulierum in uino. & ab ijs qui sanguinem reiecerunt, cum succo punici mali. fiunt ex eo coticulæ & collyria, oculorum uitijs apta. Vritur ut Phrygius, sine uino duntaxat. modus ustionis est, ut modicè leuis fiat, & bullis quibusdam intumescat. Sunt qui hæmatiten ita adulterant. Densam glebam rotundamq; schisti lapidis, cuiusmodi sunt quæ eius radices uocantur, in urceum figlini operis, qui feruentem cinerem contineat, condunt, B paucaq; interiecta mora eximunt, experiunturq; si trita ad cotem hæmatitæ colorē reddat. quòd si ita res se habet, reponunt: sin minus, iterum obruunt, & subinde conspicientes, periculum faciunt. siquidem in cinere diu dimissus, colore mutato diffunditur. coarguitur malè confictus, primum scissilibus uenis: quippe in rectos uenarum discursus refringitur, ad hæmatites longè secus se in colore habet: namq; hic floridum reddit, hæmatites uerò saturatiorem, atq; cinnabarin imitantem. Inuenitur in Sinopica rubrica. Fit & è magnete lapide, uehementer ambusto, in Aegypto sponte naturæ cum metallis enascitur.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Hæmatites à sanguinis colore, Germanis Blůtsteyn *dictus: frigidus, astringens, excrescentia reprimit, oculorum uulnera persanat, sanguinis expuitioni ualet, siccat humores, sed minus quàm Cadmia. Nam exhac mida substantia non terrestri constat, & super cotem medicam cum liquore tritus, in succum soluitur: perse uerò in corpus similare minuitur, ut Schistus lapis, non in fragmenta terrestria, ut cadmia.*

Schistus lapis. Caput XCI.

SChistos lapis in Iberia Hispaniæ gignitur. Probatur maximè qui croci colorē æmulatur, friabilis, suapte natura fissilis, concremento & alterno cohærentium uenarum discursu, pectinum modo, ammoniaco sali similis. Vim exhibet hæmatitæ, sed ad omnia infirmiorem. quin & caua replet muliebri lacte perfusus. ad procidentia, rupta, item genarum crassitiem, & uuas oculorum, magnoperè efficax est.

Schistus lapis hæmatitæ uim habet persimilem, sed infirmiorem.

Gagates. Caput XCII.

IN gagatarum lapidum genere, præferendus qui celeriter accenditur, & odorem bituminis reddit. niger est plerunq;, & squalidus, crustosus, perquàm leuis. Vis ei molliendi, & discutiendi. deprehendit sonticum morbum suffitus, recreatq; uul-

uæ

uæ ſtrangulationes. fugat ſerpentes nidore. podagricis medicaminibus,& acopis A
additur.In Cilicia naſci ſolet,qua influens amnis in mare effunditur,proximè oppi
dum quod Plagiopolis dicitur.uocatur autem & locus & amnis Gagas,in cuius fau
cibus ñ lapides inueniuntur.

Gagates lapis colore atro,Germanis Schwartzer Augſteyn/*uoce parum deprauata,dicitur,odore dũ uritur bituminis,ſiccat,glutinat,digerit admotus,in corollis precarijs & ſalinis frequens.*

Alij plures lapides. Caput XCIII.



LApis thracias dictus, naſcitur in flumine quodam Scythiæ,cui Ponto nomen eſt. Vis ei gagatæ. Traditur aqua accendi, & oleo reſtingui: quod in bitumine accidit. Magnes lapis optimus eſt,qui ferrũ facilè trahit,colore ad cœruleũ uergente,denſus,nec admodum grauis. Datur cum aqua muſa,trium obolorum pondere,ut craſſos humores eliciat. Sunt qui magnetem crematũ pro hæmatite uendant. Arabicus lapis maculoſo ebori ſimilis. Is tritus illitu hæmorrhoidas exiccat. eius cinis dentifricio optimus. Galactites appellatur,quòd lacteum ſuccum reſudet,cinerei tamen eſt coloris,ac guſtu dulcis. Ad oculorum fluxiones,ad ulcera conuenienter illinitur.Oportet autem in aqua tritum,pyxide plumbea recondere, propter uim glutini,quod ei obhæret. Melitites omnia galactitæ ſimilis.hoc tantùm intereſt,quòd dulciorem ſuccum remittit.Eiuſdem ut galactites effectus. Morochthus lapis,quem aliqui galaxiam,aut leucographida uocauerunt, in Aegypto B
naſcitur: quo,utpotè molli, & facilè liqueſcente, linteones dealbandis ueſtibus tuntur.Spiracula corporis obſtruere uidetur,conueniens ijs qui ſanguinem expuunt,cœliacis,& ueſicæ doloribus,cum aqua potus.itidem fluxionibus uuluæ, & impoſitus uelleri.mollibus oculorum collyrijs miſcetur.explet enim caua, atq; delachrymationes ſiſtit.idem cerato exceptus, ulcera quæ fiunt in teneris partibus corporis,ad cicatricem perducit. Alabaſtrites uocatus onyx,crematus,reſina aut pice aſſumpta duritias diſcutit.ſtomachi dolores cum cerato leuat. gingiuas comprimit. Lapis nomine thyites,in Aethiopia gignitur,ſubuiridi colore iaſpidem imitatus.cùm diuiditur tamen lacteum ſuccum reddit. Vehementer mordet. tenebras, quæ pupillis obuerſantur,expurgat. Iudaicus lapis in Iudæa naſcitur, glandis effigie,candidus,ſcita admodum configuratione, lineis æqualiter inter ſe diſtantibus quaſi induſtria detornatis.ſolutus nullam qualitatem manifeſtam guſtui repræſentat.Poteſt ciceris magnitudine tritus ad cotem,ut collyrium,cum calidæ aquæ cyathis tribus,potu difficultati urinæ auxiliari,& calculos in ueſica comminuere. Amiantus lapis in Cypro naſcitur,ſciſſo alumini ſimilis: quo,utpotè flexili, telas & uela tantùm ſpectaculi gratia* texunt,quę ignibus iniecta ardent quidem,ſed flammis * *theatus Hermol.*
inuicta ſplendidiora exeunt. Sapphirus lapis,percuſsis à ſcorpione,potu prodeſſe exiſtimatur.contra inteſtinas exulcerationes bibitur.excreſcẽtia in oculis,uuasq; & puſtulas inhibet, & ruptas membranas cogit. Memphites in Aegypto iuxta Memphin inuenitur,calculorum magnitudine,pinguis,uerſicolor. Traduñ trito & illito,quę urenda aut ſecanda ſunt,ſine periculo obſtupeſcere,ita ut non ſentiãt cruciatum. Selenites lapis,quem aliqui aphroſelenon appellarunt, quoniã noctu in- *Ex Plinio reſtituta.*
uenitur lunæ imaginem reddere,quæ cum ea quidem augetur & decreſcit,naſcitur in Arabia,candidus,tranſlucens,leuis.Huius ramenta comitialibus in potu dari iubent.eo ceu geſtamine ad amuleta mulieres utñtur.arbores adalligato eodẽ frugiferæ redduntur. Iaſpidum quædã ſmaragdum imitatur,alia cryſtallũ,colore ſimilis pituitæ; alia nõ diſsimilis aëri,ob id uocatur aërizuſa; alia ueluti fumo infecta,

A quæ capnias ex argumento uocatur. quædam lineis albis & reſplendentibus præcingitur, Aſſyrios appellata. alia terebinthinæ ſimilis, quæ terebinthizuſa dicitur, alia calore callaida gemmam æmulatur. Omnes amuleta eſſe traduntur, & accelerare partum fœmoribus appenſæ. Aëtites lapis eſt ueluti prægnans, cùm quatitur, alio in utero ſonante: Grauidis continet partus, cùm lubricæ ſunt uuluæ & parum tenaces, ſiniſtro brachio alligatus. ſed parturientibus è brachio amoueatur, & feminibus alligetur, ut ſine doloribus pariant. furem deprehendit, ſi quis in pane condi tum offerat, fur enim manſum deuorare non poterit. quin etiam concoctus, furem coarguit: quippe decocta cum eo, deuorare non poterit. tritus, & cerato exceptus, cyprino, aut gleucino, aut excalfaciente, comitiales magnificè iuuat. Ophitæ genera multa. quidam ponderoſus & niger, alter cinereo colore ſpectatur, punctis diſtinctus. tertius lineis quibuſdam candidis intercinctus eſt. Omnes alligati contra capitis dolores, & ſerpentium ictus proſunt. feruntur qui lineas habent, lethargo, & capitis doloribus auxiliari. Lapides in ſpongijs inueniuntur, qui ueſicæ calculos rumpunt, in uino poti. Litho colla glutinum, quo lapides coniunguntur. conflatur autẽ ex marmore, lapide Pario, & taurino glutine. Poteſt candente ſpecillo admotum, incommodos oculis pilos replicare. Oſtracites teſtæ ſimilitudinem habet, cruſtoſus, & in laminas fiſſilis, quo mulieres ad detrahendos pilos, pro pumice utuntur. Menſes drachmæ pondere potus ex uino, ſiſtit. ſi quatuor diebus à purgatione bibitur ſicilici pondere, fœminis præſtant ne concipiant. cum melle autem impoſitus mammarum inflammationes lenit, & nomas cohibet. Smyris lapis eſt, quo annularij ſcalptores lapides expurgant, ad erodendum & urendum utilis. gingiuis, quas humor uexat, prodeſt. dentifricio commendatur. Arena è littoribus ſole feruefacta, hydropicorum tumores exugit, ſi capite tenus in ea obruantur. torreri ſolet ad aridos fotus, pro milio aut ſale. E cote Naxia, quod exacuendo ferro deteritur, illitum alopecias ad pilum reducit. uirginum mammas cohibet, nec increſcere patitur. potum ex aceto, lienem abſumit. & comitialibus prodeſt. Geodes lapis adſtringit, ſiccat, caligines oculorum diſcutit. illitus autem ex aqua, teſtium mammarumq; in-

B flammationes ſedat.

NOMINA ET EXPLICATIO.

Magnes ſiccat hæmatitæ modo, & adſtringit, ad enterocelem utiliter ſumitur, & admouetur. Magnes eſt miraculi, in eo tanquam mundo aliquo polorum cœli rationem ineſſe. Germanis Magnet & Segelſteyn appellatur. Plura de Lapidibus & Gemmis, uide in annotationibus noſtris in Theophraſt. lib. 2. de Gemmis ſiue Lapidibus.

Terra. Caput XCIIII.

OMnis terra ad medendi uſum recepta, ſummam & primam uim habet refrigerandi, meatusq; obducendi, occludendiq;: ſed ſpecie diſtat. cum alia adiunctis quibuſdam ad alia ſit utilis. Eretriades duæ ſunt. una uehementer alba eſt, altera cineritia. Optima habetur ad cinereum colorem uergens, perquàm mollis, quæ ſi per æramenta tractim ducatur, lineam uiolaceam refert. Lauatur ut ceruſa, aut hunc modum. Teritur ſeorſum *, & cum aqua, & ubi peſſum ierit, humor leuiter excolatur: ſiccata ſolibus, iterum teritur interdiu, adiecta aqua, ut ueſpere cõſidat. antelucanis colo excernitur, & demum in ſole trita, ſi fieri poteſt, digeritur in paſtillos. Quod ſi toſta deſideretur, paſtilli magnitudine ciceris in fictile perforatum conijciuntur, oreq; uaſis diligenter obturato, ſupra carbones candentes cõtinenter ſolibus perflantur. ubi uero cinis in fauillas ſe conuertit, aut aëreum colorem contraxit, exempti reconduntur. Vim habet adſtringentem, & refrigeratoriam leuiter, mollientem, caua explet, & ſanguinolenta conglutinat. Samia præfertur candida, leuis, tangenti linguæ glutinis modo adhæreſcens, mollis, ſuccoſa, friabilis, cuiuſmodi eſt quam aliqui collyrion uocant. Duæ enim ſpecies eius. unam antè diximus. altera aſter appellatur, cruſtacea, & cotis modo prædenſa. Vritur ac lauatur ut eretria, uimq; conſimilem habet. ſanguinis reiectiones ſiſtit. fœminis fluxione uuluæ laborantibus, cum flore ſylueſtris punicæ datur. teſtium & mammarum * inflammationes, illita ex roſaceo & aqua, refrigerat. ſudores arcet. contra ſerpentiũ morſus

* *Interdiu.*

* *oculorum.*

morsus & uenena, pota ex aqua auxiliatur. Samius lapis, in Samia terra inuenitur, A
quo aurifices utuntur poliendo auro, ut resplendeat. Probatur candore, & duritia. Vis ei adstrictoria, & refrigerans. prodest stomachicis potus. sensus hebetat. uerùm ad fluxiones oculorum & ulcera, cum lacte efficax est. partus, ut tradunt, adligatus accelerat, & conceptus fœminarum custodit. Chia eligi debet candida, uergens ad cinereum, Samiæ similis. est autem crustosa, albaq; sed fictitijs formis differens. Vis eadem quæ & Samiæ. extendit faciem, & erugat, atq; splendidam reddit, colorem in facie & corpore toto commendat. in balneis pro nitro deterget. Eadem præstat Selinusia maximè laudatur, quæ uehementer resplendet, candida, friabilis, & humore dilui celerrima. Cimoliæ duo genera, candida, & ad purpureum inclinans. Optima existimatur quæ innatam habet pinguitudinẽ, tactuq; frigida sentitur. Vtraq; aceto diluta, parotidas, & alia tubercula discutit. ambusta igni, si statim cimolia oblinantur, pustulas non sentient. testium duritias, & totius corporis collectiones cohibet. igni sacro imponitur. in summa, utraq; multum in medicina commendatur, si incorruptæ originis, nec spuria assumatur. Quæ pinguis dicitur, colore ferè eretriæ similis est, grandioribus tantum glebis: manum si quis admoueat, refrigerabit. tactu linguæ usque adeo glutinosa, ut pensilis hæreat. cui effectus idẽ qui cimoliæ. paulò tamen infirmior. Hanc aliqui pro eretria de uendunt. Fornaceæ testæ uehementer tostæ, crustas ulceribus obducunt: quare prurigini & papularũ eruptionibus medentur. podagricis prosunt. strumas discutiunt, cerato exceptæ. Fornacum terra quæ retorrida fuluescit, eiusdem cum testa effectus. Melia colore cineream eretriam imitatur, aspera tactu. ea digitis friata, derasi pumicis modo crepitat. Vim habet aluminosam, sed remissiusculam, id quod gustu deprehenditur. modicè linguam siccat, purum corpus reddit, & colorem commendat. pilos extenuat. uitiligines & lepras abstergit. pictoribus usum præbet, ut colores diutius perennent. emplastris uiridibus, quæ chloræ dicuntur, efficaciter inseritur. Ex omni Melia terra & omni alia in uniuersum, eligi debet recens, mollis, non lapidosa, friabilis, quæ cùm humorem attigerit, facilè resoluatur. Ex ampelitide terra, quę pharmacitis nomine, in Seleucia Syriæ nascitur, laudatur in primis nigra, piceę lon B
gos* carbones referens, modicè assulosa, æquabili splendore, quę detrita, accepto o- * Partim.
leo, statim eliquescit. Vitiosa censetur candida, & cinerea, quę in liquorem non resoluitur. Vim dissipandi & refrigerandi habet, ad calliblephara additur, tingendis capillis idonea. usus eius ad illinendas uites sub germinationis tempus, utpotè cùm in nascentes uermiculos enecet.

Fuligo pictoria. Caput XCV.

FVligo qua pictores utuntur, ex uitrarijs officinis colligi solet: siquidem ei palma tribuitur. Vis ei ad adstringendum & erodendum efficax. fracta cum rosaceo cerato ad cicatricem perducit.

Atramentum librarium. Caput XCVI.

ATramentum quo scribimus, fuligine è tędis coacta colligitur. in singulas libras gummis, ternæ fuliginis unciæ adijciuntur. Fit etiam è refinarum & pictoria fuligine, de qua paulò antè diximus. Assumitur autem fuliginis mina, gummis sesquilibra, glutinis taurini, atramenti sutorij, singulorum sequiuncia. Additur conuenienter erodentibus medicamentis ambustis, ex aqua commodè crassius illinitur: sed non antè soluatur, quàm cicatricem induxerit. sanatis siquidẽ ulceribus, sua sponte decidit. Cæterum habes, amicissime Aree, ferè qua tradenda duximus pro operis modo, quem destinauerimus, & materiæ auxiliorumq; medicinalium copia.

Finis Libri Quinti.

PEDANII

PEDANII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE VENENIS, QVOQVE MODO ARCEANTVR, VITENTURQ, Liber sextus.

SVPERIORIBVS, amicissime Aree, libris, tradidimus de aromatibus, oleis, unguentis, arboribus, & earundem fructibus, lacrymisq; item animalibus, melle, lacte, seuo, frumentis, oleribus, herbis, radicibus, liquamentis, uinis, metallisq; In hoc uerò totius operis ultimo, facultates medicamentorum recensebimus, quæ prodesse nobis, aut offi cere possunt. Vitata igitur orationis prolixitate, opus inititutum prosequamur. Huiusmodi autem tractatus, cùm bifariam distributus sit, in partem uenena præcauentem, ita ut ne fallant sumentes: aut si quando per imprudentiam dentur, ut tũ quoq; innoxia fiant, irritaq; : & in rationem ijs succurrendi qui iam noxiam sentiunt: primùm differam de præcauendi modo, quem esse difficillimum pleriq; maiorum arbitrantur, quòd dantes clàm uenena, ita insidias temperant, ut peritissimum quenq; decipiant. Siquidem uenena sua amaritudine, permistis dulcibus, spoliant, & graue odoris uirus mistura odoramentorum eximunt. aut medicamenta immiscent, quæ tuendæ sanitatis gratia dari putantur: & præsertim in ualetudine, ut absinthium, tragoriganum, satureiam, aut hyssopum, quinetiam thymum, irim, origanum, abrotonum, castorium, aut si quid medicamentis purgatorijs cognatam habere qualitatem uideatur. aut potionibus inserunt: ut uinis asperis, iuribus, passo, mulsæ aquæ, musto, succis, ut in cremore lentis, polentis . aut medicaminibus, aut alijs quæ assumuntur, edulij speciem referentibus. Quare qui in ea suspicione sunt, cõditos cibos uitare debent, omniq; intenso sapore, dulcium aut salsorum, aut acidorum, abstinere: nec sitibundi affatim bibere, aut esurientes uoraciter comesse, semperq; ad sapo-
B rem horum diligenter attendere, præsertimq; potu frigidam aquam præsumere. Satiatio enim appetitu, qualitates ægerrimè postea concoquantur. In ægris quidem facilè cauemus potiones auxilij prætextu dari solitas, quas offerunt improbi uenificiorum artifices: itaq; ob id laborantes morbo non perinde audentium iniurijs patent. Et hæc quidem ne facilè incauti seductiq; homines capiantur dolis uenificorũ, ratio est & facultas. Sed alia supereſt expeditior, ut suspicioſi aliqua præsumãt, quæ uenenorum uires hebetent, & inefficaces irritasq; reddant: cuiusmodi caricæ sunt cum iuglandium nucibus manducatæ, & quæ cedromela uocant, id est, citria, seminisq; napi drachma cum uino, item folia calaminthæ, aut creta, quæ Lemnia sphragis appellatur, pondere pari cum uino, aut rutæ folia & nucis iuglandis nucleum, aut caricas duas, & salis callum ieiuni sumant, & nullo ueneni genere lædentur. Antidota ex uino sumpta eundem effectum præbent: inter quæ intelligitur magnũ Mithridatium, & quod scinco, & quod sanguine temperatur . Quin & sæpe uenenis obsistunt peculiares quidam corporum affectus, certo quodam modo constitutorum, cùm quadam cibi potusq; qualitate, tum uini copia ita temperatorum, ut cum uenenis dissentiant. siquidem ingesti ueneni uires frangunt, atq; iam priore alimento farctis præclusisq; meatibus, obstant ne membratim per digestionem insinuetur. Verum enimuero, quoniam fortunæ necessitas interdum similia discrimina peregrè agentibus affert, absq; ullis insidijs hominum, nõnihil differendum mihi de hac re necessarium duco. Iam primùm igitur culinam apparare loco subdiali conuenit, cibosq; & potus in huiusce modi loco struere. si id fieri commodè nequit, secunda erit conditio hæc, apparandi apponendiq; sub tecto. Sed tum diligenter laquearia animaduertenda, frequenter enim à superioribus contabulamentis animalia decidunt, exigua quidem, sed quæ non modicam perniciem moliantur, ut phalangia, stelliones, & alia quædam reptilia. Porrò uinaria uasa diligenter intueri oportet: nanq; reptilia odore uini illiciuntur, quæ interdum sorbendo, noxium uirus eructarunt, interdum uerò delapsa immersaq; expirarunt, & exitij causas haurientibus attulerunt. Sed hæc hactenus dicta sint, ne cauti & prouidi insidijs pateant. Quod si

qui

qui sua sponte, aut ex quorundam insidijs sumpserunt, auxiliari primo quoq; tempore oportebit. siquidem dum comites singulorum uenenorum notæ expectãtur, immedicabile fit uenenum, & pauliſper neglectum, medicamentis ægrè cedit. Quare ſi qui pro comperto ſe uirus ſumpſiſſe intelligant, & fateantur, aut eorum qui aderant teſtimonio conſtet, protinus ad idonea remedia tranſeuntes, facilè peculiari natiuæq; conſtitutioni reſtituemus. Neq; enim ijs aſſentimur, qui prorſus auxilia in huiuſcemodi fruſtra adhiberi contendunt. Quo enim modo morbi, quorum cauſæ cæcæ latentesq; corporibus inſident, medicinam admittunt, & quæ forinſecus in currunt uenena, medendi rationem aſpernantur? Aeq; uerò omnes morbi pro cauſarum ingruentium magnitudine, proq; antecedentibus adfectionibus qualitatibusq;, quibus ſit opportunum corpus, uel medicabiles ſunt, uel nullis cedunt medicamentis. Quod ſi qui forſan obtumeſcentes, aut temulenti, aut nolentes alioqui uenenum à ſe egeri, nullam nobis eius cognitionem præbeant, tum protinus accedendum ad ea quæ communiter epotis quibuſcunq; uenenis opitulari conſueuerunt. Atqui nullum magis in omnia ualens auxilium dari poteſt, quàm ut proximo loco uirus foras exhauriatur, priuſquàm inualeſcat. Quare ſine mora, calidum oleum ex aqua, aut ſeorſum, ut uomitare cogantur, dari conuenit. Aut ſi oleum natura loci negat, butyrum cum aqua calida, aut malua, aut lini ſemine, aut tragio, urtica, fœnugræco, aut halicæ decocto, uicem eius exhibebit. Hæc enim non modò uomitionibus exigent ui illa ſua laxatrice, aut nauſeam ciente, ſed aluum quoq; ſubducent, & corporum inanitione ita aduerſabuntur, ut acrimonias uenenorum hebetent. Id quod euidenter huiuſcemodi argumento deprehendere licet: Eſto ut quiſquam ui ua calce uel fæce, aut cantharidibus, aut alio quouis acri, corpus exulcerare ſtatuerit, is ſi ipſum oleo leniter illinat, exulcerationem non accipiet. Atqui neq; uehemẽter adſtringi corpus, neq; refrigerari poterit, ſi antea perungatur. Quinetiam uomitus non ob id modò quòd uacuet, & noxium humorem excernat, iuuamentum adfert, ſed quòd aſſumptum uirus nonnunquam odore, coagulatis grumis aut colore, prodat: quippe cum odore & amaritudine, meconiũ: colore, ceruſam, gypſũmue grumis lac aut ſanguinem animalis recens iugulati oſtendat. Nam grauis odor regeſtorum, leporis marini, aut rubetæ ueneficia deprehendit, ita ut nõnulla ab ijs remedia peti poſsint, ad idonea ſingulorum auxilia tranſeuntibus. Oleo etiam maluæ decoctum admiſcetur, aut glaucium, aut adeps anſerinus, aut pinguium carnium iura, lixiuium lignorum cinere factum. Vbi uerò uomitus diligenter citatus fuerit, ne quid in uentre coierit, quæ hæſerunt inteſtinis reliquiæ, clyſtere acri deuocentur. Facit & nitrum tritum, & cum hydromelite ſumptũ, uina uetera liberalius epota, gallinacea iura, præpingues piſces, uetuſtæ carnes pingesq;, & quæ adipe aut recenti butyro parantur: aluum nanq; ſubducunt, uti diximus. & ſtomachum reſoluentia, proniorem ipſum ad uomitionem reddũt, & uenenorum acrimonias hebetãt: atq; meatus obſtruentia, celerem uirium penetrationem inhibent. Quinetiã medicamenta dantur, quæ communi dote proſunt: ut Lemnia terra, agaricum, abrotonũ, irio, radyx eryngij, ſemen paſtinacæ, & calaminthæ, nardum gallicum, caſtorium, ferulę uirentis medulla, flos rhododendri, ſuccus marrubij, laſer aut laſerpitium, ſagapenum, peucedani ſuccus, aut panacis, & radix quam magudarim appellarũt, ariſtolochia lõga, ſylueſtris rutæ ſemen, & betonicæ, quam ceſtron nominant. folia ſingula cũ uino, drachmæ pondo ſumi debent, effectum præbet polij decoctũ, & ſeſeli, & liquida pix lincta. magnificè ferũt opem antidota, quę in calce ſcripta operis reliquimus. Cõmunis ratio præſtandi auxilij ita ſe habet. Cæterùm ab ijs quæ conſueuerũt euenire, cõmunia remedia ſumptitari poſſunt. Ferè enim uires uenenorũ quàm plurimorum, in affectus conſimiles corpus tandem redigunt. Quam ob cauſam pleriſq; cõmunia conducunt auxilia. uaria etenim ſunt uenenorum genera, communes tamen nec multi ijdem affectus oriuntur. Neq; fieri poteſt, ut omnes concurrentesq; caſus quæ ſymptomata uocant, unum uenenum ſequantur: alioquin ſuperuacanea fuiſſet uenenorum ſingulorum traditio cum ſuis remedijs ab autoribus deſcripta. Neq; uerò in uno eodemq; promptum eſt inuenire, ut quis ſtomachi, alui, inteſtinorum, iecoris, renum, & ueſicæ dolore uehementer crucietur, ut ſingultiat, erodatur, contremiſcat, refrigeretur, obmuteſcat, conuellatur, pulſus elangueſcat, ſpiritus

A difficilis fiat,ueterno prematur,uertigo obuerſetur, caligent ſenſus,ſtranguletur, ſitiat,ſanguis erumpat,febre conflictetur,ægrè lotium reddat,torminibus uexetur, crebrò uomitet,nauſea prematur,rubeſcat,liuore ſugilletur,palleſcat,deſipiat,ſtertat,uiribus deficiat,& pleraq; alia faciat,patiaturq;. ſingula enim in generales affectus deducta,pauca numero & communia ea demonſtrant, quæ euenire conſueuerunt. Quare in ſingulis quæ ſuprà diximus,non facilè fuerit deuoratum uirus cognoſcere.Nam oris & linguæ eroſio,ſtomachi,uentris,ueſicæ ac renum inflammatio,uehemens urinæ difficultas,& interdum cruoris cum eo exitus lancinatio,& in plurimis partibus quidam aduſtionis ſenſus, non in cantharidibus modò potis reperiuntur,ſed in erucis quoq; pinorum,& bupreſte,& ſalamandra. Porrò non modò eos qui meconium hauſerunt,ueterno aut ſopore premi,ſtertere, liuore ſugillari,torpere,refrigerari,ſtupeſcere,toto corpore pruritum ſentire,ſenſu priuari conſtat,ſed eos etiam qui mandragoram aut cicutam deuorarunt. Delirium non hyoſcyamus tantùm infert,uerumetiam quæ toxica appellantur. itidem aconitum,& mel quod in Heraclea Pontica gignitur. Strangulatio non minus in fungis,quàm in ſanguine taurino,lacte,aconito,ceruſa,gypſo conſpicitur.In ſumma,difficile unũ uni ueneno proprium inuenire ſignum, quod hauſtum guſtatumq; uirus prodere poſsit: maximè,quod hæc cæterorum etiam uitiorum,quæ in corpore exoriuntur, communia ſequi ſolent.Cæterùm in his quæ celeriter enecant, noxam ſignis forſitan indicare poſsis,ſi ad ea reſpexeris quæ ſumus dicturi. Sed in ijs qui ad longas ægritudines ſpectant,nihil ad medendi rationem difficile, duntaxat quod pertineat ad indicia noxæ,utpotè cùm uenena ſtatim atq; præſentaneam uim illam perdiderunt,tranſmutata in longos adfectus,communia reliquorum uitiorum remedia, compoſitionesq; flagitent,cùm uenefica proprietas non amplius inſit. Si uerò longa ſit affectio, in aliquod diuturnorum morborum genus recidet, à quibus facilè fuerit medendi rationem aſſumere. Sed de ijs quæ generaliter auxiliantur,hactenus. Conſequenter quæ priuatim ſingulis proſunt, ſcriptis mandabimus,ſi prius ſigillatim expoſuerimus,quæ ex ſingulis ordinibus exitialem aut maleficã uim for-

B tiuntur,ut medicinæ ſtudioſi ea cautè obſeruent,quæ ad rationem ſalutis ſcripta inueniuntur,quòd nonnulla eorum quibus utuntur uenenis ſint commiſta.Incuria enim magnas adfert noxas,& ſæpe continuo uſu eorum,homo in perniciem agitur. Proinde animalia quę exitioſam uim habent,hęc ſunt: cantharides,bupreſtis,ſalamandra,pinorum eruca,lepus marinus,tubera,& rana paluſtris muta, deuoratæ hirudines.Semina ſunt: Hyoſcyamus,coriandrum,cicuta,gith, pſyllion. Liquamenta: meconium,opocarpaſon,thapſiæ ſuccus,elaterium,mandagoras. Radices,quas mittit chamæleo,aconitum,thapſia,ueratrum,ixia,agaricum nigrum,ephemerum, quod aliqui Colchicum uocant,quod in Colchide naſcitur. Herbæ oleraq; : ſmilax,quam aliqui tithymalum appellant. Romani taxum: ſolanum manicum,quod & dorycnium dicitur : ſardinia herba,quæ ranunculi genus eſt : corniculatum papauer,pharicum,toxicum,ruta ſylueſtris,fungi.ab animalibus,taurinus ſanguis recens,coagulatum lac,mel Heracleæ in Ponto genitũ,metalla,gypſum, ceruſa, calx, auripigmentum,duo ſandarachæ genera,ſpuma argenti,adarce,plumbum,& quod argentum uiuum dicitur.E liquoribus domeſticis : uinum abundè poſt balneas potum,aut paſſum,& frigida aqua ſimiliter.

In hunc ſextum & ultimum libuit Dioſcoridis nihil annotare librum, candide Lector, cùm ea omnia quæ hic liber comprehendit, fuſius copioſiuſq; teſtata ſint à nobis in commentarijs noſtris de ui & natura animalium, Latinè & Germanicè conſcriptis: de uenenis porrò atq; eorum Antidotis leges noſtras annotationes in libellos de uenenis Arnoldi Nouicomenſis & Petri Apponenſis. quos in hac re amplius conſulere potes.

Cantharides. Caput I.

QVibus datæ ſunt cantharides,ſigna eueniũt grauiſsima.Ab ore enim ad ueſicam uſq; cuncta erodi ſentiuntur.picem aut ſimile quiddam cedriæ reſipiunt.dextra præcordia inflammantur. urinam ægrè reddunt, & ſubinde cum lotio ſanguinem emittunt.ſtrigmenta non ſecus atq; dyſentericis, aluo deferuntur. faſtidia urgent,animo linquuntur,abortaq; uertigine concidunt.poſtremò mente abalie-

nantur.

nantur. Ergo antea quàm tale nonnihil accidat, dato oleo, aut ſupradictorum aliquo, uomere cogantur. mox ubi uomitione plurima reiecerunt, halicæ aut orizæ, tragi aut ptiſanæ cremor, ad decoctum maluæ, aut ſeminis lini, aut fœnigræci, aut radicum althææ, quam Latinus ſermo ibiſcum appellat, clyſtere infundatur. præterea nitrum eiſdem dandum, ex hydromelite, ut quæ ſtomacho adhuc aut inteſtinis adhærent, eluendo excernantur, ac deſcendant. Quæ niſi ſic diſcutiantur, ingeſta in aluum ex nitro aqua mulſa, uacuari debent. detur deinde uinum aut paſſum, in quo pineoli nuclei, aut cucumeris ſemina cõtrita ſint, aut ex lacte, aut mulſa, aut anſerinus adeps in paſſo liquefactus. inflammatæ autem partes, hordei farina cum mulſa decocta perungantur. Ab initio admota cataplaſmata nocent, quòd citatus ab eis calor, illapſum uirus ita remoratur, ut in principes ſe parteis inſinuet. ipſa tamen interiecto tempore, moleſtiſsimis inflãmationibus opitulantur, utpotè quæ dolores & permulceant & leniant. tum ubi corpus calfaciente oleo inunctum fuerit, in ſolium deſcendere oportet, ac lauare, ut per cutem ſummam quæ corpori noxia inhæſerunt, etiam excernantur, & deiectiones multifariam moliri oportet, ne affectus infigatur, & ſtabilitatem capeſſat. Gallinaceis carnibus & hœdinis, aut ſuillis catulis maximè pinguibus & tenerrimis, ac cum lini ſemine coctis ueſci debent: ſiquidem aluum cient, atq; uenenorum acrimonias hebetant. Vinum dulce liberalius ebibatur. Prodeſt thuris cortex, & Samia terra, quæ aſter appellatur, ſi quaternæ ſingulorum drachmæ cum paſſo* ſumantur. item pulegium ex aqua tritum. irinum aut rõ ſaceum, cum rutæ decocto: recentes uitis ramuli, cum paſſo detriti. Longè omniũ potentiſsimè antidota auxiliantur, cum aqua mulſa, drachmis quatuor pota. A *Paſſi drachma.

Pinorum erucæ. Caput II.

ILs qui erucas pinorum hauſerunt, illico dolor in ore & palato exoritur. uehemẽs alui, linguæ ac ſtomachi inflãmatio torquet. inteſtina dolor excruciat, ita ut pruriginem ſentire uideantur. corpus totum exæſtuat. faſtidium urget. Quibus eſt ſuccurrendum remediis, quæ deuoratis cantharidibus dantur. Peculiariter tamen pro ſimplici oleo & irino, melinum, quod è cotoneis pomis & oleo temperatur, accipiemus. B

Bupreſtis. Caput III.

QVi bupreſtin biberunt, non diſsimile nitro uirus ſapiũt. ſtomachi uentriſq; uehemens dolor inſequitur, tam uenter quàm ſtomachus mirum in modũ, ut in aqua inter cutem, difflatus inturgeſcit. Vniuerſa corporis facies contenditur, urina ſupprimitur. Quibus eadem quæ potis cantharidibus auxiliantur. Priuatim poſt uomitus & uacuationes, quas clyſteribus molimur, aridæ ficus proſunt. item earum decoctum, ex uino. ubi uerò iam ferè pericula inclinantur, Thebaicarũ palmularum cibo, aut earundem tritarum in mulſo aut lactis potu, iuuantur. pyrorum etiamnum omne genus eſſe, & lac humanum bibere, conuenit.

Salamandra. Caput IIII.

SI Salamandram hauſerunt, linguæ inflammatio conſequitur. mens & ſermo præpeditur. tremor cum torpore aut horrore quadam ac exolutione accedit. partes nonnullæ corporis liuoribus circunquaq; ſugillantur: ſæpeq;, diutius immorante ueneno putreſcentes defluunt. Quibus præſtabimus cuncta quæ potis cantharidibus. Peculiaria uerò remedia, reſina pinus, aut galbanum ex melle linctum, & aiugæ decoctum, in quo nuclei pinei conterantur: urticæ quoq; folia, cum lilijs & oleo decocta. proſunt etiam oua teſtudinis marinæ aut terreſtris, cocta: item ranarum ius, cum quibus eryngij radix incocta ſit.

Ephemerum. Caput V.

SVmpto ephemero, quod aliqui Colchicon, aut ſylueſtrem bulbum appellãt, pruritus in toto corpore excitatur, non ſecus atq; ijs qui urtica aut ſcilla laceſſuntur. interna roſionem ſentiunt. ſtomachus cum ingenti grauitate exæſtuat. cæterùm inualeſcẽte morbo, cruor ſtrigmentis admiſtus, per aluum exigitur. Quibus, ut ijs

A qui ſalamandram hauſerunt,uomitione aut clyſteribus auxiliari conueniet. ſed antea quàm uenenum inualeſcat,dandum eſt decoctum frondium quercus,aut glandium,aut malicorij.lac bibere prodeſt,in quo ſerpyllum ſit decoctum . item ſuccum ſanguinalis herbæ,aut ramorum uitis,aut rubi,aut medullæ recẽtis ferulæ,aut myrti cum uino: baccæ autem myrti tuſæ tritæq;,& aqua maceratæ, ut liquor inde ſumatur,opem ferunt.media caſtaneorum tunicula,ſimilem effectum præbet, ſi cruda in aliquo ſuprà dictorum ſucco ſumptitetur. origanũ quoq; cum lixiuio epotũ eximiè iuuantur aſinini lactis aut bubuli calidi potu,etiam ſi in ore contineant: ita ut quibus copia lactis huius adſit,non aliud deſideretur.

Dorycnium. Caput VI.

DOrycnion,quod aliqui manicon ſolanum appellarunt, epotum, lactis ſaporem in guſtu refert . continentes ſingultus ciet, humor linguam uexat, ſanguis confertim reijcitur . mucoſa quædam perinde quaſi dyſentericis,aluo egeruntur . Itaq; antequam aliquid ex ijs eueniat,auxilio ſunt antedicta,uomitus,clyſter, & quæcunq; potum uenenum expellere poſſunt.Priuatim ijs opitulatur aqua mulſa,lac caprillum,aut aſininum,dulce uinum, quod tepidum cum aniſo bibatur , amygdalæ amaræ,gallinacea pectora decocta.quinetiam conchylia omnia,tam cruda quàm toſta eſſe ſalutare eſt.conueniunt & locuſtæ marinæ,& gammari, & potæ eorundem iuſcula.

Aconitum. Caput VII.

AConitum ſtatim in lingua inter bibendum,cum aſtrictione quadam dulceſcit: & ſubinde,potiſsimùm cùm exurgere conantur,uertigines offundit.lachrymas ciet.grauitatem pectori,& præcordijs adfert,ſimulq; crebri ſpiritus deflantur. Quare uenenum uomitione abigi aut clyſtere per aluum egeri opus eſt.utimur inter propinandum,origano,ruta,marrubio,uel abſinthij decocto , cum uino abſinthite,uel ſemperuiuo, uel abrotono,uel chamelæa,aut aiuga.prodeſt etiamnum opobalſami drachma,cum melle aut lacte,cum caſtorio,pipere,& ruta,æquis ponderibus ex uino.coagulum hœdi,leporis,aut hinnuli,cum aceto. ferri quoq; ſtercus, item uinum in quo aurum,ferrum,argentũm uę candens reſtinguatur, potum.lixiuiaq; cum gallina & uino decocta.aut carnium bubularum præpinguium iura, cũ uino ſumpta.fertur & aiuga priuatim ipſis ſubuenire.

B

Mel Heracliæ. Caput VIII.

MEl in Heraclia Ponti,ubi aconitum gigni ſolet, inuenitur, quod qui edunt bibũntue,non ſecus afflictantur,quàm qui aconitum ebiberunt . Iis eadem quæ poto aconito conueniunt.adiuuantur inprimis continuo uini mulſi potu,cui rutæ folia ſint adiecta.

Coriandrum. Caput IX.

CORiandrum ob odorem latere non poteſt.epotum autem uocem exaſperat.inſaniam adfert,à temulentijs non abhorrentem . qui ſumpſerunt,pudenda dicta blaterant,totiusq; corporis odore,uenenum fatentur. Quibus poſt uomitionem irino oleo concitatam,uti retulimus,merum & per ſeſe,& ex abſinthio potum, auxiliatur,item oleum.nec ſecus ouа in eodem exinanita, ſi liquefacta * in muria ſorbeantur.& epota muria,& ius ſalſum ex gallina & anſere.paſſum quoq; cum lixiuia ſumptum.

* Tepefacta.

Pſyllium. Caput X.

PSyllion epotum,corpori toti frigus & torporem cum exolutione & mœrore quodam affert,ita ut animum deſpondeant. Cui omnia quæ ex hauſto coriano auxiliantur.

Cicuta. Caput XI.

Cicuta pota uertiginem excitat, oculisq; caliginem offundit, ita ut ne minimum A
cernatur. fingultus ciet, mentem turbat. extremi artus gelantur, deniq; conuul
si, suppresso arteriæ spiritu, strangulantur. Quare inter initia, uti in reliquis, cicu-
tam uomitu excutiemus. postmodum deiectionem moliemur, ut quod ad intestina
prolapsum sit, excernamus. tum demum in meracam potionem, quæ maximo est au
xilio, deueniemus repetendum per interualla, in quibus proderit lac asininum, aut
bubulum potui datum, aut absinthium cum pipere & uino, castorio, ruta, mentha
cum uino, aut amomi, cardamomi, aut styracis uncia, * aut piperis cum semine ur- * drachma.
ticæ & uino, aut lauri folia. item laser ex oleo & passo, & passum per sese largius
potum proficit.

Taxus. Caput XII.

Smilax, à quibusdam tithymalum, à Latinis taxus appellatur: frigus uniuer-
so corpori, strangulatus, & celerem interitum infert. Cui eadem quæ cicutæ
conueniunt.

Carpasi succus. Caput XIII.

Potus carpasi succus soporem, citamq; strangulationem adducit. Adiuuantur
autem qui hauserunt, epotæ cicutæ remedijs.

Sardonia herba. Caput XIIII.

Sardonia ranunculi herbæ generi assignatur, quæ uescentibus mentem adimit,
& quadam neruorum distentione labia in rictum contrahit, ut risus speciem
præbeant. à qua quidem affectione, de Sardinio risu adagium in uulgus infausto o-
mine manauit. Post uomitum peculiariter conuenit aqua mulsa & lac, liberalius e-
pota, irrigatio, perunctoq; à pinguibus medicamentis, totum corpus excalfacienti-
bus. in calidam aquam oleumq; descendant. sed tum multum perfricare & inungere
expedit. & in summa, curam omnem, quæ conuulsioni neruorum adhibetur, exe-
qui oportet. B

Hyoscyamus. Caput XV.

Hyoscyamum potum aut comesum, similem ebrijs abalienationem mouet, sed
facilè medicamentis cedit. Auxiliatur aqua mulsa copiosè data, lacq;, præser-
tim asininum. si id desideratur, caprillum, uel bubulum, uel aridarum ficuum deco-
ctum. faciunt ad id etiam nuclei pinei, aut cucumis semen ex passo sumptum, & ui-
num salsum cum adipe suillo recenti, passoq;: itidem urticæ semen, aut nitrum ex a-
qua, & intubus erraticus, & sinapis, & nasturtium, radix, cepa, & allium. & hæc sin-
gula cum uino sumantur: * postea sinendi quiescere, quemadmodum qui uinũ bi- * Alij, pòst quie
berunt, ut excoquant. scant, ut uinum
concoquatur.

Mandragora. Caput XVI.

Mandragora si bibatur, confestim sopor insequitur, exolutio, ac uehemens ut-
ternus, nihil temerè distans à lethargo. Cui, antequàm aliquid ex ijs accidat,
uomitus & aqua mulsa proderit. postea nitrum & absinthium, ex uino dulci aut
passo sumãtur. caput rosaceo & aceto perfundatur. proficit excitatio, & motus cor-
poris, & olfactus eupatorij, & piperis, sinapis, castorij, & rutæ, tritorum in aceto: &
liquidæ picis, & odor è lucernarum exustione & extinctu. quod si ægrè ij reuocẽtur,
sternutamenta mouere, alijsq; communibus auxilijs ut conueniat.

Meconium. Caput XVII.

Epoto papaueris succo, quem meconion uocant, consequitur ueternus cum per
frictione & pruritu uehementi. ita ut sæpe inualescente ueneno, tanta erumpat
prurigo, ut hominem excitet. corpus id medicamentum olet. Post citatam oleo uo-
mitionem, acres clysteres auxiliantur, acetumq; mulsum cum sale potum, aut mel
cum rosaceo calido, merum cum absinthio aut cinnamomo copiosum, aut calidum
per se acetum, nitrum ex aqua, & origanum cũ lixiuia aut passo, & rutæ syluestris

A ſemen cum pipere,uino,& panace: piperq; cum caſtorio & aceto mulſo,uel cum ſaturciæ aut origani decocto cum uino.hi olfactilibus excitandi.ob enatam prurigi nem in balneas deſcendant,& foueantur. poſt lauacrum prodeſt iurium pinguium uſus,eum uino aut paſſo. medulla etiam ex oleo pota.

Corniculatum papauer. Caput XVIII.

QVod corniculatum papauer appellant, & potu & cibo eadem inferre conſueuit,quæ papaueris ſuccus: nec alijs expugnatur auxilijs.

Pharicum. Caput XIX.

QVod Pharicon uocant,ſapore ſylueſtre nardum imitatur.Reſolutionem neruorum potum affert,cum conuulſione & delirio. Oportet autem poſt uacuationes uinum abſinthiten potui dare,cum cinnamomo,aut myrrha,aut nardo gallico,quod ſerinen aliqui uocauerunt: aut ſpicæ nardi duas drachmas , & myrrhæ totidem obolos , cum paſſo,aut irim cum croco ex uino,deraſumq; caput illinire hordeacea farina cum aceto,& trita ruta.

Toxicum. Caput XX.

TOxicum ex eo nominari uidetur , quòd barbarorum ſagittæ eo illinebantur. Qui biberint,labiorum & linguæ inflammatione torquentur. incoërcitus furor uarias ijs imagines obſeruat: quare uix medicinæ locus eſt: raroq; , qui hauſerunt,euadent.Vinculis ergo cohibendi,ut uinum dulce cum roſaceo bibere,& reuomere cogantur.rapi ſemen bibendum cum uino.Priuatim ijs conuenit,quinquefolij radix,& hircinus ſanguis,aut caprillus,eodem modo ſumptus.roboris,fagi,aut ilicis cortex cum lacte tritus.malaq; trita eſſe,aut cum pulegio & aqua bibere, conueniet.amomum & balſami ſemen ex uino.Sed qui periculis defuncti ſunt,diu lectiB cis decumbunt,& ubi ſurrexere,ſtupidi reliquum tempus degunt.

Ixia. Caput XXI.

IXIa,quæ ulophonon appellatur, inter potandum aliquid ocimo ſimile guſtu & odore redolet.uehementem linguæ inflammationem excitat,mentem mouet,omnes excrementorum exitus ſupprimit.ſtrepitum cum animi deliquio ciet. ijs intestina latrant,nec egeritur quicquam. Poſt uomitionem aluumq; reſolutam,auxilium præſtat aqua,in qua abſinthium maduerit,ex uino largiore,aut aceto mulſo pota. rutæq; ſylueſtris ſemē,aut laſeris radix.item tragorigani decoctum, cum aliqua ſupradictorum,aut lacte,aut reſina terebinthina*, aut nardo,aut caſtorio, aut laſerpitio,quorum ſinguli oboli conueniunt.quin & nuces iuglandes ex uino , cum reſina,caſtorio,& ruta tritæ,ita ut ſingula drachmæ pondus æquent. itidem chamelæg aut thapſiæ aut abſinthij ſucci ſicilicus cum aqua mulſa.& acetum calidum potum.

* Abiegna.

Ceruſa. Caput XXII.

CEruſa ſuo colore proditur. ſumpta enim,mox palatum,gingiuæ,linguam,& cōmiſſuræ dentium,candore quodam inficiuntur.ſingultus,tuſsim, ac linguæ ariditatem excitat.ijs extrema frigeſcunt,mens labat,membra torpeſcunt. Quibus dare conuenit aquam mulſam,aut ficuum,aut maluæ decoctum,aut lac calidum,aut ſeſamam ex uino tritam,uel lixiuiam ex ſarmentis factam . amaracinum oleum aut irinum.perſicorum oſſa cum hordei *decocto. columbina oua cum thure,aut hordei decocto,aut prunis,aut gummi quod ulmus plorauit, aut humor quem ulmeæ folia reddiderunt,cum tepida aqua.ſed tum quoq; uomant. conuenit etiam thapſiæ ſuccus,aut ſcammoniæ,cum aqua mulſa potus.

* Lilij.

Fungi. Caput XXIII.

FVngorum alij genere,alij copia lædunt. omnes tamen ſtrangulatus ſuſpendio ſimiles concitant,Quibus confeſtim ſuccurrendum , communiter ex oleo uomere

mere cogendi.mirificè iuuat lixiuia ex ſarmentis aut pyraſtri ſurculis, epota cum ſale,poſca & nitro.fructus,aut folia pyraſtri cum fungis decocta,ſtrangulantem illam uim auferunt,eſitataq; eiſdem auxiliantur. aduerſus fungos gallinacea oua cũ poſca proficiunt,adiecta ariſtolochiç drachma.item abſinthium cum uino melleq; ſumptum,& ex aqua potum.apiaſtrum ex nitro.panacis radix & ſemen in uino.fœx uini cremata cum aqua.atramentum ſutorium ex aceto. radix,uel ſinapis,aut naſturtium eſu proſunt. A

Gypſum. Caput XXIIII.

LApideſcens gypſum ſtrangulationem creat: quare eadẽ proferenda ſunt,quç manſis fungis,auxilia.ad hæc maluæ decoctum,quod etiam olei uicem penſat. utpotè cùm pingue ſit,euomendoq; lubricas uias & faciles reddit, deradi corpora non ſinit.quod ubi duratur in lapidem,gypſum efficit. quinetiã prodeſt oleum ex aqua mulſa,aut ficorum decocta.lixiuia è ficulneo cinere, aut ſarmẽtis facta, cum uino copioſiore pota.origanum aut thymum cum lixiuia,aut aceto,aut paſſo.hiq; decocto maluæ proluendi.

Sanguis taurinus. Caput XXV.

TAuri recens iugulati ſanguis, epotus, ſpirandi difficultatem ſtrangulatumq; concitat.faucium tonſillarumq; meatus cum neruorum diſtentione* præcludit.lingua rubeſcit.dentes inficiuntur . quædam concreti ſanguinis ueſtigia,inter eorum commiſſuras reſtant.quare uomitum uitabimus. ſanguinis enim globi attractu illo in ſublime relati,magis gulæ inculcantur. Dari ergo opus eſt quæ concretum ſanguinem diſcutiunt,aluum ſubducunt . groſsi lacteo ſucco turgentes ex poſca,& nitrum per ſeſe,auxiliantur.nec ſecus coagulum omne cum aceto & laſerpitij radice,aut laſere.itidem & braſsicæ ſemen,è cinere ficulneo lixiuia. conyzç folia* cum pipere,& rubi ſuccus ex aceto aluus reſoluenda.ijs qui ſeruantur,ſtercorosa & fluida per ſedem egeri conſueuerunt. ſtomachum aluumq; hordeacea farina ex aqua mulſa perungere oportet. *Conuulſiones. *Semina. B

Lac coagulatum. Caput XXVI.

EOs qui coagulatum lac hauſerunt,frequens illico ſtrangulatio inuadit, quòd in globulos quoſdam lac coaleſcat. Quibus iuuandis pro antidoto, coagulum ex aceto damus,& bibere ſæpius cogimus . damus & calaminthæ folia arida,item ſuccum.aut laſerpitij radicem,aut laſer cum poſca. thymumq; ex uino*, & cum luto ſuo lixiuiam.Sed nulla ſalſilago obijciatur,quoniam magis lac coiret, & in caſeũ denſaretur.Neq; illos uomere conuenit: ſiquidem concretum lac ſeſe ingulæ angustias inſinuans, ſtrangulat. *Aceto.

Argenti ſpuma. Caput XXVII.

SPuma argenti pota,ſtomacho,uentri,& interaneis grauitatem cum magnis torminibus adfert,& nonnunquam pondere ſuo inteſtina uulnerat,urinam ſupprimit.corpus intumet,plumbeamq; deformitatem concipit. Quibus ſubuenit ſecundum uomitionem,potum ſylueſtris hormini ſemen,myrrhæ drachmæ octo,abſinthium,hyſſopum,apij ſemen,aut piper, aut liguſtri flos ex uino, aridum palumbis ſimum,cum nardo & uino.

Argentum uiuum. Caput XXVIII.

ARgentum uiuum potum eadem quæ ſpuma argenti infert,eiſdemq; utendum auxilijs.lac copioſè potum auxiliari cõſtat. ſed poſtea euomant,qui hauſerũt.

Calx,Sandaracha,Auripigmentum. Caput XXIX.

CAlx,Sandaracha,& Auripigmentum, pota aluum & inteſtina cum uchementi eroſione excruciant. Præbenda cuncta quæ ſuo admiſtu illorum acrimoniam

A hebetant, ac soluunt, & facilem lubricamq; aluum reddunt, cuiusmodi ibisci & mal uæ succus est. natura enim utriq; perlubrica. dandum decoctum seminis lini, uel semen tragi herbæ, uel orizæ, lacq; cum aqua mulsa copiosum, iura pinguia, & boni succi.

Lepus marinus. Caput XXX.


QVi leporem marinum biberunt, piscium uirus olent: procedente tempore, aluus dolore afficitur, urina sistitur. etsi quando eam reddere contingat, purum colorem referet. omne piscis genus aduersantur & odio habent. fœtido ac graui sudore manant. biliosus uomitus, interdum sanguini promiscuus, subsequitur. His dandum lac asininum, uel passum continuè, aut radicis maluæ foliorumq; decoctum, aut trita cyclamini radix cum uino, aut ueratri nigri, aut scammonij succi drachma, cum aqua mulsa, puniciq; mali acinis. cedria contrita cum uino efficax est. anserinus sanguis, ut tepebit, potus, sed cùm pisces omnes respuant, aspernenturq; solis fluuiatilibus crancris uesci possunt, bibuntq; eos admisto uino, adiutiq; ab his percoquũt: cumq; appetere & comesse pisces cœperint, suæ salutis indiciũ habent.

Rubeta & palustris rana. Caput XXXI.

RVbeta aut rana palustris assumpta, tumores ciet. pallor corpus uehementer decolorat, ut planè bucceum spectetur. spirandi difficultas torquet, & grauis halitus oris, singultusq; inuita interdum genituræ profusio consequitur. A diuuãtur secundum uomitionem multo meri potu, & arundinis radicis binis drachmis, aut cyperi totidem. breuiter, cogendi sunt ut uehementi ambulationi & cursui se credant, ob torporem quo corripiuntur, quinetiam quotidie lauandi sunt.

Hirudo. Caput XXXII.

B



DEuoratæ cum aqua hirudines, si ori uentriculi adhærent, tractione partium nonnullam suctionis imaginem prębent: eo enim argumento hausta hirudo deprehenditur. Has muria sorbitione excutit, & Cyrenaicus succus, aut laserpitij folia, aut betæ, cum aceto, aut pota niuis glebula, cum posca. nitrum ex aqua gargarizatur, aut atramentum sutorium aceto dilutum. Si faucibus hæreant, iniecta lupinorum farina*, aqua frigida ore contineatur, & ad eam hirudines exilient. Prouidendum etiam ijs, quæ etsi ferendi auxilij gratia tradantur, non minora tamen cæteris uenenis pericula sæpius adferunt. Qualia sunt album ueratrum, thapsia, claterium, agaricum nigrum: siquidem ea strangulatus concitant, aut immodicas deiectiones mouent. Quibus ea medentur quæ in fungorum mentione, & similibus retulimus. nimios autem deiectionum impetus, medicamentis quæ excrementa supprimunt, coërcebimus. Neq; negligenda quæ parum quidem nocere uidentur, interim uerò uitam in discrimina agũt. Quo in numero sunt syluestris ruta, (nouæ glacies*), pappi recentes: flores autem sunt eius spinæ quæ cactos dicitur. Eos qui sumpserint, sola uomitio recreat.

* Alij, descendẽdum est in soliũ calfactum.

* Addititia uerba.

Domestica nobis. Caput XXXIII.

AQua frigida abundè pota, aut meracum uinum liberalius epotum, aut passum, præsertim à balneo, aut cursu, aut uehementi exercitatione, strangulatus & dolores infert. In quibus sanguinis missio protinus, & uacuatio, imminentia soluunt pericula. Sed de notis ueneficiorum, ac remedijs, & cauendi modo, hactenus dicta sint. Subiungeremus etiam antidota necessaria, quæ præclarè auxiliantur, quibus utimur, quale Mithridatium est præsertim, & quod sanguine, & quod sinceo

scin co temperatur: uerùm quoniam aliis in locis diligentissimè scripta sunt, hîc ab A
eorum descriptione supersedemus.

Venena. Caput XXXIIII.

DE bestiis quæ uirus eiaculantur, & exitialibus uenenis, ideo scribere aggredimur, ut tota curationis remediorum q; ratio ad umbilicum perducatur. siquidem pars hæc non minus quàm cæteræ aliæ, necessaria est iis qui artem medicam exercent, utpotè cum adminiculo eorum quæ inibi traduntur, doloribus, periculis, & cruciatibus, plurimis q; aliis malis homines liberari conueniat. Hæc autem in summa fastigia duo, sicuti ab initio relatum est, distribuitur. Nam qui de feris uirus inspuentibus sermo differit, theriacus dici solet: qui uerò de amoliendis uenefic is, alexipharmacus: quo prius tradito, simul quæ sequi signa consueuerunt, præmonstrabimus: tum quæ nonnihil auxilij ferunt. Omnia autem in promptu, & ad manum habere artificem oportet, propter urgentem sæpenumero necessitatem. siquidem pauca è uenenis & uirulentis animantibus, tarda & grassantia sensim pericula cient, ita ut dilationem admittant: pleraq; uerò præsentaneam perniciem afferùt. Hominum autem partim malè aliis cogitantes, ingenita prauitate maleficium ita tẽperant, ut spacium curanti liberum non relinquant: partim sceleris admissi conscientia, aut tristi aliquo euentu oppressi, hausto sponte ueneno mortem sibi conscisce re conantur, qui postea deprehensi, aut resipientes, & uitæ cupidi, præsentaneam opem poscunt. Non desunt qui hostiles sagittas illinentes, aut fontes aquas q; puteanas hac labe polluentes, certam & ineuitabilem aduersariis perniciem moliuntur: in quibus ipsis etsi maleficium non subitò, sed aliquanto post grassari natura sua comparatum est, tamen nisi primo quoq; tempore coërceatur, & remediis subinde excipiatur, frustra tandem succurritur, occupatis iam corporibus exitiali ui ueneni. Proinde non uulgari industria diligentia q; in ea re utendum est, ut quod in aliis incommodis ars consueuit, in his quoq; salutem mortalibus præbeat. Quin & apud priscos genus hoc unum existimabatur esse eius partis, quæ medicamentis pugnat: B
sed recentiores ad ipsum discreuerunt, nominantes præcautionem, & modum præcauentem. salubris sanantis q; medium statuentes, parua & leui supra modum persuasione decepti. Siquidem treis in humanis corporibus constituriones esse contendunt. unam, qua sani degimus: alteram, qua siniistra ualetudine corpora laborant: tertiam, quę medium inter utrasque locum sibi uendicat, in qua positu, sanitatem specie mentiuntur, facile q; in morbos & pericula concidunt, ob uim corruptricem, quæ corporibus nostris incumbit. quemadmodum in iis uidere licet, quos excandescens rabie canis momorderit, necdum tamen aquam horrent: in iis quoq; qui cantharidas hauserunt, sed nondum urinæ tormento cruciantur. Tripartitò igitur artem digeri, triplici q; corporis constitutioni meritò respondere tradunt. Salubrem partem esse uolunt, quæ sanitatem tuetur præcauentem, eandem q; prohibentem, quæ obstat quo minus in morbos incidant: & sanantem, qua uitia discutiuntur. Quibus ita responderi potest, quod primum ex ista ratiocinatione non treis corporis tantùm, sed quatuor haberi constitutiones fatendum esset. quippe ut aliqui sunt, qui necdum morbo laborant, morbo tamẽ maximè ob impendentem causam sunt obnoxij: ita sunt, qui iam priore morbo defuncti, nondum tamen secũdæ ualetudini restituti sunt: id quod in iis qui à morbo proximè sese recolligunt, cernere licet, qui uirium recreationem & robur desiderant. Sed quemadmodum curandi ratio ad partem medicamentariam pertinet, ita præcautionem eidem subiici par est. Ad arcendas enim ualetudines uehemẽtibus utimur auxiliis, altiore sacrificatu, ustionibus, amputatione, derodentibus epithematis, potionibus perniciei occurrentibus, & plerisq; aliis. Verum enimuerò sunt usq; eò rudes nõnulli, ut ne remedia quidẽ appellent, quæ morbos arceant. Cuius sententiæ inire rationẽ haud promptum est: etenim cũ uerbum ipsum, præcauere, tum agẽdi modus, omnino auxiliarem remediariã q; uim præ se ferunt. Mirum uerò nisi etiã sua illa distributione partiũ eos cõplectuntur, qui in pestilentis cœli statu morbo nondum correpti sunt, pesti tamẽ, propter obuersantis aëris occasionem, opportuni, & in morbum proni reddũtur,

A Dicere forsitan quis posset, salubris institutionis præcepta non aliud esse, quàm arcendorum morborum rationem: quippe cùm firma reddere corpora, & minus uitijs obnoxia nitamur, ut inoffensa ualetudine degant, nec morbis conflictentur. Neque id silentio prætereundum, quod maximè præcipuum, & tanquam caput rei est, non oportere medicinæ partium distributionem, totidem corporis constitutionibus respondere, sed naturas singulorum suis notis seorsum scrutari ac explorare, ut suis locis ostendimus. Cum ijs igitur non pluribus agendum. Illud magis adnotare conuenit, affectus qui à uirulentis animalibus uenenisq; contrahuntur, uocari cæcos, id est, quorum ratio minimè iniri potest. Quin & ea quæ eisdem auxiliantur, nulli pariter sunt addicta causæ: quapropter quæstionibus obseruatoriæ artis, & eius quæ ratione fulciatur, annumerari solent. Neq; prorsus uerum deprehenditur, affectus huiusmodi cæcos esse. Nam quod semper se protrahit, & nullum in quibusdam necessarijs usum exhibet, haud facili coniectura colligi potest: etsi naturæ proprietate prorsus cæcos eos affectus concedimus, qui ab exitialibus uenenis, & animantibus quæ uirulento morsu sæuiunt, contrahuntur. Nam quod ad opus nõnullum usum præbet, datq; medendi occasionem, neq; imperceptibile, neq; cæcum, nullíue causæ obnoxium reputatur: sed magis ab ipso quis impulsus, demonstrationẽ se habere, & opinionem de abditorum cognitione confirmare poterit. Nam etsi sæpe minora sunt, quàm ut sensibus percipiantur, euidenter tamen ex ipsis inter se collatis deprehenduntur. Diocles autem in eo commentario, quem Plistarcho dicauit, satis modos perstrinxit, ad uerbum ita scribens: Nosse quis hoc potest cùm in alijs non paucis, tum in uiperis & scorpionibus, & reliquis id genus; se cum animo reputans, ut quamuis exiguo sint corpore, uixq; conspectui subijciantur, magnorum tamen discriminum ac dolorum causas inferunt: quorum nihil præter quandam corporis exiguitatem, uimq; præ cæteris animantibus datam illis, facilè fuerit spectare. quanta enim ea moles corporis est, quæ à scorpij ictu, & aliorum id genus uenenato
B rum quæ nos morsu conficiunt, attingitur? quorum aliqua uehementes cruciatus excitant, alia erodunt, & putredines cient, nec desunt quæ præsentaneam perniciem moliantur. aut quantulum est quod à phalangij morsu ingeritur, & uniuersum corpus excruciat? neq; enim quis magnitudinem ipsorum deprehendere posset, cùm prorsus exigua mole constent. Ergo quòd hæc ad affectus referantur, constitit inter omnes, uerùm quod exactè deprehensum sit, uim quandam ipsis ineſſe mortiferam, quæ insinuata corporibus molestiarum quæ exoriuntur nobis causa sit, in confesso est, & omnium consensu persuasum. Nec quisquam inuenietur usqueadeo contentionis studio flagrans, qui aliunde exoriri molestias asseueret, quàm à materia mortifera partem corporis attingẽte. Porrò id erat quod inter utilia artis opera in omni opere dicere oportuit, quænam res opus hoc efficiat, ut nihil prorsus nos lædat, in comprehensa communis causæ quæ proprijs ineſt ratio: quandoquidem tum euidenter indicari possit, cùm deprehẽsa est. Ideo Esistratus Empiricorum pertinaciã graui cauillatione incessens, cæcis affectibus causas assignauit, inficiatus his communem & supremam morborum causam incomprehensibilem esse: & hanc in eo quem de causis scripsit commentario, aptissimè prodidit, candido signatam lapillo. Nec ferendos eos esse censuit, qui se dicant in quibusdam, ut in uenenis, serpentium ictibus, & cæteris id genus trita medendi ratione contentos esse. neq; satis facturam sibi obseruationem eam, quæ à causarum comprehensione separata est. Primum enim genere comprehendi facilè possunt. Quòd autem sit letifera uis, corporaq; permutans, ita ut perimat, ex ijs quę per genus, non per speciem uagantur, curationem indicat, qua hæc hebetare, & prorsus expugnare liceat. Cùm uerò subiungit: Ad aquam dulcem & potui idoneam uenit quis, & ante obseruationem ad uomitum, ad uulneris dilatationem, ad demorsę partis suctum, cucurbitulas adfixit, partem incidit, urentia medicamenta, aut ea quę uim eandem adipiscuntur admouit, postremo partem amputauit: secum reputauit medicamina, quę per summam cutim ferre & applicari solita, immissę ad intima perniciei repugnarent. Hæc itaq; quę disseruit Erasistratus, ueritati consentanea sunt, nec arti refragantur. Sed methodicos demirari licet, qui mortiferam uim corporibus illapsam, negociorum, quę ipsa facessit, esse causam diffiteantur. uerùm rudiusculè nomini attendunt. Nam apud ipsos palàm

immissa

immissa uis φθοροποιὸς, id est, mortifera, nominatur: φθοροποιὸν autem nullius officij A
alius esse potest, quàm causæ. Aiunt hæc nomina, μάρσιππον, & ἀναπαλύπτειν, esse
reliquis omnibus similia, in quibus partes quædam dictionum non pro uirtute, sed
nuda enunciatione comprehenduntur. Enimuerò quemadmodum in his uocibus
μάρσιππον & ἀναλύπτειν, partes neq; certos neq; principes retinent significatus: sic
in hoc uerbo φθοροποιεῖν partes productionis gratia, non pro uirtute coaluerunt.
Hinc ad causarum differentias transeunt, affirmantq; causarum aliquas euidentes
esse, quæ dum aduersam ualetudinem crearunt, separantur, cuiusmodi sunt frigus,
labor, æstus, & similia: quasdam continentes, quæ permanent postquàm morbum
excitarunt, hoc est, quibus præsentibus, & effectibus eorum adsunt: increscẽtibus,
affectus augentur: decrescentibus minuuntur: & cùm desinunt, ijdem finiuntur:
quibus solis ac per se manentibus, effectus quoq; ipsi manent. Talia quidem rece-
ptissima sunt causarum discrimina, quorum nulli phthoropœon subijci potest. Eui-
dens enim causa non est, quoniam morbus ipse permanet, nec ipsa à corpore sepa-
ratur. Nec continens causa dici potest, cùm magna ex parte hic adsit. quemadmo-
dum accidit ijs, qui à rabioso cane sunt demorsi. Quod si neq; euidens causa neq; cõ
tinens fuerit, neq; per se, neq; alterius consortio causa erit: quod si à nulla causarũ
differentia phthoropœon deducere possumus, consequitur, ut neq; causam esse fa-
teamur. Quòd autem asserunt, uocabula quædam in se non habere parteis rerum si
gnificatrices, sed nuda & simplici pronunciatione ficta esse, fateri necesse est. Ve-
rùm non omnia, sed perpauca talem nancisci conditionem existimandum est. neq;
enim ποιεῖν in hoc nomine φθοροποιὸν perinde atq; assumptitia profertur, sed longè
principem obtinet significationem. Quemadmodum enim φθορὰς id est, corruptio-
nis, nomen mutationem in peius significat, sic hoc uerbum ποιεῖν sumi debet, ut ni-
hil amplius ex eo quod hanc dictionem φθορὰ secum habeat declaret, neq; prorsus
id significat, quod omnes palàm audiunt, & huic simile redditur, παιδὶ ἔχειν δῆγος.
Si dant à corruptione sanis, fieri morbum, concedunt utiq; uim in huiusce modi uer
bo ποιεῖν subesse, siquidem aliquid est quod corruptionem efficiat. Omne autem
quod aliquid efficit, ostenditur per singulas causas quæ corporibus subijciuntur, B
idq; tam in letalibus uenenis, quàm in ijs quæ corporibus ingeruntur. Verùm no-
nihil sibiacere causarum differentijs produnt. Quinetiam aberrarunt, non exactã
diuisionem assumentes. Qui uerò se dogmaticos profitentur, causam esse partim pre
parantem, partim continentem asserunt: ut inguinum ulcus, & inguinariã febrim,
& quæ effectui tum asistat, tum etiam separetur, ut à fractis præcipitatio. In sum-
ma, quoties quippiam suapte natura causa fuerit, nec ulla diuisione comprehendi-
tur, uitiosum est, neq; causæ adscribitur, eorum quæ idem genus sortiuntur. Sed
quod phthoropœon, causa sit, nomen ipsum argumento est, & in ijs quæ contin-
gunt apertius ostenditur. Quid aliud causæ arbitrantur esse post impressum à ser-
pentibus ictum, quàm ex animante uim, & illapsum in corpora uirus? Neq; enim
frigus, neq; æstum, neq; sectionem corporis, neq; cruditatem, neq; aliud quicquam
simile causari possunt. Verùm quoniam causarum differentijs gaudent, & aliquas
continentes, alias euidentes appellant, ipsis dicendum, utroq; istorum modorum e-
uidentem quidem causam esse, quod affectum præcedit, & quod corporis substan-
tiam præoccupat: continentem uerò, quod morbis præsentibus adest, qua separata
recedunt, quæ cum ipsa euenerant. Sed de ijs hactenus. Statuendum itaq; mortife-
ram uim intrinsecus manifestissimam esse causam, ipsamq; principem facere sco-
pum oportet. Etantequàm ad ima decumbant morbi, uarijs modis est certandum,
donec uis tota corporibus excutiatur. modò enim reuocari debet ea parte, qua pe-
stis intrauerit, modò aliqua alia, præsertim principatum non obtinente. antè coër-
ceatur, quàm altius irrepens uiscera tangat, aut eius pernicies eluatur, retundaturq;,
cùm iam membratim peruagatura est. Itaq; uenena si hausta sunt, crebris uomi-
tionibus: si morsu impressa, scarificatione, affixis cucurbitulis, exuctu, carnis cir-
cumscriptione, nonnunquàm amputatione extremæ partis, euocantur. retinen-
tur uerò infusione, & impositu medicamentorum acrium cohibentur. hæc simul
utique arcere uirus & eluere possunt. Restinguuntur & euincuntur meraciore po-
tu, aut passo nulla aqua diluto, uel contrariorum esu, quæ acrimonia sint prædita.

Postremò

A Postremò deiectio alui, euò catus sudor, & alia quædam in commune, quæ membratim demonstrabimus, auxiliantur. Verumenimuerò non letiferam modò materiam, sed & magnitudinem, & tempus, pro scopo considerare oportet: etenim ab ijs remedia quàmplurimum discrimen capessunt. A magnitudine quidem cum nonnulla ex uenenis, & uirosis animalibus pericula minantur. alia putredines altas aut exteriores excitant: alia uehementissimos dolores aut cæcos cient: alia uix medicamentis cedunt, & magis minùsue molestias excitant. Oportet autem ea quæ pericula ferùt, peruicacioribus auxilijs expugnari: & minus infesta, mitioribus. Quippe absurdum fuerit in grauioribus, segnioribus medicamentis homines in discrimen adducere: in minoribus uerò, uehementium auxiliorum iniuria corpus lacessere. Finitio à temporibus in promptu est: hoc enim subitò in pericula & præsentes molestias adducit, illud uerò sensim & dilatas in diem longam aut breuiorem producit. Itaq; in acutis quidem confestim multa simul auxilio repræsentari oportet: reliquis, paulatim. Hæc quadam artis formula breuiter definita sint. Iam membratim rem prosequamur.

Signa rabiosi canis, & demorsorum ab eo.

Caput XXXV.

DE rabiosi canis morsu sermonem alijs præposuimus, quòd id animal domesticum ac frequens esse cõsueuit, & in rabiem sæpius agitur, ac perit, ab eoq; caueri difficile. inde periculum inuitabile hominem manet, nisi multis utatur auxilijs. Canis plerunq; flagrantissimis æstibus in rabiem efferatur: interdum quoties frigora incesserunt. Rabiosus autem potum & escam auersatur. largam spumantemq; pituitam naribus & ore proijcit. toruè & solito tristius intuetur. in omnes passim sine latratu irruit. æquè feras homines q; tã familiares quàm ignotos mordet. nec protinus infestum quidquam infligit, nisi, ut uulnus, dolorem. exinde morbus ille, qui ab aquæ metu hydrophobicus gratia est uoce appellatus, contrahitur. Euenit autem cum distentione neruorum, totiusq; corporis rubore, præsertim faci-
B cũ sudore & languore quodam aliqui auræ splendorem fugiunt, alij sine ulla doloris intercapedine uexantur. Sunt etiam qui canum more latratus ædant, & ob uiam factos morsu adoriuntur, ac mordendo simili uitio labefactant. Proinde ex ijs qui hoc uitium senserint, neminem seruatum uidimus, nisi forsitan ex historia unum aut alterum euasisse audiamus. siquidem Eudemus superasse quẽdam affirmat. Themisonem aliqui demorsum in hunc furorem incidisse & euasisse fatentur. Alij ipsum cùm amico aquam expauescenti morem gereret, & officium exhiberet, quadam naturarum concordia similem contraxisse affectum: sed post multos tandem cruciatus seruatum extitisse. Molestissimum itaq; genus morbi, à quo multos, antequàm ipsam experirentur, uindicauimus, & complures ab alijs medicis seruatos nouimus.

Remedia demorsorum à cane rabioso.

Caput XXXVI.

RAtio medendi duplex. una communis, qua utendum in omnes morsus, quos uirulentæ animantes impresserunt. alia peculiaris priuataq;, eorum duntaxat, quos rabiosi canes momorderint: quæ nonnullis quidem summam opem ferre consueuit, alijs uerò inutilis, maximè qui ex multo iam tempore ictum acceperunt. Quæ ad hanc pertinent, primum exponemus, deinde cursim perstringemus, quæ ad communem medendi rationem pertinent. Cancros itaq; fluuiatiles in sarmentis albæ uitis cremare oportet, & cinerem eorum quàm minutissimè tritum habere reconditum. itidem gentianæ radicem tusam cribratamq; reponere. quoties autem canis rabiosus morsum intulerit, in quaternos cyathos meraci uini, bina cicerris cancrorum cochlearia, unumq; gentianæ coniciantur. hæc in polenta dilutioris modum subacta, quatriduo bibantur. Inter principia medicamentum hoc modo detur. atqui si ab illato morsu bini terniue dies fluxerint, curationem auspicabimur à triplicato pondere, supra id quod ab initio retulimus. Optimum hoc aduersus rabiosorum morsus auxilium, quod & plerisq; unum satisfecit, eoq; cum fiducia uti licet.

cet. Sed ut alijs etiamnum auxilijs contra ineuitabile periculum muniamur, nihil cæ A
teris uti prohibet. Satius autem multò fuerit, etiamsi in unum recidat, medicamentorum in humanos tolerare cruciatus, quàm per inertiam ac desidiam in discrimẽ adduci. Nec ita in demorsis à rabioso animali maiora uulnera uereri oportet, uti minora, & ulcusculis cutis similia. quippe maiori uulnere confertim copiosus sanguis emanans, potest nonnihil uirulenti liquoris exhaurire: quod in minoribus non accidit: quin à minoribus abscedentes carnes hinc auferre, & labia acie scalpelli circunscribere, & prehensam hamulo aut uulsella carnem amputare oportet. In utrisq; circunstantia loca altioribus ulcusculis scarificanda, ut copiosior sanguinis uacuatio arceat, ne uenenum membratim insinuetur. Cucurbitulæ cum multa flamma agglutinatæ id iuuamenti præstant, ut uenenum uis extrahatur. Contra uirulentos ictus, ustio expeditissimum est auxilium, utpotè cùm ignis cætera uiribus prę stet, simul quòd uirus domet, & ferri penitius non patiatur: simul quòd pars ignẽ experta, postea non uulgare fundamentum curationi futuræ præbeat, manente diutius exulceratione. Animaduertendum ex eo tempore cùm crustæ decident, ne ulceris oræ coalescant, & cicatrice induantur, sed si fieri potest ad multum, idq; præstitutum tempus, ulcerationes & sordidas adhuc & inflammationem minantes, prorogari conuenit. Quod inditum ijs salsamentum optimè præstabit, & syluestre allium detritum, item cępe, succusq;, præsertim Cyrenaicus, aut qui Medicus, aut Parthicus appellatur. tritici grana tam mansa quàm non mansa imponantur. siquidem subacta pistáue à perfusione uulnera dilatant. Sunt qui à mandentium ieiunio, sibi aliquid ascisci arbitrentur, quòd suapte natura resistat. Verùm id certum non est: cæterùm tempestiuus eorum usus minimè est contemnendus: Si uerò, quod persæpe accidit, ante dies præfinitos cicatrices coirent, committerenturq;, manum postulabunt: nanq; eas diducere, carnemq; scalpello circinare, aut iterum inurere, expediet. Vbi uerò propositum tempus præterijt, ulcus ad cicatricem ducendum, & emplastro, quod è salibus conficitur, locus comprehendendus, nec multò pòst fina pismo utendum.

Ratio uictus in morsu rabiosi canis. B

Caput XXXVII.

QVæ ad partem ictam pertinent præsidia, ita se habent. Cæterùm uictus rationem ex ijs quæ ueneno aduersantur, coniectura quadam colligere oportet, simul ut uenẽi uires hebetet restinguatq;, simul ut arceat, quo minus ad intima pernicies illabatur. Etenim assumpta pernicioſarum uirium penetrationi resistunt. Quorum utrunq; pręstare potest uini meracioris, passi, & lactis potus. quippe quibus ęque omnia capiunt ad curam, nonnihil ueneno obijciunt, quod omnem eius acrimoniam obtundat. Simili modo alliorum, porrorum, cęparumq; cibus, quòd ea difficulter conficiantur, uixq; aboleantur. nam multos dies huius cibi qualitates remanent, quo tempore nec euincuntur, nec permutantur à mortifera ui, sed contra ijs illa uis expugnatur. Cui rei antidotorum usus accommodatur, & theriaces, Mithridatij, & eius quod eupatorio temperatur, denicq; omnium quæ magnum aromatum partem sibi uendicant. quippe aromata omnia uiribus & substantijs ægrè permutantur: quare in corporibus euincunt. Victus ratio hoc modo se habet: Nosse conuenit, pauorem aquę non stato definitoq; tempore exoriri, plurimum tamen ad quadragesimum usq; diem neglectis differri consueuit. post semestre etiam nonnullos inuadit. quendam post annum aquam horruisse constat, quæ nobis uisu comperta fuere. Narrant & aliquos post septennium aquę metu fuisse tentatos. Inter principia demorsorum à cane rabioso curandi ratio talis est. Verumenimuerò si ea quę retulimus auxilia, primis diebus prętermissa fuerint, nec scalpro carnem circinare, nec ustionem experiri operęprecium est. Non enim quod iam pertransijt, satis euocare possent. Nulla utiq; istius rei occasio aut utilitas, sed incassum corpora doloribus sternentur. Alter uerò curationis modus accedat. deiectio magnum præbet iuuamentum, utpotè cùm mouendo, corporis habitum trãsmutet. & quæ colocynthidem recipit hiera, item lac schistum, quod simul deiectionem moueat, & uenenũ domare possit. cibi acres, & meraculi potus, quibus uis uenẽi uehementer

A menter retunditur, quotidie sumi debent. cęterum sudores ante cibos, & pòst etiam ciendi. dropacismi sinapismiq; alternatim per corpus totum adhibendi. Sed longè omnium efficacissimum auxilium helleborismus cognoscitur, quo cum fiducia nō semel atq; iterum, sed frequentius ante quadragesimum diem, uel post hoc tempus uti licet. Tantam enim uehementiam hoc auxilium habere fertur, ut quidam qui iā aquæ metum sentirent, sumpto helleboro simul ac primum morbi impetum experirentur, fuerint seruati. Nam & iam uitio tentatos nemo unquā seruare potest. Itaq; primùm curam contra rabiosi canis morsus breui sermone exposuimus. iam ad alia, quæ uenenatis morsibus sæuire consueuerunt, transeundū. notas uno contextu, deinde communem medendi modum, qui omnibus conuenire possit, explicabimus. cursim deinceps subiungemus ea, quæ sua proprietate nonnullis auxilium præstare possunt. Postremò subnectentur etiam uenenata, quæ nullis cedunt remedijs.

Notæ eorum, qui à uenenatis demorsi sunt.
Caput XXXVIII.

DEmorsis à phalangijs locus quidem ipse, quasi ab impacto aculeo rubet, non intumescens, nec per ambitum calidus est, sed mediocriter humescit*, ubi uerò contrariorum occursu refrixit, consequitur corpore toto tremor, distentiones poplitum & inguinum, conuulsionibus non dissimiles. in lumbis collectio exoritur. perpetua urinæ libido lacessit, multaq; reddendis excrementis colluctatio. uniuersa cute frigidus sudor emanat. collachrymant oculi, offusisq; nebulis caligant. Si scolopendra aut dicta ophioctene, morsum intulit, locus per ambitum liuore suggillatur, & computrescit: interdumq;, licet rarò, fæculentus atq; ruber cernitur. à morsu ipso exulcerari locus incipit. ulcus id negocium exhibet, ferè remedijs inuictum. præterea toto corpore prurigo sentitur. Scorpionis morsu inflammari statim incipit locus, & indurescit, ac intentus rubet, uicissimq; dolore premitur. modò siquidem exæstuat, modò frigore occupatur. labor repentè fatigat. aliquando me-

B llusculè habet, aliquando recrudescit. consequitur sudor, horroris sensus & tremor. extremæ corporis partes refrigescunt. inguina extolluntur. per sedem flatus exeunt. capilli eriguntur. pallor membra decolorat. dolor, tanquam ex pungente acū, per uniuersam cutem sentitur. Si marina pastinaca percussit, protinus accidunt molesti dolores, assiduæ conuulsiones, lassitudo, & imbecillitas. mens percussis labat. postea obtumescunt. oculi caligant. Percussus autem locus in ambitu cum uicinis partibus denigratur, & ita obstupescit, ut tangentem non sentiat. hunc si quis premat, atra sanies, crassa & malè olens cernitur. A mure araneo percussis, circa morsum in orbem inflammatio exoritur, nigraq; pustula, diluta sanie turgens, exurgit. proximæ partes liuent. rupta pustula, depascens ulcus, non ei dissimile quod serpit, occupat. intestinorum quoq; tormina, difficultas urinæ, & frigidæ aspergines offusio consequuntur. Si uipera momordit, corpus intumet, uehementer arescit, subalbidumq; colorem cōcipit. sanies à uulnere profunditur, primùm subpinguis, mox cruenta. pustulæ adustis similes erumpunt: & antea depascens ulcus, quod in proxima repens, non summa modò corporis, sed intima quoq; corripit. gingiuæ ijs cruore suffunduntur. inflammatio circa iecur erumpit. tormina & bilioſi uomitus sequuntur. Sopor, tremor, & urinæ difficultas accedit, & frigidus sudor offundi tur. Consimilia eueniunt ijs qui à cæcilia nomine, aut amphisbæna demorsi sunt, eademq; ferè auxiliantur. quare hoc uenenum priuatam descriptionem sortitū nō est, neq; uisum est dignum, quod alio genere comprehendatur. A dryino morsis pustulæ molestiq; dolores incidunt, præsertim quà dilutæ sanies emissarium subest. quinetiam erosio, tormina q; consequuntur. Ab hæmorrhoo ictis uehementes cruciatus accidunt, qui angusta contracta q; corpora ex continuo dolore reddunt. ex plaga copiosus cruor effluit, & quacunq; parte corporis cicatrix ulla fuerit, ea sanguine emanat. excrementa per aluum cruenta ejiciuntur, profluens q; sanguis in globo coijt. à pulmone sanguinem extussiunt, & in uomitiones effusi sine remedio cō moriuntur. Quos dipsas percussit, solutus ac non constrictus tumor premit, sitisq; usq; eò pertinax, ut satiari non possint, ac sine ulla intercapedine excruciet: & hi

potum

* Rubescit.

potum pleno ore affatim trahant, illico in eandem sitim relabuntur. proinde to- A
to habitu similes sunt ijs, qui antea potus nihil hauserint. quare propter cõtinuam sitim, & prester, & causon, aut dipsas appellatur. Ab natrice demorsis ulcus dilatatur, & liuidum acingens euadit. sanies ex eo multa, & atra, & malè olens, non secus atque ijs quę serpunt ulceribus, expuitur. Cenchri morsum, qui uiperino ictui similis est, putridum ulcus sequitur. carnes anteà, ut in aqua inter cutem, prætumidę, defluunt. lethargo corripiuntur, & ueterno pressi somnos captant. Erasistratus eos ie cinore, intestino, * colóque conflictari autor est. Quippe dissectis ipsis, omnes ferè * Vesica
partes corruptæ reperiuntur. A ceraste percussis locus attollitur, cum duritia pustulosus. è plaga sanies profluit, modò atra, modò pallidior, sed toto concretu uaricosus intumescit. genitale intenditur, mens labat, oculorum caligo exoritur, deniq; rigore distenti commoriuntur. Ab aspide ictis, uulnus exiguum prorsus, quasi ab adacta acu citra tumorem conspicitur. sanguis exiguus ille quidem, sed ater destillat. caligo uelox oculis obnubit, labor in totum corpus multiplex, omnino leuis et non sine uoluptate consequitur. ideo Nicãder perpulchrè cecinit: At uir perit absque labore uirens atq; discolor. mediocris stomachi dolor afficit. frons perpetuò rellitur. genæ contremiscunt, quasi sine sensu in somno uacillent: hos mors tollit, ad diei trientem non dilata. Erasistratus in libro, quem de medicaminibus & uenenis condidit, deuocato basiliscо scitè ita refert: Cùm basiliscus momorderit, uulnus ad auri colorem efflauescit. Itaque in plurimis, quę uirus eiaculantur, comites notæ ita se habent. Transeuntes utique ad medendi rationem, primùm, ut fieri poterit, de communibus disseremus.

Communis curatio in omnes ictus uirulentos.
Caput XXXIX.

ADuersus quidem omnem animalis ictum, quod uenenum uibrat, oris suctio conuenit, sugentem uerò oportet ieiunum non esse, sed & cibum sumpsisse, & B
uino os abluisse. postea exiguum olei in ore continens, plagam exugat. locus ipse spongia fouẽdus, deinde scarificandus. sed ulcuscula altius imprimere expedit, quo uirosa materies profundo euocetur. Circinatio autem carnis, & sectio, scarificatio ne longè potentius opitulantur. nanque ab ijs duo peculiaria præsidia fiunt: unum, quòd uirus è loco tollitur: alterum, quòd eius ueneni pars, quæ ad interiora grassatur, cum multo copioso q; sanguine excernitur. Quòd si locus sectionem nõ admittat, cucurbitulę cum largiori flamma adfigẽdæ sunt. Sed iam de ustione suprà in rabiosorum morsu disseruimus. Si uerò icta pars, utpote extrema, eam sectionẽ commodè non respuat, præsertim in omnibus serpentium ictibus, aut aspidis, ceraſtæ, similiumq;, pro culdubiò amputanda est. Conuenientiora supradictis auxilia sunt, quæ epithemata uocant. Imponatur sarmentitius cinis, aut ficulnus, cum lixiuio stillatitio subactus, garo, & acri salsamento. porri, cepæ, & allia modò minutissimè contrita illinuntur, modò crementa uulneribus inijciuntur. quinetiam dissecti gallinarum pulli, cùm maximè tepent, percusso loco applicentur. Nec desunt qui hisce tanquam discordia quadam naturali pugnantibus utantur. uerùm huius rationem inire facilimum fuerit. Gallinæ enim calida natura prędita sunt, argumento, quòd deuoratum insigne uirus conficiunt, & aridissima quæque semina consumant. Item nonunquàm arenas lapillósque ingluuie sua deuoratos, dissoluunt. Itaque animantis admoti calore adiutus spiritus, ab icta parte impetum capessens, exiliens q; secum uenenum exigit. Nec me fugit quid in Aegypto fieri soleat. Cùm spicas Aegyptij metunt, ollam picis paratam habent, & appensam fasciam: tunc enim maximè serpentium iniurias expauescunt, tum propter spicilegij tempus, tum quòd opacis simul abditæ speluncis & cauernis, densóque aruorum cespite delitescunt. Molestissima enim animalia, & uirus eructãtia, Aegyptus in campis ferre consueuit. ubi ergo aut in pedem, aut partem aliam, morsum intulerunt, quia adsunt, fasciam in ollam picis conijciunt, & semel aut iterum brachium aut crus paulum supra uulnus obligãt, & arctissimè duo è præsentibus distringunt, locum q; secantes qua circumactus est laqueus, picem instillant, cúmque uulnus satis excepisse uidetur, la

A queum resoluunt,& cepis alijsq; suprà memoratis illiniunt. Præterea pix liquida cum sale trito, et feruente illita,præsentaneo est auxilio,si iugiter innouetur. Conuenit & cedria,& fimum caprarum ex uino decoctum,lo cum aceto calido, calamintha in lotio,maris aqua, aut acida muria decocta,foueri salutare est.Quinetiamnõ desunt emplastra uehementissima,& calidissima,quę uenenum elicere,expugnare, & discutere possunt, Cuiusmodi sunt, quę ex sale,aut nitro,sinapi,& cachrye componũtur.Dequib.cõsequẽter erit tractãdũ. Erasistratus aũt nõ iniusta reprehẽsiõe eos incessit,qui incognitas adhũc usum facultates cõscripserũt,ut Elephãti fel,crocodiliue sanguinẽ ouaq; testudinis,& cõsimilia.Nã cũ iuuãtia quędã literis tradidisse uidentur, planè in hęc sola incidẽtibus imposuerunt.Quare talia deuitanda sunt, cũ difficile,nisi regia facultate peruestigare possint: neq; quòd nostra fides ijs obstringatur,frequenti obseruatione,sufficiens experimentum pręstiterint.Quę autem ad cõmunem omnium usum pertinent,quęq; facilè suppeditari,& omnibus à serpente percussis auxiliũ ferre qũeunt,subiungenda uidentur. Intubus itaq;,& erica,& astragalus,cũ aceto pota,contra omnes serpentiũ morsus auxiliantur.item bitumẽ,et uirentes platani pilulę in uino diluto coctæ, & paliuri decoctum, radix aristolochię,& eryngij,decoctæ etiam lauri baccę,& deuoratæ,piperq; largiùs esitatum,ruta,anethum,& cyclaminus.coma porrorum priuatim ex pane,aut allium,aut cępe, salsamentaq; quàm acerrima,origani decoctum cum uino potum,fœniculi,pulegij, calaminthę, porrorumq; succus, cum melle desorptus. hęc quidem à plantis conquiruntur.Ab animantibus uerò quędam utiliter peti solent. gallinaceorum cerebella in cibo,leporinum coagulum cum uino,itidem castorij sextans. testes marinæ testitudinis sumpti multum prodesse traduntur.mustela sale inueterata inter auxiliaria medicamenta est. Commendatur inprimis exenterata,quę sale ficcescens inueteratur:ex qua binas drachmas cum uino bibisse satis est.Sed de simplicibus, quę dari solent hactenus.Percussis à serpente prodest alui deiectio, diffluens sudor,urina copiosè reddita.Sunt & compositę quędam potiones,quę mira remedia polliceri tradũtur,ut et opij &myrrhę singuli oboli,piperis ficilicum.ea melle excipiun

B tur,& instar Aegyptię fabæ dantur cum uino.itidẽ sylue stris rutæ seminis, gith,cuminí Aethiopici, aristolochiæ, galbani, singulorum pares portiones tritæ,& cum erucæ succo subactæ,digeruntur in pastillos,qui drachmæ pondus æquent. dantur ex ijs terni cyathi cum uino.Hæc habui de communibus auxilijs quæ dicerem. De peculiaribus remedijs contra bestias, quæ uenena uibrant, consequenter est dicendum.

Peculiaria remedia uirulentorum ictuum.
Caput XL.

INter ferientium uenenatorum notas nihil de uespis & apibus articulatim cõgessimus, quòd conspicuę omnibus forent,& nihil excellens aut notatu dignum in his obseruaretur:inter remedia tamen,earum meminisse non fuit alienũ.Igitur aduersus utrarumq; ictus prodest illita malua,& hordeacea farina cum aceto,ficulneum lac in uulnus instillatum,à muria,aut maris aqua fotus: Phalangiorum ictibus ficulneum cinerem,adiecto sale trito &uino,imponere oportet,aut radicem sylue stris punicæ quàm tenuissimè tritã,aut aristolochiam, cum hordei farina & aceto subactam.ulcera aqua maris proluenda,aut apiastri decocto. folia eiusdem illinenda. lauacris perpetim utendum,& propinandum abrotoni semen,anisum,aristolochiam,cicer sylueſtre,cuminum Aethiopicum,cedrides tritas, platani corticem, & trifoliæ herbæ semen. priuatim autem , singulorum ex ijs binas drachmas dare cum uini hemina conuenit.item myricæ fructus, & chamæpityos, & uiridium cupressi pillularum decoctum,admisto uino.Sunt qui fluuiatilis cãcri expressi succũ

*aqua, aut lacte.

cũ lacte,* assumpto apij semine,confestim molestijs liberare prodãt : Si scolopẽdræ morsum infixit,sal quã leuissimè tritus ex aceto uulneri inspergendus, aut ruta sylue stris superponẽda. locus acida muria est fouẽdus. dãda in potu aristolochia cũ uino,aut serpillũ,aut calamintha,aut ruta sylueſtris. Percussis à scorpione, pręsenti est auxilio ficulnum lac in uulnus instillatũ.scorpius ipse qui ictum uibrauit,tritus, et pcussio loco impositus,suę plagę remediũ est, ob cæcã quãdã naturarũ (ut cõstat)

discor

diſcordiam, quæ antipathia appellatur. præterea tritus & impoſitus cum ſale, lini ſemine & althæa, ſcorpius conuenit. ſulphur ignem non expertum, reſina terebinthina exceptum, & emplaſtri modo adiectum auxiliatur, itidem galbanum ad ſplenij formam ductum, & calamintha quæ trita illinatur, & farina hordei in uino parata, in decocto rutæ. ſemen trifoliæ herbæ tritum, & uulneri iniectum opitulatur. Hæc ad affectum locum pertinent. Poſt hæc quàm efficaciſsimis potionibus utendum. cuiuſmodi ſunt ariſtolochiæ, præſertim corticis binæ drachmæ uino, tuſa gentiana, & pulegium decoctum, & baccę lauri pauco numero tritę, & calamintha cũ poſca in qua magnoperè diſcoqui debet. cupreſſus* cũ uino, et ruta, nec ſecus ficulneum lac, laſerpitium, ſi adſit: ſin deſideretur, peucedani ſucco utendum. efficax eſt potus trifolij, & ocimi ſemen, horum autem omnium uicem penſat iugis lauacri uſus, euocatus ſudor, & dilutæ uini potiones. Ei qui marina paſtinaca icitur, omnia, quę de uiperarum morſu paulò pòſt referemus, ſimili modo conueniunt. peculiariter autem (ictus à marino ſcorpione, & dracone inferuntur, qui moleſtos cruciatus cient: interdum autem, ſed rarò, nomas excitant. quibus) abſinthij, ſaluiæ aut ſulphuris ex aceto triti potio ſubuenit. Paſtinaca diuulſa & uulneri impoſita, ſui ictus medela eſt. Si mus araneus momorderit, auxiliatur ex galbano ſplenium, per ſe uulneri exterius impoſitum, ut medicamenti modo aceto tritum, & hordeacea farina cum aceto mulſo illita. quinetiam mus ipſe qui morſum intulit, ſi diſſectus apponatur, ictus ſui ueneficia luit. reſiſtunt quoq; acini dulcis punici decocti, & illiti, item porri, & allia contrita, necnon aquæ calidæ fotus. ſed hæc ad locum pertinent. Prodeſt potum abrotoni decoctum, maximè ſi in uino detur, præterea ſerpillum, et galbanũ, & eruca uino madefacta, recentes cupreſſi pilulę cum aceto, & cyclaminus ex aceto mulſo, & pyrethrum cum uino & chamæleonis herbæ radix. Nec deſunt qui literarum monumentis tradiderunt, tritum murem araneum cõtra ſuos ictus commodè bibi. Quam hiſtoriam apud alios inuentam, dignam duntaxat cenſuimus quę annotaretur. Alij aſſeuerant demorſum non aliàs exulcerari, niſi prægnãs mus araneus fuerit, tum ſanè auxiliari ferunt. Si uipera morſum impreſsit, fimũ caprinum cum uino, ſtudioſè impoſitum opitulatur. item laurus, & abrotonũ, & galbanum ſplenij loco ſuperiectum, origanum uiride inditum. pulli gallinarũ diſcerpti, & confeſtim admoti. erui farina uino ſubacta. radicis cortex uſq; eò tuſus, ut in puluerem ſolutus abeat, & ſcilla toſta, detritum chamæmelum, hordeaceę farinæ cataplaſma in aceto mulſo præparatum: ſed locus antè eo calido foueatur. hæc loco imponuntur. Contra uiperinos ictus rubus cum uino prodeſt. aliqui anchuſam tenui folio conſtantem auxiliari produnt. leporini coaguli in uino terni oboli bibuntur, & porracei ſucci hemina in mero, & foliorum apiaſtri ſuccus, & ſylueſtris ruta. hæc in uino potari debent. uinum frequenter bibendum, allia mandenda, & cæpę, & porri recentes, ſalſamenta acerrima, & opipara. ſimplicia hęc ſunt. Percuſsis à uipera pręclarè auxiliatur medicamentũ, quod myrrhę, piperis, caſtorij, floris portulacę ſeminisq;, dimidio acetabulo conſtat. hęc omnia in Cretico paſſo teruntur, aut in alio probato. Eraſiſtratus in eo libroi qui περὶ ἀναμβλήτων, id eſt, de uiribus inſcribitur, pleraq; alia tradidit, quę ictis à uipera auxiliua ferre poſſunt,* inter quæ talia maximè laudantur: gallinacea cerebella cum uino pota, ſemen ſatiuę braſsicę tritum, & acetabuli menſura cum uino potum. Quinetiam bonum eſt digitum in liquidam picem intingere, deinde uinum, quo digitus fuerit elutus, bibere.) De amphisbęna mentionem hoc loco fecimus, quoniam ferè remedijs ad uiperas ſcriptis, percuſsi ab ea adiuuari ſoleant. A dryino ictis conuenit ariſtolochia cum uino pota, trifoliũ herba, radix haſtulæ regiæ ſimiliter aſſumpta, & fructus ex omni quercus genere. tuſę ilicis radices, & illitę parti ictæ auxiliantur. Hæmorrhoi dipſadisq; morſus uelut immedicabiles à pleriſq; maiorum deplorati relinquebantur. quare ſi peculiaribus contra dipſadem remedijs egeamus, communia experiri operęprecium erit, protinus autem ſcarificatione uti, uſtionem facere, & ſi locus patiatur, extremorum amputatione opus erit: conſequenter quàm acerrima cataplaſmata admouere, de quibus ſępenumero diximus. Nec me fugit, acres cibos, maximè à ſalſamentis, utiles eſſe. meracæ potiones & lauacra proſunt, quę ſubinde interecto breui ſpacio aſſumenda ſunt, priuſquàm morbi genus emerſerit, quo ſemel ir-

A

* cyperis
* parthios

* hæc quidam non habent.

B

* Omnia hæc quidam non habent.

Arumpente, opem ferre non potest ulla medici opera. In ictu hæmorrhoi eadem prosunt. insuper quæ in commune opitulantur, ut scarificationes, ustiones, acres cibi, meraci potus, & quæ nunc in dipsade definiuimus. quinetiam decocta uitis folia, & cum melle trita. Si morsum natrix adegit, prodest origanum tritum, & aqua subactum, lixiuia cum oleo indita, aut aristolochiæ cortex, aut querna radix minutim contrita & hordei farina cum aqua & melle colliquata, bibuntur etiam binæ aristolochię drachmę in potione poscę cyathis duobus, deinceps marrubij succus, uel decoctum alterius cum uino, fauus recens datur in aceto. Morsis à cenchridio auxiliatur lactucę fructus cum lini semine illitus, & satureia trita, & syluestris ruta, & serpyllum cum duabus haftulę regiæ* drachmis, & tribus uini cyathis, aut aristolochię radix. item cardamomum* & gentiana. Si ceraftes percusserit, cita partis amputatio suffragatur. quare sine mora ictam partem amputare, aut scalpro confestim circuncidere, et ijs similia cõsequi oportet. urentia insuper reliquijs admouenda, siquidem uirus hoc ueneno basiliſci simile est. Iis qui ab aspide feriuntur, quę de ceraste scripta sunt, auxiliadari debent: nam uenenum hoc, quemadmodũ basiliſci, aut sanguis bubulus celerrimè in arterijs sanguinẽ cogit. Ad basiliſci morsum, ut Erasistratus autor est, auxiliatur castorij drachma in uino pota, item papaueris succus.

Ictuum remedia ita se habent.

* centaurij.
* nasturtium.

FINIS.

IN PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARBAEI, PRIMVM DE MEDICA MATERIA LIBRVM, Annotationes VALERII CORDI SIMESVSII.

IRIS. Caput I.



IRIS, SIVE IREOS, siue Iridis, in genitiuo proferas, eadem est planta. Quapropter inepte distinguunt quidam, quasi diuersæ sint herbæ, Iris & Ireos. Est autem Iris ea radix, quæ à Germanis Violwurtz uocatur: non quòd uerè sit uiolæ radix, sed quòd odore uiolas æmuletur. Et hoc quidem nomen Iridi Illyricæ proprium & peculiare est, quæ omnium optima censetur. Nascitur etiam apud nos, & uulgo Blaw schwerteln/seu Blaw lilien/nominatur: Sed hæc suas habet, quibus ab Illyrica dignoscatur, notas. Est enim horribilior, odore iniucundior, & multò maiore acrimonia, gustanti molestior: fauces enim grani gnidij modo exurit. Quapropter caliditate Illyricam plurimùm superat. Sed B quantò in hoc illa est superior, tantò etiam in aromatico odore & sapore inferior existit. Porrò uehementius etiam aluum quàm Illyrica, purgat.

ACORVS. Caput II.

PErsuasum est omnibus, Acorum eam esse herbam, quæ à nobis Gelb schwerteln appellatur. Quantum uerò hæc à ueritate distet opinio, facilè intelligunt, qui rationem & communes sensus sequuntur. Acorus enim in tertio calefaciendi & siccandi ordine à Galeno ponitur, cum qua facultate etiam iucundum & aromaticum odorem & saporẽ coniunctos habet. Qui uerò apud nos nascitur, falsò appellatus Acorus, nihil acrimoniæ, nihil item quod aroma oleat aut sapiat, habet, sed austeri & acerbi saporis plurimum. Hinc sequitur necessariò, quòd contrarium Acoro temperamentum habeat. Porrò nec hoc concesserim, eam hìc in nostris terris degenerare. Nam quamuis hic ipse falsò uocitatus Acorus etiã in calidis regionibus nascatur, tamen eandem seruat austeritatem: & ecõtrà uerus Acorus, qui in Illyrico nascitur, eandem habet acrimoniam, quam in Syria multò calidiore terra nascens. Verus Acorus autem nihil aliud est, quàm illa radix, quæ hodie in Pharmacopolijs Calamus Aromaticus appellatur: quod certissimis argumẽtis constat, quæ omnia adducere lõgum foret. Satis sit nobis doctissimi & diligentissimi in hoc studio Viri, Dominici Senni, fides & autoritas, qui in Syria nostrum falsò uocatum Calamum, nasci uidit, iisdem omnibus notis insignem, quibus Acorus describitur. Porrò quòd nos uero Calamo aromatico carcamus, suo loco demonstrabitur.

MEVM. Caput III.

MEon, quod quidam etiam Meum appellant, solo nomine in usu est. Res uerò ipsa hodie incognita penitus est: quãuis Pharmacopolæ radicu las quasdã acres hoc nomine ostendant, nõ tamen omnes eandem habent. Quidam enim Struthion, quidam Angelicam, quidam Tordeilon, quidam etiam radiculam ab Agyrtis Olsenick uocatam habent: Tam incertus & inconstans est huius herbæ usus. Verum autem Meon in ipsa Italia, medicamentorum fertilissima regione, non nascitur, nedum in Germania. Propterea quondam Itali medici hanc herbam serere cogebantur, ut testis est Plinius lib. 21. statim in principio cap. 23. ubi sic inquit: Meum in Italia non nisi à Medicis seritur, & ijs admodum paucis. Igitur licet D nobis pro hac herba aliam æqualis temperamenti accipere. Eam uerò quam pro Meo accipimus, Meon uocare non perinde concessum est.

CYPERVS. Caput IIII.

PLinius inter Cypirum & Cyperum differentiam cõstituit, cùm tamen reuera nulla alia differentia inter eas sit, quàm quæ inter duo eiusdem alitis oua. Quare siue Cyperum, siue Cypirum, pronuncies, eadem tamen res erit. Porrò Cyperus est iuncus odoratus, angulosus, qui cùm longas radices habet, Cyperis uocatur: Cùm uerò oliuæ similes, & sibijpsis cohærẽtes, Cyperus. Solæ radices in usu sunt Medicis, & priscum nomen retinent, nempe Cyperus Romanus, uel longus, qui Cyperis est: & Cyperus rotundus, qui Cypirus uocatur. Inueniuntur plerunq; simul longæ & oliuæ modo rotundæ radices sub eadẽ herba: propterea non erit operæprecium, magnam inter Cyperum & Cyperida, differentiam facere.

CARDAMOMVM. Cap. V.

CArdamomi appellatione habentur grana in Pharmacopolijs, ualde aromatica. Manardus uerò & Antonius Musa clamant, nos uero Cardamomo carere, quandoquidem ab autoribus descriptæ notæ, granis uocatis Cardamomum, nullo modo conuenire possint. Quod uerum esse concedo & ipse.

A Sed tamen non continuò sequitur, nos uero Cardamomo carere. Diascorides enim & Serapio integros Cardamomi fructus granis confertos, ut olim afferebantur, descripsere. Hodie uerò ipsi cortices, quoniã lignosi & nullius odoris ac saporis sunt, abijciũtur, & sola intus inclusa grana, propter saporis & odoris fragrantiam, ad usum reseruãtur. Cardamomi uerò genera hodie duo afferũtur, maius & minus. Maius fructum habet lignosum, iuglandis ferè magnitudine, intus angulosis & aromaticis granis, mali punici modo plenum & confertum, & fructu contumacem. Minus uerò fructum fert Auellana etiam multò minorem, triquetrum, & minoribus granis repletũ, eiusdemq; saporis & odoris, sed uehementiùs linguã penetrantibus. Maius parciùs hodie affertur: propterea quidam in eius locũ grana Paradisi substituerunt, & Cardamomum maius uocauerũt: impropriè tamen & malè. Nam sapore, quo piperi similia sunt, & odore plurimùm à Cardamomo differũt. Fructus uerò figura aliquam habet cognationem, qui oui columbini magnitudine conspicitur, & Cardamomi modo granis angulosis repletus est. Grana ipsa etiã Mel ligette uocantur, quòd à regno Melli aduehantur. Illi uerò plurimùm errant, qui Nigellæ citrinæ semen Cardamomi appellatione * dignantur.

* Aliâs, donant.

NARDVM. Caput VI.

CVm simpliciter Nardum, scriptũ legimus, semper Syriacam uel Indicã intelligere debemus.

B Sunt enim multæ differentiæ, ut Indica & Syriaca, quæ nullam aut exiguam differentiã habent. Præterhas est Celtica, quæ etiam Saliunca uocatur, Montana, rustica, siue Azaron, Cretica siue Phu, & Malobathrum: de quibus singulis deinceps agemus.

NARDVS SYRIACA.

SYriaca siue Indica Nardus est ea, quæ adhuc in Pharmacopolijs Spica Nardi, uel simpliciter Spica appellatur, Adeò per omnia cõueniunt etiã omnes notæ. Quapropter non rarò mirari eos solco, qui Nardo nos carere negant. Id tamen uerũ est, afferri nardũ ualde inueteratã, debiliodore & languido sapore, ut satius sit & cõuenientius, Celticam pro Indica accipere.

NARDVS CELTICA. Ca. VII.

CEltica nardus absq; ulla cõtrouersia est ea, quæ hodie à Pharmacopolis Spica Romana dicitur: nulla enim est, quæ nõ conueniat, nota. Testatur Dioscor. hanc nardum Saliuncam ab Incolis appellari, quã uocem Marcellus Verglius in Gallicã mutauit: sed malè & ualde frigidis argumẽtis inductus. Nam Germani eandẽ herbã adhuc proprio uocabulo Seltungk appellant. Celtica aũt Nardus in Istria, Germaniæ uiciniori quàm Galliæ regione, Pannonia et in Alpib. nascitur. Quare potius Germanica quàm Gallica appellari debet. Nusq; enim hæc Nardus in tota etiã Gallia nascitur, Sed adhuc ex Norico, Istria & Pannonia in maxima quãtitate affertur. Quare ipse Dioscor. huic nardo Gallicæ nomen nõ tribuit, sed Celticæ & Saliuncæ. Nã Celtarum appellatione non tam Galli q̃ Germani ab historicis quibusdam indicantur. Adde, quòd Saliuncæ uocabulum Germanicum sapiat etymon. Hãc nardũ alijs etiam uocabulis Germani nominant, ut Marien Magdalenen blůmẽ/Spica nardes: Sed omniũ proprijssima & uetustissima est appellatio Seltungk: et si coniectari licet, uidetur mihi à conseruando iuuenili animo facta esse. Illi aũt uehementer impingunt, qui Spicã siue Nardũ Celticã eã esse putant, quæ ab alijs Lauendula maior, siue Maßiliensis Lauẽdula appellatur, unde oleum Spicæ uulgo sic uocatũ faciunt. Toto enim cœlo hæ duæ plãtæ distãt. Nardus Celtica breuis herbula describitur, quæ propter breuitatẽ suam in manuales fasciculos nõ minus hodie quàm olim ligatur. Lauendula uerò lignosus & longus frutex potius quàm herba est, neq; in fasces uel fasciculos ligatur. Nardi Celticæ folia subflaua describũtur, Lauendulæ uerò intensè uiridia cernuntur. Nardus Celtica luteo describitur flore, lauendula purpureũ ferè ostendit. In Celtica nardo solæ radices & caules Medicinã faciunt: Folia enim & flores, quoniã neq; saporem neq; odorem habent, ex omni usu *abdicata sunt. In Lauẽdula cõtrà soli flores & fõlia medica ui pollent: radices aũt & caudices potius quàm caules, quoniã lignosi & odoris & saporis expertes sunt, in nullũ usum recipiuntur. Certũ igitur est, Lauendulã istam maiorem nõ esse Nardũ Celticam, sed utraq; diuersa est, & sui generis plãta. Quid aũt hæc Lauendula sit, in Stœchade indicabitur.

* Aliâs, exploduntur.

MONTANA NARDVS. Ca. VIII.

MOntana nardus, quæ etiã Niris, Thilacitis et Pyritis appellatur, olim ex Cilicia in coriaceis sacculis (quos Græci θυλάκια uocãt) ad exteras nationes ferebatur: partim ad Medicinæ usum, partim ut ignibus propter iucũdum odorem injiceretur: unde etiam illi nomen Pyritis factum est. Hanc intelligit in Fastis suis Ouid. cùm ait:

Et sonet accensis spica Cylissa focis.

Nequaquã enim Crocus eo loco intelligendus est, quã igni iniectus fœtet. Nardus uerò Mõtana in flammã iucundi odoris resoluitur. Copiosissimè hæc in Cilicia prouenit. Quapropter potius Pauli Marsi Piscinensis, quàm Antonij Phanensis Cõmentarium in hũc Ouidij locũ probauerim. Nã ille Nardi Spicam, & bene: hic uerò Crocum, sed malè, per Cylissam Spicam intelligendũ asserit. Hodie uerò nullus illius usus est. Nã non amplius affertur, præterquàm quòd interdum casu cum alijs mercibus aduenit: sed id rarissimè accidit. Hi autem uehementer errant, qui Montanam nardũ eam putant esse herbã, quæ à nobis Katzenleyterle appellatur, muscus potius, funiculi modo per terram serpens, quàm herba: qui etiam nullo neq; sapore neq; odore commendetur.

AZARVM. Caput IX.

Azarum

A AZarum quamuis odore Nardum imitetur, ut etiã propterea ſyluestris nardus nominetur, nullã tamen formam cũ nardo communem habet. Nõ defuerũt, qui etiã hãc Baccharem appellarent, ꝓpter odoris ſimilitudinem. Ambæ enim, ſcilicet Azaron et Baccharis, odoratæ herbæ ſũt, ſed diuerſæ. Malè igitur Baccharis caput in Azari caput, & ecõtrà repoſitũ eſt, quaſi una eademq; eſſet herba. In correctioribus uerò exemplaribus, ſeorſim de utraq; agitur. Nã Azarum primo libro inter aromata recenſet. Baccharẽ uerò in tertio inter odoratas & coronarias herbas deſcribit. Azarum à nobis Haſelwurtz nominatur, quòd plerũq;, & frè ſemper, in Coryletis naſcatur. Antonius Muſa Italus, & Germanicæ linguæ ignarus, à lepore factũ illi nomen eſſe interpretatur, ſed malè. Nã ſi à lepore etymon deriuaretur, nõ Haſelwurtz, ſed Haſenwurtz, pronunciandũ eſſet.

PHV. Caput X.

PHu, ſiue Nardus Cretica, quã quidam agreſtẽ nardũ uocãt, ſolo odore nardum imitatur. Per cætera enim omnino illi diſſimilis exiſtit. Ab omnibus eſſe creditur Valeriana. Quoniam aũt præcipuæ notæ nõ reſpõdent, falſum omnino eſt, quod quidã aiunt: Phu ſine controuerſia eſt Valeriana. Nullo modo tamen negandũ eſt, Valerianam huius Phu ſpeciẽ eſſe agreſtem, & diſſimili radice, & quæ à ueteribus nõ deſcripta ſit. Verum aũt Phu ea eſt herba, quæ à nobis Theriacks kraut / & Garten ſelliungk / B quaſi ſatiua Saliunca, ſiue Nardus appellatur. Radices habet multas digiti craſſitudine, quæ tranſuerſæ in ſuperficie terræ ſerpũt, odore nardi, ſed grauiore. Valerianæ uerò radices uiroſiore odore ſunt, nec in terræ ſuperficie ſerpunt, ſed graciles fibras deorſum agunt.

MALOBATHRVM. Ca. XI.

MAlobathrum multi crediderũt Nardi fõlium eſſe. Dioſc. uerò & ipſa experientia cõtrarium teſtantur. Hoc Malobathrum antiqui fõliũ etiã nominabant, quãdoquidem nihil aliud eſt, quàm fõliũ ſine radice paludibus innatans. Hinc unguenta, quæ Malobathro odorabantur, fõliata dicta ſunt: eratq; hoc fõliũ principale in unguentis, & non nardi fõliũ, ut Plinius exiſtimat. Siquidem Nardus ſpica tantùm eſt, præter quam nulla fõlia habet. Quapropter ſuperuacuũ eſt, quod Plinius dicit lib. 12. ca. 12. Gemina dote Nardi ſpicas & fõlia celebrant. Hodie aũt hoc aroma amplius non affertur. In eius uerò locũ Caſiæ & Cinnamomi fõlia ſubſtituta ſunt, quæ pro Malobathro quidẽ in uſum recipere cuilibet licet. Sed eadem Malobathrum, uel ſimpliciter fõlium appellare, non perinde fas eſt.

CASIA. Caput XII.

CAſia multiplices habet differentias. Eſt enim Caſia aromatica Cinnamomo cognata arbuſcula, cuius ramuli uel baculi, ſi cũ ipſo cortice ligno adhuc inhærente uendãtur, Xylocaſia appellantur. Cùm uerò extruſo ligno uenẽãt, Caſia Syringites, uel C Syrinx uocatur, quòd excauati cortices fiſtulæ ſimilitudinem habeãt. Hæc erat antiquis Caſia fiſtula, uel fiſtularis. Arabes aũt aliã Caſiam fiſtulã in uſum Medicinæ introduxerunt, quæ fructus proceræ arboris in India, et nũc in Aegypto etiã naſcentis exiſtit, quem Ariſtobulus Barbarus Fabam Indicã uocat, diuerſæ penitus cum alijs facultatis. Porrò ueterũ Caſia fiſtularis, uel lignea, multis ſeculis nõ uiſa eſt, ſed eius loco cortex radicis cuiuſdã, acerbi & nõ aromatici ſaporis uenditur. Iam uerò quorundam diligentia factũ eſt, ut una eius ſpecies rurſum aſportetur, ſed raro ac minimè copioſè. Habet autem Caſia tantã cum Cinnamomo ſimilitudinem, ut alterutra in aliam non raro degeneret.

CINNAMOMVM. Ca. XIII.

CInnamomi non pauciores quàm Caſiæ ſpecies ſunt. Optimum eſt quod Gal. in lib. de Theriaca ad Piſonem & de Antidotis, deſcribit. Tali aũt hodie omnino caremus, & habemus tantùm ex omnibus uix unã ſpeciem, eã ſcilicet, quæ Moſilicæ Caſiæ ſimilis eſt, quæ item omnium max. arboreſcit. Propterea nõ ſine ratione quidã opinãtur, noſtrũ Cinnamomum Caſiæ potius quàm Cinnamomi ſpeciem eſſe. Cùm uerò Caſia & Cinnamomum plures habeãt ſpecies, ſintq; inter ſe ualde cognatæ arbuſculæ, temerarium eſſet pronunciare, nos Cinnamomo carere. Cinnamomum autem, ut hodie affertur, eſt cortex tãtùm ſuæ arbuſculæ, quam quidam Canellam uocant, D nos uerò Zimetrinden.

AMOMVM. Ca. XIIII.

AMomum eſt paruus ille et in ſe ipſum cõuolutus frutex, quem monachi roſam ſanctæ Mariæ, & roſam de Hiericho, uocãt. Nihil enim in hac planta quod hiſtoriæ repugnet, inuenitur: quãuis Antonius Muſa id neget, eo argumento utens, quòd roſæ Hierichuntis fõlia Bryoniæ nõ habeat, quæ tamen Amomũ habere debet. Quòd autem hæc ipſa Hierichũtis roſa talia fõlia non habeat, nemo ſtatuere poteſt, cùm ipſa fõlia in tanto itinere, & tanto temporis interuallo antequam ad nos perferantur, dilabi poſſint. Quis enim non uidet, ſi apud nos ramus in ſyluis decerpatur, & per longinquũ iter feratur, quòd fõlia ipſa defluant? Quare frigidiuſculum eſt hoc Muſæ argumentum. In Pharmacopolijs autem uerũ Amomum nõ habent, ſed eius loco duplicis generis ſemina oſtendũt, quorũ unum eſt Syſonis, alterum uerò Botryos, hoc eſt, alterius Ambroſiæ ſemen.

COSTVS Caput XV.

COſtus, qui triplicem habet differentiã, hodie rariſſimè affertur, ſed eius loco quidam adhuc nõ minus quàm olim Comagenæ Enulæ præparatã radicem uendunt, quidam etiam alias diuerſas: ita ut nullum ferè Pharmacopolium ſit, quod nõ propriũ Coſtũ habeat. Nomen eius adhuc in ore omnium fertur, res uerò ipſa è manibus excidit.

A SCHOENVS, QVEM LATINI TERETEM seu rotundum odoratum iuncum appellant.
Caput XVI.

IVncus odoratus duplicem habet differentiam. Vnus enim angulosum, alter teretem caulē fert. Ille alio etiam uocabulo Cyperus, de quo suprà dictū est, hic uerò Schœnos simpliciter appellatur, & flores eius χοινῶ ἄνθῳ, & composita appellatione, χοίνανθον, quam uocem in squinantum Græcæ linguæ imperiti deflexerunt. Eranteq; ex hac planta olim in maximo usu flores, nunc uerò stipites & folia tantùm nobis Arabes mittunt: sibi flores, hoc est, præstantiorem partem reseruantes. Nihilominus tamen hæ partes stipites & folia, Schœnanthi appellatione ueniunt. Porrò hoc aroma Germani Kamelstro appellant.

CALAMVS AROMATICVS.
Caput XVII.

VEro aromatico Calamo omnino hodie caremus, cuius loco uenditur ueri Acori radix. In calamo autem ipsa arundo, & non radix, in usu est: propterea ipse calamus, siue arundo, à Dioscor. & non radix, describitur. Ex Acoro autē sola radix medicinam facit, quam nūc pro aromatico Calamo uendunt. Dominicus Senno cū Acoro Calamum aromaticum in Syria nasci uidit, & nihil differt à uulgari
B arundine, quod ad formam attinet, sed sola tantùm uirium diuersitate, & aromatico odore & sapore ab illo distinguitur.

BALSAMVM. Cap. XVIII.

BAlsamum non minus quàm olim adhuc in Aegypto nascitur, sed ad nos liquor eius nō perfertur: & si adfertur, mille modis adulteratus est. Eius tamen fructus & lignum in omnibus Pharmacopolijs uenduntur, Carpobalsami & Xylobalsami nomine, sed adulterata & ipsa. Nam antequàm ad nos ueniant, in humore aliquo eà macerant incolæ, sibi dilutū ad medicinam & unguenta reseruantes, nobis uerò sine uiribus lignosam substantiam mittentes.

ASPHALATVS. Cap. XIX.

ASphalatos, siue Aspalatos (nam utrunq; dicitur) multùm ab Asphalto differt. Illa enim aromatici odoris arbuscula est, hæc uerò res pici similis in terra nascēs, quæ aliàs bitumen appellatur. Asphalati autem arbusculæ non una tantùm species existit, quæ omnino hodie non cognoscitur. Nam neq; nomē amplius auditur. Ruellius lignum Rhodisium, quod Agallochi species est, Asphalatum esse constanter affirmat. Cùm uerò in Rhodisio ligno ipsum lignum tātùm medica ui & odore polleat, in Asphalato autem radicis tantùm cortex, non uideo quomodo certò aliquis affirmare posit, lignum Rhodisium Asphalatum esse.

MVSCVS. Caput XX.

DIfferunt plurimùm ueterum & recentiorum Muscus. Nam ueteres sic uocant illosam illā caniciem arborum, quæ propriè etiam in quacunque nascatur arbore, muscus appellatur. Medici autem hoc uocabulo non quemuis arborum muscū intelligebant, sed eum qui in Cedro, Populo alba, & Quercu nasceretur. Verùm neq; hunc mediffererter, sed eum tantùm, qui aromatum modo odoratus esset. Quapropter à Dioscoride in hoc primo Libro inter aromata recēsetur. Res uerò quæ nunc muscus appellatur, impropriè nomen hoc accepit. Non enim arborum illo sa canicies est, sed Indici cuiusdam animalis odoratū pus. Quapropter peritiores natura res diuersas distinguunt, illum Muscum, hunc uerò Moschum appellantes, ut apud Aëtium uidere est.

AGALLOCHVM. Cap. XXI.

AGallochum sine dubio illud est lignum, quod hodie ab omnibus Medicis & Pharmacopolis Xyloaloës, id est, lignum aloes, & lignum Paradisi uocatur. Huius autem multæ sunt differentiæ, quas periti facilè distinguere possunt. Omnium uilissima eius species est, quæ lignum Rhodisium appellatur. Sed quāuis minori precio, quàm cæteræ species, ueneat, nequaquam tamen contemnendas in Medicina uires habet.

NASCAPHTHVM. Ca. XXII. D

NAscaphthon quid uerè sit, hodie omnino ignoratur, nisi quis Storacem siccā, siue Corzum brum esse contendat.

CAVCHAMVM. Cap. XXIII.

CAuchamum est gūmi illud, quod hodie omnes Pharmacopolæ Laccam uocant. Si uerò aliquis credere nolit, legat Dioscoridem de Cauchamo hoc Caput, & Serapionis de Lacca, qui hunc autorem super Lacca adducit, totumq; Cauchami caput de uerbo ad uerbum recenset.

CYPHI. Caput XXIIII.

CYphi thymiamatis cōpositio est, quā Aegyptij sacerdotes in sacrificijs utebantur: eratq; duplicis compositionis, Vna Seleniacum, Altera Heliacum appellabatur: quòd hæc Soli, altera Lunæ consecrata esset. Quomodo autem præparetur, hic ipse autor, & Aëtius in Methridatica compositione, & alij plures, indicant.

CROCVM. Caput XXV.

CRoco olim Lycia, Cilicia, Sicilia & Italia celebrabantur tantùm, nunc uerò copiosus etiā in Germania eius est prouentus. Croci autem appellatione non solùm tota cum radice herba intelligitur, uerumetiam ipsa tantùm floris stamina, propter excellentiam, crocus simpliciter appellantur, quæ nos cum Arabibus Saffran nominamus.

CROCO-

A

CROCOMAGMA.

CRocomagma Crocini unguenti fæx & sedimentum est, cuius compositio paulò pòst describetur.

DE INVLA. Caput XXVI.

INula Helenium à Græcis appellatur, quòd ex Helenæ lachrymis enatum sit: quam fabulã pulchrè describit Nicander in Theriacis suis. Est autem duplicis Inula differentiæ. Vna quæ copiosè apud nos prouenit, & quam Germanico uocabulo Alant uocamus. Altera, quæ in Aegypto nascitur serpillo similis, & coronaria herba est. Sed hæc hodie omnino ignota est, præsertim apud nos.

OLEVM. Cap. XXVII.

OLeum, quãdo simpliciter scriptum inuenitur, intelligendum id est, quod ex satiuis oliuis exprimitur. Hoc Germanicè Baumöl uocatur, propterea quòd ex fructu in arboribus nascẽte exprimatur. Omphacinum uerò oleum est, quod ex immaturis oliuis exprimitur: hoc uiridiorem colorem habet.

OLEVM SYLVESTRIS OLIVÆ. Caput XXVIII.

HOc oleum ex syluestris oleæ, quæ Oleaster appellatur, fructu exprimitur.

CANDIDVM OLEVM.

B CAndidum oleum duplex est. Quoddam enim natiuum, quoddam factitiũ habebatur. Quod uerò natura candidum est, adhuc ex Hispania Vlisbona in maritimam Germaniæ oram affertur, & ab incolis Wittöl appellatur.

SICYONIVM OLEVM. Caput XXIX.

SIcyonium ex candido oleo fit eo quo Dioscorides docet modo. Nomen uerò inuenit, quòd ad Sicyonem Peloponnesi urbem copiosè præparetur. Hodie autẽ fieri desijt.

SORDES SIVE STRIGMENTA Balneorum. Caput XXX.

MOris erat ueteribus, corpora in balneis oleo ungere. Sudor uerò qui huic oleo & corporũ sordibus miscebatur, strigmenti nomen inuenit.

PALAESTRARVM ET GYMNASIORVM sordes.

SImiliter etiam nudi iuuenes in palæstris & gymnasijs se exercentes, oleo ungebantur. Sordes uerò ex hoc oleo & puluere, pauimentis, parietibus & columnis adhærentes, ad suos in Medicina usus colligebantur.

OLEOMEL. Cap. XXXI.

OLeomel non amplius affertur. Huic tamen simile quiddam ex quercuum & betularum uc

C tustis truncis fluit, sapore melli, pinguedine oleo respondens. Hoc similiter ut illud nauseam & uomitum facit, aluumq; soluit. Germani Stockhonig/ siue Speiseym/ appellant.

RICININVM OLEVM. Caput XXXII.

RIcininum oleum ex fructu ricini exprimitur. Quid autem ricinus sit, in Quarto describetur. Arabes hoc oleum de Kerua appellant.

AMYGDALARVM OLEVM. Caput XXXIII.

EXprimitur adhuc ex dulcibus & amaris amygdalis non minus quàm olim oleum, suosq; habet in Medicina usus.

BALANINVM OLEVM. Caput XXXIIII.

EX glande unguentaria hoc exprimitur, & ab Arabibus oleum de Ben nominatur. Quid autẽ sit hæc glans unguẽtaria, in Quarto declarabitur. Oleum hoc non amplius affertur, imò in Germaniam nunquàm allatum est.

HYOSCYAMINVM OLEVM. Caput XXXV.

HYoscyaminum oleũ ex hyoscyami candidi aqua calida permaceratosemine, ut alia multa olim exprimebatur. Nunc uerò inuenta meliore ratione ex eodem trito & calefacto semine sine aqua ui D excutitur. Nos Bilsen öl appellamus. Huic similiter hodie præparatur Raphaninũ & Sinapinũ, quæ olim aqua macerabantur.

CNIDIVM OLEVM.

EX Grano cnidio oleum hoc exprimitur, rari hodie in medicina usus. Cæterùm non est, ut Marcellus Vergilius in huius capitis Commentario ait, granum Cnidium Chameleæ semen. Dioscor. enim id negat. Quid uerò sit, in Quarto audiemus.

CNICIVM OLEVM.

CNIcium ex Cnici, qui hodie Cartamus dicitur, semine exprimebatur, Cuius hodie nullus est usus.

RAPHANINVM OLEVM.

EX Raphani semine nunc quoque non minus quàm olim hoc oleum exprimitur, sed alio, ut in Hyoscyamino præmonuimus, modo. Nos Retich öl appellamus.

NIGELLINVM OLEVM.

EX Nigellæ, quæ melanthion Græcis uocatur, semine, hoc oleum exprimebatur. Nunc autem cessauit illius usus. Quid uerò Nigella propriè sit, in Tertio audiemus.

SIN A-

A

SINAPINVM OLEVM.

Sinapinum ex uulgaris sinapis semine exprimitur, alia quàm olim ratione, ut in Hyoscyamino præmonstrauimus.

MYRTEVM OLEVM. Caput XXXVI.

Myrteum siue Myrtinum oleum, alia nunc ratione quàm olim præparatur, propterea eadem uires nemo illi tribuerit. De Myrto autẽ statim pòst hoc ipso libro sermo habebitur.

LAVRINVM OLEVM. Caput XXXVII.

Laurini uaria est cõfectio: Hodie uerò illud tantùm usui est, quod ex oliuæ oleo, & laurifrondibus oleo incoctis præparatur. Quidam, ut iucundiorem acquirat colorem, ærugnem miscent, sed malè. Corrumpitur enim, & turbatur ærugine huius olei temperamentum. Verùm si diligenter præparetur, satis hilarem acquirit colorem, ut non sit opus ærugnem addere.

LENTISCINVM OLEVM. Caput XXXVIII.

Lentiscinum oleum ex Lentisci maturo fructuoleo incocto fit, quod ad nos non affertur, neq; à nobis præparari potest, cùm ipsa arbore Lẽtisco ca

B reamus.

MASTICHINVM OLEVM. Caput XXXIX.

Hoc oleum fit ex Lentisci resina, quæ masticche uocatur. Eius magnus adhuc est in medicina usus. Hodie uerò alia quàm apud Dioscoridem ratione præparatur. Vulgo oleum masticis uocatur.

ODORATA VNGVENTA. Caput XL.

ROSACEVM VNGVENTVM. Cap. XLI.

Rosaceum hodie oleum rosarum à Pharmacopolis uocatur. Verùm secundũ Dioscoridem & ueterum descriptionem non conficitur. Nam rosas tantùm in oleum coniectas ad solem exponunt, & deinde à rosis excolatũ exponunt, & usui reseruant. Estq; hoc simplex rosaceum, quo etiam ueteres interdum utebantur.

ELATINVM VNGVEN. Cap. XLIII.

Ex palmæ nondum florentis operimento, quod Elate uocatur, elatinum olim fiebat unguentum: hodie uerò fieri desijt. Quidam eius loco facitum unguentum ex abiete, quod elatinum esse putant, creduntq; in huius unguenti compositione abietem elate appellatione significari, sed falsò. Nam elate tam palmæ operimentum, quàm abietem significat.

MELINVM VNGVEN. Caput XLIIII.

Melinum ex malis cotoneis adhuc conficitur, non tamen aromatis odoratur, sed simpliciter fit ex maceratis & insolatis in oleo cotoneis malis, uocaturq; oleum cytoniorum à Pharmacopolis.

OENANTHINVM VNGVEN. Caput XLV.

Oenanthinum ex labruscæ, quæ uitis agrestis est, floribus, oenãthe appellatis, cõficiebatur. Nunc uerò eius nullus in hisce terris usus est.

FOENVGRAECINVM VNGVEN. Caput XLVI.

Hoc à quibusdam adhuc præparatur, sed simpliciter ex fœnigræci seminibus oleo incoctis, uel ad solem maceratis. Qui præparant uocant oleum fœnigræci.

SAMPSVCHINVM VNGVEN. Caput XLVII.

Sampsuchinum ex maiorana, quæ Græcis sampsuchum appellatur, fiebat, admixtis alijs aromatibus. Nunc uerò non amplius præparatur. Nam omnia ferè unguenta, quæ olim odoris gratia conficiebantur, hodie in Europa non præparantur.

D

OCIMINVM VNGVEN. Cput XLVIII.

Ex Ocimo hoc quondam conficiebatur. Quid autem ocimum sit, in secundo libro audiemus.

ABROTONINVM VNGVEN. Caput XLIX.

Ex Abrotono nigra seu mascula, hoc olim fiebat unguentum. Nunc quidam in sole cum abrotono maceratum oleum, abrotoni oleum uocant.

ANETHINVM VNGVEN. Caput L.

Hoc hodie simplici ratione ex anethi floribus in oleo ad solem maceratis conficitur. Quidam etiam Pharmacopolæ secundum aliam descriptionem faciunt. Vulgo in Pharmacopolijs oleum anethinum uocatur.

LILINVM VNGVENTVM. Caput LI.

Lilinum adhuc fit, sed tantùm in oleo macerati candidis lilijs. Vulgo oleum liliorum nominatur.

NARCISSINVM VNGVEN. Caput LII.

Non amplius cõficitur narcißinum, neq; hodie præparari potest, cùm uulgo narcissus non cognoscatur

CRO-

A

CROCINVM VNGVENTVM. Caput LIII.

CRocinum nostris quoq; temporibus fit, non tamen secundum hanc descriptionem. Pharmacopolæ hoc suo more præparatum oleum Croci appellant.

LIGVSTRINVM VNGVEN. Caput LIIII.

EX Ligustri floribus, quoniam odorati sunt, hoc olim conficiebatur unguentum. Nunc uerò nusquam conficitur. Quid uerò Ligustrum sit, in hoc libro non multò pòst demonstrabitur.

IRINVM VNGVENTVM. Ca. LV.

EX Illyrica Iride hoc præparabatur unguentũ. Quid autem Iris sit, anteà ostensum est.

GLEVCINVM VNGVEN. Cap. LVI.

SImplex hæc est Gleucini confectio, quæ à Dioscponitur. A Galeno hæc ipsa etiã κατὰ σύγγ septimo recẽsetur, & ad Dioscoridẽ refertur. & præter hanc aliæ tres indicantur, quæ plura recipiunt aromata, siue ingredientia, ut uocant. Nomen à musto, quod γλεῦκος à Græcis dicitur, accepit. Hodie non fit.

B

AMARACINVM VNGVEN. Caput LVII.

DIuersum hoc est à Sampsuchino, quamuis utrunq; Sampsuchum siue Amaracum capiat. Alia uerò aromata, quæ ingrediũtur, differunt. Quare ut distinguantur ab inuicem, hoc Amaracinum, illud Sampsuchinum appellarunt. Nunc uerò & hoc fieri desijt.

MEGALINVM VNGVEN. Caput LVIII.

HOc hodie non conficitur. Nam Dioscoridis etiam ætate non amplius conficiebatur.

HEDYOCHROVM VNGVEN. Caput LIX.

HEdyochroon ab hilaritate coloris nomen accepit, hodie uerò non præparatur. Sunt & pastilli qui theriacam Andromachi ingrediuntur, similiter Hedyochroi appellati, qui plurimùm ab hoc unguento differunt. Quapropter ineptè apud Paulũ Aegnetam li. 7. in Theriaces compositione, uocabulo Hedyochroi adiecit unguinis appellationem interpres Albanus Torinus Vitodurensis.

METOPIVM VNGVEN. Caput LX.

METopium Galbanum recipit, propterea à Galbani planta ab Aegyptijs Metopion appellata nomen accepit. Non præparatur hodie.

C

MENDESIVM VNGVENTVM. Caput LXI.

NEq; hoc amplius conficitur in Europa.

STACTE. Cap. LXII.

DIcta est Stacte à stillando. Est autem recentis & expressæ myrrhæ destillans pinguissimus flos. Antonius Musa Styracem liquidam Stactẽ esse constanter affirmat, sed malo iudicio. Sunt enim natura penitus diuersæ Styracis & Myrrhæ arbores, & huius lachryma in aqua resoluitur, illius uerò in oleo, uel oleo simili humore tantùm. Styrax prætrea liquida calamitæ Styracis expressio est, cui antequàm exprimatur, liquida resina & oleum additur, ut liquidior facta magis redoleat, & uiliori precio ueneat. Nam Styrax calamita pluris constat. Si ergò uera habetur & recens Myrrha, non magno labore ex hac Stacte exprimi potest. Hodie apud nos non exprimitur, ob recentis Myrrhæ inopiam, sed in Arabiæ Mecha copiosè adhuc conficitur.

CINNAMOMINVM VNGVEN. Cap. LXIII.

CInnamominum à Cinnamomo, quod basis huius unguenti est, nomen accepit. Hodie nõ præparatur.

NARDINVM VNGVEN. Caput LXIIII.

NArdinum ex Indicæ Nardi spica, & alijs quæ à Dioscoridis recensentur, fiebat. Nunc similiter præparatur quibusdam demptis, aliquibus etiam additis simplicibus. Sed multum illo ignauius est. Quidam uerum Nardinum Vnguentum hoc esse credũt, quod ex Spica Lauendulæ destillatur: sed longè fallũtur.

D

MALOBATHRINVM VNGVEN. Caput LXV.

MAlobathrinum unguentum præcipuè Malobathro constabat. Hoc, ut Gal. in κατὰ γένη lib. 3. innuit, Romæ foliatum dicebatur. Nardinum uerò Spicatum.

IASMINVM VNGVENTVM. Caput LXVI.

IN Perside Iasmini nascuntur flores, Violis quadantenus simules, qui ab Arabibus Iesimini & Zambach appellantur. Ex his unguentum illud conficiebatur, quod ab Arabibus etiam oleũ de Zambach nominatum fuit. Vnde imperiti putant hoc ex Sambuci floribus fieri, maximo, & qui etiam pedibus palpari possit, errore. Iasmini autem flores hodie à quibusdam in Italia seruntur, Iesemini appellatione. Sed I. primam consonantem quasi S. pronunciant. Vnde quidam eo ignorantiæ perucnerunt, ut Sesaminum semen, & Ieseminum appellatum Italis florem, eandẽ rem esse credant, sed malè.

MYRRHA.

A

MYRRHA. Cap. LXVII.

IAmdudum de Myrrha incidit controuersia, negantibus etiam doctissimis uiris, nos Myrrham ueram habere. Qui uerò res ipsas diligenter inquisierit, non poterit non uidere, quòd non tantùm mediocris, uerumetiam optima Myrrha afferatur: quāuis hoc fiat rarius. Quòd autem non frequentiùs fiat, sola in causa est Aromatopolarum, quos hodie Materialistas uocant, ignauia & insciti a. Hi enim cùm partim etiam in Aegypti Alexandriam nauigent, facilè possent optima quæq; eligere & asportare, nisi sumptibus parcere mallent, quàm humani corporis salubritati consulere. Verùm hoc nequaquàm illorum instituti est, sed longè alium finem, ipsas scilicet diuitias & priuatum commodum sequuntur. Myrrha autem adhuc nomen suum in Pharmacopolijs retinet.

BOEOTICA MYRRHA.

BOEoticam myrrham necesse est similiter lachrymam esse. Quemadmodum enim propriè uocitata myrrha eiusdem nominis arboris lachryma est, quæ in aqua dissoluitur (hoc addo, ut à resinosis lachrymis, quæ in aqua minimè resoluuntur, distingui possint) Sic etiam par est, Bœoticam myrrham ex arboris aliqua parte manare. Non enim frustra, sed ob similitudinem substantiæ & qualitatis, quas cum myrrha paulò minus quàm easdem habet, myrrhæ uocabulo appellata fuit. In hoc uerò Dioſco. exB emplari, quod Marcel. Verg. interpretatus est, clarè legitur, Bœoticam myrrham, nascentis cuiusdam in Bœotica arboris, incisam radicē esse, sed malè. Neq; hoc interpretis culpa, uerùm exemplaris Græci uitio factum est, in quo sic scriptum reperitur: ἃ δὲ Βοιωτικὴ σμύρνα ὀρύσσεται ἐκ δένδρου ὑλώδους ἐν Βοιωτίᾳ γινομένου ῥίζης τεμνομένης. Correctiora exemplaria uerò sic habent: Bœotica uerò myrrha ex incisa cuiusdam in Bœotia nascentis arboris radice manat &c. Quam lectionem ueram esse, ipse etiam Serapio indicat, cùm in myrrhæ cap. sic ait: Sed myrrha quæ est ex terra, quæ dicitur Laptoteno, id est, Bœotia, abscinditur ex radice arboris, quæ est in terris illis. Sic ille Dioscor. caput hoc reddidit, nec dicit Bœoticam myrrham incisam esse radicem, sed ex radice excindi, quemadmodum solent incisione elici reliqui liquores. Myrrha hæc hodie omnino non cognoscitur.

STYRAX. Cap. LXVIII.

STyracis & Myrrhæ arbores natura penitus esse diuersas, in Stacte præmonui. Quod etiam ad natales attinet, nihil penitus conueniunt. Hæc enim in India & Arabia, illa uerò in Asiæ minoris Pisidia & Cilicia prouenit, multùm secundum latitudinem distantibus regionibus. Si uerò substantiam ipsam earum, quæ ex his emanant, lachrymarum considerabimus, omnino diuersam deprehendemus. Lachryma enim, quæ ex Styrace manat, præter omnes alias notas quas iam taceo, resinosæ est substantiæ, cuius proC prium est, in sibi simili humore aliquo resolui, & minimè in aqua, quippe quæ pinguedinis omnino nihil in se habeat. Quæ uerò è myrrhæ arbore destillauerit lachryma, facilè etiam propter substantiæ similitudinem, in quouis aquoso humore dissoluitur. Hæc latiùs ideo dico, ut sciamus liquidam Styracem nihil minus esse quàm Stacten: quod pluribus etiam demonstrare argumentis possemus, si huius loci esset falsas doctorum opiniones & iudicia confutare. Styracis autem triplex habetur hodie differentia. Est Styrax calamita, quæ in candicantes et ruffescentes grumos concreuit. Hæc addita resina & oleo expressa, liquida uocatur Styrax. Estq; altera species, quamuis substantia eadem, expressæ huius sedimentum, quam pro bona Calamita Styrace hodie uendere cœperūt, idq; ante paucos annos. Sed facilè fraudem exercitatus deprehendere potest. Talis enim Styrax corticibus & scobe in magnos grumos conformatis constat, qui minimum odoris, minus etiam pinguedinis habeant, & facilè digitis in puluerem fricentur. Tertia Styracis differentia: Styrax rubra est, à quibusdam etiā Thymiama uocata, estq; cortex in ruffo colore nigricans, quem aiunt ex Styracis arbore colligi. Hodie autem Pharmacopolæ non amplius Styrax, sed Storax, pronunciant.

BDELLIVM. Cap. LXIX. D

SVbstantia & qualitate Bdellium & Myrrha, magnam habent cognationem, suis tamen distingui possunt notis, quas etiam ipsi, ut uocant, Materialistæ ignorant: quo factū est, ut hactenus aliquot seculis Myrrham pro Bdellio attulerint & uendiderint. Nunc uerò genuinum Bdellium rursus affertur, sed rarò, & in parua quantitate. Nomen suum in Pharmacopolijs retinet.

THVS. Caput LXX.

THus etiam optimum nos habere nemo dubitare debet. Neq; tamen inficias eo, interdum resina & alijs quibusdam adulteratum afferri. Est autem Thus in Arabia nascentis arboris resinosæ substantiæ lachryma candicans, pinguis, & interdum duabus guttis testiculorum modo concrescens, quod optimum est, & masculum uocatur. Pharmacopolarum quidam Thus, quidam uerò Olibanum Græca appellatione uocant. Germanis, quoniam in templis ad sacros suffitus accenditur, Weyrauch, quasi consecratorius fumus, nominatur.

THVRIS CORTEX. Caput LXXI.

THuris cortex unà cum arefacta lachryma ex arbore auellitur, & cum Thure affertur, maiore astringendi & siccandi ui, quàm Thus ipsum, præditus.

THVRIS

A

THVRIS MANNA. Caput LXXII.

FRequenter huius Mannæ in libris Gal. Κατὰ γένη inscriptis, mentio habetur, & apud multos alios ueteres scriptores: ubi Interpretes, quoties Manna thuris, scriptum inuenium, ex una re diuersas faciũt. Si enim inuenerint orationem huic similẽ: Recipe Masticches, Mannæ thuris, &c. Statim illi Mannam & Thus, diuersas res credentes, distinguunt uirgula, hoc modo, Mannæ, Thuris, &c. sed malè. Est autem hæc Manna tenuis ex masculo thure pulus & pollen, qui in grumorum attritu resoluitur. Huius frequens olim in emplastris fuit usus. Sed hodie hæc res in usu non habetur, sed eius loco trito utuntur Thure. Nomen uerò ipsum ad aëreum & roscidum mel, Manhu ab Israëlitis olim appellatum, transtulerunt. De quo plura secundo Libro in Mellis capite audiemus.

THVRIS FVLIGO. Cap. LXXIII.

FVligo etiam ex Thure, quemadmodũ ex omnibus resinosis & oleosis rebus colligi potest, eo quo Dioscorides docet modo. Est autem Fuligo ex incensa quacunq; pingui re resolutus tenuis fumus, qui Germanico uocabulo Rham uocatur.

PINVS ET PICEA. Caput LXXIIII.

B

MAgnam inter autores Græcos controuersiã interpretes mouerunt de uocabulis πίτυς & πεύκη: non quòd ipsi Græci tantùm in horum significatione inconstantes sint, sed ipsi etiam interpretes interdum Pityn, Pinum, πεύκλω Piceam: & Ruellius interdum etiam πεύκλω Pinum, πίτυν uerò Piceam, interpretati sunt: quæ inconstantia, magnam in demonstrandis & iudicandis rebus difficultatẽ affert. Theodorus Gaza in Theophrasto, præterquàm quòd πεύκλω Pinum, et πίτυν Piceam, etiam ipsam πίτυν Laricem interpretatus est: quẽ secutus est Plinius, & Plinium Vergilius Marcellus, qui præterea πεύκλω thedam interpretatur, sed malè. Non autem est quòd hanc culpam aliquis ad interpretum ignorantiã reijciat, cùm ipse Verg. Marcel. in suo in hoc caput Cõmentario fãteatur, & cõcedat, posse etiam aliter quàm ipse interpretatus sit, horum uocabulorum significationem ex autoribus iudicari. Nec hodie tantum ista est in uocabulis cõtrouersia. Nam olim quoq; in ipsa Græcia & Macedonia sua nomina permutabant, Pitys & Peuce arbores. Laricem tamen Pityn, & Peucen thedam interpretari, omnino absurdum est. Multùm enim differunt Pitys & Larix, Peuce & Theda. Ego autem potius Ruellium sequor, multis argumentis & rationibus adductus, & πίτυν Pinum, πεύκλω Piceã, interpretandam esse censeo. Longum foret, & non est huius instituti, omnia afferre argumenta & rationes. Meum tamen iudicium de huius generis arboribus hoc esto: C

Πίτυς est Pinus, quæ cùm sponte prouenit, Pinaster uocatur: nam aliâs etiam in hortis seritur. Hæc in Germania non nascitur.

Πεύκη sit Picea, quæ & ipsa habet duas differentias. Vna est longi setis comosior, deorsum etiam pendentibus ramis. Hæc fructus fert in longo cono Pineis nucibus similes, minores tantùm. Conus à Pini cono differt, quòd Piceæ conus longitudine ferè dodrantem æquat, crassitudine autem manum propemodũ complet. Pini uerò conus multò breuior latiorq; existit, habetq; pyramidalem figuram. Illius etiam squamæ tenues sunt, & ab inuicem resolutæ. Itaut fructus siue nuces sub squamis uideri queant. Huius uerò crassiores lignosioresq; sunt & compactæ. propterea non uideri possunt nuces. Si uerò Pini conus in calido æstuario habeatur, uel ad feruentem solem ponatur, resolutis magno fragore squamis dissilit, nucesq; spargit. Picea autem, quæ Pino similes nuces fert, à Germanis Zirbel/ & nuces eius Zirbelnuß uocantur. Hanc arborem in Germania ad Alpes nascisci mus, & à quibusdam etiam Pinũ uocari, sed malè. Picea uerò syluestris, conum huic similem fert, in quo minutum & alatum fructum in minimè duro cortice cõtinet. Hanc Germani ein Fichten nocãt. Abies uerò quæ Græcis ἐλάτη uocatur, ea est sine dubio arbor, quæ à nobis ein Thanne appellatur, similes Piceæ syluestri conos ferens. Huic similis est D Milax arbor, siue Taxus. Sed hæc ex omnibus sola baccifera est, cùm cæteræ omnes conos ferant. Taxus Germanis ein Eibe uocatur, fiuntq; ex ea hodie non minus quàm olim, arcus & scorpiones.

Θέα uerò est propriè Theda arbor, quam nos ein Rifer/ Rienbaum/ & Fœuren uocamus, ex qua sumpta pinguissima materia, Theda Græcè, & Rien Germanicè, similiter ut arbor ipsa, nominatur. unde etiam faces δᾷδες à Græcis dicuntur. Huic similis est Larix Latinis, ein Lerche Germanus appellata, Alpibus etiam iuxta Germaniam peculiaris: quam an Græci habuerint uel cognouerint, uehementer dubito. Non enim uocabulum, quo eam indicent, habent.

PITYIDES.

PItyides sunt fructus, Ponticis nucibus magnitudine & figura similes, oblongiores tantùm enati, in Pini & Piceæ conis sub squamis inuenti. Qui autem ex Piceæ conis sumuntur, Zirbelnusse à Germanis uocantur. Horum rarus iam est usus. Pineæ uerò nuces excorticatæ ad nos ex Italia afferũtur, suumq; adhuc in Pharmacopolijs nomen retinent.

STROBILI.

STrobili priuatim dicuntur in Pineo cono inuentæ nuces, ut à Piceæ fructu distinguantur. To-

A tus etiam Pini conus cum fructibus siue nucibus Strobilus uocatur. Quapropter bis hoc capite Strobili mentionem facit Dioscor. Primùm enim exemptos ex cono & purgatos fructus intelligit: secundò totũ cum nucibus conum.

LENTISCVS. Ca. LXXV.

LEntiscus Σχῖνος à Græcis uocatur. Σχῖνος uerò eidem genti teretem aromaticum iuncũ significat: quæ uocabulorum similitudo quosdam in magnos errores coniecit. Ideo ne quis in similem errorem incidat, utriusq; differẽtiam pono. Est autem Lentiscus procera arbor ex resiniferarum genere, fõlia tamen dissimilia habens, quæ lentis fõlijs similia sunt. Nascitur præcipuè in Chio, & alijs Græciæ locis, & in Aegypto etiam. In Italia autem ab admodum paucis in hortis plantatur. Germania uerò omnino hac arbore caret.

LENTISCINA RESINA.

EX Lentisco resina in guttas concreta fluit, quæ priuato nomine Mastiche appellatur à Græcis. Res ipsa adhuc in usu est. Nomen uerò, χ, Græcorum litera, in x, Latinam mutato, corruptum est, & pro Mastiche, Mastix pronunciatur.

TEREBINTHVS. Ca. LXXVI.

TErebinthus, quam Græci Τερμινθον uocant, etiam ex resinam ferentiũ arborum genere est,
B fõlia eius eodem, quo in Lentisco ordine in pediculis dispositã sunt, multo tamen maiora, & ad laurinorũ magnitudinem accedentia. Nascitur in Græcia, Cycladibus insulis, Petrea Arabia, Iudæa, Syria, Cypro & Aphrica. Nobis omnino est incognita.

RESINAE. Cap. LXXVII.

REsinæ ex multis arboribus fluunt. Quæ autẽ ex Terebintho, Terebinthina Latinis uocatur, Arabibus gluten Albotum. Hæc rarissimè affertur, eius tamen loco Piceæ Resina utimur, similiter Terebinthinã uocantes, sed malè. Quæ uerò ex Lentisco fluit, Lentiscina Latinis, Græcis Mastiche, Arabibus gluten Romanum appellatur. Pinea ex Pino destillat, Abiegna ex abiete. Picea quoq;, ut diximus, resinam fundit. Strobilinam resinam malè interpretatur Pineam Vergil. Marcel. Antea enim eius mentio facta est, sub πιτύϊνῳ uocabulo, & à Pinea resina differt Strobilina. Pityina siue Pinea, est quæ ex arbore & rupto cortice manat. Strobilina uerò, in Strobilis, hoc est, in Pini conis concrescit. Ex Colophone olim ante tempora Dioscor. liquida etiam resina afferebatur, quam uocabant Colophoniam. Ea hodie non est in usu. Ipsi enim liquidam resinam copiosè habemus, ut etiam olim ex Germania in Græciam portaretur. Habent tamen adhuc Colophoniæ nomine siccissimam resinam, quæ potius Pix Brutia est. quidam eam Picem Græcam uocant. Colophonia uerò liquida fuit. Ex Gallia quoq; in Græciam allatam C
esse Resinam liquidã testatur Dioscor. deinde subiũgit: Affertur Liquida & ex Galatia, quæ ad Alpes est (hoc est, ex Germania) quam gentis suæ uocabulo larignam regionis eius incolæ dicunt. Hæc adhuc à nobis Lerchenhartz uocatur, ab Italis Largatũ. Porrò quòd Larignam resinã ex Germania in Græciam dicit allatam esse, satis indicat in Græcia nullam Laricem, ex qua illic colligi possit, nasci. Quare mea est opinio, Laricem incognitam arborem Græcis fuisse: nullum enim nomen, quo eam indicent, ostendi potest. Est & aliud resinæ genus, quod Galenus Pityinon phisema uocat, quasi Pineum absessum. Sed non tantùm in Pinu hic absessus generatur, uerumetiam in abiete, & alijs huius generis arboribus. Cùm in abiete generatur, à Germanis Ein Thannenblater/eadem significatione nocatur. Est autem extuberans absessus resina, plenus in resiniferis arboribus enatus. Ex Cupresso etiam Resina liquida fluit. Huius uerò nostra ætate nullus est in hisce regionibus usus. Coquebatur olim omnis Resina liquida, & cocta caliditatem, acrimoniam, odorem, & partium subtilitatem omnem deponit. Quare sic cocta utebantur ad suffitus, quale Cyphi est, ut sua pinguedine facilè accensa alia etiam accenderet, nulloq; interim suo odore reliquorum aromatum fragrantiam retunderet. Ob eandem causam preciosis unguentis substantiæ & crassitudinis causa addebatur. D

PIX LIQVIDA. Caput LXXVIII.

LIquidæ picis nullus hodie, uel rarus, in Medicina usus existit.

OLEVM PICINVM. Caput LXXIX.

NEq; hoc hodie præparatur. Si autem præparare quis uellet, poterit meliori modo per destillationem ex quacunq; Pice & Resina colligere.

PICIS FVLIGO. Cap. LXXX.

QVid Fuligo sit, & unde colligatur, antea ostensum est in Thuris capite. Quapropter non opus est, ea hìc repetere.

SICCA, SIVE SPISSA PIX. Cap. LXXXI.

SIcca Pix omnibus nota est. Germani Bech/siue pech/uocant. Quomodo autem fiat, Theophrastus docet, nouerunt q; omnes, qui Herciniæ sylluæ penetralia accolunt.

ZOPISSA. Cap. LXXXII.

ZOpissa siue Pix naualis, quam Græci etiam Hypochima uocabant, alia est quàm Pix naualis.

A naualis, quæ in Germaniæ maritimis locis habetur. Græci enim naues suas resina et cera illinebant: nos uerò in Germania ex liquido Bitumine picem nauale coquimus, quemadmodum adhuc etiam in Epyro fieri constat, ubi pisasphaltō, id est, pici bitumē copiosè habetur.

BITVMEN. Cap. LXXXIII.

BItumen Græci Asphalton uocant, Germani Erdbech, quòd substātia & uiribus pici respondeat, & in terra nascatur. Est autem pinguis ceu terræ adeps, qui picis colorem & substantiam habeat, unde facilimè flagrat, & accenditur. Habet autem multas, ut subsequitur, differentias. Hæc prima eius species Asphaltum, seu bitumen Iudaicum uocatur. Liquidū bitumen, quale in Sicilia reperitur, copiosè etiam in Gotthia gignitur, & in Saxonia iuxta Borchdorfium oppidum, quo ad axium unctionem, iumentorum scabiem, & lucernarum lumina utuntur. Hoc Germanicè Therr/siue Zehr/uocāt. Ab aliquibus etiam à fœtore Teufelsdreck nominatur. Est & aliud liquidæ picis genus, igne ex picei generis arboribus, earumq; pinguißima substantia elicitum, quo similiter curruum axes ungunt, quod nequaquam ad hoc liquidum Bitumen referendum est. Simile quiddam etiam ex Betula arbore igne elicitur, quo coria Liuoni et Ruſsi ungunt, Hoc à Germanis Dæget uocatur, à Plinio bitumē betulæ B arboris, quam nos Ein Birckē uocamus.

PISASPHALTVM. Cap. LXXXIIII.

PIsasphalton tale est, quale Dioscori. describit: in Germaniæ etiā quibusdam locis, ut in Trās syluania fluminū impetu è montibus defertur: quod incolæ colligentes et à sordibus purgantes, ad ceræ crassitudinem coquunt, & ad faces pro cera utuntur. Vnde etiā à Germanis eius terræ incolis Erdtwachs & Bergwachs/id est, in terra siue montibus genita cera uocatur. Arabes in sua Mumia Dioſco. cap. de Pisasphalto citant. Est igitur Pisasphalton nihil aliud, quàm Mumia. In hoc tamē differūt, quòd Græcorum Pisasphalton natiuum sit, Arabum uerò Mumia, ut hodie affertur, sic fit: Accipiunt natiuum bitumen, & liquefactum in hominis cadauer infundunt, & omnes eius concauas partes replent, craneum scilicet, pectus, uentrem, & omnia peruia ossa: non enim tantùm bitumine integra funera condiuntur, sed arida ossa bitumine complentur, & in humanam formatur effigiem. Talis est Mumia quæ hodie affertur, et non habet aliquam myrrhæ, uel aloēs, uel Balsami admixtam portiunculam, quod colore, odore, & sapore manifestè deprehendi potest. Huiusmodi autem corpora quæ sic condiuntur, diuitum sunt, nec afferuntur. Sed ea tantùm quæ Bitumine condita sunt, neq; ea propriè, ut dixi, uerùm aridis ossibus infusum Bitumen pro Mumia affertur. Si uerò quis Mumiæ definitionem nouisse uelit, facilè C eam apud Arabes inueniet, qui eam sic describunt: Mumia est, quæ ex humani cadaueris carne, aloē, Myrrha & Balsamo commixta, in sepulchris inuenitur sanies.

NAPHTA. Ca. LXXXV.

NAphta etiam Bituminis genus est, sed omnium liquidißimum, calidißimum, tenuißimæ substantiæ. Quapropter cùm præterea etiam oleosæ sit substantiæ, facilimè accenditur, & ignis rapacissimus meritò existit.

Duplicem habet Naphta differentiam. Nigra enim quædam, & candida quædam, seu flaua reperitur, illa crassior, hæc uerò aquæ modo liquida. Generatur autem ex Bitumine à se ipso in terra & montibus accenso, tenuißimis eius uaporibus sursum elatis, & ad frigidiora saxa in tenuem liquorem resolutis, qui deinde per suos meatus è montibus fontium modo scaturit. Porrò multùm differunt in terra contenta diuersis locis Bituminis genera, quo fit, ut ipsi etiam, unde Naphta generatur, uapores, magnam habeant differentiam. Ex crasso enim & terrestri Bitumine, crassa: ex tenui & puro, pura etiam & tenuis generatur Naphta. Hodie in Pharmacopolijs Oleum petræ, siue Petroleum uocatur. Germanicum eius nomen est Steynöl.

Ad Bituminis aūt genus etiam referri debent lapis Gagates, Thracius, terra ampelitis, succinum tā candidum, quàm fuluum: quæ res forsan omnibus Paradoxon uidebitur. Verùm nequaquam sine certis argumentis & rationibus id pono. D

CVPRESSVS. Ca. LXXXVI.

CVpressus procera & semper uirens arbor est, conos fereus alni conis figura similes, magnitudine uerò ad thedæ conos accedentes, in quibus rubentia & angulosa nascuntur semina, quæ ex arefactorum conorū resolutis squamis, cùm matura facta fuerint, excidunt. Quidam hos integros cupressi fructus galbulos, pibilas & nuces uocant: posteriore uocabulo hodie Pharmacopolæ utuntur. In Germania arbor hæc non sponte nascitur. In Galliæ uerò calidiori parte, & Italia copiosè prouenit, unde ad nos eius coni feruntur, quos, ut diximus, Pharmacopolæ nuces Cypreßi uocant.

Est & herba Chamæcyparissus à Plinio uocata. Hæc apud nos in hortis & fictilibus seritur, coronarum gratia. Est enim odorata, & semper uiridem seruat comam. Hinc etiam hybernis coronis inseritur. Germani Cypressen utranq; uocant.

IVNIPERVS. Ca. LXXXVII.

IVniperum arborem Græci ἄρκευθον uocant: baccæ eius ἀρκευτίδες appellantur. Duo sunt eius genera. Ad iustæ arboris altitudinem asce-

A dens altera, & minor altera. Hæc paruum fert fructum, Illa uerò maiorem, Auellanæ nuci similem. Minor in Germania copiosè nascitur, Wachholder appellata, cuius fructu in Medicina utimur.

SABINA. Ca. LXXXVIII.

SAbina Græcis Βραθύς uocatur, Arbustum est semper uirens, parua Ericæ & Tamarici similia habens folia, quæ in una eius specie aculeata sunt. Medici folijs utuntur. A Germanis Sauenbaum/ & Faterbaum appellatur.

CEDRVS. Cap. LXXXIX.

CEdrus ignota est arbor Germaniæ et Galliæ, multisq; alijs Europæ regionibus. Est autem grandis & procera arbor, Iunipero folijs & fructu similis, qui Cedris appellatur. Colligitur etiam ex ea Cedrinus liquor, quem Cedriam Græci uocant, Arabes uerò Kytran. Hoc imbutæ chartæ à tineis non corroduntur. Magnus quondam usus totius arboris fuit, materiæ siue ligni in preciosis structuris, Cedridum & Cedriæ in Medicina. Errant qui Laricem Cedrum esse opinantur: Arabes Cedrum Serbin, & liquorem Kytran, siue Alkytran uocant, ut diximus.

LAVRVS. Caput XC.

B LAurus Græci Daphnen, fructus uerò eius Daphnoides uocant, Germani Lorzen/ siue Lorberbaum arborem, & fructus Lorber nominant. Arbor non magna est. In calidioribus regionibus sponte, apud nos uerò uix sata proueniens, ob hyemis sæuitiam. Fructus & folia in promiscuo usu sunt.

PLATANVS. Ca. XCI.

PLatanus peregrina quondã Italiæ arbor fuit. Ab Oriente autem prius in Italiam allata est, ubi in magno honore propter umbræ iucunditatem fuit. In Germania eam nasci nemo speret, cùm in Italia etiam calida regione non sponte nascatur. Apud nos uerò arbor est procera & elegans, quam patrio uocabulo Ahorn nominamus: Hanc doctissimi etiã uiri Platanum esse putant, quibus nequaquam assentior. Ahorn enim Acer est.

FRAXINVS. Caput XCII.

FRaxinus nota arbor est & celebris, quòd hastis & frameis tot exercitus tot seculis armauerit. Duo eius genera Germani statuunt. Vnum Steinaschen/ quasi saxeam & duram Fraxinum dicas, Alterum Büchaschen appellantes, quòd fagi similitudinem aliquam habeat. Fructum utraq; fert autum linguis similem, numerosum in uno pediculo, quem Arabes Lisonhazafir, id est, Linguam auis uocant. Hic solus hodie Medicis in usu est.

POPVLVS ALBA. Caput XCIII. C

POpulus alba nigræ populo per omnia similis est, folia tantùm inferiore parte omnino candida habens. Germani hanc Weissen Alberbaum uocant, siue Weisse Popelweiden. Quidam Albam populum eam arborem esse credunt, quæ à Germanis Aspen nominatur: sed malè.

POPVLVS NIGRA.

INter albam nigramq; populum tria interponuntur capita in uulgaribus Dioscor. exemplaribus. Cùm uerò autor hic non soleat cognatas species diuellere, post Albam populum nigram quoq; recensendam esse iure existimo. Non enim ueri simile apparet, Dioscoridem eam intericctis alijs & minimè cognatis arboribus discreuisse. Est autem Nigra populus arbor, quam Germani Poppel weiden uocant, ex cuius recenter erumpentibus oculis unguentum Acopon fit, quod Pharmacopolæ Populeum uocant. Porrò Albam populum Græci Leucen, nigram uerò Aegiron nominant, & ueteres Latini utranq; farfarum. Non est, ut Poëtæ fabulantur, electrum huius arboris lachryma. Quid uerò sit electrum, lib. 2. cap. de Vrina animalium, ubi de Lyncurio agitur, uidebimus.

MACER. Caput XCIIII.

CErtum est Macer esse corticosum illud aroma, D à Pharmacopolis Maces appellatum, quod ipsi Arabes etiam testantur, cùm in descriptione suã Macis Dioscor. caput de Macere allegant. Nemo autem miretur, cur hic autor suum Macer arboribus immiscat, cùm potius inter aromata de eo agere debuerit. Venia dignus est in hac re Dioscorides. Erat enim eius ætate res noua, & adhuc incognitum, quidnam esset, & unde colligeretur. Credebant tamen arboris corticem esse. Propterea hîc inter arbores eius caput legitur. Nostra uerò ætate, quid re uera sit, cognoscere incepimus. Nam Arabes clarè scribunt, quòd sit cortex Nucis Moschatæ. Cùm uerò Nux moschata multos habeat quibus munitur cortices, dubium est quotus sit in ordine cortex Maces. Proptcrea quidam dicunt: Maces est exterior cortex Nucis moschatæ: quod falsum esse ipsa experientia iam docuit. Possunt tamen & hi, qui hoc scribunt, isto modo tueri: Nuces moschatæ, ut hactenus allatæ ad nos sunt, duobus corticibus circundantur. Illorum unus qui nucleum ipsum propius ambit, durus, lignosus, & insipidus existit. Qui uerò hunc circundat, Maces est, & præter hos duos cortices nulli alij allati sunt. Ideoque non immeritò crediderunt, Macem exteriorem corticem Nucis moschatæ esse. Ego uerò cùm integros Nucis moschatæ fructus uiderim & habeam, non possum non illorum formam indicare.

Est

A Est ergo Nux Moschata iuglandi, adhuc in arbore cum omnibus corticibus hærenti, magnitudine & forma omnino similis, corticem habens exteriorem carnosum, crassumq; quale est uiride illud & carnosum putamen in iuglande. Sub hoc Macer est, quod deinde lignosum corticem, nucleum ipsum, quem nucem Moschatam uocant, in se continentem, ambit. Indi totos hos fructus non aliter quàm nos iuglandes, purissimo melle condiunt. Tales fuerunt qui proximo anno à nato Christo 1538. Francofordiam ex India ab Hispano quodam ferebantur. Porrò hi maximè errant, qui Cinnamomum credunt Cariophilos & Nuces moschatas ferre. Neutrũ enim fert, sed paruum fructum, glandibus in acetabulis siue calículis adhuc hærentibus similem, multò tamen minorem.

VLMVS. Cap. XCV.

VLmus magna est arbor, latosum amans solum. Folia habet Tiliæ & Corylo non dissimilia. Eius duo sunt genera: Vnũ Germani Rüstern/ alterum Vlmen/siue Ilmen appellant. Quid uerò inter utrunq; interfit differentiæ, fabri lignarij nouerunt.

CARIES LIGNORVM. Caput XCVI.

VEtustos arborum truncos, & importuno tẽpore cæsa, uel in ædibus nimia uetustate corB rupta ligna uermes atterunt. Quæ autem farinæ modo è foraminibus excidit, Caries Latinis, Græcis Σαπρότης, Germanis Wurmmehl uocatur. Differt hæc secundum lignorum diuersitatem.

PAPYRVS. Caput XCVIII.

PApyrus, grandis, triquetra & arborescẽs herba est in Aegypti palustribus locis, iuxta Nilũ iunci modo nascens. Ex hac chartæ olim fiebant, ea qua Plinius docet ratione. Hinc nostris etiam chartis papyri nomen mansit.

TAMARIX. Caput XCIX.

TAmarix à Græcis Μυρίκη appellatur, estq; duũm generum. Satiua & procera: altera in Aegypto nascens & humilis, altera quæ diminutiua forma, Tamariscus dicitur; cuius folia & radices Pharmacopolæ ad medicinæ usus seruant. Fiunt etiam hodie non minus quàm olim, ex ligno eius circulis doliorum modo circundata pocula. Germani pariter Græcis minorem Thamarisken uocant. Malè hactenus apud Verg. interpretatum est, myricam esse eum fruticem, qui à Germanis Heyden appellatur, è cuius flore in Germania, præsertim in Luneburgensi solitudine, apes mel copiosum colligunt, sed minimè generosum, ut Dioscor. proximo cap. manifestè testatur.

ERICA. Cap. C.

ERica sine dubio est arborescens ille frutex, quẽ C Germani Heyden appellant. In Luneburgensi solitudine ultra trium cubitorum altitudinem surgens: hunc myricam hactenus uocarunt, sed malè, ut proximo cap. indicauimus.

ACACALIS. Ca. CI.

NOn cognoscitur in his regionibus Acacalis frutex, cùm in Aegypto nascatur, nec fructus eius amplius affertur, nisi aliquis ex Mirabolanis Emblicum seu Bellericum hunc esse existimet.

RHAMNVS. Caput CII.

RHamnus etiam Alba spina Latinis uocatur. Cautos tamen nos esse oportet, ne res diuersas hoc nomine confundamus. Nam præter Rhamnum spinam arborescentem, duæ etiam Albæ spinæ ex herbaceorum & carduorum genere ab hoc autore lib. 3. describentur. Apud Ouid. uerò in 6. Fastorum per Spinam albam & uirgam Ianalem Rhamnus eiusq; uirga intelligenda est. Nec sine causa Ouidius sic de Rhamno scribit:

Sic fatus spinam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Et paulò pòst:

Virgaq; Ianalis de spina sumitur alba,
Qua lucem thalamis parua fenestra dabat.

Cùm ipse Dioscor. eadem etiam Rhamno uires, quas Ouid. his uerbis tribuere uideatur. Fertur præterea Rhamnus, appositis pro foribus fenestrisue ramis ei- D us, omnium ueneficiorum arcere malefícia. Ianalis autem uirga Rhamni uirga dicitur, quòd Ianus eam, Cranæ nymphæ, qua potitus erat, contra strigum noxas pro amuleto dederit. Sunt autem multæ Rhamni species, sed non omnes in Germania nascuntur, & quæ apud nos proueniunt, descriptæ à ueteribus non sunt. Ex hoc genere etiã est quæ nobis Stachdorn/ siue Kreusel/ & fructus eius Kreuselber/ Italis uerò Vua crispina uocatur. Copiosè hæc in Germania nascitur in hortorum & uinearum sepibus. Veram Rhamnum secum afferebant ex Italia ij, qui religionis causa Romam proficiscebantur, quibus persuadebant sacrificuli, saluatorem nostrum illius spinis coronatum fuisse. Tertiæ Rhamni semen in quibusdam Græcis Dioscor. exemplaribus Spondilio, in quibusdam etiam Asphodelo comparatur, diuersis natura plantis.

HALIMVS. Caput CIII.

HAlimus frutex maritimis locis prouenit, gustu salsus, unde & nomen inuenit. Nobis propterea incognitus est in mediterranea regione habitantibus. Confuderunt aliqui hunc fruticem cum Asphodelo, qui etiam albucus dicitur, hinc in hoc cap. quoq; albuci uocabulum legitur, uerùm malè. Non enim à Dioscoride, sed ab alio quodam imperito adiectum est. Videndum in hac planta erit, quomodo concilien

A tur Dioſc. & Serapio. Ille enim ait: Rhamno ſimilẽ eſſe Halimum, ſed ſpinas non habere, Hic autem plures illi quàm Rhamno ſpinas tribuit. Vocatur autem ab Arabibus hæc planta molochia, & atriplex marinum. Quare hoc nomine apud Serapionẽ quærendũ erit Halimon. Plinius ueterum autoritate plures eius ſpecies deſcribit.

PALIVRVS. Caput CIIII.

INconſtans & uaria eſt apud autores Paliuri hiſtoria ſiue deſcriptio. Sunt enim multæ eius ſpecies, uerùm in tanta hiſtoriæ diuerſitate quicquam certi ſine certa ratione iudicare temerarium eſt.

OXIACANTHA. Cap. CV.

OXiacantha arboreſcens ſpina eſt, quæ Arabibus Berberis, Germanis Saurdorn/ Saurich/ & Verſig/ uocatur. Ex fructu eius medicamentum fit, quod Pharmacopolæ Rob de ribes nominant.

CYNOSBATOS, SIVE CYNORHODOS. Caput CVI.

CYnoſbatum Canirubum Theod. Gaza apud Theophraſtum interpretatus eſt. Idem frutex alio nomine Cynorhodos, id eſt, Canina roſa, uocatur. Eſt autem nihil aliud quàm ſyluestris & aculeata hamatis ſpinis arbuſcula, quæ Roſas ſyluestres ubiq; in campis producit. Germani Feldtroſen/ uocant. Sunt q; tres eius differentiæ. Procerior una, &
B altera hirſutioribus foliis, Cuius frutex totus ſuauiſſimum odorem ſpirat. Tertia omnium minima eſt, nec multũ à terra attollitur. Quapropter à nobis Erdtroſen / quaſi Chamerhodos appellatur. Plinius Cynoſbatum cum uulgari Rubo cõfundit. Quidam etiã hunc fruticem arbutum eſſe credunt, ſed malè.

LIGVSTRVM. Caput CVII.

LIguſtrum ſine dubio eadem arbuſcula eſt, quæ Græciæ et Orienti Cypris appellatur. Propterea Plinium idem ſcripſiſſe nunquàm pœniteat, Germanicè Mundtweiden/ ſiue Reinweiden/ appellatur, propterea quòd ſalici ſimilis ſit, oriſq; ulceribus medeatur, & in Rheni ripa copioſè naſcatur. Malè hactenus interpretatũ eſt apud Vergil. Liguſtra Conuoluuli flores eſſe, qui Germanis Jaunglocken uocantur.

TILIA. Caput CVIII.

QVæ hoc capite à Dioſc. deſcribitur Tilia, omnino eadem eſt cũ prædicto Liguſtro: quod omnibus palàm erit, ſi inuicem utriuſq; deſcriptionem conferant. Galeni & Aeginetæ ætate talis Tiliæ hiſtoria in Dioſ. legebatur. Siue autem Tilia à Dioſc. ſic deſcripta ſit, ſiue ab alio, falſa eſt eius hæc deſcriptio. Nã nullus neq; ex priſcis, neq; recentioribus eã ſic depinxit. Sed omnes certiſſimis notis indicant Tiliæ appellatione eã arborem, quæ Germanis ob ligni lenitatẽ & mollitiẽ, Ein Linde/ uocatur. C
Miror aũt ualde, nullũ hactenus hoc animaduertiſſe. Omnes enim qui poſt Dioſ. ſcripſerunt & interpretati ſunt, uſq; ad hoc tẽpus, cã controuerſiã de Tilia inter Dioſc. & Theophr. præterierunt. Superuacua igitur eſt hæc Tiliæ hiſtoria, quæ in hoc autore legitur.

CISTVS. Caput CIX.

IAmdudum oſtẽſum à Leoniceno eſt, cõfudiſſe Plinium natura diuerſas plantas, Ciſton & Ciſſon: quãtumuis frigidis argumentis eum defenderit Colinutius. Ciſtus in hiſce regionibus autem incognita eſt, propterea ad eius ſuccum tranſeamus.

HIPOCISTIS.

SVb prædicta Ciſto ſuccoſa lachryma radicibus adnaſcitur, quæ propterea Hipociſtis uocatur. Hanc non habemus apud nos ueram, cùm ipſa planta, ſub qua naſcitur, careamus. Habẽt tamẽ Pharmacopolæ ex altera planta coctura eliquatum & denſatũ ſuccum, quẽ corrupto uocabulo Hipoquiſtidos nominant, ſed ab Hipociſtide penitus diuerſum.

LADANVM. Caput CX.

LAdon Ciſto ſimilis frutex eſt, cui lenta & reſinoſa & odorata pinguedo adhæret, quæ Ladanon dicitur. Hodie uerò in Pharmacopolijs Laudanum. Galenus Ladon nihil penitus à uulgari Ciſto differre ait, ſed meliorem & calidiorem eſſe, cùm D
in calidioribus regionibus naſcatur. quod quàm uerũ ſit, non uideo, cùm ipſe Dioſc. Ladanum ex calidioribus locis, ut Arabia & Libya, damnet: Ex Cypro uerò frigidiore quàm Arabia uel Libya regione probet. Ergo non caliditate regionum uulgaris Ciſtus diuerſas uires nacta eſt. Porrò ſubſtãtia utriuſq; ſuccu multùm differt. Hipociſtis enim in aqua reſoluitur, Ladanum in oleoſo liquore. Illa etiã in terra ad radices naſcitur: hoc uerò ramulis & foliis adhæret.

EBENVS. Caput CXI.

EBenus nulla omnino hodie affertur. Quidam tamen Guaiacum lignum Ebenum eſſe affirmant, quod ſpeciem quidem eius longinquam eſſe non nego, ſed nullam qui à ueteribus deſcripta ſit. Porrò illi maximè errant, qui Ebenum putant eam eſſe arborem, quæ à Germanis ein Eibe uocatur: de qua in picea etiam dictum eſt. Ebenus enim calidiſſimis naſcitur locis, qualis India eſt: Eibe uerò frigidiſſimis ferè regionibus, & earum etiam frigidis & gelidis montibus. Qualis autem arbor Eibe ſit, in picea dictum eſt, & in lib. 4. in cap. de Taxo dicetur.

ROSAE. Caput CXII.

ROſæ multiplices habent differentias, quibus ab omnibus dignoſci queunt. Rubentes uerò antequàm penitus aperiantur, ad Medicinæ uſum utiliores ſunt.

ROSEI

ROSEI PASTILLI. Caput CXIII.

RHodides Pastilli rosei in Pharmacopolijs Trociſci de Roſis uocantur. Alia tamen eſt eorum hodie deſcriptio, et præparandi modus, quàm à Dioſcoride ponitur.

LYCIVM. Cap. CXIIII.

LYcium ex Pyxacantha arbuſcula, eo quo Dioſco. docet modo conficitur. Conficiebatur & ex Rhamno & ex alijs quibuſdam ſimiliter ut Pyxacantha, aſtringentibus ſpinis. Copioſè quondam in Lycia fiebat. Quod uerò hodie in Pharmacopolijs habetur Lycium, neq; ex Pyxacantha, neq; è Rhamno, neq; Oxiacantha, (nam ex hac quoq; non contemnendum confici poteſt) excoquitur, ſed ex matriſylua, uocato frutice, qui ſepes & arbuſta uitis modo aſcendit, & ex alijs quibuſdam plantis, nihil aut admodum parum aſtringentibus.

ACACIA. Cap. CXV.

OMnibus hodie perſuaſum eſt, Acaciam uerã Prunellorum agreſtium eſſe ſuccũ, quæ Germanis Schlehen uocantur, uerum magno errore. Eſt enim Acacia, ſecundum omnes Græcos, Latinos & Arabes ſcriptores, in Aegypto ſpinoſa naſcens arbuſcula, quam Theophraſtus etiam ſimpliciter interdum Aegyptiam Acantham uocat. Fert hæc ſpina lupino ſimiles ſiliquas, & ſemina, ex quibus nondum maturis ſuccus, ſimiliter ut planta Acacia appellatus, exprimitur. Vidi ego ſpinoſos eius Oxiacanthæ modo ramulos, lupino etiam ſimiles ſiliquas, & ſemina in Gummi Arabico uocato, quod ex Acacia arbore manat, ut omnes Græci & Arabes teſtantur, inuenta. Quapropter non eſt dubium, quin Acacia careamus, & facilè habere poſſemus, niſi deeſſet mercatorum diligentia. Si enim Acaciæ Gummi totæ naues onuſtæ ad nos peruenire queunt, cur non etiam ſuccus ex ſeminibus expreſſus?

GVMMI.

GVmmi appellatione intelliguntur omnes lachrymæ arborũ, quæ tamen non reſinoſa conſtant ſubſtãtia, quamuis interdum promiſcuè hãc uocẽ ad omnium arborum & herbarum, tam reſinoſas quàm aqueæ ſubſtãtiæ, lachrymas referamus. Propriè tamen Gummi appellatur, quales ex Acacia, Ceraſo, Pruno & Amygdalo lachrymæ fluunt. Ex quibus omnibus lachryma, quæ ex Acacia manat Gũmi ſimpliciter, propter excellentiã, uocatur. Arabes uerò Arabici appellationem adiecerunt, & ubiq; in Pharmacopolijs ſub Arabici gummi nomine uenditur. Errant uehementer, qui Arabicum Gummi Tragacanthæ lachrymam eſſe putant, uirium ſimilitudine decepti. Eſt enim longè diuerſa ab hac Tragacanthæ lachryma.

AMVRCA.

Amurca ex oleæ fructu expreſſi olei fex eſt, Cuius hodie in noſtris Pharmacopolijs nullus eſt uſus.

VITEX. Ca. CXVI.

VItex Græcis Agnus à Caſtitate, quam facit, uocatur. In Germania non temerè naſci credi derim. Quatenus enim ego cã peragraui, nullã inuenire potui. In Italia copioſè naſcitur: Fructus eius in Pharmacopolijs habetur, quem Agni Caſti ſemen uocant. Differt Vitex multis notis à parua illa ſalice, quã quidã Viticẽ eſſe credunt. Theophraſtus meminit alterius etiã Agni, quẽ Elcagnum uocant, quòd mediã inter Oleã & Viticem figurã & formam habeat, aitq; naſci circa Orchomenum lacum. Eadẽ arbuſcula copioſè in Cauchorum paludibus inuenitur, eſtq; tota odorata, ſemen Piperi longo non diſſimile habens. Cauchi quoniã lupulum non colunt, huius arbuſculæ frõdes & ſemina ſuæ cereuiſiæ pro lupulo incoquunt, eaſomnum cõciliat, & citò inebriat. Vocatur ab illis hæc arbuſcula Altſeim & Bozſt.

SALIX. Ca. CXVII.

NOtæ ſunt, & ubiq; in aquoſis proueniunt Salicis ſpecies, quas Germani generali uocabulo Weiden nominant. Recentibus & adhuc uirentibus Salicis frondibus & floribus, Medici acuta febri laborantibus ſomnum conciliant.

AGRESTIS OLEA. Cã. CXVIII.

OLea arbor eſt, ex cuius fructu oleũ, quod uulgo uocant oliuarum, exprimitur, Ein ölbaum. Reperitur aũt ſyluestris etiã olea in calidioribus locis, eam Romani agreſtem oleam, & Oleaſtrum uocant. Satiua uerò Olea copioſè in Italia & Hiſpania naſcitur.

COLYMBADES OLIVAE.

NOndum maturi oleæ fructus, cùm adhuc flauent, marina aqua & thymo condiuntur, quos ita muriæ innatantes Græci κολυμβάδες uocant. Afferuntur ex Hiſpania & Italia ad nos, uulgoq; Oliuen appellãtur, quæ grato ſapore & ſalubri ſtomacho cibo cum aßis carnibus comeduntur.

OLEASTRI OLEVM.

Exprimitur etiam ex Oleaſtri fructu oleũ, quod ad nos non affertur.

AETHIOPICAE OLEAE LACHRYMA. Caput CXIX.

NAſcitur & in Aethiopia Oleaſter, calidioris temperamenti, unde hæc lachryma fluit, quæ hodie incognita eſt. Quidam tamen eam eſſe creduñt Gummi Elemi: quod ut non nego, ita etiam non affirmo.

QVERCVS. Ca. CXXI.

QVercus omnibus nota arbor eſt, nobis ein Eyche uocata, & glandes eius Eycheln. Sunt tamen multæ eius ſpecies, quas omnes ſuis nominibus indicare difficile eſt.

A

FAGVS ET ILEX.

FAgum quoq; Græci ad Quercus genus referunt. Ea est sine dubio arbor, quæ nobis Ein Büche nominatur. Ilex uerò quercui magis similis quàm Fagus est. Sed difficulter monstrari potest in tanta rerum uarietate.

CASTANEÆ. Caput CXXII.

FAgo non dissimilis est frondibus & fructu arbor, quæ Castaneas fert, uulgo Kestenbaum uocata, & nuces eius Kastanien, siue Kesten.

GALLA. Caput CXXIII.

MVlta fert Quercus & Ilex, Inter ea etiam Gallas quæ in pediculis ut glandes nascuntur. In foliis etiam pilulæ Gallis similes inueniuntur, sed rarioris hæ sunt substantiæ, & aquosiores, quàm Gallæ, eæ quàm primum deciderunt flaccescunt: decidunt autem citò, nec Gallæ modo in parente sua indurantur. Gallæ Germanis Gallöpffel & Eychöpffel uocantur, sunt; optimæ Asianæ, quas hodie Turcicas nominant.

RHV. Cap. CXXIIII.

RHu planta est ferens latum ut lentes semen, idq; copiosum in racemis, quod Arabico uocabulo hodie in Pharmacopolijs Sumach appellatur. Theodorus Gaza Rhun fluidam interpretatus est apud Theophrastũ, nomen illi à ῥέω factum esse

B existimans.

PALMA. Caput CXXV.

PAlma est arbor paruulos fructus ferens, quæ hodie Caryotæ, olim Carotides & Dactyli uocabantur, ex quibus fit purgans medicamentũ, quod Diaphoinicon nominant, ab ingrediẽtibus Palmulis. Sunt autem multa eius genera. Plinius quasdam Palmulas Nicolaos uocat, quarum quatuor cubiti longitudinem habent. Quæ uerba Hermolaus Barbarus non intelligens in magnum errorem incidit, scribẽs: Nicolaos Palmulas quaternũm cubitorum habere longitudinem. Auxit itaq; Barbarus decies & sexies earum longitudinem. Locus est in Corollario huius cap. Palmulas autem Germani Datteln uocant.

PVNICA MALA. Ca. CXXVII.

MAla Punica hodie granata uocantur, à contentis in se acinis. Habent hæc suas ex sapore differentias. Inueniuntur etiam, & arte sic nasci coguntur, quæ nullum in acinis semen habent. Hæc à Græcis propterea Apirena uocantur. Granatöpffel/ & Marien Magdalenen öpffel / Punicum malum nobis appellatur.

CYTINVS.

CYtinos Punicæ flores ait esse Dioſc. & proximo cap. Balaustia quoq; Punicæ flores esse dicit, cùm tamen plurimùm differant Cytini & Balaustia. Eam uerò in hoc autore ambiguitatẽm sic docti C etiam uiri diluunt, ut Cytinus sit satiuæ Punicæ flos, Balaustium uerò syluestris. Sed cùm utriusq; Punicæ flos eandem habeat formam, Balaustium uerò & Cytinus diuersam formam, necesse est aliam subesse differentiam, quæ talis est: Cytini sunt Punicæ tenelli fructus, qui statim post flores decidunt, ut in omnibus malis. Balaustium uerò est flos syluestris Punicæ, qui decidit sponte, quoniam inter pediculum & floris fŏlia non habet caput, ex quo fructus fiat. Tales abortiui flores in multis arboribus & herbis uidentur, præsertim in Cucurbitæ & Cucumeris omnibus generibus. Et hæc est uera Balaustij & Cytini distinctio, quam nemo reprehendet, si ea quæ de abortiuis floribus dixi, intellexerit, uiderit & animaduerterit. Possunt autem tam in syluestri, quàm satiua Punica & Cytini & Balaustia generari. Cytinos hodie Pharmacopolæ Balaustia etiam uocant.

SIDIVM.

SIdion, uel in plurali Sidia, Punici mali corticẽs Græci uocant, Latini Malicorium. Veteres enim Sidam Punicum malum nominabant. Est & herba palustris fructum huic similem ferens, quæ Sida sĩmiliter appellatur: Cuius etiam Nicander in Theriacis suis meminit. Sidion uerò hodie corrupto nomine Psidia uocatur in Pharmacopolijs.

BALAVSTIVM.

Repetantur hoc loco, quæ in Cytini cap. de Balau D stijs dicta sunt.

MYRTVS. Ca. CXXVIII.

MYrtus, siue Mirtus, non est paruus ille frutex, qui Germanis Heydel uocatur, neque Myrtilli, Heydelber. Vera autem Myrthus in Italia seritur, estq; arboreſcens frutex, foliis Lentisco uel Buxo similibus, acuminatioribus tantum, gustu aliquid aromatis præ se ferentibus & odoratis, quæ hodie cum fructu ex Italia afferuntur, habentq; ueri Myrtilli insignes differentias, quibus à nostris baccis, quas Heydelber uocamus, dignosci possunt.

MYRTHIDANVM.

MYrthidanum Myrthi adnatum siue accidẽs est. Non affertur amplius, propterea in nullo usu apud nos habetur.

CERASIA. Ca. CXXIX.

CErasi arboris multæ sunt forma & facultate distantes species. Quapropter earum etiam fructus diuersas in cibo & Medicina uires habent. Austera & maiora, quæ non ita in magnis arboribus nascuntur, è Ponto primùm in Italiam à Lucullo allata sunt. Quæ uerò dulcia sunt, & in proceris arboribus nascuntur, sponte sua ubiq; in Germania proueniunt. Nos generali uocabulo omnia Cerasia Kirschen nominamus.

SILI-

A SILIQVAE. Caput CXXX.

A Cornuum similitudine Græcis Κερατία hi fructus uocantur, Latinis uerò Siliquæ, quoniam leguminũ Siliquis similes sint. In Pharmacopolijs corrupto uocabulo Xilocataracta, pro Xiloceratia uocãtur. Germanis autẽ Johansbrot / quoniam credunt D. Ioannem Baptistã hoc fructu loco panis in solitudine se sustinuisse.

MALA. Cap. CXXXI.

PLurimas habent Mala differentias, non tantùm secundum diuersas regiones, uerumetiam in ijsdem regionibus in singulis oppidis differunt. Quare magni esset laboris omnia suis appellare nominibus. Germani generali uocabulo ôpffel nominant. Cythonia uerò siue Cothonea, omnibus nota sunt, ex quibus in Pharmacopolijs multa ad Medicinæ usum fiunt, Quitten uel Kütten.

MELIMELA.

MElimela siue Glycymela, à melle & dulcedine nomen habent. Si alia accederet descriptio, crederem ea esse quæ Germanis Honigôpffel & Augstôpffel uocantur.

EPIROTICA MALA.

Qualia Epirotica siue orbiculata Mala sint, hodie non facilè aliquis indicauerit.

AGRESTIA MALA.

B AGrestia mala ubiq; nascuntur, habentq; multas etiam ut satiua differentias. Faciunt ex his & Pyris agrestibus & syluestribus Prunis omnibus contusis, affusa aqua musto similem potum. Qui Hessiam incolunt rustici, uocant eum potum Apffel trancke.

PERSICA MALA.

PErsica mala, quæ Germanis pfirschken nominãtur, omnibus cognita sunt. Differunt tamen à Persæis.

ARMENIACA MALA.

EX Persicorum genere sunt Armeniaca, minora tamen & ori suauiora, colore subflauo & citò matureſcentia. Quapropter præcocia à Romanis uocantur, à Germanis uerò Amarellen/Armenellen/Maletlin/& Goldtpfirschen. Arbor mediam inter Persicam & minorem Cerasum similitudinem habet.

MEDICVM MALVM.

MEdicum malum, Assyrium etiam, Citræum, Cedromelum & Citrinum, siue Citrinatum uocatur. Grande est & oblongum ouata specie malum, lentã habens carnem, & in medio acetosum circa semina succum, ex quo Sirupum de acetositate Citri faciunt. Corticem habet Citrinum, unde & nomẽ inuenit. Porrò hoc Malũ in Cedro nõ nascitur, propterea uidendũ est, ne diuersæ arbores confundãtur.

Sunt etiam huius generis Limones & poma Aurantiana, Germanicè pomerantzen uocata, quæ mihi C etiam Aurea mala esse uidentur. De Medicis siue Citreis malis ænigma factum est illud: Medica mala quidem nec Mala nec Medica: quod quiuis qui prosodiam callet, intelligit.

PYRA. Caput CXXXII.

Pyra non pauciores quàm mala differentias habent, quod ad formam attinet, facultate tamen omnia ferè astringunt. Germanis Byren uocantur.

MESPILVS. Ca. CXXXIII.

MEspilus arbor, eiusdem nominis parua mala producit. Sunt autem duæ eius species. Prima Tricoccus Græcis, et propriè Mespilus uocatur, Italis etiam cum Arabibus Alzarola, siue Azarola. In Germania hæc arbor cum fructu incognita est. Altera uerò species Mespili Græcis Epimelis & Hamamelis uocatur, quòd iuxta Malum soleat nasci. Hæc copioſè in Germania satiua & spõte prouenit. Cùm uerò sponte, semper uicinam habet agrestẽ Malum, Vnde & nomen à Græcis illi factum esse existimo. Huius fructum Itali etiam unedonem uocarunt, propterea quòd præter unum nemo comedere possit antequàm molleſcat, adeò fauces astringit. Non me latet, arbuti etiam fructum à quibusdam unedonem uocari, quòd tantùm unus esitari debeat. Sed ipse Gal. Epimelida unedonem ab Italis rusticis appellari testatur, sed malè illi arbuti uitia assignat, cuius fructus etiam à quibusdã unedon uocatur, stomacho noD xius, & capitis dolores generans, quod malè Epimelidi adscribit Gale. Cùm constet experientia, Epimelida, quæ Mespilus etiam in Germania uocatur, stomacho non inimicam esse, nec capitis dolores generare. Porrò quæ à Germanis Mespeln uocantur, Epimelidis fructus, id est, Vnedones sunt.

LOTVS ARBOR. Ca. CXXXIIII.

LOtus uocabulum est multis plantis commune. Hoc uerò loco de Loto arbore agitur, quæ Latinis Celtis appellatur, quibusdam etiam Faba Græca. Habet hæc Lotus aliquot differentias, quorum an aliqua etiam in Germania nascatur, non ausim dicere, cùm ex Aphrica in Italiam translata sit. Propterea non credo eam apud nos in frigidiore terra sponte prouenire, quamuis Melôpflen quantitate, figura, colore, & saporis iucunditate totam Loti historiam referant. Non desunt etiam qui Sandalum rubeam Lotum esse credant, & Præsilium. Hi autem à ligni colore sua desumunt argumenta.

CORNVS. Cap. CXXXV.

COrnus nequaquã est, ut hactenus creditũ fuit, arborescens illa spina, quam Itali Spinum album uocant: quod quilibet sciet, qui Theophrasti & huius autoris uerba de Corno cum Italorum Spino albo, & Germanorum Hagendorn cõferet. Vera aũt Cornus duplex est: syluestris et satiua. Vtraq;

in

A in Germania nascitur, & à nobis Latino uocabulo Kornlebaum uocatur. Nam Corna, id est, fructus eius Kornlen uocamus. Habemus & alia nomina præter Latinum, quibus ea indicamus, ut Dirlen/ Kornkerschen/ & Herlitzen. fructum fert oliuæ mediocris quantitate. Cibo & Medicinæ propter suam astringendi uim idoneum. Nascitur syluestris Cornus pinguibus montanis locis.

SORBA. Caput CXXXVI.

Sorba non sunt, ut quidam credunt, syluestria mala, quorum antea ab hoc autore mentio habita est. Suum enim proprium ab his genus habent. In Italia ferè omnibus cognita Sorbus arbor est, cuius fructus, qui in una specie ouatus, in altera rotundus est ceu globus. Germani parum deflexo uocabulo & transpositis literis, Spörpffel/pro Sorbpffel uocant, & Eschrößlen. In nostris Pharmacopolijs iam nullus illorum usus est.

PRVNVS. Caput CXXXVII.

Prunus arbor uaria habet genera, unde etiam fructus diuerso temperamento constare necesse est. Sunt enim quædam aluũ fistentia Pruna, sunt & soluentia, quæ uis facilè ex gustu deprehendi potest. Quæcunq; enim dulcia sunt, aluũ soluunt. Quæ uerò acerba, acetosa, siue austera, cohibent. Damascena etiam Pruna adhuc in Pharmacopolijs exiccata habentur, quemadmodum etiam magna illa Hũ
B garica, quæ Grosse zwecken à Germanis uocãtur, & interdum his pro Damascenis quidam utuntur. Pruna autem nobis Pflaumen nominantur, in Hessia quoq; Praumen/ quæ uox à Prumno deducta uidetur. Nam sic Gale. syluestrem Coccineleam, id est, syluestrem Prunum, in Asia uocari testatur. Exiccata etiam Pruna ad nos ex Hungaria, Bohemia, Austria & Morauia afferuntur, quæ omnia generali uocabulo Zwetzschken nominamus. Sunt & cerea Pruna, quæ Spilling Germanis dicuntur.

ARBVTVS. Cap. CXXXVIII.

Comaron Græci Arbutum uocant. In Germania nondum nasci uidi. Non enim est syluestris Rosæ frutex, qui Cynosbatos est, ut antea dictũ fuit. Vera autem Arbutus in Italia nascitur, folium habet crassum, Laurini folij forma, crassius tamen, minus & secundum proportionem latius. Fructum fert mediocris siue parui Prunimagnitudine, sed fragi figura & forma, intus similiter ut fraga, paleacea grana habentem, sed gustu *iniucunda. Reflexit autem ad arbuti et fragi similitudinem, quam inuicem habent, Ouid. cùm ait:

* Aliãs, iucũda.

Arbuteos fœtus, montanáq; fraga legebant.

AMYGDALAE. Ca. CXXXIX.

Amygdala duplicis est differẽtiæ. Fert enim quædam dulces, quædam amaras nuces. Appellatur etiã nux Græca Amygdalus, eiusq; fructus. C
Germani Mandelbaum arborem utriusq; uocant, fructus uerò Mandeln. Notæ omnibus nuces eius sunt. Exprimitur ex utriusq; nucibus oleum, quod in suos usus seruatur à Pharmacopolis.

PISTACIA. Caput CXL.

Pistachia, uel Pistaciæ, uel Phistica, nuces sunt in Syria genitæ, lento putamine munitæ, quæ eodem nomine adhuc in Pharmacopolijs habentur.

IVGLANDES. Cap. CXLI.

Nux regia, siue Persica, uel simpliciter nux, notus omnibus est fructus, in procera & ramosa arbore nascens, quæ lata & odorata habet folia. Germani simpliciter Nusse/ uel Welsch nuss uocant. Persica nux hæc uocatur, quoniam ex Perside primùm in alias translata est regiones.

PONTICA NVX. Ca. CXLII.

Leptocarya Græci, Latini Ponticas etiam cum Græcis, et Auellanas nuces uocant. Sunt uerò duplicis differentiæ. Quædam sponte ubiq; in Corylo uulgari nascuntur, quæ à Germanis Haselnusse nominantur. Quædam uerò in hortis plantantur, arbore Corylo simili, sed fructu oblongiore, & toto ceu barbato putamine tecto & uestito. Huius nucleus ruffa membrana cingitur. Hæ nuces propriè à Græcis & Latinis Ponticæ uocantur, à Germanis uerò Lampertische nuss. D

MORVS. Caput CXLIII.

Morus omnibus nota est arbor, quæ Germanis Maulberbaum nominatur, fructus uerò, id est Mora, Maulber. Quinctiam in rubo Mora nascuntur, his quæ in arbore nascuntur similia, sed minora. Rubus uerò frutex multùm à Moro arbore differt. Conficitur ex utriusq; Mori succo Diamorũ medicamentum.

SYCOMORVS. Cap. CXLIIII.

Sycaminus uel Sycomorus, copiosè in Aegypto nascitur, & alijs quibusdam locis: apud nos uerò incognita est arbor, quemadmodum etiam altera Sycomorus, quæ in Cypro gignitur.

FICVS. Caput CXLV.

Ficus uulgaris etiam est arbor, cuius fructus Ficus dicuntur Latinis, Græcis Σύκα, Germanis Feigen. Multæ ficuum apud ueteres sunt differentiæ. Hodie tantùm tres in hisce regionibus nouimus. Afferuntur enim flauæ quædam in sparteis corbibus compactæ, quas Germani Korbfeigen nominant. Aliæ etiam in cistis, Laurinis fõlijs cõmixtæ ad nos ueniunt, quas à fõlijs Lawbfeigen nominamus. Tertium uerò genus ex Massiliensi prouincia uenit, minutis & turbinatis sparteis corbibus inclusum. Hæ sunt paruæ quidem Ficus, sed magnam dulcedi-

nem

A uem habent, & Germanis Marsilische Feigen dicuntur. Quidam etiam caricas siccatas Ficus nominant: quam uocem Verg. Marcel. malè in Dioscoridis contextum posuit. Habent enim caricæ Ficus suum peculiare genus, ut Hermol. Barb. in Corollario huius cap. scribit. Ficus uerò syluestris caprificus Latinis, & Græcis etiam ἐρινεός uocatur. Germaniæ incognita est arbor.

PERSEA ARBOR. Caput CXLVII.

PErsea hæc differt plurimùm à Persica uulgari arbore, quamuis utraq; ex Perside in alias regiones translata sit: tamen Persica in Septentrionalibus plagis citò & ante frigora maturat fructum: Persea uerò etiam in Rhodo calida regione uix ad florem peruenire potest. Qui uerò plura de Persea legere student, Theophrastum consulant. C

Epilogus.

HIc est finis Primi Libri, quamuis in quibusdam exemplaribus etiam aliquot herbæ sequantur, ut Hiberis & Halicacabus, ab imperitioribus adiectæ. Nam Hiberis idem est cum Lepidio, quod in secundo describitur. In cap. etiam Halicacabi, quod Hiberida sequitur, tres herbæ confusæ sunt, ut Halicacabus, Solanum somnificum, & Dorygnium. Propterea hæc capita imposititia sunt, & non genuina.

FINIS LIBRI I.

IN PRAEFATIVNCVLAM, QVAM DIOSCORIDES SECVNDO LIBRO PRAEPONIT, ANNOTATIVNCVLA.

PROPONIT Autor, quo ordine res in primo libro descripserit, & quo in hoc secundo libro uti uelit ordine. Facit autem nullam mentionem, quòd herbacea quædam, B & acrimoniam habentia (præter aromata) in primo libro recensuerit. In secundo uerò se de oleribus & acrimoniam habentibus herbis scripturum promittit. Cùm ergo Hiberis oleracea sit & acrimoniam habens herba, ut in secundo libro describatur necesse est. Nihil enim commune cum arboribus habet, quare inter has describi debeat. Sed ne quis à dictione, Acrimonia, ansam calumniandi arripiat, necesse est ut indicem, quam acrimoniam cum Dioſc. hoc loco intelligam, ne mihi quis hac ratione persuadeat, bene describi in primo libro Hiberida, cùm multa alia acrimoniam habentia in eodem recensentur, ut Acorus, Meon, Cinnamomum, Costum, & alia quædam manifestam habentia acrimoniam. Verùm ad hanc obiectionem respondemus, Dioscoridem de huiusmodi acrimonia, quam prædicta aromata habet, hoc loco non locutum esse. Non enim eadem omnibus plantis est acrimonia. Quædam enim solam eam habent, adiuncta interdum amaritudine, dulcedine, & quibusdam alijs saporum differentijs. Talia autem sunt: allium, cæpe, sinapi, nasturtium, eruca, lepidium, siue Hiberis, & quæcunq; his similem præ se ferunt saporis acrimoniam. Hæc simpliciter acria dicũtur, sunt q; omnia ista oleraceæ & culinariæ herbæ. De his autem in secundo se scripturum promittit. Longè autem aliam acrimoniam habent Acorus, Costus &c. quæ in primo describuntur, non enim eam in terrestri habent corpore, ut exulcerare ualeant, quemadmodum illa oleracea, sed omnia præter lenem & gratam acrimoniam partium tenuitate constant, qua facilè per corpus penetrare possunt. Non enim sui saporis & facultatis uim uni loco imprimunt, propterea exulcerare minimè sunt apta. Partium etiam subtilitati gratum & iucundum odorem coniunctum habent, & quæ talia sunt, aromata dicuntur. Differunt tamen hæc ipsa secundum diuersorum elementorum non eandem mixturam. Quare facultatem etiam eorum diuersam esse necesse est. Hinc est quòd Costus ferè solus ex aromatis ruborem cuti impositus excitet: quoniam suam acrimoniam magis in terrea substantia, quàm cætera aromata, habet. Porrò quamuis Piper & Zingiber etiam aromatis adscribantur, tamen cùm horum maior in culina quàm Medicina usus sit, maluit ea acrimoniam habentibus & olerum condimentis, quàm aromatibus adscribere: & bene quidem, cùm hæc duo inter omnia aromata plurimum acrimoniæ, & minimum aromaticitatis (ut ita loquar) habeant. Si quis igitur hæc probè intellexerit, facilè uidere poterit, Hiberida non primo, sed secundo libro describi debere. Simile etiam de Halicacabo intelligendum est, quæ herba est, & ad deleteria refertur. Quare in primum librum non erat ponenda, sed in quartum, ubi ex professo de ea in deleterijs & frigidis simplicibus agit. Antea enim promisit, se formam & facultatem cognata coniuncturum. D

MARINVS ERINACEVS. Caput I.

EXῖνος θαλάσσιος, quem Latini Erinaceũ marinum, Germani Ein Mer Igel uocant, nouerunt

A nouerunt qui in maritimis locis habitant. Terrestri similis est, rotundior, minor, & breuioribus aculeis circunuallatus.

TERRESTRIS ERINACEVS.

EX terrestrium Erinaceorum genere etiam Histrix est, quod animal Aphrica et India gignit, magnitudine semestris porci, pedibus forma ursinis simulibus, dentibus & labijs lepori, sed his crassioribus & pinguioribus, fuscis longis, & in ceruice erectis setis à collo usq; ad scapulas uestitum. Cætera præter uentrem pede longioribus candicantibus & nigro distinctis aculeis munitum, quos irritatũ contra aduersarium ualli modo prætendit, & nonnunquam eiaculatur tanto impetu, ut sagittarum modo parietibus affigat. Talis est histricis forma & proprietas: nec ex aliorum relatione hoc posui, sed ipse animal hoc uidi. Habet etiam præter eas quæ enumeratæ sunt, alias proprietates, quas breuitatis causa prætereo. Nõ enim huius instituti est, exactam omnium rerum historiam scribere. Histricem Hispani Porcapit, Germani Stachelsaw uocant, quasi aculeatum porcum. De hoc Erinaceorum genere hoc capite non scribit Dioscorides. sed de minoribus qui in cliuorum cauernis latitant. Horum aũt Germani dupliciter statuunt differentiam. Est enim quidam cui caninum sit caput, quidã etiã cui suillũ. Hunc nos Schweins Igel, illum uerò Hunds Igel/ capitum similitudine, uocamus. Apud nos Erinaceorum nullus est neq; in sanitate, neq; in Medicina usus.

B

HIPPOCAMPVS. Caput II.

NOmen hoc grandem Erucam insectum scilicet significat, cùm tamen paruum sit animal. Quoniam uerò uulgaribus Erucis grandius sit, nomen suum inuenit. Nobis in continenti habitantibus est incognitum: quare ij qui ad mare habitant, ut cognoscatur, laborent.

PVRPVRAE. Ca. III.

PVrpuræ quas Græci πορφύρας uocant, ex testaceorum sunt genere, quibus olim Purpura tingebatur. Multas hæ differentias habent. Est enim quoddam carum genus, quod Germani Ostern/Græca uoce appellant. Buccinorum etiam genus Purpuris non dissimile est, quod Pharmacopolæ Matrem perlarum nominant, & quidam in genere Buccinorum uocabulo omnia Maris testacea animalia, quæ nos Muscheln uocamus, intelligunt. Est nobis difficillimum quicquam certi in hisce rebus pronunciare. Quapropter nemo expectet, quòd omnes istas Conchas proprijs suis nominibus indicaturus sim. Exigit enim hæc res, qui ad mare habitet, & sæpe nauiget.

MITVLI, TELLINAE, ET HIATVLI, Caput IIII. & V.

C Μύακες, Τέλλινα & Χήμα, omnes Concharum species sunt, sed singulas suis nominibus non facilè aliquis indicabit. Referuntur etiã ad Buccinorum & Hiatulorum genera, quæ ex Hispania à S. Iacobo feruntur conchæ. Item illæ ex quibus in maritima Germania Calx uritur. Debebant sanè naturæ studiosi homines uitæ spacio alios luxui deditos excedere, quo melius admiranda diuinæ prouidentiæ sapientia ex uarijs suis operibus cognosceretur. Verùm cùm huic studio unius hominis ætas non sufficiat, fortuna potius quàm uitæ breuitas incusanda uidetur, quæ multos naturæ studiosos homines, aut nullis aut admodum tenuibus facultatibus beauit. Alios uerò omnium rerum affluentia perfudit. Sed hi somnum, crapulam, & luxum potius sectari malunt, quàm admiranda naturæ opera inuestigare.

CONCHVLA INDICA. Caput VII.

INdica Conchula oblongi unguis formam habet, quapropter à Græcis ὄνυξ appellata est. Plures hæc differentias habet, quarum utilissima hodie in Pharmacopolijs habetur, sub Blaccæ Bizantiæ nomine. Erat olim in Thimiamatum confectionibus huius Conchulæ usus. Hinc est quòd sacræ literæ etiam hanc in eundem usum receperint.

COCHLEAE TERRESTRES. Caput VIII.

D COchleæ quædam terrestres, quædam marinæ, & quædam fluuiatiles sunt, & Germanis Schnecken nominantur. Omnium autem generum multiplex differentia existit: Quare ex magnitudinis & formæ diuersitate facilè dignosci possunt. In quibusdam regionibus terrestres & marinæ eduntur, quæ uerò ex terrestribus fruticibus adhærent, priuatim seseli à Græcis uocantur. Fluuiatiles uirus habent, quapropter à nullis eduntur. Quòd si quis paruas fluuiatiles Conchas manu aliquandiu clausas teneat, uehementem urticæ modo excitabit prurituũ. Porrò non abre fuerit, Concharum, Cochlearum, & Limaciorum differentiam ostendere. Quidam enim hisce uocabulis promiscuè utuntur.

Conchæ igitur tam fluuiatiles quàm marinæ, duas habent leuiter concauas crustas siue testas, quas aperire & claudere possunt. Inueniuntur etiam, sed paucæ, quæ unica & latiuscula concha tegantur. Has omnes Germani Muscheln uocant.

Cochleæ uerò omnes unicam & continuam habent, qua se abscondunt, testam, siue testudinem, quam cùm prorepunt in dorso secum ferunt. Estq; hæc testudo, siue magis domum appellare, omnibus spiræ modo inuoluta, quibusdam tamen in planum, ut paruis fluuiatilibus Cochleis, quibusdam hæc spira conuexa est, aliquibus etiam turbinis modo in longitudinem & acumen desinens, quod tam marinis quàm fluuiatilibus & terrestribus commune est.

Huius-

A Huiusmodi Cochleas Germani Schnecken uocant. Limaces uerò maioribus Cochleis lentore humoris & forma omnino similes sunt, domibus tamen carẽt, & in quibusdam locis nigrũ, in quibusdam ruffum colorem habent, uiuunq; plerunq; in hortis, Non tamen in areis, sed gramine. Inueniuntur etiam in syluis, aut ubicunq; gramen prouenit. Hoc genus Germani Schnegel nominant.

CANCRI FLVVIATILES. Caput IX.

CAncri fluuiatiles nulli non cogniti sunt, & à Germanis Krebs uocantur. Sunt & marini, sed fluuiatilibus multò maiores. Sunt etiam marini admodũ exigui, qui Latinis Squillæ, & nobis Krabben uocantur.* Sunt & marini longi sesquicubitos interdum. Inueniuntur & rotundi, à Germanis dicti Merspinne.

* hæc in quibusdam desunt.

SCORPIO TERRESTRIS. Caput X.

TErrestres Scorpiones in Germaniæ calidioribus locis gignuntur quidem, sed admodũ pauci. In Italia uerò & similibus regionibus magna illorum copia est. Macerãt eos in oleo Pharmacopolæ, quod postea Oleum scorpionum uocant.

MARINVS SCORPIO. Caput XI.

B IN mari omnia nasci traduntur animalia, quæ in terra. Quare non ineptè Plinius ait, mare omnia genere quæcunq; in natura reperiuntur, & multa etiam quæ nusquam in alijs elementis. Necesse igitur est, & experientia constat, marinos quoq; Scorpiones inueniri, quorum hodie nullus est apud Germanos in Medicina usus.

DRACO MARINVS. Cap. XII.

QVemadmodum in terra, sic etiam in mari Dracones inueniuntur, qui an hodie cognoscuntur, nescio.

SCOLOPENDRA MARINA. Caput XIII.

MArina Scolopendra an hodie cognoscatur, similiter ignoro. Terrestris uerò Scolopendra sine dubio est utrinq; (triremis modo) multis pedibus ingrediens insectum, colore spadiceum, minimi digiti lõgitudine, quod noctu cùm in humido pauimento repit, ut cicindula lucet: & si digitis attrectetur, pruritũ ut marina Scolopendra excitat. Germani ein Ossel/siue ein Nossel/nominant. Inueniuntur in humidis domorum partibus, nonnunquam etiam hortorum areis, & æstu siccatis paludibus.

TORPEDO. Cap. XIIII.

NArcen Græci, & Latini Torpedinẽ uocant: fecitq; utraq; gens illi à torpore nomen, quoniam tantam in se stupefaciendi uim habet, ut etiam C per hamum, setas, & uirgam, stuporem in piscatoris manum transmittat, qui deinde totum corpus occupat. Non autem magnus fertur esse piscis. Quondam eo Medici utebantur. Nunc uerò, quod sciam, nullũ in Medicina usum habet.

VIPERAE. Ca. XV.

VIpera qualis sit serpens, & quid differat à reliquis serpentium generibus, copiosè Nicander, Aristoteles, Galenus, Aëtius, & multi alij indicant. Nicolaus Leonicenus in libro, quem de Tyro seu Vipera conscripsit, constanter affirmat, in Italia copiosè inueniri Viperas, & uulgo Marassos, siue scurtiones appellari. Ego uerò eas hactenus in Germania nunquam uidere potui. Carnes eius coctæ in pastillos conformantur, qui in Andromachi Theriacam ingrediuntur.

SENECTA ANGVIVM. Caput XVI.

PVlchra est apud Nicandrum de anguina senecta fabula. Est autem Anguina senectus, siue, ut Plinius nominat, Vernatio, serpentium exterior similis membranæ cutis, quam primo uere inter duos lapides, uel alias huiusmodi res exuunt, Vulgo uocatur ein Schlangenhaut.

LEPVS. Caput XVII.

DVplex genus Leporum inuenitur. Vnũ enim D terram & syluas incolit. Alterum uerò in mari uiuit: qui an cognitus sit ignoro. Terrestris autem omnibus est notissimus, Cuius coagulum aduersus uenena Medicinam facit. Totus uerò exustus Lepus calculos frangere creditur.

PASTINACA MARINA. Caput XVIII.

TPυγόνα Græci, Latini Pastinacam marinã uocant piscem, qui in nostro mari ein Rochen appellatur. Quidam etiam Trigona turturem marinum esse autumant, & nihil à Pastinaca marina differre.

SEPIA. Cap. XIX.

SEpia à putredine nomen habet. Est enim rotundus globi figura piscis, leniter in longitudinem circa caudam desinens, sanguine atro ceu putri tabo plenus, qui à quibusdam Sepiæ atramentum dicitur. Germani Blackfisch/ quasi atramentarium piscem nominant. Habet Sepia in dorso spinæ loco longum, latum, & candidum os, quod facilè in puluerem friatur, eo Aurifabri ad annulorum fusurã, & Medici ad dentifricia utuntur. Hoc uulgò etiam Fischbeyn uocant.

MVLLVS PISCIS. Ca. XX.

MVllus à quibusdam ille piscis esse creditur, quem Barbum uocamus, quoniam barbam

habet, quæ Mullotribuitur. Cùm uerò Mulli in mari degant, nec in uinarijs piscinisq; crescant (ut Plinius ait) hoc ipsum non affirmo.

HIPPOPOTAMI TESTICVLI. Caput XXI.

Hippopotamus in magnis fluuijs & calidis regionibus uiuit, qualis in Aegypto Nilus est, hodie Caballus marinus, siue aquaticus uocatur. Est autem equo dorso, iuba, & hinnitu similis, unde & nomen inuenit. Eius testes, quemadmodum & fibri, contra uenena remediũ sunt; apud nos uerò in Pharmacopolijs non habentur.

FIBRORVM TESTICVLI. Cap. XXII.

Castor à Græcis, et Fiber à Latinis, animal id uocatur, quod Germani ein Biber nominãt. Eius uerò testiculi Castoreum Græcis & Latinis, Germanis Bibergeyln dicuntur. Vbiq; cognitum animal est, eiusq; testiculi frequentem usum habent.

MVSTELA DOMESTICA. Caput XXIII.

Γαλῆ Græcis, Mustela Latinis, & Wisel Germanis, hoc animal uocatur. Harum duo genera quidam statuunt. Sunt enim syluestres quædam, & quædam in domibus nostris habitantes, gallinis infestæ. Græcis unam eius genus Ictis uocatur, quod proculB dubio est id, quod in domibus oberrat & gallinas perimit, & à nobis ein Iltis/siue ein Ratz nominatur, non multum à Græco abludente uocabulo.

RANAE. Ca. XXIIII.

Ranæ omnibus notissimæ sunt. Hoc autẽ loco de uiridibus & uocalibus sermo habetur, quæ etiam in fluuijs & stagnis uiuunt. Reliqua enim genera uirus habent. In fine uerò huius capitis alias uirides Ranas intelligit, quas Græci Βρεξαυλες, & Germani Laubfrösch/uocant, ut ex Galeno iudicare possumus, qui de simplicium facultatibus lib. 10. ca. de sanguine harum ranarum, idem scribit quod Dioscor. Cùm uerò aliquando harum sanguini adscriptas uires experiri uellet, inuenit falsò tales uires illi adscriptas fuisse.

SILVRVS. Ca. XXV.

Qualis Silurus sit piscis, hodie non cuiusuis est iudicare.

SMARIS, MAENA, ET GOBIVS. Ca. XXVI. XXVII. XXVIII.

Quales etiam Smaris, Mæna, & Gobius pisciculi sint, cum multis doctis me ignorare ingenuè fateor.

OMOTARICHVS: Ca. XXIX.

Omotarichus salsi Thinni caro est, Qualis nũt sit Thinnus piscis, illi scire deberent, qui ad nare habiC tant.

GARVM. Caput XXX.

Garum hoc loco non gelatum elixorum pisciũ ius significat, sed salsorum omnium pisciũ & carnium muriam, Lacke Germanis dicitur.

RECENTIVM PISCIVM IVS Esculentum. Caput XXXI.

Ivsculum hoc, ut ipse Dioscor. hoc cap. ait, fit ex recentibus piscibus cum aqua, sale, oleo & anetho coctis.

CIMICES. Cap. XXXII.

Cimices Græci Κόριες, Germani Wantzen/siue Wandtleuß, id est, parietinos pediculos uocant. Notum omnibus fœtore suo animalculũ est.

MVLTIPEDES. Ca. XXXIII.

Multipedes Græci κολοβόδρας ὄνος, et ὀνίσκος, Germani Eselchen/ Itali nunc Porcelliones uocant. Parua sunt animalcula, colore liuido, multisq; pedibus ingrediuntur. Inueniuntur in humidis muris sub lapidibus & aquarijs uasibus.

Scolopendra etiam Latinis Centipes & Multipes interdum uocatur. Videndum igitur, ne harum significatio confundatur.

BLATTAE. Ca. XXXIIII.

Silphæ Græcis, & Latinis Blatta uocatur insectũ, quod Germanis ein Heymchen/siue Grille/nominatur, circa furnos, fornaces & focos uiD uens, idq; hyeme. Tum enim omnibus molestus est eius perpetuus in clamando tenor. Aestate etiam in campis audiuntur Blattæ.

MARINVS PVLMO. Caput XXXV.

Marinus pulmo ex eorũ genere est, quæ Græci ζωόφυτα uocant, nobis autem in continenti habitantibus ignotus.

ANIMALIVM ALIquot pulmones.

Animalia, quorum pulmonibus hoc cap. medicas uires tribuit Dioscorides, omnibus cognita sunt.

ANIMALIVM ALIQVOT Iocinora.

Animalia hæc etiam nulli non cognita sunt.

MARIS CERVI GENITALE. Caput XXXVI.

Marium ceruorum genitalia principem etiam hodie ad Medicinæ usum custodiunt.

ASINI CAPRARVMQVE ungulæ. Ca. XXXVII.

Hæc animalia earumq; partes, de quibus hoc loco agitur, omnes nouerunt.

EQVORVM LICHENES. Caput XXXVIII.

Lichen

A LIchen siue impetigo, in superficie cutis serpēs exulceratio est, quæ à Germanis Flechten uocatur. Simile quiddam his Lichenibus in equorū cruribus infra genua nascitur, quòd calli speciem et duritiem habeat, & odore uirosum sentiatur. Quidam equites den Kamp uocant. Hos itaq; Lichenes Dioscorides hoc cap. intelligit.

VETERVM CALCEAMENTORVM corium. Caput XL.

CAlceamentorum uetus corium & soleæ comburuntur in cinerem, quo ulcera exiccantur.

GALLINACEI. Ca. XLI.

NOti omnibus Gallinacei sunt, quorum non uulgaris in Medicina usus esse posset, si cis similiter ut olim uteremur.

OVVM. Caput XLII.

OVorum diuersa genera, quemadmodum & alitum, inueniuntur. Hoc tamen loco gallinarum oua intelligenda sunt.

CICADAE. Ca. XLIII.

CIcadas in Germania, quatenus ego eam peragraui, nondum uidi. Nequaquam enim sunt in fœno saliētia animalcula, quæ Germani Hewschrecken uocant. In Italia uerò Cicadarū magna est frequentia.

LOCVSTAE. Cap. XLIIII.

B QVoniam autem Cicadis admodum similes sunt Locustæ, ideo has illis statim subiungit. Sunt autem Locustarū multa genera, inter quæ etiam, quæ edendo sunt, inueniuntur, quibus nos carerimus. Germani in genere omnes Locustas Hewschrecken uocant.

OSSIFRAGVS AVIS. Caput XLV.

ΦΗΡΙΣ Romanis Ossifragus uocatur, estq; auis ex aquilarū genere. Quo autem nomine Germanis appelletur, & an in Germania reperiatur, cū multis ignoro.

GALERITA AVICVLA. Caput XLVI.

CORidalum Græci, Latini Galeritam, & Galli eo uocabulo etiam Alaudam hanc auem nominant, Germani ein Lerche. Nulli non cognita est.

HIRVNDO. Ca. XLVII.

HIrundinum species omnibus cognitæ sunt, Germani Schwalben uocant.

EBVR. Cap. XLVIII.

SOli Elephantorum dentes Ebur sunt: fuitq; hoc hactenus preciosissimū. Quapropter nemo speret uulgo in Pharmacopolijs uerum Ebur haberi. Hodie enim marinarum belluarum dentes pro Ebore ostenduntur, è quibus pectines fiunt, qui ubiq; pro eburneis uenduntur. Veruntamen Ebur Germani Helffenbeyn/siue Helffenzan/uocant. C

SVIS TALVS. Ca. XLIX.

TAlus os est in iuncturis pedum, quod Germani ein Bōte uocant: non tamen quoduis animal talos habet.

CERVI CORNV. Ca. L.

CEruorum cornua omnibus nota sunt. Plurimùm tamen refert, quo tempore ceruis decidant, si ijs in Medicina uti uoluerimus.

ERVCAE. Cap. LI.

ERucæ nomen insecto & oleri commune est. Hoc aūt loco de herbas erodentibus Erucis sermo habetur, quæ Germanis Raupen uocantur.

CANTHARIDES, BVPRESTES, ET Pinerucæ. Ca. LII. LIII.

CAntharos scarabeum significat, unde diminutiua forma Cantharides dicuntur: parui, aurei coloris & oblongi scarabei, qui Germanis Goldkefer/siue Goldtwürmchen/appellantur, quorū adhuc est in Medicina usus. Pineruce uerò quæ Græcis πιτυοκαμπαι dicuntur, eruce sunt in Pino genitæ, quarum hodie nullus est usus.

Buprestis uerò sine dubio ille est scarabeolus, qui Germanis ein Qualster uocatur, quo deuorato boues rumpuntur, unde & nomen illi à Græcis factum est. Formam hoc animal scarabeis similem habet, altis ingrediens pedibus, & fœtore ipsos cimices superat, quo etiam frondes & fructus inficit, si quando per eos repat. D

SALAMANDRA. Ca. LIIII.

SAlamandra sine dubio est pigrum illud lacertarum genus, quod Germani ein Molch/siue Olm/uocant. Multis hoc probare possem argumentis, nisi breues annotationes, & non integram rerū historiam scriberem.

ARANEVS. Cap. LV.

ARaneorum multa sunt genera. Eum uerò qui retia ad capiendas muscas prætendit, ἀγρώστην, id est, uenatorem Græci uocant. Aliud genus sunt qui non ita artifici labore, rudes telas in domibus texunt. Germani omnes Araneos generali uocabulo Spinnen nominant. Græci etiam Phalangia, interdum Araneos uocant: quamuis præter Araneos etiam diuersum Phalangiorum genus reperiatur, Lacertis paruis potius quàm Araneis simile, quod Tarantula ab Italis uocatur.

LACERTA. Ca. LVI.

ΣΑΥΡΟΣ Romani Lacertum & Lacertam, Germani Heydexen uocant. Notum omnibus repens in terra quadrupes animal est, colore utplurimùm uiridi.

CALCIDICA LACERTA. Cap. LVII.

A CAlcidicam Lacertam Nicander & Dioscorides Lacertis similem esse dicunt, eamq; Sepa etiam à putrefaciendo uocant. Putrescit enim saniemq; olidam emittit ab illius morsu factum uulnus. Nomen autem inuenit, quòd non uiridis sit, ut cæteræ Lacertæ, sed ærei coloris. Est etiam aliud serpentum genus, quod similiter Seps uocatur, sine pedibus, uiperæ simile, cuius Aëtius meminit: sed diuersum penitus est à Calcidica lacerta.

SCINCVS. Cap. LVIII.

SCincus terrestris Crocodili genus est, magnitudine Lacertæ, quo multis annis caruimus, sed iam quorundam diligentia factum est, ut rursus ex Aegypto ad nos perferatur. Materialistæ, ut uocãt, paruas quasdam aquaticas lacertas Pharmacopolis pro Scinco uendunt, quas Scincos marinos uocant: quibus non temerè uterer, quoniam uirus habent. Quilibet ergo uideat, ne eas alicui intra corpus sumendas offerat.

VERMES TERRAE.
Caput LIX.

TErræ uermes Græci terræ intestina, Germani Erdtwürm / siue Regenwürm uocãt.

MVS ARANEVS.
Caput LX.

B MVrem araneum Græci Μυγάλην uocant, quòd mediam inter Mustelam & Murem magnitudinem & formam habeat, non quòd ex Mustela & Mure nascatur, quoniam naturalem inimicitiam hæc duo animalia habent. Quo autem nomine Germanis appelletur, non certò affirmare ausim: quamuis suspicer magnos illos Mures, quos Ratten / siue Rattenmeuß Germani uocant, Μυγάλας esse. Sunt enim uenenati, quapropter à felibus non nisi maxima fame comeduntur.

MVRES. Ca. LXI.

PRæter Araneos mures sunt etiam marini, aquatici, & in agris nati Mures. Hoc uerò capite de urbanis siue domesticis muribus sermo habetur.

LAC. Cap. LXII.

NOtum est omnibus Lac, non idem tamen habet omnium animalium Lac temperamentũ.

CASEVS. Ca. LXIII.

MVltæ sunt Casei, secundum lactis qualitatẽ, differentiæ & facultates.

BVTYRVM, EIVSQVE FVligo. Ca. LXIIII.

NOtum omnibus Butyrum est, quod quamuis à bobus nomen habeat, quoniã præcipuè ex bubulo lacte conficiatur, tamen non minus etiam ex ouillo & caprino lacte, eo quo rustici nouerunt modo, conficitur. Quapropter non est quòd Gale. Dioscoridem miretur, ex ouillo lacte Butyrum fieri, dicẽtem: Fuligo etiam ex accenso Butyro colligitur, oculorum Medicinæ utilis. C

LANAE ET OESYPVM.
Cap. LXV. LXVI.

LAnæ succidæ neq; crudæ neq; ustæ in nostris Pharmacopolijs usum habent. Earũ tamen sordida pinguedo adhuc præparatur, quã ueteres Oesypum uocabant. Hodie uerò corrupto uocabulo Yssopus humidus appellatur, ut ab Ysopo distinguant. Hissopum enim herbam hodie Ysopum uocant: de quo ridiculum carmen in ore omnium Pharmacopolarum habetur, hoc scilicet: Ysopus est herba, sed Esopus dat bona uerba.

COAGVLVM ANIMALIVM
aliquot. Ca. LXVII.

COagulum Græci Πῆγμα, Germani Lab uocant. Est autem Coagulum in hinnulorum siue pullorum animalium uentriculis in caseum densatum lac. Animalia quorum coagula hoc cap. enumerat, partim nota sunt, partim ignota, his præsertim regionibus.

ADEPS. Ca. LXVIII.

NOtus est ferè omnium animalium Adeps, quorum hoc capite mentio fit.

MEDVLLA ANIMALIVM.
Cap. LXIX. D

HAbent Græci duo uocabula, quibus Medullã significãt, nempe ἔντερον, & μυελός, sed diuersam habent significationẽ. Illo enim arborũ Medulla, & farcta in fructibus quibusdam semina indicantur. Hoc uerò, quæ in spina & ossibus animalium continetur Medulla, quam Germani Marck appellant.

FEL. Ca. LXX.

QVid Fel sit, cuiuis notum est. Hodie autem rarò ad Medicinam utimur.

SANGVIS ANIMALIVM.
Caput LXXI.

PRæter hircinum sanguinem nullus in Pharmacopolijs ad Medicinæ usum, hoc tempore hisce regionibus seruatur.

FIMVM ANIMALIVM.
Cap. LXXII.

NOn opus est animalium Fimum in Pharmacopolijs seruari, cùm semper & ubiq; cuiuscunq; animantis (si necessitas requirat) fimum habere possimus.

VRINA. Ca. LXXIII.

NOtæ uulgo omnibus urinæ sunt, de quibus hoc capite scribit Dioscorides. Lyncis uerò urina quid sit, & an sit in rerum natura, multis seculis

A seculis dubitatum est. Scribunt enim Lyncem proiectam urinam terra obtegere, quæ deinde in lapidē, Lyncurium dictum, indurescat. Sed fabula tantùm est. Quapropter bene Dioscorides quoq; illam damnat, & rectè inquit, idem esse Lyncurium cum electro, id est, succino: quod nisi longum foret, innumeris argumentis & rationibus probare possemus. Quid uerò re uera succinum sit, hactenus proculdubio uulgo ignoratur. Et si quid dixero, omnibus παρὰδοξον dicere uidebor. Nullius enim est resina arboris succinum, quod tamen doctissimi quiq; hactenus crediderunt. Eo autem solo argumento ostendere id conantur, quòd culices, formicas, & alia huiusce modi animalcula complectatur, unde ratiocinantur, liquidam antea fuisse resinam. Ego quidem succinum rem liquidam fuisse probè scio, propterea hoc libenter concedo, resinam uerò fuisse minimè assentior. Si enim succini materia, qualitas, uirium facultas, odor, & alia eius accidentia considerentur, longissimè à quacunq; resina aberit. Paucis igitur uerbis quid sit expediam. Nam si omnia argumenta afferre studerem, quibus succinum nō esse resinam probare possem, aliquot paginas implere necesse esset. Et si etiam omnes rationes adducerem, quibus quid sit re uera ostendere facilè queo, in iustum librum excresceret oratio. Quare meum de succino iudicium (quod etiam Georg Agricola, harum rerum diligentissimus sectator & scrutator, adeò non improbat, ut etiam probet & mecum sentiat) promam.

B Antequàm aūt id faciā, paucas illis quæstiones proponam, qui succinum resinam esse contendunt, quas si mihi soluerint, cum illis libenter sentiam.

I. Cur succinum ijs locis generatur, ubi densum siue liquidum bitumen inuenitur? II. Cur succinum etiam nigrum inuenitur, cùm nulla eo colore unquam uisa sit resina? III. Cur nigrum succinū suas uenas in montibus ceu bituminosi isti carbones habet? IIII. Cur succinum tot habet colore differentias, quot Bitumen & Naphta?

V. Cur succinum odorem bituminosum carbonibus impositum reddit? VI. Cur succinum bitumini easdem uires habet, imò etiam efficaciores?

VII. Cur succinum quoddam reperitur, quod Naphtæ modo flammam attrahit? VIII. Cur succinum, si resina est, nō in guttas singulas, seu plures coniunctas, ut aliæ resinæ, concrescit?

IX. Cur succinum in paruas & magnas potius glebas quàm in guttas concrescit? X. Cur succinum, si resina est, Piceæ uel huius generis folia non complectitur, cùm aliæ quæ sponte destillant resinæ, ea sibi commixta habeant? Sed non opus est plures afferre quæstiones. Ad rem redeamus. Est autem re uera & sine dubio succinum ex montibus in mare defluens Naphta, quæ marina aqua in solidum corpus densatur, Græcis electrum uocatur, Germanis Bōrnsteyn & Agtensteyn. Est & electrum metallum, quod ex auro argentoq; constat: cuius Homerus etiam meminit, cùm ait Menelai regiam auro & argento, electro & ebore fulsisse. C

MEL. Caput LXXIIII.

OMnibus notum est mel. Sardinium uerò mel ex absinthio & ranunculi quadam specie colligunt apes. Quapropter intra corpus non sine nocumento sumitur. Quod autem in Ponto uenenatum fit, hoc apes ex aconiti, absinthij & nerij floribus colligunt. Est & aliud mellis genus, quod Sacharon antiqui, recentiores uerò Zuccarum uocant. Sponte hoc in arundinibus generatur, Indicis & Fortunatis Insulis, quas hodie caput S. Thomæ, Canarias, & Maderam uocant. Porrò sunt etiam docti uiri, qui nos antiquorum Sacharon habere negant. Eos autē rem diligentius considerasse uelim. Nam nihil differt nostrum Zuccarum ab antiquorum Saccharo. Hodie enim totas illas sacchariferas arundines tundunt, & ex his Zuccarum uulgo notum excoquunt. Olim uerò nondum cognito eo excoquendi modo, illud tantùm colligebant, quod lachrymarum modo ex harundinum illarum oculis & germinibus erumperet.

CERA. Caput LXXV.

CEram Germani Wachs uocant. Sequitur hæc mellis qualitatem. Quapropter Pontica & Sardinia aliud habet, quàm uulgaris cera, temperamentum & facultatem.

PROPOLIS. Ca. LXXVI. D

FVit olim magnus Propoleos in Medicina usus, nunc uerò ex omni usu abdicata est. Arabes autem hanc Mum uocant, sed malè eorum interpretes Mum sordes aluearium esse dicunt: multùm enim ab his differt. Sordes enim in fundo reperiuntur, sunt q; derasa apum pedibus à fauis ramenta. Propolim uerò ex betulæ foliorum pinguedine & populi lachryma apes colligunt, qua aluearium cauernosas partes exæquant, & foramina contra frigus obturant. Germani Bet et Stopffwachs uocāt. Efficacior uerò Cretica & Pisidica propolis est, cuius maiorem partem apes ex Styracis lachryma, & Ladani pinguedine colligunt.

TRITICVM. Ca. LXXVII.

NOtum est omnibus Triticum. Porrò sunt quidam qui Triticum generale omnium frumentorum nomen esse autumant: reuera tamen iuxta omnium satis certam opinionem Triticum illud est frumentum, quod Germani Weytzen uocant. Habet tamen hoc ipsum suas species & differentias.

HORDEVM. Cap. LXXVIII.

HOrdeum notū omnibus frumētum est, ex quo Hordeacea ptisana cōficitur, Germani Gersten Hordeum uocant.

A ZYTHVM ET CVRMI.
Cap. LXXIX. LXXX.

Zythum & Curmi ueteres appellabant ex frugibus facta pocula, qualia illa multa sunt ceruisiæ genera in Germania.

ZEA. Caput LXXXI.

Zëæ Latinis Zea, Germanis Dünckel uocatur.

CRIMNVS. Cap. LXXXII.

Crimnus crassior farina Tritici & Zeæ est, quamuis etiam ex aliis frumentaceis fiat. Vnde puls postea conficitur. Germani Grieß uocant.

OLYRA. Ca. LXXXIII.

Olyra, ni fallor, uulgare illud est frumentum, quod Germani Rocken/siue Roggen/ uocant. Hoc si non fuerit apud ueteres, Olyram non habemus, & quid Rocken sit, ignoramus.

ATHARA. Ca. LXXXIIII.

Athara est ex tenuissima farina liquidior facta pulticula, quam Germani ein Sauffen uocant.

TRAGVS. Ca. LXXXV.

Tragus quale sit frumentum, & quo nomine appelletur, non cuiuis cognitum esse puto.

HAVENA. Ca. LXXXVI.

B Hauena duas habet differentias. Vna enim frumentum est, quod Habbern Germanis dicitur. Altera ab hoc ipso autore in quarto lib. Græcè Βρώμος appellatur, quæ à fruge differt, & à Vergil. Sterilis auena uocatur.

ORYZA. Ca. LXXXVII.

Oryza frumenti genus est, quod à recentioribus Rizum, & Germanis Reiß uocatur: in palustribus & uliginosis locis nasci ὀρύζαν Dioscor. ait. Nostra uerò Oryza ex India in alias terras translata est, & in multis locis Europæ seritur. Quare necesse est aliam quoq; Oryzæ speciem inueniri, quæ etiam in Europa sponte nascatur. Nam Dioscorides simpliciter palustribus locis eam nasci ait, nec adiecit peregrinæ alicuius regionis nomen. Porrò inuenitur apud nos in palustribus & uliginosis locis frumentum, quod Schwaden uocamus. Hoc proculdubio illius species est. Habet enim folia, culmos, spicam, & semen omnino maiori Oryzæ similia, semen tamen quamuis eandem proportionem, saporem & usum habeat, minus est. Sed hoc nihil impedit, quo minus Oryzæ sit species. Hi autem uehemèter errant, qui Schwaden Sesamum esse putãt. Quid autem Sesanum sit, statim sequetur.

CALICA. Caput LXXXVIII.

Chondrum Græci Latinorum Alicam uocant. Veteres duas res hoc uocabulo intelligunt, nempe ex Zea, quæ Diazeas uocatur, certo modo facta farinam, & peculiare frumenti genus, quod Latini Far siue Adorcum uocant. Sed quale hoc sit, nondum plane compertum habemus. C

MILIVM. Ca. LXXXIX.

Conchron Latini Milium, Germani Hirsen uocant, notum est frumenti genus, harundineis foliis, & in harundinea iuba semen ferens.

PANICVM. Caput XC.

Ἔλυμος καὶ μελίνη Græcis, Latinis Panicũ uocatur. Panicum ab omnibus autoribus Milio simile esse dicitur. Quare in maximo errore uersantur hi, qui Panicum illud frumenti genus esse putãt, quod Germani Heydenkorn appellant. Verùm cùm Heydenkorn hederacea folia, & minimè harundineum caulem habeat, Panicum uerò harundineo culmo & folio constare describatur, Panicum nequaquam Heydenkorn esse poterit. Sed non opus est multis argumentis Propterea quid reuera Panicum sit, indicabo. Verum itaq; Panicum milio simile est, frumentum, quod Itali adhuc Panigo, & Germani Fuchsschwantz uocant.

SESAMVM. Caput XCI.

Sesamum à multis esse Schwaden creditur, quod in Oryza negauimus: & hoc loco multis certissimis argumentis idipsum demonstrari posset, nisi breuitati consuleremus: propterea unum tantùm afferam. Scribunt autores Sesamum semen suũ in uasculis papaueris modo continere, Schwaden uerò in spica siue tuba Miliacea suum semen fert. Ergo Schwaden nequaquam Sesamum esse potest. Miror autem uehementer, quo argumento moti sint, ut illi opinioni tam firmiter adhæreant, cùm adhuc uerum Sesamum ex Aegypto ad nos copiosè afferatur, unà cum oleo ex semine expresso. Nam peregrinum nobis Sesamum est. Schwaden uerò sponte apud nos prouenit. Porrò sunt qui Iseminos flores, quos Itali Seseminos pronunciant, à Sesamino semine non distinguere ualeant, ob eam causam quam in Iasmino unguento indicauimus. D

LOLIVM. Caput XCII.

Αἶρα Græci, Latini Loliũ unumquodq; degenerans frumentum appellant: quod cùm in Hordeo nascitur, Twalch à nobis, propter insaniam quam facit, dicitur. In Olyra uerò Trespe. Est & alia herba paruæ & quinquefoliæ rosæ simulem habens florem, eumq; rubentem, & nigrum in uasculo semen, quod nos Raden uocamus. Hoc etiam à quibusdam Lolium esse creditur. Cùm uerò autores Lolio spicam tribuant, Raden uerò uasculum habeat, nihil affirmo. Hi autem magnoperè errarunt, qui Raden Nigellam esse crediderunt.

AMYLVM. Caput XCIII.

Nota

A NOta omnibus res est Amyla, sic dicta, quòd sine mola conficiatur. In Pharmacopolijs, una mutata litera, Amidum uocatur. In Germania uerò Stercke & Krafftmehl.

FOENVGRAECVM. Caput XCIIII.

FOEnugræcum leguminis genus est, quod Græci Τήλιν, Germani Bigenhorn / & Sibengezeite uocant. Sunt tamen qui posterius hoc uocabulum ad lotum satiuam etiam referant. Bigenhorn uerò genuinum Fœnugræci nomen est. Nam sic Germani Græcorum Aegoceron interpretantur. Semen autem Fœnugræci eodem nomine in Pharmacopolijs habetur.

LINVM. Cap. XCV.

VEscebantur ueteres Lini etiam ut Fœnugræci semine. Propterea leguminibus connungun tur. Est autem Linum omnibus nota herba, quam Germani Flachß uocant. Semen uerò solum Lein.

CICER. Cap. XCVI.

ΕΡέβινθος Græcis, Cicer Latinis, Germanis Kichern hoc legumen uocatur. Colore habet triplicem differentiam. Est enim quoddã genus ruffum habens semen, & quoddam candidum, quod columbinum dicitur. Et tertium genus nigrum semen habet, quod priuatim arietinum nominatur, quoniã
B arietino capite semen eius simile sit.

FABA, LEGVMEN. Caput XCVII.

CYamum Græci, Latini Fabam uocant, Germani Bonen / de quo non opus est dubitare, cùm omnes ab autoribus Fabæ adscriptæ notæ huic legumini conueniant, quod nos Bonen uocamus. Differunt Fabæ secundum colorem & magnitudinem.

FABA AEGYPTIA. Cap. XCVIII.

AEgyptia Faba in inundatis Nilo campis nascitur, cuius radicem Aegyptij Colocasiam uocant, solo semine hæc nostrati Fabæ similis est. Quod enim ad cæteras eius partes attinet, omnino dissimilis esse cernitur. Nobis aũt hæc est incognita.

LENS. Caput XCIX.

Φακὸς Latinis Lens, Germanis Linsen appellatur. Est autem Lens duplicis differentiæ. Quædam enim legumen est, de qua hoc loco agitur. Altera stagnantibus undis innatat, de qua infrà sermonem habebimus.

PHASELVS. Cap. C.

DIstinxerunt Phaselum à Phasiolo, qui post Dioscoridem scripserunt, ita ut Phaselus sit legumen simpliciter nunc uocatum ab Italis Phasiolus, Phasiolus uerò idem cum Dolicho. Sed istam differentiam nullus autor adhuc, neq; ipse Dioscorides C obseruauit. Nam hic Phaseolum uocat id legumen, quod adhuc Itali Phasiolum uocant. Quapropter cùm uideam à multis diuersas has herbas confundi, distinguam eas, & notas quibus ab inuicem dignosci poßint, ostendam. Sunt enim ambæ legumina, magnã in fõlijs, floribus, siliquis & seminibus affinitatem habentia. Hic Phaseolus igitur quem Dioscor. hac loco recenset, & ab aliquibus etiam distinctionis gratia Phaselus, seu ut Itali dicunt, Phasiolus uocatur, legumen est, absq; adminiculo seu pedamento per se subsistens, fõlia habet in uno pediculo tria, hederacea, mollia, quarum spina ex interiore parte candicat. Flores profert candidos, & post hos in siliquis teretibus candida & oblonga semina, media inter fabas uulgares & pisas forma & magnitudine, quibus nigrum quiddam eo loco, quo siliquis annectuntur, inest. Hic est Phaseolus siue Phaselus, ut quidam dicunt, de quo hoc loco scribit Dioscorides.

Altera uerò eius species est huic forma fõliorum similis. Circunuoluitur hæc arbustis & hastis, fiunt q; ex ea cornæ æstate, longiores hæc quàm prædictus Phasiolus siliquas fert. Propterea ab aliquibus Dolichus appellatur, & fructus eius Lobi, quoniam insignes sunt siliquæ in quibus figura Phaseli semina nascuntur, non tantùm candido colore. Nam inueniuntur nigro, croceo, ruffoq; colore, & mixtus etiam pluribus coloribus simul. Hic Phasiolus Smilax leuis & satiua etiam appellatur. Quoniam uerò hæ D duæ Phaseolorum species inuicem similes sunt, nomen etiam commune habent. Cùm uerò propriè loqui uolumus, legumen illud priùs descriptum, Phaselũ siue Phasiolũ uocamus: postremò uerò descriptũ Dolichum, Smilacem leuem siue satiuam, & Siliquas eius Lobas. Porrò utrunq; Germaniæ peregrinum fuit legumen, & Phaseolus, siue Phaselus, siue Phasiolus, qui absq; adminiculo erigitur, à paucis in Germania Pharmacopolis & Herbarum studiosis seritur. Dolichus uerò à plurimis non tantùm ciuibus, uerumetiam rusticis umbræ & ostentationis causa. De Dolicho autem statim pòst sequetur proprium caput.

OROBVS SEV ERVVM. Caput CI.

ORobon Græci, Romani Eruũ appellant. Peregrinum hoc Germaniæ hactenus legumen fuit, quamuis omnes Orobum uocent eam leguminis speciem, quæ Germanis Wicken appellatur, sed errore seducti. Nam Wicken est Latinorum Vitia, et Græcorum Aphace, seu Βικία, unde Germanica uox deducta est. Veruntamen Erum nunc à quibusdam in Germania seritur.

LVPINVS. Cap. CII.

LAtini Θέρμος Lupinum, Germani Feigbonẽ uocant. Notus omnibus Pharmacopolis eodem nomine Lupinus est.

A

SATIVA RAPA. Ca. CIII.

Γογγύλυς, siue γογγυλίδα, Latini Rapum, Germani Rüben/appellant. Notæ omnibus cum herba radices eius sunt, quibus uescimur. Duplicem habet Rapum differentiam. Sunt enim satiuæ quædam, de quibus hoc capite scribitur, & sponte in aruis prouenientia quædam. Videndum tamen est, ne Raphanum agrestem, cum syluestri Rapo confundamus. Sunt enim ualde similes inuicem herbæ, sed Rapum fruticosius est, & multas alas ramulosq; ad latera spargit, in quibus sunt lutei flores: nascitur pinguibus aruis. Raphanus uerò syluestris pallidiores habet flores, & paruas radices, Rapum uerò pollicem crassas.

NAPVS. Caput CIIII.

Napi rapis congeneres sunt, densiores tamen, acriores, & minores. Inueniuntur etiam luteo & croceo colore Napi in Bordueldiano Brunsuicensis ducatus agro, quibus præcipua laus & autoritas attribuitur. Græci hunc Napum Βουνιάδα uocant, Itali Nauoni, Germani Napen & Stickelrüben/ Saxones uerò Brunsuicenses suos Napos Bordtfeldische Rüben appellant, ab oppidulo Bordtfelt/ubi nascuntur.

RAPHANVS. Ca. CV.

Raphanum Latini radicem, aliqui etiam radiculam, Germani Rettich uocãt, siue Rube
B Rettich. Est & alia herba, quæ à Latinis Lanaria radicula, siue simpliciter etiam radicula dicitur, à Græcis Struthion, sed diuersa à Raphano. Quare uidendum est, ne alteram pro altera accipiamus. Raphani autem duæ sunt species. Vna scritur, & in Turingia cubitali longitudine & crassitudine, quæ utraq; manu amplecti nequeat, prouenit. Quare non ineptè Plinius scriptum reliquit, Raphanum in Germania infantiũ magnitudine nasci. Altera uerò sponte in aruis prouenit, quam Germani Heydenrettich/ id est, syluestrem Raphanum uocant, Latini Armoraciam. Recentiores Raphano etiam adscripserunt acrem istam radicem, quam nos Merrettich appellamus, & ea utuntur, ubi prædicto Raphano uti debebant: sed malè. Non enim habent aliquem ex ueteribus autorem, qui Merrettich/Raphani speciem esse innuat. Quid tamen Merrettich sit, paulò pòst audiemus.

SISER. Caput CVI.

Σισαρον Latini Siser uocant. Serebatur hæc herba olim in Germania cibi causa, & optimè in hac frigida regione prouenebat, qua causa eã quotannis à Germanis flagitauit Tiberius Cæsar, ut inquit Plinius. Hodie uerò quid sit Siser, ignoratur. Brunfelsius tamen in tertio Herbarij sui Tomo scribit, quòd Siser sit illud olus, quod Germani Geirlen uocant, cui omnino subscribo. Hessi uocant Alm-
gelmörzen/alij Grützelmörzen. Estq; omnium radi- C
cum, quæ uescendo sunt, saluberrima Siseris radix.

RVMEX, SEV LAPATHVM. Caput CVII.

Λάπαθον Latinis Rumex, Germanis Ampffer dicitur. Herba est quinq; sub se habens species. quapropter prædicta trium gentium uocabula in genere omnibus speciebus communia sunt. Quidam Rumex satiuus est, hunc nos Gartenampffer uocamus. Agrestis etiam quidam est, qui à Pharmacopolis Lapathum nũc dicitur, à Germanis Hasenampffer/Gassenwurtz/& Butterampffer, quoniam rustici butyrum eius foliis inuolutum in urbes uenale ferant. Non desunt etiam qui Buglossam eam uocent, Myssenorum & Vitebergensium Saxonum Germanico uocabulo decepti. Tertia species ὀξυλάπαθον Græcis, Latinis Rumex acutus, uel, ut nunc, Lapatium acutum, Germanis Spitzampffer dicitur. Nascitur humentibus, syluestri similis, nisi angustiora & acutiora folia haberet. Quarta ὄξαλις Græcis, Latinus Acetosa, Germanis Saurampffer uocatur. Quinta omnium maxima est. Nascitur aquosis & palustribus locis, unde à Græcis ἱππολάπαθον, siue ὑδρολάπαθον, & à Germanis eadẽ significatione Roßampffer et Wasserampffer/ nominatur. Hæc sunt Lapathi genera ab antiquis descripta. Est & sextum, acetosæ forma et sapore simile, multò tamen minus, in agris nascens. D

LAPSANA. Caput CVIII.

Lapsana agreste olus est ex braßicæ genere, Germanis Reinfől appellatum. Hoc se apud Dyrrrhachium uicitasse milites Cæsari in triumpho exprobrauerunt, ut apud Plinium & Suetonium est uidere.

BLITVM. Caput CX.

Bliton iners & insipidum olus est. Quo autem nomine iam appelletur, superuacuum est inquirere, cùm nullas habeat medicas uires.

MALVA. Caput CXI.

Græcorum Malache, Latinis Malua, et Pappeln Germanis appellatur. Vna eius species in hortis scritur, quæ à nobis Römische Pappeln uocatur, sinuosa crispitudine per ambitum foliorum insignis. De hac & syluestri uulgari hoc cap. agitur. Sunt enim & aliæ syluestres Maluæ, ceu Althea & Alcea, de quibus infrà sermo erit.

ATRIPLEX. Ca. CXII.

Ατράφαξις Græcis, Atriplex Latinis, Melde Germanis hoc olus uocatur. Duplicem habet differentiam. Est enim syluestris & satiua. Satiua rursus duplex. est enim uiridi & ruffo folio. Syluestris plures habet discriminũ notas. Hæc quòd in stercorarijs nascatur, Mistmelde appellatur.

BRAS-

A

BRASSICA. Cap. CXIII. CXIIII. CXV.

Κράμβη Latinis Braßica olim dicebatur, nũc uerò Caulis, unde Germani ſuum Kôl deſumpſerunt. Multæ ſunt Braßicæ ſpecies: Eſt enim uulgaris quædam, quæ ſimpliciter caulis, & Germanis Blat kôl nominatur. Eſt & criſpa quædam, omnibus etiam nota: utriuſq; fólia ad purpuram colore inclinant. Eſt etiam alba Braßica, quæ in capita concreſcit, unde capitata & ſeßilis uocatur, à Germanis uerò Cappestraut / quod nomen ab Italis ad nos uenit. Illi enim caputium ſeßilem hanc herbam nominant. Habent huius capita in quibuſdã regionibus, ut Boëmia, ruffum colorem. Eſt & marina Braßica, quæ hodie Soldanella in Pharmacopolijs appellatur. Porrò ſylueſtris braßicæ plures ſunt differentiæ.

BETA. Caput CXVI.

Τεῦτλον Græci, Betam Romani, Beyßkôl / Römiſch kôl / Romgraß / & Wangolt / Germani hoc olus nominant. Duplicem habet colore differentiam. Eſt enim nigricantibus in purpura fólijs quædam è ruffa radice. Hæc nigra Latinis dicitur, Germanis Rot mangolt / ſiue Rote rũben. radices enim rapis magnitudine & forma ſimiles ſunt. Candida huic omnino ſimilis eſt, ſed colore differt, quem fólia eius in candido uiridem habent.

B Nigræ betæ radices arte incrementum ſumere coguntur, quæ condiuntur & aſſatis carnibus apponuntur. Candidæ uerò Betæ radices minimè curantur.

PORTVLACA. Ca. CXVII.

Ἀνδράχνη Græcis Portulaca uocatur, Germanis Portzel. Notum eſt acetarium hoc olus. Eſt et ſylũeſtris Portulaca, in aſperis littoribus naſcens: de qua alibi agemus.

ASPARAGVS. Cap. CXVIII.

Asparagus Pharmacopolis Sparagus, Germanis Spargen appellatur. Fœniculo fólijs ſimile olus eſt, cuius radices & ſemina in Pharmacopolijs ſeruantur. Dicuntur etiam Aſparagi omnium olerum, tam ſylueſtrium quàm ſatiuorum, primo uere tenelli & recentes caules, quales in Rapo & Bryonia uidemus.

PLANTAGO. Ca. CXIX.

Πτόλλωσον Latini Plantaginem, Germani Wegbreyt uocant. Tres habet hæc herba differentias. Eſt enim latifólia quædam, & anguſtis oblongiſq; fólijs quædam, tertia latifóliæ ſimilia habet fólia, multò tamen minora, & leniter hirſuta.

SIVM. Caput CXX.

Sion ex Apij genere olus eſt, quod Germa. Klein Waſſermerck uocant, quoniam Paludapio ſimile ſit, ſed minus. Naſcitur glacioſis & perennibus riuulis, ut Plinius etiam obſeruauit. C

SISYMBRIVM. Ca. CXXI.

Primum Siſymbrium mentæ ſpecies eſt, quam Germani Fiſchminz uocant. Eſtq; hæc duplicis differentiæ. Vna enim nigricantem habet caulẽ, & ubiq; in aquoſis naſcitur, Bachminz Germanus appellata. Altera hirſutioribus eſt fólijs, nec tantùm iuxta riuos, uerumetiam in ſiccis prouenit. Hæc Balſamita à Pharmacopolis nominatur. Confunduntur tamen ab imperitis hæ duæ Siſymbrij ſpecies.

Alterum uerò Siſymbrium ſolo nomine priori ſimile. Nam Naſturtij potius quàm illius ſpecies eſt. Quapropter etiam à Græcis Καρδάμινη, quaſi naſturtiaria, & à Germanis Brunnkreß uocatur. Notum eſt & ſalubre olus, quo Heßi frequenter ueſcũtur. Recentiores hoc aquaticum naſturtium, maximo errore Senecionem uocant, ut in Senecionis cap. audiemus.

BATIS. Cap. CXXII.

Κράμβη Latini Batin dicunt. Marinum eſt olus, quod etiam in hortis ſerebatur. Nomen tantùm in Pharmacopolijs noſtris habetur. Res enim quæ hodie ſic apud nos uocatur à Pharmacopolis, diuerſa penitus à Bati eſt.

CORONOPVS. Ca. CXXIII.

Pro Coronopode malè hactenus ranũculi quadam ſpecie uſi ſumus. Nunc autem uera Coronopus à quibuſdam ſeritur. Eſt enim acetarium olus, fólia habens pedibus & unguibus cornicis ſimilia, & hodie ab Italis herba Strella uocatur. Quidam etiam Cornu ceruinum appellant, à foliorum figura. D

SONCHVS. Ca. CXXIIII.

Sonchum Latini Cicerbitam & Lactucellã, Germani Sewmelcke / & Haſenkôl appellant. Ex intybi genere hæc herba eſt.

INTYBVS. Ca. CXXV.

Serin Latini Intybum uocant. Multiplex Intybi genus eſt, hoc tamen cap. duo, ſatiuum & unum ſylueſtre deſcribit. Satiuum Intybum ab Italis adhuc Endiuia ſatiua appellatur, eſtq; per omnia ſylueſtri ſimile, tenerius tamen & latioribus fólijs. Sylueſtre, quod Cichorium & Picris ob amaritudinem uocatur, & Amarago à Gaza in Theophraſto interpretatur, in Pharmacopolijs Cichorea, & à nobis Hindtleufft / Wegwart & Sonnenwirbel nominatur. Flores habet cœruleos, qui ferè ſemper ſolem uerſus inclinantur. Vnde etiam à quibuſdam Solſequium, ſiue Heliotropium appellatur. quamuis Heliotropium diuerſa ſit ab Intybo ſiue Cichorio, & ſui generis herba.

CONDRILLA. Ca. CXXVI.

A Κονδρίλλη quoq; intybacea est herba, habetq; duas species: quarum prima Cichorio est similis, multò tamen tenerior & minor, florem interdum cœruleum, interdum etiam candidum ferens. Germani Klein Sonnenwirbel uocant: nascitur in uineis, quæ solidum & gipsosum habent solũ, quales sunt in Ienensibus collibus. Altera Condrilla in pinguibus & lutosis agris, præsertim in hordeacea segete nascitur. Luteum habet florem, & à Germanis Sewdistel uocatur: quod nomen ferè omnibus etiam intybi speciebus commune est.

CVCVRBITA. Ca. CXXVII.

CVcurbita, Κολοκύνθη Græcis, Germanis Kürbis appellatur, cuius duæ sunt potiores differentiæ. Vna longos fert fructus, altera latos & sessiles: semine eius Medici utuntur.

CVCVMER SATIVVS. Caput CXXVIII.

Σίκυος, siue Cucumis satiuus, à Germa. Gurcken appellatur: quod nomen ab anguria deductum est. Sic enim Itali quandam Cucumeris speciem uocant. Semina eius in Pharmacopolijs eodem nomine habentur.

LACTVCA. Cap. CXXIX. & CXXX.

B Lactuca, quæ Græcis Θρίδαξ appellatur, duplicem habet differentiam. Est enim satiua altera, & agrestis altera. Satiua à Germa. Lattich/ Melchering / & Schmaltzkraut appellatur, præsertim in Hessia, ubi illa in acetarijs cum eliquato butyro, quod prooleo affundunt, uescuntur homines, Vnde & Schmaltzkraut dicta est.

Agrestis uerò Lactuca ea est, quam Itali Serriolam, uel (ut quidam duriùs pronunciant) Scarriolam, quoniam dorsum folij serræ modo asperum sit, uocant. Quidam etiam hanc ipsam Endiuiam appellant: nam in hisce regionibus hac herba pro intybo utuntur Medici & Pharmacopolæ. Germani hanc ipsam Genßdistel/ siue Genßzan/ appellant, quòd spinosum folij dorsum, anserinis dentibus simile sit. Porrò nemo offendatur, quòd hãc Endiuiam Lactucam agrestem appellem. Nam omnes intybi species ad Lactucæ genus referri debent.

GINGIDIVM. Ca. CXXXI.

GIngidion Syriacum est olus. Nuper etiam ad nos ex Syria allatum, per omnia descripti onu respondens. Quidam Carui de Syria uocant. Porrò eò ignorantiæ quidam peruenerunt, ut Senecionem, qui nobis Creutzkraut appellatur, Cerefolium etiam nominent.

SCANDIX. Ca. CXXXII.

SCandix etiam agresti Pastinacæ simile olus est, sponte in pinguibus aruis prouenies. Candidos & paruos in exiguis umbellis flosculos habet, ex qui C bus singuli, & ceu acus longi apices sursum enascuntur. Quapropter à Latinis etiam acicula, & à Germanis Nadel mõzen uocatur.

CAVCALIS. Ca. CXXXIII.

CAucalis Dauco similis herba est, non tamen cuiuis dauco (sunt enim plures eius species) sed illi tantùm, qui in Germania Pimpinella uocatur. Hirsutioribus tamen cõstat caule & folijs, Germani Rauch Bibenellen uocant.

ERVCA. Ca. CXXXIIII.

Ἔρυσιμον, Latini Erucam, Germani Weiſſen Senff uocant, quoniam simile per omnia sinapi sit, præterquàm semine, quod sinapi nigricãs est. Erucæ uerò candicans.

OZIMVM. Ca. CXXXV.

ΩΚιμον Latini Ozimum, recentiores Basilicon uocant, Germani posterius nomen cum Latinis commune habent. Est autem Ozimum duplicis differentiæ. Quoddam enim altius adolescit, & maioribus nigrioribusq; constat folijs. Quoddam etiam prædicto minus, ramosius, & minoribus folijs inuenitur, & Chariophillos odore imitatur, unde Ozimum Chariophillatum hoc appellare consueuerunt Latini & Pharmacopolæ, Germani uerò Krauß Basilicon.

OROBANCHE. Ca. CXXXVI. D

ORobanchen Theodorus Gaza apud Theophrast. Eruangam interpretatus est. Nomẽ inuenit ex eo, quòd eruum strangulet: pinguis est & sine folijs herba. Germanis Sommerwurtz appellata.

HIRCI BARBA. Caput CXXXVII.

Τραγοπώγωνα Latini Hirci barbam, Germani Bocksbart appellant. Nascitur campestribus locis, nonnunquam etiam pratis & aggeribus, pingui solo congestis.

ORNITHOGALVM. Caput CXXXVIII.

ΟρνιθόγαλονGermani Klein Erdtnuß appellant. Porrò duæ sunt in agris nascentes herbæ, quas Germani hoc nomine indicant. Vna candidum habet, aut luteum, qualem hoc cap. Dioscorides describit, florem. Altera purpureum, quæ an ab hoc autore descripta sit, ignoro.

TVBERA. CXXXIX.

TVbera radices rotũdæ sine germine sunt, quæ fungis similiter in terra nascuntur. Græci ὐδνα uocant. An etiam in Germania proueniant, nõ dum comperi. In Italia copiosè proueniunt, ubi etiam Tartofle uocãtur. Sunt & tubera quæ ἀράχυδνα. ab

A ab araco legumine dicantur: de quibus huius instituti non est dicere.

HORTENSIS SMILAX. Caput CXL.

SMilax hortensis siue lenis, quem Dolichum etiã Græci appellant, nonnulli etiam Phasiolum, Germani Windt bonen/Welsche bonen/& Spreckel bonen uocant. De hoc legumine in Phaseoli capite etiam disseruimus.

MEDICA. Cap. CXLI.

MEdica à Media nomen habet. Nam ex ea regione per bella Persarum in Græciam allata est, unde postea in Italiam translata, ad iumentorum pabulum serebatur. Propterea nemo speret eam sponte in Germania prouenire, ut ij faciũt, qui se omnes plantas, quas Dioscorides describit, nouisse & indicare posse, uana quadam iactantia & persuasione gloriantur. In Italia autem ad huc à quibusdam seritur. Vidi ego herbam hanc à Georgio Agricola ex Italia allatam.

APHACE. Caput CXLII.

APhace uitia est, quæ spõte in aruis nascitur, quam Germani Feldtwicken appellant. Theophrastus intybacei generis herbã Aphacen nominat, quæ diuersa est ab hac nostra Aphace.

PORRVM. Ca. CXLIII.

B NOtum omnibus Porrũ est, quod Græci Πράσον, Germani Lauch uocant. Porrò sub eodem genere hæc omnia continentur: Allium, Vlpicũ, Scorodopraſum, Ampelopraſum, Porrum, Ophioscorodon, Cepa, Gethyum, & similia.

AMPELOPRASVM.

NAscitur sponte etiam in aruis & uineis, teretibus foliis Porrum, quod Græci Ampelopraſon, Germani Wilden lauch appellant.

CEPA. Caput CXLIIII.

KΡόμμυον Latini Cepã, Germani Zwibeln & Zippeln nominant. Notæ omnibus cum germine suo radices sunt.

ALLIVM. Caput CXLV.

ΣΚόροδον Latini Allium, Germani Knoblauch appellant. Est etiam syluestre Allium Ophioscorodon appellatum, lata habens folia, ut Lilium conuallium. Hoc Germani Rampen/siue Rempsen/& Ramseren nominant. Estq; inuisum pastoribus, quoniam lac allij odorem acquirit, si eo uescantur iumenta.

SCORODOPRASVM.

ΣΚοροδόπρασον syluestri allij genus est, mediamq; inter Allium & latifolium porrum figuram & temperamentum habet. Vnde ab utroq; nomẽ inuenit, Germani Feldtknoblauch/siue Wilden knoblauch/appellant. Hactenus hac herba eiusq; semine proscordio usi sunt Pharmacopolæ, & adhuc magno errore utuntur. Non enim est syluestre siue agreste allium scordium, sed proprij generis herba, ut suo loco indicabimus. C

SINAPI HORTENSE. Caput CXLVI.

ΣInapi Latini Sinapi, Germani Senff appellant. Nota omnibus cũ semine suo herba est.

NASTVRTIVM. Ca. CXLVII.

KΑρδάμον Latini Nasturtiũ, Germani Kressen/& Gartenkressen uocant. Hoc capite de satiuo Nasturtio agitur.

THLASPI. Cap. CXLVIII.

THlaspi minus Germani Taschelkressen uocant. Differt tamen à Bursa pastoris, quæ Kleyn Taschelkraut nominatur. Maius uerò Thlaspi sine dubio ea est herba, quam nos Merrettich appellamus, & Arabes Nasturtium album, à candore radicis. Grandibus hoc radicibus & magnifolium describitur. Verg. autem Marcellus in hoc cap. non bene in comparatiuo gradu interpretatus est: maiore radice, & latioribus fõlijs. Ita enim intelligeretur maius Thlaspi minori secundum proportionem maius esse. Sed Dioscorides hoc non uult, neq; uerba eius hoc indicant. Nam in Græco nulla comparatio legitur, sed simpliciter πλατύφυλλον, καὶ μεγαλόριζον. D

ARABA. Caput CXLIX.

QVædam exemplaria Arabam, quædam etiam Arabida appellant. Est autem Nasturtij genus, quod Arabes orientale uocant, hodie ignotum: quãuis Ruellius id cognouisse uideatur. Verum nõ temerè Ruellio crediderim, cùm plantas ad historias ui torquere soleat. Cæterùm non malè ait Verg. Marcellus, nullam esse apud alios autores herbã hoc nomine. Plinius tamen eius mentionem facit sub nomine Driophoni.

IRIO. Caput CL.

EΡύσιμον Latini Irionem, Germani Schnödsenff appellant. Theophrastus alterius Erysimi genus inter frumentacea recenset, quod diuersum est ab hoc. Imperiti Irionem, qui à Dioscoride hoc loco describitur, fœminam Verbenam etiam uocant, uerùm magno errore. Nam Irio sinapi cognata herba est, propterea hîc inter acrimoniam habentia describitur. Verbenaca autem nihil cum sinapi neq; Irione commune habet.

PIPER. Caput CLI.

PIper nouerũt omnes. Habet aũt triplicẽ differentiã. Est enim lõgum, rotundũ seu nigrum, & album. Longum nigro & candido omnino dissimile existit, cùm hæc duo parua & rotunda sint grana. Illud uerò oblongum & betularum grossulis simile.

A *simile. An uerò ueteres rectè de eius planta, & quo modo nascatur, scripserint, non est huius loci disputare.*

ZINGIBER. Ca. CLII.

Zingber, quod hodie Zinziber nominant Latini, Germani Jngber. *Diuersæ à pipere plãtæ radix est. Cur autem non potius in censu aromatum descriptum sit Piper & Zingiber, in præfatione huius libri indicauimus.*

HYDROPIPER. Ca. CLIII.

Hydropiper parens meus in suo Botanologico ait esse mordacem Persicariam, quæ à Germanis Wasserpfeffer/ *& Schmertzen appellatur, cui sententiæ Musa non aduersatur. Ruellius uerò eam negat esse ueram, quoniam nigram maculam Persicaria in foliis habeat, qualem autores Hydropiperis foliis inesse non dicant. Ait etiam Persicariam exiccatis paludibus emergere, Hydropiper uerò in lacustrium marginibus adolescere. Addit præterea, Hydropiper mentæ foliis describi, sed Persicariam Persici folia habere. Antequàm tamen Persicariam Hydropiper esse neget, indicat Hydropiper eam esse herbam, quæ Eupatorium appellata est hactenus falsò. Cùm igitur antea admonuerim, cautos esse Ruellianos lectores oportere, propterea quòd non rarò inuitas plantas ad historias & descriptiones detorquere soleat, suadeo etiam hoc loco, ne illi continuò fides*
B *habeatur, uiro aliàs insigniter docto, & qui non ex industria malè iudicet, sed qui, cùm homo sit, præter opinionem in errores aliquando præcipitetur. Necesse est igitur aut parentem meum, aut Ruellium perperam iudicasse. Quapropter utriusq; iudicium discutiendum, & cum Hydropiperis historia conferendum erit.*

Principiò igitur Ruellius negat Persicariam Hydropiper esse, quoniam Persicaria purpurei coloris maculam in foliis habeat, quam si Hydropiper haberet, in descriptione autores non omisissent. Ad hoc argumentum breuiter respondeo: Duplex genus esse Persicariæ. Vna quæ maiora nigrioraq; habet folia, purpureis maculis distincta, quæ nullam omnino acrimoniam in gustu habet. Altera uerò huic similis, candidioribus & minoribus tantùm foliis, quibus nullæ insunt purpurei coloris maculæ: hanc dixit parens meus Hydropiper esse, non illam. Quare nullã uim hoc argumentum habet. Diluendum igitur nunc erit illud, quo infert dissimiles etiam habere natales Hydropiper & Persicariam, quoniam hæc exiccatis paludibus, quod Hydropiper non faciat, emergat. Illud uerò in lacustrium marginibus adolescat, ut historia & descriptio clarè ostendit. Ego uerò Persicariam non tantùm in exiccatis paludibus nasci uidi, uerumetiam iuxta leniter fluentes aquas, idq; sæpissimè: nec ego tantùm, uiderunt etiam plures alij quibus monstrabam, ne fortasse commentum me dicere quidam existiment. Et econtrà, illam herbã quam C *Ruel. Hydropiper esse existimat, in palustribus exiccatis non semel nasci uidi. Et quamuis Persicaria exiccatis tantùm paludibus nasceretur, minimè tamen hoc solo argumento negare aliquis posset, eam Hydropiper esse, cùm non omnino siccatis nascatur, sed semper subsit aqua. Nec Dioscorides illi tribuit, quòd tantùm circa leniter fluentes undas proueniat, & non in alijs aquosis. Propterea enim à Græcis Hydropiper appellatur, quòd aquosis locis emergat, siue sint palustres, siue leniter fluentibus undis uicini. Præcipuè tamen & plerunq; huiusmodi natalibus, quales Dioscorides recenset, Hydropiper nasci scribitur: quam notam in mordaci quoq; Persicaria non solus neq; semel obseruaui. Quapropter neq; hoc argumentum negare potest Ruellius, quòd Persicaria mordax Hydropiper sit. Properemus igitur ad illud quo ait, Hydropiper mentæ foliis ab autoribus describi, Persicariam uerò Persici foliis constare. Ad hoc respondemus, nullam similitudinem tam perfectam esse, quæ non habeat aliquam dissimilitudinem. Igitur quamuis Persicariæ folia longiora sint, quàm mentæ, non tamen continuò sequitur, eam Hydropiper non esse. Nam non rarò magnitudo prolõgitudine tantùm, & econtrà accipitur. Si igitur tam strictè hanc notam Ruellius intelligit, illius falsò uocatum Eupatorium multo minus habet folia, Mentæ similia: nam & ipsa etiam nõ proportionaliter maiora sunt, quàm mentæ folia, sed similiter ut Persica-* D *ria longiora & nigriora quàm mentæ folia, cùm Hydropiperi candidiora quàm mentæ adscribãtur. Igitur neq; hoc argumentum parentis mei sententiã confutabit. Cùm uerò adhuc constet, Hydropiper Persicariam mordacem esse, necessariò sequitur, Ruellium à ueritate aberrare, quòd falsò uocitatum Eupatorium Hydropiper esse iudicauerit. Hoc itaq; probare nunc incipiemus. Principiò igitur uidendum est, quale nã falsò uocatum Eupatorium intelligat. Tres enim sunt plantæ, quibus falsò id nomen inditũ est. Vna scilicet quam Mesue describit, altera quadrantali altitudine inter arbusta nascitur, mentæ foliis, & lupuli odore. Harum nullam intelligere Ruellium certum est, quoniam utraq; siccis nascitur locis. quam uerò ille Eupatorij nomine indicat, circa aquas nascitur, estq; omnino ea, quam nostrates etiam Pharmacopolæ Eupatorium uocant, Germani* Wassertosten. *Hoc an Hydropiper sit, iam uidendum erit. De Hydropipere itaq; sic Dioscorides scribit: Nascitur plerunq; circa stantes aquas, & leniter fluentes: quæ nota pulcherrimè conuenit. Nolo enim respõdentes notas omittere, ut Ruellius in Persicaria fecit, cuius Piperi similem acrimoniam præterijt. Quamuis igitur hæc unica nota per omnia cõueniat, non tamen sequitur, quòd hæc herba Hydropiper sit. Plures enim plantæ in eodem natali prouenient, tametsi cæteris notis Hydropiperi minimè respondeat,*

A spondeat. Cùm igitur sola hæc nota conueniat historiæ, fallere potest. Si uerò quæ nunc sequuntur, similiter conuenirent, ipse non inuitis pedibus in Ruellij sententiam currerem. Sequitur itaq; in Dioscoride: Caulem ex se mittit geniculatum solidum. Quas notas Ruellius malè falsò uocato Eupatorio tribuit. Non enim geniculatum habet caulem, Persicaria uerò mordax euidenter tumentibus geniculis intercepta est. solidum etiam caulem eadem Persicaria qualitate habet. Eupatorij uerò falsò sic appellati caulis non tam qualitate quàm quantitate solidus. Procerus enim est, et magnum foliorũ florumq; onus sustinet. Quapropter necesse est eum robur contra uentorum impetum habere. Persicariæ autem caulis quamuis paruus sit, non tamen paruam soliditatem adeptus est, atq; id qualitate, non quantitate seu magnitudine. Nam omnia quæ proceris constant caulibus, robusta etiam à diuina prouidentia facta sunt. Quæ nunc de foliorum forma & colore dicenda essent, paulò antè relata sunt. Quare ad saporem eorum conuertamus orationem, de quo sic Dioscorides scribit: Δριμέα γὰρ τῇ γεύσει ὥσπερ ὁ πίπερι. quod est: sapore acria, ut Piper. Eupatorium autem acrimoniam nullam habet alios sapores excellẽtem, sed tantùm amaritudinem magnam. Propterea Ruellius etiam huius Eupatorij folia meram Piperis amaritudinem resipere scribit. Differunt autem plurimùm amarus & acris sapor, & Piper tantùm acre, & minimè amarum est. Eupatorium uerò falsum sic uocatum, solam amaritudinem resipit. Ergo quilibet etiam manibus palpare potest, hoc loco Ruellium scribere, quod in rerum natura non inueniatur. Si igitur sapor non conuenit, à quo Hydropiper appellata est hæc herba, iam planè iudicandum erit, Eupatorium, de quo hîc agimus, Hydropiper minimè esse. Ne tamen alias notas refugere uidear, pergam eas omnes membratim historiæ conferre. Sequitur autem in textu: Κάρφον δὲ ἔχει ἐπὶ κλωναρίων μικρῶν ἐκφυόμενον παρὰ τὰ φύλλα συνεχῆ καὶ βοτρυώδη ἀριμὸν καὶ αὐτό: quod est, si de uerbo ad uerbum uertas: Semen uerò habet in ramulis paruis enascens iuxta folia, continuum & racemosum, acre & ipsum. Ex quibus notis ne una quidem falsò uocato Eupatorio conuenit. Nam hoc in summo tantùm caulis uertice, non in ramulis iuxta folia latos potius corymbos, & umbellis similes, quàm racemos fert. Hydropiperis uerò caulis circa se alarum cauitates, & paruos ramulos habere debet, & non in summitate tantùm, quod optimè mordaci Persicariæ conuenit. Eupatorij etiam semen sensu deprehendi non potest, neque aliquam saporis acrimoniam habet, & demum in pappos resolutum auolat, propterea difficilimè colligi potest. Hydropiperis uerò semen non minorem quàm folia in gustu acrimoniam resipit. Propterea unà cum illis ad Medicinæ usum olim colligebatur, quæ omnia in Persicaria acri euidenter apparent. Constat igitur falsò uocatum Eupatorium Hydropiperis historiæ minimè conuenire, Persicariam uerò, quæ maculis purpureis caret, per omnia respondere: quamuis sola foliorum similitudo à longo quo petatur. Sed sine dubio ipse Dioscorides hanc foliorum comparationem largo modo intelligi uoluit. Non tamdiu in hac una herba immoratus fuissem, si Ruellius suum de Hydropipere iudicium tantoperè non probauisset, & alios, qui hoc uerum esse inficiarentur, ueritatis cæcos non appellasset. Porrò in Piperitide & Siliquastro iudicando, similiter errat Ruellius. Non enim est herba siue Mentha diuæ Mariæ. Verùm hunc errorem huius loci non est confutare, quoniam in Dioscoridis libros annotationes, et non in Ruellij errores reprehensiones scribimus.

Plinius de Hydopipere nihil scripsit. De Piperitide aũt siue Siliquastro, non pauca. Differt enim plurimùm à Piperitide Hydropiper. Quapropter utranq; plantam (ne ab aliquo confundi possint) suo nomine indicabo.

Hydropiper est, de qua iam disputauimus, Persicaria, cuius folia & racemosum semen acrem Piperis saporem habent. Piperitis uerò sine dubio ea est herba, quæ in Italia & Germania fictilibus uasculis seritur, caule circa alas rubro, foliis laurinis, flore candido, & post hunc semine in oblongis uasculis ceu siliquis (unde Siliquastrum etiam appellatum est) albo & tenui. Itali eam Piper Hispanum uocant, Germani Schotenpfeffer/ideſt, Siliquaceum Piper, ut sic interpreter.

PTARMICA. Ca. CLIII.

PTarmice à sternutamentis, quæ olfacta prouocat, appellata est. Ruellius eam paruum illud ac syluestre Pyrethrum esse affirmat, quam herbam probè cognitam habeo. Cùm uerò non una tantùm sit quæ reclamet nota, nolo quicquam in hac re affirmare.

RADICVLA, SIVE LANARIA HERba. Caput CLV.

HAnc herbam Græci Struthion, Germani Meysterwürtz/& Astrentz/ Pharmacopolæ uerò corrupto nomine Obstrutium appellant, Quidam etiam Magistrantiam, à Germanis translata appellatione. Ferulacea & umbellifera est herba: & quamuis etiam radicula à Latinis nominetur, longè tamen diuersa est à Raphano, qui similiter Radicula uocatur, ut antea etiam, cùm de Raphano ageremus, indicauimus.

CYCLAMINVS. Cap. CLVI.

Cyclaminus rotundam habet radicem, & ples

A runq; latiusculam, quam Pharmacopolæ eodem adhuc nomine appellant: quamuis etiã ab aliquibus Panis porcinus nominetur, & à Germanis Erdscheiben.

ALTERA CYCLAMINVS. Caput CLVII.

ALtera Cyclaminus in Pharmacopolijs non habetur. Qualis autem sit herba, & quo nomine iam appelletur, ignorare me fãteor. Ruellius eam cognouisse uidetur. Verùm illius decreta cum iudicio legenda esse, suprà monui.

DRACVNCVLVS MAIOR. Cap. CLVIII.

Δρακοντία, siue Ιαπρον, Latinis Dracunculus et Serpentaria uocatur. Hanc magno errore Bistortam esse hactenus credidit tota ferè Medicorum & Pharmacopolarum multitudo. Cùm uerò Bistorta, quam nos Natterwurtz appellamus, frigidum omnino habeat temperamentum, Dracunculus autem calidum uehementer, nullo modo Bistorta Dracunculus esse potest. Veruntamen Dracontia in Italiæ, Galliæ, & Germaniæ locis quibusdam habetur Ari similitudine, cuius etiam species est, ut uetteres omnes tradiderunt.

DRACVNCVLVS MINOR.

B MInor Dracunculus, qualem hîc Dioscorides describit, nescio an cognoscatur. Mihi enim hactenus eum uidere non licuit.

ARVM. Cap. CLIX.

APon Latini Arum, in secunda declinatione uocant. Hodie usus inualuit, ut in tertia Aron Aronis, flectamus. Est autem herba ubiq; pingui solo in umbrosis & antiquis syluis nascens, quam Germani pariter Græcis, Aron / Pfaffenbindt / & Teutschen Jngwer uocant: Vulgares etiam Herbarij pedem Vituli, propter foliorum similitudinem, dicunt.

ARISARVM. Ca. CLX.

ARisaron ab Aro & Isaro id est, Dracunculo nomen inuenit. Figura enim Aro, & temperamento Dracunculo simile describitur. Hodie incognita est herba. Dicitur etiam Aris, diminutiua forma, quoniam Aro minor sit.

ASPHODELVS. Ca. CLXI.

MAgnus in Asphodelo error commissus est hactenus. Vbiq; enim pro eo syluestre Lilium, quod Hemerocallen Græci, & Germani Goldtwurtz appellant, accipiunt Pharmacopolæ. Verus tamen Asphodelus in quibusdam Italiæ locis habetur. Sumq; radices eius Pæoniæ radicibus similes, ut Autores scribunt, & nos etiam uidimus. Hemerocalis uerò radix, quæ iam pro Asphodelo in usu est, Lilij radicis, & minimè Pæoniæ similitudinem habet. C

BVLBVS VOMITORIVS. Cap. CLXII.

QValis herba uomitorius sit Bulbus, hodie non quiuis dixerit. In quarto libro Narcissus etiam hoc nomine appellatur.

BVLBVS QVI EDENDO EST. Caput CLXIII.

Βόλβος ἐδώδιμος, quemadmodum olim omnibus cognitus fuit, ita hodie omnibus incognitus est.

SCILLA. Cap. CLXIIII.

ΣΚίλλα Latinis Scilla, Pharmacopolis Squilla uocatur. Cepæ cognata est planta, cuius radices in frequenti sunt usu Medicis.

PANCRATIVM. Cap. CLXV.

Pancration minor Scilla est, quæ hodie rarò ad Medicinæ usum affertur.

CAPPARIS. Ca. CLXVI.

CApparis spinosus frutex est, cuius saliti flores & fructus, eodem nomine appellantur, & cũ assatis carnibus mensæ apponuntur, Germani Kapper uocant. D

LEPIDIVM. Ca. CLXVII.

LEpidium Hiberis etiam uocatur, & falsò à quibusdam diuersæ herbæ creduntur. Quapropter malè in fine primi libri caput de Hiberide legitur. Est enim una eademq; herba, quæ tamen duas species habet. Maius Lepidium laurino, sed maiore constat folio, gustu acri. Hoc Arabibus sitaragi, & Germanis Jngwerskraut uocatur. Minus uerò Lepidium Gauchsblũm.

BATRACHIVM. Ca. CLXVIII.

BAtrachium Latini Ranunculum, Germani Frõschpfeffer / Hanenfũß / & Spiegelblũmen uocant. Plures eius sunt quàm Dioscorides descripsit species. Omnes tamen flammulæ appellationem hodie ueniunt, ob igneam in gustu acrimoniam sic dictæ. Est etiam frutex quidam, qui similiter à quibusdam flammula appellatur, qui ab his diuersus est.

ANEMONE. Cap. CLXIX.

Anemone agresti Papaueri non dissimile est, hodie autem in nullo usu habetur.

ARGEMONE. Cap. CLXX.

A DVplex est Argemone, sed utraq; etiam Papaueri agresti siue Rhœadi similis est. Neutra hodie cognoscitur, quamuis Ienæ copiosissimè proueniat, ea qua à Dioscoride describitur figura. Nomen eius in Agrimoniam detortum est, qua appellatione uerum Eupatorium hodie indicatur: de quo errore in Eupatorio sermonem faciemus.

ANAGALLIS. Ca. CLXXI.

LAtini pariter Græcis Anagallidem uocant. Pharmacopolarum quidam Anagallum, Germani uerò Grundtheyl & Jochheyl. Malè quidam hanc & Auriculam muris confundunt, naturadiuersas herbas.

HEDERA. Ca. CLXXII.

HEdera sine dubio est, muros, turres, & arbores scandens frutex seu arbor, quæ à Germanis Ephew uocatur. Quare sine rationibus & argumentis quidam nos Hederam neq; nouisse, neq; habere contendunt.

CHELIDONIVM MAIVS. Caput CLXXIII.

CHelidonium, non Cælidonium, pronunciandum & scribendum est. Nomen inuenit quòd circa hirundinum aduentum crumpat. Germanicè
B Schelkraut uocatur.

CHELIDONIVM MINVS. Caput CLXXIIII.

MInus Chelidonium eandem etiam ob causam nomen accepit, forma uerò priori dissimile est. Habet aurei splendoris flores, & in foliis purpureas maculas, quas Dioscorides non descripsit. Vergilius uerò diligenter in quarto Georg. depinxit, cùm Amellum florem his carminibus indicat. (Est enim sine dubio eadem herba Chelidonium minus & Amellus.)

Est etiam flos in pratis, cui nomen Amello
Fecere Agricolæ, facilis quærentibus herba.
Nanq; uno ingentem tollit de cespite syluam
Aureus ipse, sed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, uiolæ sublucet purpura nigræ.
Sæpe Deûm nexis ornatæ torquibus aræ,
Asper in ore sapor, tonsis in uallibus illum
Pastores, & curua legunt prope flumina Mellæ.

OTHONNA. Ca. CLXXV.

Othonna quid fuerit, neq; ueteribus constitit, neque nobis. Hodie nomen cum re amissum est. C

MVRIS AVRICVLA. Cap. CLXXVI.

QVædam exemplaria duo capita de Muris auricula habent, quædam etiam unum tantùm, nempe posterius, quo propriè uocata Muris auricula describitur: de hac etiam hoc loco agimus. Nam quæ priori capite describitur, Alsine est, & in quarto statim Helxinem, in quibusdam exemplaribus hoc loco unum tantùm de Muris auricula caput habentibus, sequitur. Vera itaq; Muris auricula Scolopendrio siue Polypodio similia habet folia, minora tamen, quæ singula murium auribus similia sunt, Germani quoq; Meußöhrlen uocant. Est & alia quæ similiter ab omnibus Auricula muris uocatur, etiam Germanis quibusdam & Italis Pilosella, nostrisq; equitibus Nagelkraut. Sed hæc minima quædam Intybi species est, quod ex floris forma, colore & lacteo foliorum liquore facilè colligimus.

ISATIS SATIVA. Caput CLXXVII.

ISatis satiua copiosè in Thuringia ad tingendas uestes seritur. Germani Weydt uocât, Latini Luteam & Glastum. In huius herbæ caulis longitudine uariant exemplaria: quædam enim cubito cum altiorem, quædam uerò duobus proceriorem esse indicant. Prior tamen lectio mihi magis placet. Ea enim D altitudine in pingui etiam solo Isatida nasci uidi.

ISATIS AGRESTIS.

AGrestis Isatis eandem cum satiua formam habet, & ab illa nihil differt, præterquàm quòd non seratur. Germani eam Wilden weydt uocant. Nascitur in spisso & gipsosa solo.

TELEPHIVM. Ca. CLXXVIII.

VIdetur corruptũ esse hoc caput, & dubitatur an hoc loco legi debeat. Nam in quarto eandem herbam aliter describit, in capite Aizoi minoris, quod Telephium diuersum ab hoc esse, secundum hanc descriptionem, necesse est. Ego nullam hactenus herbam uidere potui, quæ huic historiæ conueniret. Quapropter in minoris Aizoi annotatiunculam sermonem de Telephio reijcimus.

*

FINIS II. LIBRI.

IN LIB. TERTIVM.

AGARICVM. Caput I.

AGARICVS *fungi genus est, arboribus adnascens: nomen suum in Pharmacopolijs adhuc retinet, & à Germanis, quoniam plerunq; in Abiete nascatur,* Dannenschwam̃ *uocatur.*

RHA PONTICVM. Caput II.

HAbentur in Pharmacopolijs *duæ radices, quarum unam Rha barbarum, alterã Rha Ponticum uocant. Verùm neutra est ea, quæ hìc à Dioscoride describitur. Nam Rha põticum, quod hodie sic uocant, huic historiæ minimè conuenire potest. Est enim ponderosa & succosa, nec aliquẽ croci ex se colorem remittit. Rha ponticum uerò, quod Dioscorides describit, fungosum & leue est, & croci colorem manducatum remittit. Ergo quilibet uidere potest, nequaquam uerum esse Rha ponticum, quod hodie eo nomine uenditur. Neq; enim in Ponto hoc nascitur, sed in Italia, unde ad nos adfertur. Quid autem sit ea radix, quæ hodie pro Rha pontico in usu est, statim pòst audiemus. Nunc uerò quid* B *Rha ponticum reuera sit, indicandum puto. Omnes Arabes cùm de suo Rha barbaro seu Rauedseni scribunt, Dioscoridis caput de Rha pontico citant. Vnde necessariò sequitur, Dioscoridis Rha ponticum, quod in Ponto nascitur, idem esse cum Rauedseni Arabum. Cùm uerò Rauedseni ualde odoratum esse ipse sensus testetur, & Rha ponticum sine odore, (hoc enim Græcis ἄοσμον significat) à Dioscoride describatur, necesse est diuersa radices esse, nostrum seu Arabum Rha barbarum, & Græcorũ Rha ponticum. Propterea antea à me dictum est, neutram radicem Dioscoridis esse Rha ponticum, quod non simpliciter à quoquã intelligi debet. Nã Rha ponticum, quod in Ponto nascitur, inodorum est: quod uerò in India prouenit, odoratum propter cœli & regionis calorem gignitur. Nam idem genus habent, & eandem formam, Rauedseni & Rha ponticum Græcorum, odore tamen & uirium præstantia Indicum præcellit. Certum igitur est, nostrum Rha barbarum cum Dioscoridis Rha pontico idem esse genere, & tantùm differre natalis loci diuersitate. Propterea minimè errant Arabes, quòd Dioscoridis caput de Rha pontico in recensendo suo Rauedseni adducant. Subscribo itaq; hoc meo de Rha barbaro iudicio Manhardo, qui in Epistolarum lib. 6. Epistola 5. ad Leonicenum scripta, idem quod ego de Rha barbaro iudicat.*

Seritur hodie in plurimis Germaniæ locis herba quædam, quam uerum Rha barbarum esse credunt, quoniam luteum colorem radix eius habet: sed magno errore. Est enim nihil aliud, quàm Lapathi uel Rumicis species, quod quilibet ex radicis, caulis, foliorum, florum & seminum figura & uiribus iudicare potest. Nequaquam enim continuò Rha barbarum erit, etsi luteum colorem radix habeat. Nam uulgaris quoq; Rumex similem colorem in radice ostendit. Propterea superuacuum est, quòd tanta cura eã herbam excolant.

GENTIANA. Caput III.

Γεντιανὴ *à Germanis* Bitterwurtz *& Enciana appellatur. Nota hoc nomine omnibus Pharmacopolis & Medicis radix est. Nascitur copiosissimè in Sueuiæ & Brisgoiæ montibus.*

ARISTOLOCHIA. Cap. IIII.

TRia *sunt Aristolochiæ genera. Longa, rotunda, & altera longa, quæ Aristolochia clematitis uocatur. Hanc hodie simpliciter longam uocamus, cùm tamen prior illa sic appellanda erat, quæ incognita nobis hactenus fuit. Iam uerò ex Italia ad nos rursus affertur. Radicem habet dodrante non multò longiorem, ut etiam historia indicat. Quæ uerò hodie longa à nobis appellatur, & ueteribus Aristolochia Clematitis, ab hac diuersa penitus est. Longissimam enim & uitis sarmentò similẽ radicem habet, unde apud Græcos nomen inuenit. Germanicè* Osterlucei *uocant.* D

Rotunda Aristolochia radicem rotundam, instar globi, habet: nonnunquam etiam tuberibus inæqualem. Hac etiam caruimus hactenus, & malè eius loco usi sumus ea radice, quam Germani Holwurtz *appellant, quæ nihil habet præter radicis rotunditatem, cur Aristolochia dici possit. Omnes enim Aristolochiæ hederaceo constant folio.* Holwurtz *uerò Rutæ & Fumo terræ folia similia habet. Omnes etiã Aristolochiæ eundem saporem & odorem habent.* Holwurtz *autem ab Aristolochia utrũq; diuersum. Porrò malè in omnibus Dioscoridæ exẽplaribus Clematitis Aristolochiæ folia, minoris Sedi, id est, Vermicularis foliis cõparantur. Etenim cùm longa & rotũda Aristolochia, hederaceis constet foliis, par est etiam tertiam eius speciem eiusdem formæ folia habere, qualia etiam in ea nasci cernimus. Propterea corruptus est hic locus apud Dioscoridem, cùm ait:* φύλλοις ὑποστρογγύλοις ἀσαρίζουσι μικρῷ ἐοικόσι. *& pro* ἀσαρίζουσι, *legendum est* ἀσάρῳ. *Sic proculdubio etiam Dioscorides scripsit, & ipsa rei natura indicat. Μικρῷ uerò expungendum est. Ipse uerborum contextus uidetur à Dioscoridis stylo & loquendi formã in comparationibus plantarum abhorrere;*

Factum

A Factum itaq; est quorũdam diligentia, ut omnes tres ueræ Aristolochiæ differentias habere posſimus. Quid autem sit Holwurtz / quam malè rotundam Aristolochiam uocamus, in Fumi terræ capite indicabimus, ne quicquam relinquere uideamur.

DVLCIS RADIX. Ca. V.

GLycyrrhizam Germani Süßholtz et Süß wurtz appellant. Eadem est cum Scythica, qua comesta aliquot diebus sitim famemq; tolerare Scythas posse, autores tradunt. Plãtatur hæc in Germania etiam ad annonam & uectigal. Plinius erranit, quòd dicit sine dubio inter aculeatas esse Glycyrrhizam, foliisq; eam echinatis describat, id est, aculeatis. Decepit Plinium duorum istorum uocabulorũ similitudo, χίνω & ἐχίνω. Nam facilis est ex uno in alterutrum lapsus. Dioscorides folia Glycyrrhizæ χίνω, id est, Lentisco comparauit. Vidi autem ego Lentisci & Glycyrrhizæ folia: estq; his mira in figura, positu & ordine similitudo. Quapropter monendi sunt Pliniani Lectores, ne hoc loco Plinij potius autoritatem, quàm naturæ ueritatem, & oculatam fidem sequantur.

CENTAVRIVM MAIVS. Caput VI.

INuenit olim utrunq; Centaurium, & à se appellauit, Chiron Centaurus. Hodie uerò quale sit hoc maius Centaurium, omnino incognitum fuit, & ad-
B huc paucissimis, quid reuera sit, notum est. Porrò si huius historiæ quis conferat radicem istam grandẽ, quam hactenus impropriè Rhapponticum uocarunt Pharmacopolæ, haudquaquam ire inficias potest, idem esse eam cum maiore Centaurio. Neq; uerò radix tantùm descriptioni conuenit, conueniunt etiam caulis, folia, flores & semina. Quapropter nõ opus fuisset Antonium Musam hoc negare.

CENTAVRIVM MINVS. Cap. VII.

MInus Centaurium ob amaritudinem Fel terræ etiam à Latinis appellatur: quam appellationem malè ad maius Centaurium transtulit apud Theophrastum Gaza. Non enim amarum gustu percipitur, ut minus. Est autem minus Centaurium ea herba, quam Germani Tausent gulden / & Aurin uocant. Quidam etiam Fiberkraut. In Pharmacopolijs Centaurea appellatur.

CHAMAELEON ALBVS. Cap. VIII.

CHamæleonem quidam eum Carduum esse dicunt, qui à nobis Vihdistel appellatur. Alij etiam Marianum carduum ueluti lacteis maculis in foliis conspersum Chamæleonem uocant. Sed neutra pars probabile quiddam asserit. Nam Chamæleon duplicem habet differentiam. Est enim candidus & niger. Ille nullum omnino caulem habet: hic uerò tantùm dodrantali longitudine. Sed Vihdistel & Ma- C rien distel proceros habet caules, qui interdum supra hominis proceritatem excrescunt. Neq; hac tantùm nota hi Cardui à Chamæleonibus differunt, Carent etiam odoris grauitate, propter quã niger Chamæleon Ozimoides & Cinozolen uocatur. An autem apud nos etiam nascatur albus Chamæleon, non facilè quiuis dixerit. In Italia uerò prouenit, unde allatas radices uidi. Ixia uenenum huius radicibus interdum & in quibusdam locis adnascitur, uisco quo aues capiuntur simile, unde & apud Græcos nomen inuenit. Appellatur etiam ipsa herba Ixine ab hoc uisco, ut apud Theophrastum & Plinium uidere est. Apud Plinium tamen lib. 21. cap. 16. malè Helxine pro Ixine, scriptum inuenitur.

CHAMAELEON NIGER. Caput IX.

CHamæleonem nigrum uulgò ignoramus. Mihi tamen ea cardui species uidetur esse, quæ à Germanis Eberwurtz appellatur: historiæ enim omnes notæ conueniunt, & eosdem habet in curandis malignis ulceribus usus. Sed obijceret quispiam, Nigri Chamæleonis radicem uenenatam esse intra corpus sumptam, ut Galenus ait: radicem uerò, quã nos Eberwurtz nominamus, egregiam uim contra pestem & omnia uenena habere. Nos autem respondemus: Non semper huius Chamæleonis radicem uenenatam esse, neq; in omnibus locis, sed ijs tantùm, quibus uisco simile quiddam, quod Ixiam uocant, in radice producit, quod si non habeat, non est uenenata. Nam albi etiam Chamæleonis radix si sine Ixia sit, intra corpus contra uarios morbos sumitur. Cùm uerò adnatam Ixiam habuerit, uenenata redditur. Sciendum est illud etiam, in nigro Chamæleone Ixiam interdum inueniri, ut Plinius lib. 22. cap. 18. circa finẽ ait, additq; omnium generum Chamæleonis radices scorpionibus aduersari. Quare non sine ratione nos quoq; nigri Chamæleonis radice, quã Eberwurtz uocamus, contra pestem & uenena utimur. Porrò accusare aliquis Plinium posset, quòd nigri etiam Chamæleonis genera uisco ferre dixerit. Verùm cùm uiderim in ea radice, quam Eberwurtz uocamus, Ixiam nasci, Plinium uera dixisse, & Eberwurtz nigrum Chamæleonem esse, probare possum. Itali nigrum hunc Chamæleonem Carlinam uocant.

CROCODILIVM. Cap. X.

CRocodilion nigro Chamæleoni similimũ est, & sæpe legentes fallit. Germani wild Eberwurtz uocant. In Pharmacopolijs hodie nõ habetur.

LABRVM VENERIS. Caput XI.

LAbrum Veneris Græci Dipsacon, Pharmacopolæ Carduum fullonum, Germani Wolffsstrahl / Weber distel / & Weberkarten appellant. Notus est omnibus Carduus, cuius echinatis cap-

A pitibus fullones pannum uellicant & exasperant. Duplicis autem est differentiæ. Quædam enim sponte ubiq; prouenit, quædam etiam in agris seritur, qua fullones utuntur. Non desunt qui hanc cardui speciem Virgam pastoris uocent.

SPINA ALBA. Ca. XII.

Spina alba, de qua hîc agitur, ex Carduorum censu est, & ab Arabibus Bedegbar appellatur. Nõdum tamen inter doctos cõuenit, quo nomine à nobis appelletur. Quamuis Fuchsius Marianum carduum, cuius fõlia lacteis maculis distincta sunt, spinam albam esse certò affirmet. Cùm uerò ueteres hanc albam Spinam simpliciter albo colore descripserint, & non candidis maculis conspersam, quales in Mariano carduo uidemus, nihil affirmo.

ARABICA SPINA. Caput XIII.

De Arabica Spina, quam Arabes Succhaha uocant, non parua etiã inter doctos & Pharmacopolas contentio habetur, quam componere non est nostrum.

SCOLYMVS. Ca. XIIII.

Scolymus non est uulgaris ille & incultus Carduus, purpureum habens florem, sed satiuus ille, quem ueteres Rei rusticæ scriptores simpliciter Carduum uocant, Itali hodie & Galli Artecochum. Pul-
B cher est carduus, cuius fructu siue capite in cibis uescuntur. In Germania nuper etiam seri cœpit, non tamen ad libidinis luxum, ut in Italia & Gallia.

POTERIVM. Ca. XV.

Poterion Cardui species est, quæ hodie non cognoscitur: non, ut quidam putant, arbuscula illa, quæ Germanis Schlehendorn appellatur. Dioscorides Poterion grandem esse fruticem scribit. Schlehendorn uerò frutex non est, quoniam in iustam arboris magnitudinem adolescit, si non præcidatur. Poterion longos, molles, uitilium modo lentos, graciles & hircinæ spinæ similes ramulos producit. Schlehendorn uerò non ramulos à terra mittit, sed crassum, durum, inflexilem, et si flectatur continuò fragilem caudicem erigit. Vidi ego Hircinæ spinæ ramulos, qui graciles mollesq; sunt, ut carduorum & aliarum herbarum ramuli. Sed nihil omnino commune cum hac arbore habebant. Poterion totum multa, tenui, lanosaq; lanugine uestitur. Schlehendorn uerò nulla lanuginis uestigia habet, nisi fortè aliquis in uetustis illius caudicibus muscum & uillosam caniciem lanuginem appellare uelit. Sic autem nequaquam intelligit Dioscorides. Multùm enim differunt Muscus & Lanugo. Muscus etiam in crassis tantùm arborum partibus inuenitur. Poterion uerò totum tam ramulis minimis, quàm maximis lanuginem ostendit. Poterij semen siue fructus odoratus, sed Medicinæ inutilis est. Schlehendorn C uerò inodorum & Medicinæ ualde utilem habet. Postremò Poterio sunt radices neruosæ, quæ in terra sectæ gummi lachrymantur. Schlehendorn uerò ligneas habet radices, quæ in terra sectæ nullum gummi emittunt. Certum igitur est, arborem quam nos Schlehendorn appellamus, Poterion non esse, neq; à Dioscoride describi. At si eam descripsisset, in primo libro, ubi Prunum & alias arbores recenset, quærenda esset, ac minimè inter Carduos in hoc tertio, in quo de radicibus, herbis & seminibus se scripturum in præfatione huius libri pollicitus est.

ACANTHIVM. Ca. XVI.

Acanthion diminutiuum est ab Acantho nomen. Est autem sine dubio Carduus, quem Benedictum uocant, Pharmacopolæ Itali Cardumellum diminuto à Carduo nomine, & Germani pariter Latinis Cardobenedicten/& proprio uocabulo Spinnendistel/quasi araneæ carduum, propterea quòd aranearum telis capita ipsius simili septa sunt lanugine.

ACANTHVS. Ca. XVII.

Ex Carduorum etiam genere Acanthus est. Itali eum Brancam ursinam Romanam uocant. In Germania à quibusdam spectaculi causa in hortis colitur. Differt à uulgo hîc uocata Branca ursina umbellifera herba plurimùm, quæ à Nicandro & Plinio D Bupleuron, & à ueteribus Græcis etiam Buprestis appellatur. Est & Buprestis ex Cantharidum genere, de qua in Secundo dictum est.

SYLVESTRIS ACANTHVS.

Qualis sit syluestris Acanthus, nondum comperi.

ONONIS. Cap. XVIII.

Ononis ab Italis Remora aratri, Resta bouis, & Acutella, à Germanis uerò Hawhechel & Stallkraut appellatur. Longissimas habet radices, quæ boues & aratra in arando remorantur, unde etiam ab Italis nomen inuenit.

LEVCACANTHA. Ca. XIX.

Antea habuimus Carduum, qui duobus discretis nominibus ἄκανθα λευκή appellabatur. Hîc uerò composito ex duobus uocabulis nomine, Λευκάκανθα uocatur. Qualis autem Carduus sit, hodie ignoratur.

TRAGACANTHA. Cap. XX.

Tragacantham Latini Hircispinã uocant, cuius lachryma quæ ex secta manat radice, adhuc in Pharmacopolijs Tragaganthum appellatur. Falluntur aliquot recentiores, qui gummi Arabicum Tragacanthæ lachrymam esse putant.

ERYN-

A

ERYNGIVM. Cap. XXI.

ERyngion, quod hodie quidam Centum capita, & Germani Mallendiſtel uocant, omnium Carduorum pulcherrimum eſt, propter foliorum ſpectabilem formam, & capitulorum poſituram, quæ alibi candida, alibi pallida, & in quibuſdam locis cœrulea ſpectantur. Radices eius in Pharmacopolijs ſiccatæ & zaccharo conditæ ſeruantur.

ALOE. Caput XXII.

ALoë omnibus Pharmacopolis notus eſt ſuccus, cuius frequentiſſimus eſt in Medicina uſus. Affertur autem ex India. Herba ipſa etiam apud nos ſtudioſè in hortis colitur, ea qua à Dioſcoride deſcribitur figura. Quidam Semperuiuam Indicã appellant.

ABSINTHIVM. Ca. XXIII.

ABſinthium Germani Wermût & Elſenn uocant. Multas habet quæ ſtatim inſequuntur differentias. Hoc loco tamen de uulgari & ubiq; naſcenti agitur. Errant qui album Abrotonum Ponticum Abſinthium eſſe dicunt. Errant etiam qui Cupreſſum herbam (quam nos Cypreſſen/Græci Chamæcypariſſum nominant) Seriphium, id eſt, marinum Abſinthium eſſe contendunt.

MARINVM ABSINTHIVM. Caput XXIIII.

B

MArinum Abſinthium à Scripho inſula etiam Seriphium dicitur. Naſcitur maritimis locis, unde nomen inuenit. Pharmacopolæ eius ſemen habent, quod Alexandrinum ſemen uocant, quidam etiam Sanctum ſemen, quod nomen à Santonico deductum eſt. Nam hoc marino Abſinthio ſimile eſt ſemine tantùm exiliore. Naſcitur hoc in Galliæ & Germaniæ quibuſdam locis, & ſemen eius ab Italis Sandonigo, à Pharmacopolis Zinæ ſemen, uel ſemen Sanctum minus appellatur. Germani utrunq; Wurmſamen & Wurmkraut uocant.

ABROTONVM. Ca. XXV.

ABrotonum duplex eſt, ſcilicet nigrum & cãdidum. Illud mas, hoc uerò fœmina intelligitur. Mas apud nos in hortis plantatur, & Germanis Stabwurtz/Gartbrim/Ebreyß/ candidum ſimiliter in hortis ſeritur, ſed interim multis in locis ſpõte gignitur, propterea à nobis Wilde ſtabwurtz/ & Weiſſe ſtabwurtz appellatur. Mas apud nos rarò floret, ob noſtri cœli frigiditatem.

HYSSOPVS. Ca. XXVI.

HYſſopus ſine dubio eſt ea planta, quæ adhuc ab omnibus hoc nomine dicitur: quamuis multis argumentis contendere aliquis poſſet, nos Hyſſopo carere. Sed ea argumenta facilè diluí queunt. Germani Iſop uocant.

STICHAS. Ca. XXVII.

C

STichas in Stichadibus inſulis è regione Maſſiliæ olim ſerebatur, unde & nomen inuenit. Huius loco hodie Arabica Stichade utuntur Pharmacopolæ, quæ omnino eadem eſt, ſed denſiorem ſpicam habet. Porrò omnibus hodie ignotum eſt, quidnam ſit ueteribus illa herba, quam nos Lauendulam maiorem, ſiue Spicam, appellamus. Quidam tamen Nardum Celticam eſſe affirmant: quorum opinionem in Celtica Nardo confutaui. Alij Roriſmarini genus quoddam exiſtimant, inter quos Leonicenus, Manhardus & Parens meus fuerunt. Verùm neq; horum opinioni aſſentiri poſſum, Salua tamen ſemper doctiſſimorum uirorum autoritate, & chari parentis reuerentia. Cùm uerò ab illorum ſententijs omnino receſſerim, meam opinionem de Lauendula iſta, ſeu Spica, ut proferam neceſſe eſt, ne uidear temerè & abſq; ratione à doctiſſimorum uirorum iudicio receſſiſſe. Mihi autem omnino perſuaſi, Spicam iſtam Stichados ſpeciem eſſe. Nam naſcitur & plantatur iiſdem locis, quibus Dioſcorides Stichada naſci ait. Sed leue eſt hoc argumentum. Conſulamus ergo omnes alios ſenſus, qui ſi integri nobis fuerint, nunquam in iudicandis plantis errare & falli poſſumus. Iamdudum itaq; in ea opinione hæſitaui, quòd crederem Spicam iſtam Stichadis ſpeciem eſſe. Nolui tamen quicquam certi pronunciare, antequàm utranque plantam uiuam uidiſſem. Curaui igitur Arabicum Stichada, noſtro orbi peregrinam plantam, mihi afferri, allatumq; ex Narbonenſi Gallia ſemen terræ mandaui, aliquoties & è ſemine prodijt planta ramulis, foliis, odore, ſapore, & ramulorum foliorumq; poſitu Spicæ Lauendulaceæ per omnia ſimilis. Fragrantior tamen eſt Arabica Stichas, quàm Spica. Neq; tamen his notis contentus fui. Animaduerti etiam flores & ſemina in utraq; ſimillima eſſe, quæ utraq; in oblongis ſpicis gerit. Arabicæ tamen Stichadis Spica breuior eſt & denſior, quàm Lauendulæ ſiue Spicæ.

D

Huius etiam generis eſt uulgaris iſta Lauendula, quæ ex maiore illa in eam quam uidemus degenerauit. Porrò Meſue uehementer errat, quòd ſcribit Arabicam Stichada ſemen non habere, cùm illi ſatis manifeſtum & perſpicuum ſit.

ORIGANVM OMNE. Cap. XXVIII.

ORigani multæ ſunt ſpecies, ut Heracleoticum, Onitis, Origanus ſylueſtris, & Hircina origanus. Heracleotica uerò plures adhuc differentias habet, inuenitur q; una eius ſpecies, quæ forma foliorum & capitulorum Maioranam imitatur. Hæc iam ex Creta à quibuſdam allata eſt, odore iucundiſſimo. Omnibus illis ſpeciebus nos in noſtro orbe caremus, ſola ſylueſtri Origano excepta, quæ copioſè in noſtris montibus gignitur, & à nobis

A Toſten & Wolgemůt *appellatur. Hæc iam in Pharmacopolijs habetur.*

PVLEGIVM. Cap. XXX.

NOuerunt omnes Pulegium, quod humentibus locis ſponte gignitur, & à quibuſdam in hortis & perforatis fictilibus plantatur, propter miram germinandi facilitatem. Nam etiam minutim inciſum ſatumq; prouenit & germinat. Germani Poley uocant.

DICTAMNVM. Ca. XXXI.

IAmdudum à doctis deprehenſum eſt, nos uera Dictamno carere, & diuerſiſſimam ab ea radicem in eius locum recepiſſe, quam magno errore Dictamnum nominamus. Conſtat uera Dictamnus Pulegij foliis, noſtra uerò, qua pro Dictamno utimur, Fraxini folia habet, quæ longè à pulegij foliorum ſimilitudine recedunt. Vera Dictamnus etiam foliis Medicinã facit tantum, Radices enim lignoſæ ſunt, propterea rarus illarum uſus fuit. In noſtra uerò ſolæ radices medicamuim habent. Dictamni præterea folia denſa lanugine utrinq; ueſtita ſunt, Noſtræ autem folia omnino glabra cernuntur. Quapropter in Dictamno hac ualde erramus. Ne autem calumnias & conuicia audire cogar, quòd à communi perſuaſione recedam, indicabo ubinam uera ſit Dictamnus: Georgius Agricola primus in Germaniam Dictamnũ
B ueram attulit, cùm ex Italia rediret. Vidit hic uiuam Dictamnum cum Scordio in fictilibus uaſculis Venetias ex Creta allatam. Poſt hunc magnam illius copiam Olingerus Norimbergam à Venetijs aduexit, à quo peritiores etiam Pharmacopolæ emunt. Nunc autem quotannis magnæ eius ſarcinæ ex Creta Venetias, à Venetijs Francofordiam afferuntur. Et tam graphicè ab omnibus deſcriptam hiſtoriã exprimit, ut non poſſit melius. Verùm minimè caule caret, ut Theophraſtus ſcribit. Minimè etiam flore, ut Dioſcorides putat. Habet enim purpureum florem. Quapropter hac in parte potius Vergilio, quàm Theophraſto & Dioſcoridi crediderim, qui caulem et flores purpureos Dictamno tribuit. Sed uenia dignos illos pronuncio, cùm multæ herbæ quibuſdam temporibus & locis neq; caulem neq; flores habeant. Non tamen id à proprietate illis ineſt. Simile in Cynogloſſa Dioſcorides commiſit, quæ quibuſdam locis & temporibus caulem & flores minimè producit, cùm tamen alibi utrunq; producat. Plures ſunt herbæ, quibus neq; caulem, neq; flores, neq; ſemina Dioſcorides eſſe dicit. Ego tamen multis nunc annis hoc obſeruare uolẽs, tale nihil inueni, ſed deprehendi eas herbas, quibus ille caules omnino negat, interdum, ut antea dixi, ſic naſci. Illud tamen animaduerti, uerum eſſe, nullam Filicem Filicíq; cognatam herbã, caules, flores & ſemina ferre. Telipteris autem quamuis caulem ferat, flores tamen & ſemina minimè gignit.

PSEVDODICTAMNVS. C

PSeudodictamnus antedictæ ſimilis deſcribitur, ſed humidioribus locis gignitur. Neceſſe igitur eſt, maiorem priore fieri, quod ad folia & caules attinet. Viribus uerò multò inferior exiſtit. Non affertur hæc. Satius enim eſt nobis priore uti, quæ uiribus hanc ſuperat.

CRETENSIS DICTAMNVS.

NOn apportatur ad nos hoc Dictamni genus. Quidam credunt noſtram Dictamnum illud eſſe. Sed hæc ubiq; naſcitur, propterea non opus fuiſſet, ex Creta eam in Græciam afferri.

SALVIA. Cap. XXXII.

ELeliſphacum Latini Saluiam uocant, Germani Salbey. Optima eſt quæ minora habet folia. Vehementiorem enim ſaporem remittit. Nota omnibus Saluia eſt.

MENTHA SATIVA. Caput XXXIII.

HΔύοσμον ſiue Μινθὴν, Germani Krauſe minty appellant, Saxones uerò Kruſe minthen, Pharmacopolæ Menthã criſpam. Satiua hæc Mentha eſt, & niſi ſæpe trãsferatur, Siſymbrio ſimilis eſt.

MENTASTRVM.

MEntaſtrum agreſtis Mentha eſt. Germanicè Pferdtemintz appellatur. Serpit per terrã D hirſutioribus & grauiùs olentibus foliis, quàm ſatiua Mentha. Sed nemo aquaticam Menthã me intelligere hoc loco credat.

NEPETA. Ca. XXXIIII.

NEpeta tres habet ſpecies. Eſt enim montana, agreſtis, & fruticoſa. Montanam nondum uidi. Agreſtis priuatim à Latinis Nepeta uocatur: quod nomen malè nunc tertiæ ſpeciei, quæ omnium ignauiſſima eſt, tribuitur. Habet uera Nepeta Pulegij ſimilitudinem aliquam, & nobis Katzenminty uocatur. Tertia ſpecies fruticoſa & procera eſt, Germanicè Katzenminty uocatur, quoniam feles ea delectantur. Ob eandem cauſam ab Italis Mentha cattaria dicitur. Græci omnes has ſpecies Calaminthas uocant. Recentiores Pharmacopolæ ueram Nepetam Calamentum & Menthã non odoriferam dicunt, ut diſtinguatur à ſatiua & odorata Mentha. Verùm inepta eſt hæc diſtinctio, cùm Calamenthum etiam ualde odoratum ſit.

THYMVM. Ca. XXXV.

THymus in multis Germaniæ locis in hortis plantatur, & à nobis Tymeyen uocatur. In calidioribus regionibus ſponte gignitur. Is uerò qui in Creta naſcitur, ſpicata habet capitula, & fragrãtiſſimum ſpirat odorem. Nonnunquam etiam ad nos

affertur.

A affertur, & à Pharmacopolis Thymus aromaticus appellatur.

THYMBRA. Ca. XXXVI.

Thymbra syluestris, & satiua est, utraq; Cunila à Latinis dicitur. Satiua uerò satureia tantùm. Hæc à nobis Saturey et Gartenkunel dicitur. Nemo credat, Columellam Thymbram à Satureia diuersam facere herbam, cùm ait: Et Satureia Thymi referens Thymbræq; saporem. Satureiæ enim uocabulo satiuam Cunilam intelligit, Thymbræ uerò syluestrem. Quasi dicat: Satureia quæ Thymbra satiua est, medium habet inter Thymum & syluestrem Thymbram saporem. Syluestris autem Satureia, quæ propriè Thymbra uocatur, & ipsa iã affertur ex Creta pro Poko, sed falso, habetq; circa se cuscutam Epithymi modo, quam Paulus Aegineta, Epithymbrum uocat.

SERPILLVM. Ca. XXXVII.

B Serpillum quoddam satiuum, quoddam etiam syluestre est. Satiuum hodie non temerè cognoscitur. Errant itaq; qui nostrum Pulegium illud esse credunt. Syluestre uerò ubiq; in asperis nascitur, & à nobis Quendelkunel/ & Feldtkunel uocatur. Quidã adeò inertes sunt, ut Feldtkunel & Feldtkümmel eandem rem esse credant: cùm hoc uocabulo Caron agreste, illo uerò Serpillum syluestre Germani intelligant. Porrò magnam similitudinem Cunila cum Serpillo habet. Propterea hos illius etiam nomen sibi apud Germanos adoptauit.

SAMPSYCHVM. Cap. XXXVIII.

Sampsuchus siue Amaracus, Latinis Maiorana, Germanis Meyeran uocatur. Omnibus nota est herba. Illud tamen reticere nolo, Amaraci nomine etiam aliam herbam Galeno, Dioscoridi, & alijs Græcis significari. Nam Galenus libro tertio κατὰ γένη Amaracum non boni odoris esse indicat, propterea eam delicati cuiusdam emplastro miscere nolunt. Quid uerò sit Amaracus, quam eo loco intelligit, postea eodem hoc libro in Parthenio indicabimus.

MELILOTVS. Ca. XXXIX.

Melilotum Latini Sertulam Campanam uocant. Non idem Melilotum omnes Pharmacopolæ habent. Quidam enim humistratam trifolij speciem, quæ luteos habet flores, pro Meliloto accipiunt, sed malè. Neq; recens enim, neq; ficca aliquam odoris bonitatem habet, Melilotum uerò fragrantissimum habere debet, præsertim siccum. Propterea hoc Dioscorides cum Sampsucho inter alias odoratas herbas describit. Ii tamen melius faciunt, qui Steynklee appellatam Loti siue Trifolij speciem, pro Meliloto accipiunt. Odorata enim est ualde, præsertim quæ luteos habet flores, hi siccati meliùs etiã olent.

MARVM. Caput XL. C

Maron olim omnibus nota fuit herba, propterea (ut in re nota fit) forma eius descripta non fuit. Hinc factũ est, ut hodie omnino ignoretur.

ACINOS. Caput XLI.

Acinos nisi Ocimum Cariophyllatum fuerit, quod Germani Krauß basilien uocant, omnino incognita est hoc tempore.

BACCHARIS. Ca. XLII.

Bacchar siue Baccharis, coronaria est herba. Cuius caput in quibusdam exemplaribus malè Azari capiti commixtum est, & ab imperitis additum, ut suprà, cùm de Azaro ageremus, dictũ est. Bacchar uerò quo nomine iam appelletur, ignoratur. Ruellius eam nouisse se putat. Ego uerò qualem ille herbam intelligat, non scio.

RVTA. Caput XLIII.

Rutam Germani Rauten / siue Weinrauten appellant. Omnibus nota est herba. Habet autem suas differentias. Una enim satiua est, de qua nunc agitur. Altera syluestris, odoris & saporis acrimonia satiuam superans. Hanc Arabes Harmel siue Armel uocant: pro cuius semine Cicutæ semen magno periculo hactenus in usu fuit, quem errorem alij ante nos animaduerterunt.

RVTA SYLVESTRIS. Caput XLIIII. D

Parens meus in suo Botanologico ait, nostrum uulgare Hypericum siue Perforatam, Ascyron, id est, alteram Hyperici speciem esse. Antonius Musa uerò negat, & scribit nostram Perforatam omnino eam esse, quæ hoc loco à Dioscoride Ruta syluestris uocetur. Miror autem quomodo in tam peruersum iudicium incidere potuerit, uir ille aliàs acerrimus simplicium censor. Quòd autem hac in re falsum iudicium tulerit, nunc conabimur ostendere, à temperamento Rutæ sumpto initio. Certum est secundum Galeni, et omnium Medicorum sententiam, atq; ipsa experientia comprobat, satiuam Rutam in tertio iam completo excalfacientium ordine siue gradu esse, unde etiam tantam exiccandi uim acquisiuit, ut ipsum genitale semen exiccet. Syluestris uerò Ruta integro gradu in caliditate & siccitate satiuam excellit: quo fit, ut non sine nocumento intra corpus sumatur. Qui igitur hæc probè considerauerit, nullo modo iudicabit Perforatam syluestrem esse Rutam: quippe cùm Perforata in secundo tantùm calfaciendi & siccãdi gradu sit. Vnde perspicuũ est, eam nõdum satiuæ Rutæ, nedum syluestris temperamentum habere. Qui hoc credere noluerit, ipsum Galenũ & certissima iudicia, quæ à gustu & experientia sumuntur, temerè reprehendit. Sed dicent aduersarij,

A & errorum eorum assectores (ut sunt ad calumnias prompti) cœli temperamentum in causa esse, ut Perforata apud nos in calore deficiat. Eos suo gladio iugulabo. Nónne idem cœli temperamentum etiã ipsam Rutã in calore deficere cogere deberet? Nónne Ruta præterquàm quòd satiua est, ex alio etiam orbe ad nos allata fuit, unde necessariò sequeretur eam frigidiorem multo fieri (si cœli ratio tantum in mutandis herbarum uiribus ualeret) & tamen adhuc apud nos calida in tertio gradu existit. Cùm uerò Perforata hic minimè seratur, sed spõte ubiq; prouenat, & omnia sponte genita satiuis acriora sint, etiam in eadem specie, & tamen in calore integri gradus interuallo satiuam rutam non assequatur, minimè uerum esse potest, quòd Musa ait Perforatam rutam syluestrem esse. Cuperem igitur Musam non temerè parentis mei de Perforata iudicium reprehendisse. quamuis eum non nominet, sed tantùm eos reprehendat, qui Perforatã Aseyron esse credant. Cùm uerò hoc ipsum nemo præter patrem meum crediderit, uel scriptis prodiderit unquam, facilè intelligi potest, eum patrem meum reprehendere. Sed immeritò, cùm huius scriptis & inuentis, quibus ille malè utitur, non parum in suo examine adiutus sit. Videamus igitur quid Musæ imposuerit, ut tam ineptam sententiam tulerit. Principiò igtur patri meo inuentum suum inuidit, (sunt enim plerunq; huiusmodi uirtute præditi Italorum ingenia) quod cùm irritũ

B facere conaretur, in fœdum errorem lapsus est ipse, minimè confutata patris mei sententia. Hæc inuidia illius oculis caliginem circumfudit, ne uideret Rutæ syluestris caput deprauatissimum esse in Dioscoride, de quo nunc uerba faciemus. Duplex & diuersa syluestris Rutæ historia hoc capite in quibusdam exemplaribus legitur, ac malè sibijpsi totum caput cohæret. Necesse igtur est unam ex illis notam & adiectitiam esse. Quæ autem illa sit, ipsa ratio et meliorum codicum fides docere potest. Siquidem in principio huius capitis tota Hyperici historia legitur, quæ malè ab imperito quodam huic capiti præposita est. Quilibet enim hoc, qui legere tantùm Græcas literas potest, iudicabit. Nam de uerbo ad uerbum totum Hyperici caput huic loco accreuit. Hæc itaq; est notha & adulterina historia Rutæ syluestris, cui Musa suam Perforatam contulit, non animaducrtens Hyperici descriptionem esse, neque hoc loco in probatis & synceris codicibus legi. Abiecta igitur adulterina hac historia, uera & genuina sequetur, quam ille neglexit. Eam autem Rutæ speciem à quibusdam in Italia seri uidit harum rerum diligentissimus obseruator Georg. Agricola, Medicinæ Doctor, qui aliquot cum fõlijs, floribus & seminibus ramulos secum ex Italia attulit, eos ego diligenter inspexi, & historiæ contuli. Cui postquàm per omnia respondere sunt uisi, ipsa me rei ueritas pronunciarè coegit, ipsos de Ruta syluestri decerptos fuisse. Hæc uerò Ruta omnibus ignota est Pharmacopolis. Porrò amicis hæc scripsimus. Nam si cum Musa congredi necesse foret, ualidiora adhuc allaturi essemus argumenta. Hæc igitur candidis ingenijs sufficiant. C

PANACES HERCVLEVM. Cap. XLVI.

PAnaces Herculeum malè apud Theophrastum Ligusticũ interpretatus est Theodorus Gaza. Sunt enim natura diuersæ, non tamen penitus dissimiles ferulaceæ plantæ, quod ad radicem, caulem & semina attinet fõlia uerò plurimùm discrepant. Ipsa herba apud nos non nascitur sponte, in Italia uerò à quibusdam ostentationis gratia eã seri audio. Ex radice incisa liquor manat, qui opoponax & opoponacum uocatur, cuius adhuc est frequens in medicina usus. Atqui non queo satis admirari præcoces eos et temerarios in demõstrãdis plantis iudices, qui quàm primùm unica tantùm nota & similitudo historiæ siue descriptioni conuenerit, tam facilè plantam aliquam, hoc uel illud esse pronunciant, reclamantibus interim plurimis descriptionis notis. In eorum etiam numero Itali quidam sunt, qui nostrã uulgarem Brancam ursinam Panaces Herculeũ esse putant, nobisq; Germanis semen eius ceu rei exoticæ mittunt, cùm tamen apud nos nihil illa uulgarius ex ferulaceis herbis inueniatur.

PANACES ASCLEPIVM. Caput XLVII. D

Panacis hoc genus ab inuentore suo nomen inuenit. Hodie uerò non cognoscitur.

PANACES CHIRONIVM. Cap. XLVIII.

Inuenit olim Chiron Centaurus, & à se nominauit hoc quod nunc ab omnibus ignoratur Panaces.

LIGVSTICVM. Ca. XLIX.

LIgusticum à Liguria, ubi copiosè nascitur, appellatum est. Galenus Libisticum uocat, Pharmacopolæ Leuisticum, Germani Liebstöckel.

PASTINACA ERRATICA. Caput L.

ERratica Pastinaca à Germanis Wilde möre/ & Vogelsneſt / propter umbellæ figuram, appellatur. Græcis Στᾳφυλῖνος ἄγριος, Pharmacopolis uerò Daucum. Sed omnes autores Daucũ diuersam herbam ab hac syluestri Pastinaca faciũt. Propterea hic scriptor Daucum seorsim etiam descripsit, cuius caput statim sequetur. Sunt igitur diuersæ herbæ, syluestris Pastinaca & Daucus.

SESELI. Caput LI.

SEseleos multæ sunt species, ut Massilienſe, Aethiopicum & Peloponnesiacum. Est etiam Creticum, quod proximè sequitur. Aethiopicum autem &

A & Peloponnesiacum, hodie à nobis non cognoscitur. Solius Massiliensis semen Pharmacopolæ habēt, Sileris montani appellatione, quod nomen à Sile deduxerunt. Nam Seseli ueteres etiam Sili & Seli uocabant. Siler uerò pumile salicis genus quoddam est, in aquosis prouenies.

TORDYLVM, ID EST, CRETICUM Seseli. Caput LII.

Τορδύλους sunt qui Τορδύλιου uocent. Nicander Tordylon, Aegineta Τόργυλου, nisi uitium in exemplaribus sit. Herba hæc qualis ueteribus fuerit, nulli hactenus cognitum est ex recentioribus, qui de simplicibus scripserunt. Ego tamen affirmare ausim, eam esse quæ à Germanis Bertwurtz appellatur, à quibusdam etiam Meu, sed falsò. Parens noster in Botanologico suo herbam, quam Bertwurtz uocamus, Daucum Creticum esse putauit. Semen uerò manifestè historiæ reclamat, quod ille nondum uiderat. Quapropter ab illius sententia libenter recedo, ne charū alioqui patrem pluris quàm ipsam rei ueritatem æstimare uidear. Non enim is sum, qui suos suiq; parentis errores defendat. Econtrà uerò si iniustè ab aduersarijs reprehendatur, me illum defendere uis naturæ iubet.

SISON. Caput LIII.

Sison siue Sinon, exiguum semen est. Hoc tamen nomine à Pharmacopolis non cognoscitur, qui duo semina Amomi appellatione ostendūt. Vnum rotundum & Papauere minus, neq; acre, neq; odoratum, quod Botryos semen est. Alterum uerò Apij siue Petroselini semen figura & quantitate æmulatur, colore nigrum, cùm tunditur odoratum, & in gustu aromatica acrimonia linguā pungens (ut ferè omnia in umbellis genita semina.) Posterius hoc sine dubio est illud semen, quod Dioscorides alijq; ueteres Sison siue Sinona appellarunt. Recētiores Medici, qui barbaro illo seculo uixerunt, & Pharmacorum compositiones in luminaribus suis, ut uocant, conscripserunt, malè Petroselinum Olusatrum (quod illi corruptè Olixatrum uocant) & Sinon (quod Sinonum appellant) idem esse putant.

B

ANISVM. Ca. LIIII.

Anisum omnibus notum est semen, quod in Pharmacopolijs nomen suum retinet. Quidam etiam Fœniculum Romanum illud appellant, cùm tamen Romæ idem habeant Fœniculum, quod nos. Semine uerò nostro dissimile Fœniculo est. Seritur in Germaniæ multis locis ad uectigal, & à nobis Anis uel Enis appellatur.

CARVM. Ca. LV.

Καρὸν siue Caron, Latini Carum uel Careon, Pharmacopolæ Carui, Germani Wtsenkümel/siue Feldtkümel/uocant. Nascitur in pratis & campestribus pinguibus (non tamen ulignosis,) locis. Semine eius quotidie in cibis utimur. C

ANETHVM. Ca. LVI.

Anethum umbelliferum olus est, Fœniculo simile, latiore tantùm semine. Pharmacopolæ herbā eodem nomine appellant, Germani uerò Till.

CYMINVM SATIVVM. Cap. LVII.

Cyminum sunt qui Cuminum appellant, Pharmacopolæ Cyninum, siue Cyminum Romanū, Germani Kramtkümel.

CYMINVM SYLVESTRE. Caput LVIII.

Dvplex syluestris Cymini genus hoc capite describitur. Vnum satiuo simile semen, sed glumosum ferens, quod Haberkümel à Germanis uocatur, quoniam auenæ modo glumosum sit. Apportatur hoc aliunde cum satiuo in Germaniam. Alterum Nigellæ potius quàm Cymino simile est. Cùm uerò Nigella quoq; à quibusdam Cyminum nigrum uocetur, potuit etiam ad hanc herbam Cymini appellatio trās ferri. Vidimus eam sæpe in agris, & hîc quoq; in Vuitebergensi agro Medicinæ studiosis ostēdimus. Est autēm uera Nigellæ omnino similis foliorum incisuris, florum figura & colore, seminum colore & ōdore: fruticosior tantùm, & semen non uasculo continuo ut Nigella, sed in corniculis pluribus ex uno principio sine flore sursum crescentibus. Hoc Germani Hornkümmel/id est, cornutum Cyminum uocant. Ruellius libro 3. cap. 44. ait, ad alterius syluestris Cymini descriptionem satis accedere uideri herbam, quam sua rura Cornutam (à Corniculis) uocant. Qua in re bene iudicat Ruellius, propterea nequeo non illius iudicium probare. Atq; utinam ubiq; similiter iudicaret. D

AMMI. Ca. LIX.

Ammi Latini Ammium, Pharmacopolæ Ameos nominant. Peregrinum nobis semen est, et interdum eius loco Petroselini semen Materialistæ Pharmacopolis uendunt. Seui aliquoties mihi missum recens Ameos semen, & nostrum cœlum minimè respuit, habetq; mediam inter Apium & satiuum Petroselinum figuram.

CORIANDRVM. Ca. LX.

Κορίαν ἢ Κορίανδρον, Latini Coriandrū, Germani Wandtkentill & Coriander uocant. Nomen inuenit à fœdo odore, quo, cùm uiride adhuc est, Cimices imitatur. Anto. Musa Brasauolus in suo examine scribit in hunc modum: Germani Latinū nomen imitantur, Coriander proferentes, nā apud ipsos non extat. Putans nos non habere proprium nomen, quo Coriandrum appellemus, Cùm tamen Germani nomen illi indiderint, quo indicant Anetho cognatum, et Cimicum odore Coriandrū esse.

Dicit

A Dicit etiam apud nos non extare, manifesto errore, (ne dicam mendacio) Nam pluribus Germaniæ locis ad uectigal ab holitoribus seritur.

HIERACIVM MAIVS. Cap. LXI.

NOn reor Dioscoridem hoc loco inter umbelliferas plantas Hieracium descripsisse. Cùm enim sint Intybaceæ & oleraceæ herbæ, eas in secundo lib. ubi de Lactuca & Intybo agitur, describi oportuit. Est autem Hieracium maius Intybi agrestis species, quæ à Germanis Wilde Sewdistel uocatur.

HIERACEA PARVA.

HIeracea parua à Germanis Pippaw/ Pfaffenblatten / & Sommerdohz uocatur. Coliculum breuem, tenerum, concauum, & glabrum sine ramulis & foliis à terra ex circunstratis foliis erigit, in summo luteum orbiculatum & latum florem sustinēs, qui postquàm in pappos resolutus fuerit, ue stigium reliquit sacrificulorum rasuris simile. Porrò utrunq; Hieracium nomen ab accipitribus accepit, qui eius lacteo liquore oculorum suorum aciem acuere existimantur. Idem etiam de Aquila quidam tradunt. Pharmacopolæ rarò has herbas colligunt.

APIVM SATIVVM. Caput LXII.

B OMnibus cognitum est satiuum Apium, quod Germanis Eppe/ deducto ab Apio nomine, & Merck/ uocatur. Apium etiam sponte in nigro & pingui solo circa pagorum fossas ac riuulos nascitur, satiuo per omnia simile, & idem, præterquàm quòd non colatur. Copiosè autem hoc inter Lypsiam & Merseburgum urbes circa pagos crescit.

PALVSTRE APIVM.

Ἑλεοσέλινον apud Theophrastum Paludapium non indoctè uertit Theodorus Gaza. Qui quāuis Græcus natione esset, primus tamen fuit, qui in Latina lingua Græcarum dictionum compositiones imitari auderet, nec infeliciter Latinam linguam in rerum appellationibus auxisse uidetur. Est autem palustre, siue rusticum Apium, grandis herba, Apio satiuo similis, in palustribus prouenies, quæ à Germanis Wassermerck appellatur. Nullus eius apud nos est in Medicina usus. Cùm tamen eadem omnia quæ satiuum possit.

MONTANVM APIVM.

MOntanum Apium quid sit, hodie omnino ignoratur. Nolo tamen præterire, uehementer errasse interpretem Virg. Marc. quòd capitula huius Apij Papaueris capitibus comparauerit. Ruellius autem Cicutæ capitibus illa similia uertit, & hoc quidem optimè, ut nunc ostendemus. Magna enim est ineptia, umbelliferæ plantæ capitula, id est, ipsas umbellas papauerinis capitibus cōparare, cùm C nulla sit inter utrasq; illas partes proportio uel similitudo. Græci tamen exemplaris culpa est, quòd Verg. Marcell. in uertenda hac nota peccauerit. Nā in illo legitur: Κεφαλίαι μηκωνίῳ παρεμφέρεις, ubi ille μηκωνιώρ Papauer uertit, cùm tamen μηκὸν Papauer, μηκώνῳ uerò ex Papauere expressum succum significet. Quis igitur herbarum partes succo alicui conferret? Verùm abundat in ea dictione μη. syllaba, & simpliciter κωνίῳ legendum, quod est Cicutæ. Et sic etiā uertit Barbarus. Omnes enim Apij species in umbellis flores & semina ferūt, & minimè in papauerinis uasculis. Propterea sine dubio ipse Dioscorides huius montani Apij capitula siue umbellas Cicutæ capitulis cōparauit, quæ etiam umbellas & minimè papauerina uascula fert. Venia dignum Marcellum pronunciarem, si non ipse etiam omnia argumenta, quæ pro nobis sunt, probè sciuisset, & pro sua uersione contra Barbarum Apologiam scripsisset, in huius capitis Commentario.

PETROSELINVM.

QVamuis Petroselinon quoq; similiter in mōtibus ut Oreoselinum nascatur, tamen diuersæ sunt herbæ. Petroselinum enim non tantùm in montibus gignitur sed præruptis illorum petris, unde nomen inuenit. In Macedonia optimum nascitur, unde Macedonicum etiam appellatur. Ostendunt eodem nomine grande & nigrū quoddam semen Pharmacopolæ, quod Ruellius etiā uerum Macedonicum Petroselinum esse credit, lib. 3. cap. 47. Cùm uerò Petroselini semen Ammio candido & minimo semini comparetur, nequaquam uulgo uocati Petroselini Macedonici semen, uerùm Petroselinum esse potest. Hoc enim nigrum & grande est. Quod autem hoc semen Petroselinum Macedonicum non rectè uocetur, eorum culpa est, qui in suis luminaribus docent, Petroselinum Macedonicum & Olusatrum, siue Olixatrum, (ut illi pronunciant) idem esse: sed magna errore. Habet enim Olusatrum proprium & à Petroselino diuersum genus, eiusq; semen est, quod falsò Macedonicum uocatur Petroselinum, ut sequentū cap. indicabimus. Porrò uero Macedonico caremus. Quod uerò eodem nomine apud nos in hortis seritur, illius speciem cultura mansuefactam esse minimè inficias eo. Hoc à nobis peterſilien appellatur.

OLVSATRVM.

HIpposelinum Theodorus Gaza apud Theophrastum Equapium uertit, propter magnitudinem sic à Græcis uocatum. Est autem Olusatrū sine dubio ea Apij species, cuius semen hodie in Pharmacopolijs Petroselinum Macedonicum appellant. Omnes enim notæ descriptioni conueniunt. Idem etiam Musa sentit, nec refert, an ille à seipso hoc inuenerit, uel ab alio didicerit, modò rem ipsam cognoscamus.

A ſcamus. Ruellius Oluſatrum non cognouit, cùm huius ſemen antea Petroſelinum eſſe dixerit.

SMYRNIVM. Cap. LXIII.

SMyrnion à Myrrha nomen habet, quoniam radicis lachryma & ſemen Myrrhæ aliquem odorem & ſaporem habeant. Hanc herbam pater Angelicam eſſe dixit, non uulgarem tamen, ſed quæ in Pomerania & Briſgoia naſcitur, nigra foris radice: & hac in re dubium non eſt. Ruellius non ſciuit, Smyrnium hodie Angelicam uocari, alioqui non affirmaret, Angelicam Laſerpitium Gallicum eſſe. Inuenit enim in quibuſdam artis ueterinariæ compoſitionibus Laſerpitium Gallicum requiri. Poſtquàm igitur ſatiuam Angelicam in Gallia uidiſſet, ſtatim, (ſed temerè) iudicauit, eam Laſerpitium Gallicum eſſe. Cùm uerò à nullo unquam probato autore aliqua Laſerpitij ſpecies in Gallia naſci ſcribatur, nec eius hiſtoria à quoquam ponatur, uana hæc eſt coniectura, qua patriã ſuam celebrare conatur, ut ſimiliter Laſerpiciferæ appellentur Galliæ, quemadmodum Cyrenæ, quas Catullus Laſerpiciferas carmine ſuo appellat. Sed eſto (quod non eſt) Angelica Laſerpitium Gallicum uocetur, tamen etiam Smyrnium eſſe poteſt. Quapropter ipſe Ruellius Smyrnũ quoq; non cognouit, quamuis herbam uiderit. Ille Smyrnium eam eſſe herbam dicit, quæ Gallis Leuechia, ſiue Leueche, ſiue Leueſchæ, ut in Indice legitur, appellatur. Cùm uerò ego compertum habeam,
B Leueſchæ à Leuiſtico deductum & corruptum uocabulũ eſſe, & ſic Gallos ſatiuum Liguſticum appellare, minimè uerũ eſt quòd ſcribit, Leuechæ Smyrnium Gallis uocari. Porrò uerum Smyrnium, id eſt, Angelica, à Germanis Heilig geyſt wurtz/ Bruſtwurtz/ & Angelick uocatur: quibus nominibus ea eſt intelligenda, quæ ex Pomerania & Briſgoia affertur radice nigra. Nam aliud etiam genus ubiq; in uligniſis circa paludes & profluentes, & in humidis petris prouenit, quod multis notis à priore diſcerni poteſt.

ELAPHOBOSCVM. Ca. LXIIII.

Ad Elaphoboſci deſcriptionem ſatis accedere uidetur herba, quæ Germanis Girſchke appellatur.

FOENICVLVM. Cap. LXV.

Marathrum Germani Fenchel appellant. Notũ omnibus eſt, ferulaceam & umbelliferam herbam eſſe Fœniculum.

HIPPOMARATHRVM. Cap. LXVI.

HIppomarathrum grande & ſyluestre eſt Fœniculi. Deſcribitur & alia ſyluestris Fœniculi ſpecies, ſed utraq; hodie ignoratur, quamuis Ruellius ſibi Hippomarathrum cognitũ eſſe uideatur.

DAVCVM. Ca. LXVII.

Hic Daucus à ſyluestri Paſtinaca plurimùm differt, habetq; multas ſpecies. Omnium uerò maxima C
Paſtinaca Gallica à Plinio uocatur, cui aliæ ſimiles ſunt, ſed multò minores. Omnes hæ in Germania Pimpinellæ uocãtur, uulgo Bibenelle, quarum radices & ſemina ualde acrem habens ſaporem. Itali, inter quos etiam Muſa eſt, aliam herbam Pimpinellam uocant, eam ſcilicet quam nos Blůtströpfflin appellamus: cuius duæ ſunt ſpecies. Vna purpureo, altera pallido, cùm floret, capitulo. Hæc in æditis et aſperis naſcitur, illa in pinguibus & lutoſis pratis: utraq; Italis ad cibos expetitur, habetq; Dauco, id eſt, Pimpinellæ noſtræ ſimilia folia, minimè tamen umbellas. Temperamento uerò contrario conſtat, uulnera capitis mira efficacia ſanat, quas uires uulgares Herbarij magno errore noſtræ Pimpinellæ tribuũt. Porrò minimè eſt negandum, quòd etiam Paſtinaca ſyluestris à ueteribus, & ab hoc ipſo autore interdum Daucus uocetur. Propterea non meritò aliquis Pharmacopolas reprehendet, quòd Paſtinacam ſyluestrẽ Daucum nominent.

DELPHINIVM. Ca. LXVIII.

SVſpicor Dioſcoridem nullum Delphinium, præſertim hoc loco, deſcripſiſſe. Neq; enim Galenus, neq; Aegineta huius mentionem in ſimplicium cenſu faciunt, cùm tamen aliàs de omnibus quæ in Dioſco. deſcribuntur ſimplicibus, ipſi quoq; agant. Neq; hoc caput in antiquis codicibus legitur, neq; hoc loco inter umbelliferas herbas ſiliquas ferens deſcribi de- D
buit. Eſt enim hoc contra autoris huius inſtitutum & ordinem. Non tamen nego fuiſſe Delphinij appellationem ueteribus herbã, ſed à Dioſcoride non depictam.

PYRETHRVM. Ca. LXIX.

PYrethrum Latini etiam Saliuarem appellarunt. Radices eius in Pharmacopolijs habentur eodẽ nomine. Seritur in Germaniæ multis locis ad uectigal, & à nobis Græco uocabulo corrupto Perthrã/ proprijs uerò nominibus Geneurwurtz/ ſiue Geferwurtz/ id eſt, guſtu feruida, & Saliuaris uocatur. Ruellius malè folia eius Gallicæ Paſtinacæ cõparauit, cùm tamen Dioſcorides ſimpliciter ea ſyluestrẽ Dauco comparauerit. Hoc autem loco per ſyluestrẽ Daucum Paſtinacam ſyluestrem intelligit. Nã huic ſimilia folia Pyrethrũ habere ipſe inſpexi. Gallica uerò Paſtinaca ualdè lata habet, & Pyrethro diſſimilè ma folia. Atqui Ruellius malè Gallicam Paſtinacam idem cum ſyluestri Paſtinaca, ſiue Carota eſſe putat. Quamuis autem Gallus fuerit Ruellius, minimè tamẽ Gallicam Paſtinacam cognouit, neq; ipſum Pyrethrum naſci uidit: quod ex Plinio & illius uerbis facilè demonſtrare poſſem.

LIBANOTIS. Cap. LXX.

LIbanotidis ſpecies, quæ hoc loco deſcribuntur, nobis hodie omnino incognitæ ſunt, & plurimùm differunt à noſtro uulgari Roſmarino. Quidã tamen putant noſtratem Roſmarinum hanc ueram

A Libanotida esse, sed apud nos degenerare. Verùm hi toto cœlo aberrant. Sunt enim diuersissimæ plantæ. Illæ enim, de quibus hìc agitur, umbelliferæ & Fœniculo similes sunt: quæ similitudo nullam habet cũ nostrate Rosmarino proportionem. Nam quoties degenerant plantæ, minores aut maiores, aut debiliores euadunt, seruata semper eadem proportione. Hanc autem Libanotida in Theriacis suis intelligit Nicander, & minimè nostratem, quæ proprium ab illo genus habet, ut proximo Capite sequetur.

LIBANOTIS CORONARIA. Caput LXXI.

QVæ hoc loco describitur coronaria Libanotis, à Romanis & Germanis Rosmarinus uocatur: & hæc est quæ ubiq; ad coronas plantatur, habetq; diuersum genus à priore. In Italia & quibusdam Galliæ tractibus copiosè nascitur sponte, apud nos uerò satiua est tantùm.

SPONDYLIVM. Cap. LXXII.

SPondylium Latini Verticillarẽ uocãt. Hodie nobis incognita est planta. Ruellius eã cognouisse uidetur, ait enim à Gallis Panacum syluestrem uocari. Videndũ igitur est, quámnam ille herbã intelligat.

FERVLA. Ca. LXXIII.

NΑρθηξ Latinis Ferula appellatur. Grandis hæc est & Fœniculo similis planta, Pharmacopolis hodie incognita. In Italia sponte quibusdam
B locis prouenit. In Germania uerò à paucissimis seritur ostentationis gratia. Omnes umbelliferæ plantæ ab hac ferulaceæ dicuntur, ceu Fœniculum, Peucedanum, Anethum, &c.

PEVCEDANVM. Ca. LXXIIII.

ΠΕυκέδανος Latinis Peucedanum, Germanis Harstrangk uocatur. Notum est Medicis & Pharmacopolis Peucedanum.

NIGELLA. Ca. LXXV.

ΜΕλάνθιον Latini Nigellam, Germani Schwartzen Kümmel appellant. Errant uehementer, qui in segetibus lõgis hirsutisq; fõlijs, & rubente flore nascentem herbam Nigellam uocant, quæ à nobis Raden appellatur.

LASERPITIVM. Ca. LXXVI.

ΣΙλφιον Latini Laserpitium, Pharmacopolæ Asam fœtidam, Arabes Aniuden, Germani Teufelsdreck appellant. Multi opinantur (inter quos etiam pater meus fuit) Asam fœtidam minimè esse Silphij liquorem, solo odore rem æstimantes. Verùm ij falluntur. Differt enim secundum regionis diuersitatem Silphium. Optimum est Cyrenaicum, quo hodie caremus. Quod uerò nos habemus, ex Media & Syria affertur, cui Dioscorides uirosum odorem tribuit, quem in Asa fœtida apertè sentimus. Certũ igitur est, nos eam saltem Silphij speciem habere. Illi autem uehementer errant, qui Asam dulcem siue Benzoi, uerum Laserpitium esse putant, in quorũ numero etiã est Ruellius, qui Beniuinum pro Benzuinum scripsit, & interpretatur prolẽ Iudææ parentis, cùm tamen Benzoi non in Iudæa nascatur, sed ex India afferatur. Porrò non erit inutile, differentiam ostendere inter Laserpitiũ & Benzoi, ne aliquis ad falsam illorum opinionem inclinet. Certum est Silphij liquorem ex ferulacea & Apio simili plãta manare. Qui uerò Benzoi ex India afferunt, uidisse se dicunt proceram arborẽ, ex qua resinæ modo destillet, quod incolæ Benzoi nominent, ex hoc pinguissimum florem exprimi, quem sibi reseruent, ac potentissimis regibus pro magno dono mittant, oleum Benzuinum uocantes, & quo Dijs suis supplicent. Sedimentum uerò quod superfuerit, sicæ resinæ simile aduenis mercatoribus uendi, et demum ad nos etiam afferri. Ligniũ etiam huius arboris in sacrificijs iucundissimo odore accendi, habericq; in maximo precio & honore.

SAGAPENVM. Ca. LXXVII.

ΣΑγάπηνον Pharmacopolæ corrupto uocabulo Serapinum dicunt. Herbæ ferulaceæ in Media nascentis liquor est.

EVPHORBIVM. Ca. LXXVIII.

EVphorbium acerrimus est liquor, qui cadẽ nomine in Pharmacopolijs uocatur. Nomen uerò ab Euphorbio, Iubæ regis Lybiæ Medico, & fratre Musæ, Augusti Cæsaris Medici, inuenit.

GALBANVM. Ca. LXXIX.

GAlbanum uerum eodem nomine à Pharmacopolis cognoscitur. Et hoc ferulaceæ cuiusdã plantæ, Metopium appellatæ, liquor est.

GVTTA AMMONIACA. Cap. LXXX.

IN Lybia circa Hammonis Iouis delubrum, ex ferulacea planta colligitur Hammoniacus liquor, qui & Hammoniacum Thymiama à Græcis Medicis appellatur. Quidam aũt Interpretes cùm apud Galenum legunt: Ἀμμωνιακὸν θυμίαμα, duas dictiones uirgula distinguunt, diuersas res intelligentes, sed falsò.

SARCOCOLLA. Ca. LXXXI.

SArcocolla notum est in Pharmacopolijs gummi, quod in Persida ex arbore quadam destillat, & in minimos grumulos concrescit.

GLVTINVM. Ca. LXXXII.

GLutinũ siue Gluten, Κόλλα Græcis, Germanis Leim uocatur. Ligna eo conglutinantur, propterea etiam à Græcis Ξυλόκολλα: & quod ex taurino corio excoquitur, Ταυρόκολλα, uocatur.

GLAVCIVM. Cap. LXXXII.

MAlè quidã credunt, Glaucium (Arabes Mamithe uocant) corrupti Papaueris succum esse.

A esse. Nam ex sui generis herba colligitur. Hodie uerò ad nos non amplius affertur.

ICHTHYOCOLLA. Ca. LXXXIIII.

Ichthyocolla à Pharmacopolis colla, siue gluten piscium, à Germanis Hausenblasen uocatur, quòd scilicet piscis illius ex aluo sumpta membrana sit. Vtimur ea in gelandis croccis piscium iusculis. Excoquitur etiam ex membranis illis, quemadmodũ ex boum corijs pulchrum, flauum et translucidũ gluten, Germanis Mundtleim uocatum, quòd eius madefactis in ore fructis chartæ glutinari soleant.

VISCVM. Caput LXXXV.

Ἱξὸς Germanis Vogelleim appellatur. Ex multis arboribus Viscum fit, quales sunt Mixæ fructus, Aquifolia, & ea quã nos Wadich appellamus. Hoc uerò loco Dioscorides Viscum intelligit, quod ex frutice illo fit, qui à Germanis Mistel appellatur, nunquam per se è terra crescente, sed alijs arboribus ceu accidens adnascente. Inuenitur hic fructus in quercu, syluestri mâlo & pyro, salice, betula, corylo, abiete, & nonnunquam etiam in uite.

APARINE. Cap. LXXXVI.

Aparine à quibusdam Lappa etiam uocatur, quòd tota herba cum semine propter asperitatem suam prætereuntium uestibus adhæreat, Ger-
B mani eam Klebekraut nominant.

ALYSSVM. Ca. LXXXVII.

Alysson hic autor, & alij, rotundis folijs descripserũt, Plinius uerò Rubiæ similibus, sed malè. Qualis uerò sit hodie, ignoratur.

ASCLEPIAS. Ca. LXXXVIII.

Asclepias ea est herba, quæ à quibusdam Vincetoxicum, à Germanis Schwalbenwurtz uocatur, quoniam cùm maturuit semen in siliquis, Siliquæ ipsæ dehiscunt, & hirundinibus uolantibus similes fiunt. Eandem ob causam ab aliquibus recentioribus Hirundinaria dicitur. Sed alia est Hirundinaria, quæ 2. libro Chelidonium uocatur.

COLVS RVSTICA. Cap. LXXXIX.

Ἀγροαυλὶς, Cnici, quem hodie Cartamum uocant, agrestior quædam species est, quæ hodie non temerè à quouis cognoscitur.

POLYCNEMVM. Caput XC.

Polycnemon qualis sit, hodie omnino ignoratur. Nomen à multis suris siue internodijs inuenit.

CLINOPODIVM. Caput XCI.

Clinopodium Germanis Werbeldost appellatur, multos habet, ut Marrubium, circa caules uerticillos, lectorum rotundis pedibus similes, à quibus Græci & Germani nomen illi indidere.

LEONTOPODIVM. Ca. XCII. C

Leontopodium omnino est incognita hoc tempore planta.

TEVCRION. Caput XCIII.

Teucrium à Germanis Kummertrost uocatur. Huius etiam species est, quæ hodie dicitur & nobis pro Chamædry in usu Germaniæ Pharmacopolis habetur.

TRIXAGO. Ca. XCIIII.

Ἀμαίδρυς Germanicè Erdeiche uocatur. Non cognoscitur hæc à Germaniæ Pharmacopolis. Eius tamen loco Teucrij speciem habent, quam omnes etiam uulgares Herbarij Chamædryos appellatione indicant. Differunt autem plurimùm inter se. Hæc enim ubiq; in campestribus nascitur, coruleo flore, & minimo semine in compressis pericarpijs clauso. Sed uera Chamædrys asperis & caluis exit montibus, flore purpureo, & semine nigro et rotundo in denticulatis caliculis, Hyoscyami uasculis similibus, multò tamen minoribus. Affertur iam ex Italia & Creta ad nos. Ego autem maximam eius copiam in Germania Ihenæ inueni. Brunfelsius eam in tertio Tomo sub Chamæpyteos nomine depinxit.

LEVCAS. Cap. XCV.

Leucadis Nicander etiam meminit. Quo uerò nomine nunc appelletur, nulli cognitum est.

LYCHNIS CORONARIA ET AGRESTIS. Ca. XCVI. D

Vtraq; Lychnis hodie incognita est. Ruellius tamen eam cognouisse uidetur.

LILIVM. Cap. XCVII.

Multæ sunt Liliorum differentiæ. Hoc tamen loco candida Lilia intelligenda sunt, quæ nobis Lilien uocantur.

BALLOTE. Ca. XCVIII.

Ballote Latinis nigrum, siue cantherinum Marrubium, & Vlceraria, Germanis Schwartzer Andorn uocatur.

APIASTRVM. Ca. XCIX.

Dvplex est Apiastrum. Vnum sic appellatur, quòd Apio simile sit. Hoc alio nomine Ranũculus uocatur, & in Sardinia uenenatum est. Alterũ ab Apibus Apiastrum uocatur, quæ hac herba delectantur. Melissophyllon hoc à Græcis uocatur. Plinius hanc distinctionem non cognouit, ut lib. 20. cap. 11. uidere est. Vbi dicit: Apiastrum Higinus quidã Melissophyllon appellat, sed in confessa damnatione est uenenatum in Sardinia. Apiastrum uerò, id est, Melissophyllon, quod Higinus intelligit, nequaquam est uenenatum. Pharmacopolæ hanc herbam Melissam, Germani Bienenkraut dicunt.

MARRVBIVM. Cap. C.

A Prasion Latini Marrubium, Germani Andorn & Gots vergiß uocant. Nota est omnibus herba.

STACHYS. Cap. CI.

STachys spicata herba est, & Marrubio similis, candidior tamen, & ob eam causam Germanis Weisser Andorn/ & Stein Andorn uocatur.

PHYLLITIS. Ca. CII.

OMnibus persuasum, & Pharmacopolarum animis altiùs infixum est, Scolopendrion esse Linguam ceruinam, quæ Germanis Hirschzung uocatur. Cùm uerò Scolopendrium Polipodij modo incisis foliis describatur ab omnibus, Lingua ceruina uerò nullas omnino incisuras habeat, necesse est differre plurimùm Scolopendrium & Linguam ceruinam. Quid autem reuera Lingua ceruina sit, hoc loco indicabimus. Posthac etiam quid uerum Scolopendrium sit, indicaturi. Lingua ceruina igitur sine dubio est, quæ hìc describitur, Phyllitis, tam graphicè omnes notæ descriptioni conueniunt.

PHALANGIVM. Cap. CIII.

Phalangium hoc nomine omnino hodie ignoratur.

TRIFOLIVM. Ca. CIIII.

MVltæ sunt Trifolij species in campis & pratis nascentes. Hoc autem loco diuersum ab illis Trifolij genus intelligit Dioscorides, quod primum Oxitriphyllon & Asphaltion ab odore uocatur. B Quale autem Trifolium hoc sit, nondum compertum est.

POLIVM. Caput CV.

DVplex est montani Polij genus, sed neutrum Pharmacopolis in Germania cognitũ. Quod enim hi Polium uocant, asperis locis exit, Serpyllo syluestri simile, deinceps per ramulos nascente semine, non iniucundè uiride hoc olet: siccatum uerò nullum habet odorem, hyeme etiam perit. Sed uerum Polium altis & caluis exit montibus, in summis ramulis corymbi figura capitula, & in his semina ferens. Viride & siccum suauiter olet, & hyeme tota uiret. Sic describitur Polium à ueteribus. Huius minor species ex Creta, Lugduno, & Massilia, Galliæ urbibus ad paucos nostrates Pharmacopolas affertur. Maius uerò in Germania copiosè nascitur, præsertim Ihenæ, & ab incolis Wilder Rosmarin uocatur, impropriè tamen.

SCORDIVM. Ca. CVI.

SCordion hæc herba appellatur, quòd odore tantùm Allium imitetur. Forma enim omnino Allij dissimilis est. Pharmacopolæ magno errore syluestre Allium Scordium appellant. Veruntamen Scordium in Germania multis locis nascitur, ut Rundenbergi, Peynæ in Brunsuicensi Saxonia, ut in Cheruscorum agris, necnon Vuittenbergæ. Herba est Chamædry similis, odore Allij, nascitur palustribus locis, unde etiam Romanis palustris Trixago appellata est. Germanicum nomen nondum audire licuit. Scordium quod in Creta, Italia & Gallia nascitur, eandem habet cum nostrate figuram. C

TVSSILAGO. Cap. CVII.

BHχιον καὶ χαμαιλδυκὴ, sive χαμαίεγερος, Latinis Tussilago, Farfarella, Farfarago, & Vngula caballina, Germanis Hüfflattich et Brandtlattich appellatur.

ARTEMISIA. Cap. CVIII.

ARtemisiæ duo cognouimus genera, Alterũ rubente, & alterum candicante caule. Pharmacopolæ eodem utrunq; adhuc nomine appellant. Germani Muggart & Beifüß.

TENVIFOLIA ARTEMISIA.

Huius Artemisiæ caput genuinũ non uidetur, quoniã antea etiã tenuioris Artemisiæ mentionem fecit. Præterea in antiquis exemplaribus nusquã legitur.

AMBROSIA. Ca. CIX.

AMbrosiam recentiores Tanacetum, id est, Reinfar esse putant, quidam etiã Hirschwurtz: Sed utrunq; falsum est. Nam Ambrosia Artemisiæ speciebus annumeratur. Hodie uerò non cognoscitur.

BOTRYS, HERBA. Ca. CX.

ET hæc Botrys altera Ambrosiæ species est, cuius semen ab aliquibus Pharmacopolis Amomum uocatur. Seritur à paucis in Germania. Herba est admodum odorata, & ab holitoribus, qui eam serunt, Türckischer Beifüß uocatur. Nomen à copioso semine illi Græci indiderunt, quod in racemulis paruis circa totos ramulos nascitur. D

GERANIVM. Ca. CXI.

GEranium siue Gruina, Germanicè Kranchschnäbel & Storckenschnabel uocatur, quoniam semina gruinis rostris similia ferat. Habet hæc herba aliquot differentias, quæ à foliorũ & florum diuersitate cognoscuntur.

TOMENTVM, SIVE CENTVNculus. Caput CXII.

Τυαφάλιον Latini Centunculum & Albinum, Germani Rhürkraut appellant, mollis est & lanuginosa herba, qua pauperes olim culcitras farciebãt. Vnde à Græcis & Latinis nomen inuenit.

TYPHA. Caput CXIII.

TYpha palustris siue lacustris est planta, quæ à Germanis Kolben/ siue Narrenkolben uocatur, florem in summo densum, copiosum & clauæ similem habens.

CIRCAEA. Ca. CXIIII.

Circæa quo nomine iam appelletur, omninò incognitum est.

CENAN-

A

OENANTHE. Ca. CXV.

OEnanthen Theodorus Gaza uitis florem apud Theophrastum interpretatus est. Satis huic descriptioni respõdet herba, quæ Filipendula iam uocatur, quòd glandibus similes radices à longis & tenuibus fibris ceu filis pendeant. Germani proprio uocabulo Erdeycheln / quasi terrestrem glandem, à radicum similitudine, appellant. Videndum tamen est, ne cum hac Chamædryn confundamus, quæ nobis Erdeyche / id est, terrestris Quercus uocatur.

CONYZA. Caput CXVI.

COnfundit Plinius cum Origano & Cunila Conyzam, diuersas natura plantas, quas hîc Dioscorides & alij ueteres seorsim diuersis etiam capitibus descripserunt. Nihil enim commune inter se habent. Sunt autem plures Conyzæ species, quæ magnitudine, natali solo, & odoris grauitate dignosci possunt. Germani generali uocabulo omnes eius species Hundsaugen uocant.

HEMEROCALLIS. Ca. CXVII.

HEmerocallis syluestre Lilium est, quod Germani Goldtpoln / siue Goldtwurtz appellant. Pharmacopolæ uerò Asphodelum, sed falsò, ut antea dictum est, cùm de Asphodelo sermonem haberemus.

VIOLAE. Cap. CXVIII.

B Ἀσπάσιον Romani Violam albam, Arabes Cheiri, Germani Gelbe violen uocant. Inueniuntur albo, luteo, cæruleo & purpureo colore. Ad Medicinam tamen utilissimæ sunt luteæ.

CRATAEOGONVM. Ca. CXIX.

NOn cognoscitur hoc nomine aliqua herba. Est etiam arbor apud ueteres eiusdem nominis. Porrò si quis ea probè intellexerit, quæ proximo capite de Phyllo dicturus sum, manifestum erit Ruellium errare, quòd Theligonon & Arrenogonon Persicariæ species esse scribit.

PHYLLVM, HERBA. Caput CXX.

PHyllon superuacuam habet in hoc autore historiam. Nulla enim per se est herba, quæ propriè Phyllon appelletur. Neq; Dioscorides eius historiam quasi suam posuit, sed ex Crateia Herbario, ut ipse fatetur, descripsit. Non tamen inutile futurum existimo, si quid sit Phyllon indicauero. Theophrastus lib. 9. cap. 19. de historia plantarum, herbam ponit, quæ duas habet species. Vnam appellat Arrenogonon, quod masculinum sexum concipi faciat: alteram θηλύγονον, quòd fœmininus sexus ea pota concipiatur. Ex quibus constat, hanc Theophrasti herbam cum Dioscoridis Arrenogono & Theligono, (quas etiam Phyllon uocat) eandem esse. Descriptio enim, nomen, et attributæ uires conueniunt. Quoniã uerò antè dixi, Phyllon non habere proprium genus, C & tamen est herba quæ Arrenogonon uocetur, necesse eam sub alio nomine latere: quod manifestum fiet, si quis Mercurialis historiam & uires ab hoc autore descriptas, cum Theophrasti Arrenogono & Theligono conferat. Sunt enim sine dubio Arrenogonon & Theligonon, Phyllon et Mercurialis, una ea demq; herba, quæ duas habet species, ut suo loco indicabimus. Propterea nemo existimet, Folium, herbã, hoc loco descriptum, diuersum à Mercuriale esse. Deprehensum à nullo hactenus est hoc in Dioscoride uitium. Nemo tamen hanc ob causam minus fidei Dioscoridi habere debet. Non enim ipse proprium Phyllo genus à Mercuriali diuersum constituit, sed hæc ex Herbario Crateia descripsit, ad quem etiam carpsit.

TESTICVLVS. Ca. CXXI.

ὄΡχις Latinis Testiculus, siue Canis testiculus, Germanis Ragwurtz / Standthart / Stendelwurtz / Geylwurtz / & Erdgeyln uocatur. Pharmacopolæ omnes eius species Satyriones nominant, cùm tamen Satyrion diuersum ab Orchi genus habeat.

ALTER TESTICVLVS.

ORchis Serapias priori similis est, maiora tamen folia, & minores testiculos habet. Germani iisdem hanc quibus illam nominibus appellant. Porrò plures hodie Testiculorum species, quàm à ueteribus descriptæ sunt, cognoscimus. D

SATYRIVM, HERBA. Cap. CXXII.

Qualis hæc prima Satyrij species sit, non facilè quis dixerit.

ALTERVM SATYRIVM.

ALterum siue Erythron Satyrion, Germani Rotknabenkraut uocant. Hodie non in secunda Satyrium declinatione, sed Satyrion, in tertia declinant.

ORMINIVM SATIVVM. Caput CXXIII.

ORminij duo sunt genera. Satiuum unum & syluestre unum. Vtrunq; hodie Centũ galli, & malè etiam Gallitricum uocant. Quidam etiã Scarleam, unde Germanicum nomen Scarley deductum est.

HEDYSARVM. Cap. CXXIIII.

Hedysaron siue Pelecinus, quem Latini Securidacam uocant, in nullo usu est, quoniam non cognoscitur.

ONOSMA. Ca. CXXV.

Onosma ex Anchusarum genere est. Hodie uerò quo nomine appelletur, non constat.

A NYMPHAEA. Ca. CXXVI.

NYmphæa ea est herba, quam Arabes Nenuphar, Germani Seekenneken / Seeblůmen/ & Teufelnwurtz uocant. Prior hæc species grandem & candidum florem habet, multis oblõgis fõlijs constantem.

ALTERA NYMPHAEA.

Altera Nymphæa priori omnino fõlijs & fructu similis est. Flore differt, quem luteum & Rosæ similem habet.

ANDROSACES. Ca. CXXVII.

Androsacen parens meus suspicabatur Cuscutam esse, nihil tamen certi pronunciauit, quoniam descriptioni Androsaces nõ per omnia respõderet Cuscuta.

ASPLENVM. Cap. CXXVIII.

ASplenion, siue Asplenon, eadem est cum Scolopendrio. Scolopendrium uerò, ut in Phyllitide dictum fuit, non est Lingua ceruina. Propterea errant omnes, qui adhuc Linguam ceruinam Scolopendrium uocant. Verum autem Scolopendrium Arabes, & quidam Pharmacopolæ Ceterach uocant, Germani Mõsselfahrn/ id est, Scolopendræ similẽ Filicem. Est enim Scolopendrium siue Asplenum, herba ex Filicis genere, Polipodij, et Scolopẽdræ uermis modo utrinq; incisa, habens fõlia ex una parte glabra & uiridia, ex altera flaua & aspera. Quidam
B Germani Scolopendrium etiam Klein Spicant uocant. Dictum itaq; iam est quid sit uerum Scolopendrion, siue Asplenum, & quid etiam sit Lingua ceruina, quæ hactenus falsò Scolopendrium est nominata. Sufficere igitur hæc puto ijs, qui præteriti et barbari seculi erroribus adhæserunt.

HEMIONITIS. Ca. CXXIX.

HEmionitida Theodorus Inulã in Theophrasto uertit, propterea quòd in Theophrasto non Hemionitis, sed ἡμίονον & legitur. Quo autem nomine iam appelletur, nondum constat. Ruellius tamen putat Linguam ceruinam, quæ hodie falsò Scolopendria uocatur, Hemionitida esse, sed antea ostensum à patre meo & me fuit, Ceruinam linguam sine dubio esse Phyllitida, quæ seorsim ab Hemionitide describitur. Illud tamen fateor, me sæpe suspicatum esse, & adhuc suspicari, quòd Hemionitis & Phyllitis una eademq; sit herba. Descriptio enim & uires conueniunt. Quod si fuerit, nemo Ruellium accusare poterit, quòd Hemionitida Linguam ceruinam esse dixerit. Porrò Verg. Marc. maximè errat, quòd Asplenon & Hemionitida eandem esse herbam suspicatur: in quam suspitionem ideo incidit, quòd Asplenon etiam secundum uulgatum errorem Ceruinam linguam esse crediderit. Plinium Teucrium & Hemionion, diuersas natura plantas, confundere, sciant Pliniani lectores.

ANTHYLLIS. Ca. CXXX.

DVæ sunt Anthyllidis species. Vna lẽti, altera C Chamæpity similis: utraq; salso est gustu. Propterea ab Italis Salsolæ appellantur, & stercus passerum. Priorem nondum uidi, Altera uerò quæ Chamæpity similis est (licet malè in quibusdam Dioscoridis exemplaribus Chamædry, scriptum reperiatur) in apricis Herciniæ syluæ locis nascitur, & à Germanis Saltzkraut appellatur, tam manifesto salis sapore, ut etiam ex utraq; usta & non usta Sal excoqui possit, quem salem Alkali uocant Arabes. Propterea neq; Aristotelem, neq; Plinium rectè sensisse constat, quòd scribant omnes sapores præter salsum plantis inesse. Nec enim sola Anthyllis excipitur, cùm aliæ etiam plures huiusmodi inueniantur.

ANTHEMIS. Ca. CXXXI.

ΑΝθεμίς, siue χαμαίμηλον, corrupto nomine Pharmacopolis Camomilla uocatur. Germanicè Camillen/ Hermelen/ & Meydblůmẽ. Prior species, quæ foris candidum, intus lutcum habet florẽ, hodie in omnibus Pharmacopolijs ad usum Medicinæ seruatur.

PARTHENIVM. Ca. CXXXII.

PArthenium hoc à Pharmacopolis Matricaria uocatur, quod Arabum quoq; Interpretes minimè latuit. Galenus hanc herbam Amaracum uocat, ut in Sampsucho dictum est. Propterea magno errore in 6. libro Gal. de Simplicib. Amaracum Maioranam uertit Theodoricus Gerhardus Gaudanus. D
Nam Maioranæ Galenus postea in 8. meminit, sub nomine Sampsychi, & diuersum ei ab Amaraco tementum tribuit. Quinetiam ab hoc autore Parthenium Amaracus dicitur.

BVPHTHALMVM. Caput CXXXIII.

SVnt aliqui qui Buphthalmum & Chrysanthemon eandem herbam esse credant, quibus non uehementer repugnabo. Illud tamen nouisse oportet, plures esse Buphthalmi species: Sunt enim quibusdã candidi simulq; lutei flores, quarum maiorem nos Kãtille/ minorem uerò Hundstille/ & Hundsblůmen appellamus, Pharmacopolæ Cotulam fœtidam. Quædam etiã species omnino luteos flores habet, & his Chrysanthemi nomen Græci indiderunt, Germani uerò, idem significante uocabulo, Goldtblůmen.

PAEONIA, SIVE GLYCYside. Caput CXXXIIII.

INsignis est herba Pæonia, & omnibus cognita: habet tamen duas species sexu distinctas. Fœminam nos habemus, cui radices numerosæ ceu gracilibus Isthmis cohærent. Masculam uerò in Germania haberi nondum comperi, cuius semen aliunde mihi missum terræ mandaui, sed nulla cura mulceri potuit

A tuit ut exiret. Quamuis enim autores scribant ex omnibus seminibus nasci plantas, & Pæonia utraq; insigne semen habeat, nullum tamen audiui, qui ex sato semine germen nasci uidisset, tametsi plures periculum fecerint, atq; ipse etiam sæpius. Oportere igitur adesse certum serendi tempus & modum, quidã uolunt, & illud etiam curari, ne unquã semina, cùm è corniculis eximuntur, digitis attrectentur. Quibus an assentiri debeam, nescio. Quoniam etsi quotannis semen sponte è corniculis in terram excidat, & seipsum serat (ubi magnam Pæoniæ copiam holitores habent) minimè tamen enascitur: quod diligenter ipse animaduerti, & hortulanos huius rei causa interrogaui, qui simile se deprehendisse responderunt. Pæoniam itaq; Germani Peonien & Freysam cosen uocant. Pharmacopolæ Latino siue Græco nomine utuntur.

LITHOSPERMVM. Cap. CXXXV.

Lithospermon Germani Steinsamen & Merhirsen, Pharmacopolæ Milium solis uocant. Nullam herbam usq; adeò admiratus est Plinius, atq; hanc.

PHALARIS. Ca. CXXXVI.

PHalaris Pharmacopolis incognita est herba, nec cuiquam adhuc cõstat, quo nomine iam appelletur. Mihi uerò ante paucos annos semen è Norimberga missum est, à Gallis Milium syluestre uocatum: quod cum seuissem, Phalaris ipsa, quam Dioscorides hoc loco describit, erupit, optimè descriptioni respondent notæ omnes. Germanicum eius nomen ignoro, quoniam apud nos adhuc neq; satiuam, neq; sponte nascentem uidi.

B

RVBIA. Caput CXXXVII.

Ἐρυθρόδανον Theophrastus Ἐρευθέδανον appellat, qui eam longè aliter quàm hic autor describit: quàm bene autem, non uideo. Siquidem nos cum omnibus antiquis & recentioribus Medicis optimè Rubiam cognoscimus, ea qua Dioscorides eã describit figura. Seritur hæc in multis Germaniæ locis ad uectigal. Pharmacopolæ Rubeam tinctorum uocant, Germani Rõten. Ii autem uehementer errant, qui Anchusæ, id est, Buglossæ asperæ siue rubẽtis radices pro Rubia accipiũt, quales nouimultos.

LONCHITIS. Ca. CXXXVIII.

LOnchitis hæc mihi adhuc incognita est. Hodie in Pharmacopolijs habetur nusquam. Ruellius tamen nouisse uidetur. Cùm uerò nesciam qualem ille herbam nigros Capetos Gallicè uocet, eidem assentiri non possum.

ALTERA LONCHITIS.

ALtera Lonchitis sine dubio ea mihi uidetur esse, quæ Germanis Groß Spicant appellatur, Mediam figuram inter Scolopendrium & Polipodium habet. Scabræ sunt foliorum incisuræ. Vnde eam asperam Lonchitida cognominauerunt. C

ALTHAEA. Ca. CXXXIX.

ALthæa syluestris Maluæ genus est, in uiginosis & palustribus locis nascens. Plantatur à quibusdam etiam in hortis. Pharmacopolæ eam eodem & Bismaluæ nomine nouerunt. Latinis Hibiscum olim dicebatur. Germani Eibisch/ Sammetbappeln/ & Stockwurtz appellant.

ALCEA. Caput CXL.

ET hæc syluestris Maluæ species est. Folia profundiùs Verbenæ modo incisa habet, florem uerò & semen ut Althæa. Germani eam Hochleuchten & Sigmarswurtz uocant. Nascitur pleriq; in pratis, quæ fluuij tumescentes attingere possunt, et non procul ab horum ripis. Pharmacopolæ hanc herbam non habent.

CANNABIS SYLVESTRIS. Caput CXLI.

Syluestris Cannabis omnibus nota est. Nullum habet apud nos in Medicina usum.

CANNABIS SATIVA.

SAtiua Cannabis à nullo non cognoscitur. Rarus & huius est in Medicina usus. Malè huius folia Malo similia Verg. Marcellus interpretatus est. In Græco enim textu Μελίᾳ, id est Fraxino, legitur. D

ANAGYRIS. Ca. CXLII.

Anagyris, quæ ob fœtorem suum in prouerbiorũ censu habetur, hodie non temerè à quouis cognoscitur.

CEPAEA HERBA. Caput CXLIII.

Κηπαία quamuis ab hortis nomen habeat, tamen in arenosis littoribus, & nunimè in hortis nascitur. Est autem eadem herba cum Portulaca, præterquàm quòd Cepæa sponte in asperis littoribus nascatur, cùm Portulaca in hortis seratur. Apparet igitur permutasse inuicem nomina sua has herbas. Germani Cepæam Wilde Bozzel uocant.

ALISMA. Ca. CXLIIII.

ALisma siue Damasoniũ, hodie Herbarij corrupto uocabulo Almeam uocant, Germani wilden Wegerich. Hic autor unum tantùm Damasonij genus ponit. Plinius uerò duo. Nos autem plures eius differentias nouimus. Nullus est hodie in Pharmacopolijs Damasonij usus.

ONOBRYCHIS. Ca. CXLV.

Qualis Onobrychis sit herba, hodie omnino ignotum est.

A HYPERICVM. Ca. CXLVI.

TRes sunt reuera Hyperici ſpecies. Prima propriè & ſimpliciter Hypericum uocatur. Altera priuatim ſuo nomine Aſcyron & Aſcyroides nominatur. Tertia etiam peculiari nomine Androſæmon appellatur: quamuis etiam omnes tres ſpecies Androſæmi appellatione ueniant, propterea quòd digitis confricatæ earum comæ & flores, ſanguineo colore ſuccum remittant. Prima igitur ſpecies, quæ priuatim Hypericum dicitur, nondum mihi cognita eſt. In noſtris autem Pharmacopolijs loco eius Aſcyro utimur, quod altera eſt, ut antea indicauimus, Hyperici ſpecies. Demonſtrauimus etiam malè ab aliquo Hyperici caput, ſyluestris Rutæ capiti commixtum eſſe, & quòd Ruta ſyluestris differat à Perforata. Ruellius in tertio de natura ſtirpium libro ca. 74. ſcribit, Dioſcoridem in Hyperico mentione floris digitorum attritu cruentati non meminiſſe. Concederem ego hoc (quoniam ſunt quædam Dioſcoridis exemplaria, quibus ea nota deeſt, quale etiam Verg. Marcellus habuit) niſi in probatis codicibus, ubi de Hyperico agitur, manifestè hæc uerba legerẽtur: Ἀνδρόσαιμον ἔχει μέλινον ὁ πατρικὸς τοῖς φύλλοις ἀμαράκῳ ὁμοίως· ὁ χυλὸς ἐκκρίνει, ὅθεν καὶ ἄνθρωπος ἐπλήθη. Quæ ſic uerti poſſunt: Florem habet luteum, qui digitis attritus ſanguineum ſuccum excernit, unde & Androſæmon, id eſt, Humanus ſanguis appellatur.

B ASCYRON. Ca. CXLVII.

Ἄσκυρον, quod aliqui Aſcyroides uocant, ſecunda eſt Hyperici ſpecies, quam Pharmacopolæ etiam ſimpliciter Hypericon & Perforatam, Germani Hartha w & Sanct Johans Kraut appellant. Folia eius inter lucem & oculos noſtros poſita crebris punctis ceu Perforata uidentur, Vnde etiam Perforatæ nomen inuenit. Hanc herbam Anto. Muſa in ſuo ſimplicium examine Rutam ſyluestrem eſſe contendit, cuius ſententiam antea confutauimus.

ANDROSAEMVM. Caput CXLVIII.

Ἀνδρόσαιμον, quod Διονυσιάδα etiam uocant Græci, in nullo uſu hodie habetur. Herba eſt rubente caule, cuius cortex ita ſtriatur, ut quadrangulum reddat caulem. Ramulos & alas Aſcyro ſimiles, folia tantùm maiora & minores flores quàm C Aſcyron habet. Naſcitur circa profluentes riuulos, & à Germanis Rot harthaw appellatur.

CORIS. Caput CXLIX.

COris à graui & cimicibus ſimili odore nomẽ inuenit. Fruticulus dodrantalis eſt, foliis Ericæ ſimilibus, profert etiam baccas Iuniperi baccis ſimiles, ſed minores, quæ cum foliis attritæ medium inter Iuniperum, Pinum, & Cimices odorem remittũt. Eſtq; hic minimè ingratus. Germani Corin Erdkiuer / quaſi paruam & terreſtrem Thedam appellant, quoniam odore etiam Thedam arborem imitatur. Dioſcorides fructus ſiue baccas eius non deſcripſit, quas tamen urinam & menſes trahere dixit.

CHAMAEPITYS. Caput CL.

CHamæpityn Græci uocant herbam, Pini odorem aliquem habentem, cuius tres ponunt ſpecies, quæ olim omnes à Latinis Aiuga & Ibiga dicebantur. Hodie uerò quid re uera Chamæpitys ſit, nõ omnibus eſt notum: quamuis à parente meo, & quibuſdam alijs ſcriptis ſit proditum. Quidam Pharmacopolæ Chamepeuzen, à Germanis Teitheyde appellatam, Chamæpityn uocant. Quidam eius loco primam Syderitis ſpeciem, quam Germani Ceißkraut appellant, oſtendunt. Et hæc herba etiam à Venetis nobis huc tranſmittitur, cùm tamen ubiq; apud nos in montibus naſcatur. Sunt etiam qui ueram Chamæ- D dryn Chamæpityn uocent. Alij quoq; aliàs herbas eo nomine indicant, ſed omnes illi errant. Nam uera Chamæpitys eſt herba illa, quæ à Pharmacopolis Iua dicitur, quod à patre meo, Muſa & Ruellio ſatis oſtenſum eſt, & nos etiam approbamus, quoniam omnes notæ adamuſim deſcriptioni conueniunt. Doctiores autem & peritiores Pharmacopolæ non inuitis pedibus in eam ſententiam eunt. Contumaces uerò ſic contra nos argumentantur: Si Iua eſt Chamæpityos (nam ita hodie Chamæpitys à Pharmacopolis appellatur) oſtendatur alia Iua. Non intelligentes Iuam proprium & à Chamæpity diuerſum genus non habere. Sed his ſuum relinquendum eſt ingenium, donec aliquando ſponte ueritatem agnoſcant.

FINIS LIBRI III.

IN LIBRVM IIII.

VETONICA. Caput I.



VETONICA, Pharmacopolis Betonicà, Germanis Bethonien uocatur. Nota eſt omnibus herba. Sequitur in quibuſdam exemplaribus aliud Betonicæ caput, uerùm illud non eſt Dioſcoridis, quod ſuperſtitioſa uerba indicant, quibus totum caput conſtat. Neq; etiam in antiquis Scriptoribus legitur. Negandum tamen minimè eſt, aliud quoq; Vetonicæ genus eſſe, quod Aegineta Pulegij ſimilitudine deſcribit. Cuius Galenus etiam lib. 4. de ſanitate tuenda meminit, aitq; eam

Sarxiſagon

A Sarxisagon uocari: de qua in proprio loco dicturi sumus.

BRITANNICA. Cap. II.

CErtum est copiosè nasci in Germania Britannicam, cùm olim uires eius Phrysijs etiam cognitæ fuerint, qui eam Romanis contra Stomacacem demonstrarunt. Quo uerò nomine iam appelletur, non constat, nisi quis Bistortam, seu herbam paralysios eam esse dixerit: quorum neutrũ adhuc neq; affirmo, neq; nego.

LYSIMACHIA. Cap. III.

LYsimachiam Leonicenus Corneolam esse putat, qua tinctores uiridem colorem inficiunt. Huic subscribit Ruellius lib. 3. cap. 78. Quãuis post aliam herbam Lysimachion esse putet, quam Galli Pellibossam uocant. Ego autem nullo modo illis assentiri possum, qui Corneolam Lysimachion esse putant. Quoniam Corneola est fruticosa herba, quæ à Germanis Gilbekraut appellatur, in æditis nec aquosis nascens, neq; gustu magnoperè astringens.

Hanc Corneolam Georgius Agricola, Medicinæ doctor, secum ex Italia attulit, sibi à Leoniceno pro Lysimachia demonstratam, sed plures notæ non cõ ueniunt. Vera tamen Lysimachia in aquosis nascitur, & à Germanis Weiderich appellatur. Ruellius eodem quo antea de Lysimachia cum scribere loco dixi, putat Lytri uocabulum corruptum esse à B Luteo. Nam ut Victruuius est autor, qui nõ possunt Chrysocolla propter raritatem uti, herba Luteũ appellata, cœruleum inficiunt. Verùm nequaquam ibi Victruuius per Luteum Lysimachiã intelligit (quod Lytron etiam appellatur) sed sui generis herbam, quæ Græcis Isatis, Germanis Weydt / Latinis Lutea, siue Glastum appellatur.

SANGVINALIS, MASCVLA. Caput IIII.

POlygonon mas, Latinis Sanguinalis mascula, & Proserpinaca, Pharmacopolis Lingua passerina, siue Corrigiola, Germanis Wegedritt & Denngraß uocatur.

SANGVINALIS, FOEMINA.

Πολύγονον θῆλυ, quæ Romanis Sanguinalis fœmina, Germanis Schaffrenhew appellatur, masculæ omnino dissimilis est. Habet enim idem cum Hippuri genus, specie tantùm differt. Nascitur in stagnantibus & lacustribus pratis, caulibus geniculatis, in se farctis, & folijs Hippuri (id est, Roßzagel) similis, equi mirum in modũ eius pabulo delectantur. Huic etiam similis alia est, sed asperior, quam Germani Schabrauß appellant, quòd ea sculptores in poliendis ligneis operibus uti soleant.

POLYGONATVM. Ca. V.

Polygonatum sine dubio eo est herba, quam Pharmacopolæ Sigillum Salomonis, Germani Weißwurtz & Gelenckwurtz appellant. Vtraq; gens ab articulata radice illi nomen indidit. Vulgares Germanici Herbarij hanc herbã cum Dictamno & Helleboro albo confundunt, detestabili, & digno ut confutetur errore. C

CLEMATIS. Ca. VI.

CLematis hæc Peruincæ species est, quæ astringendi uires habet. Est enim alia quoq; Peruinca, quæ aluũ ducit: de qua hoc loco non agitur. Germani hanc Clematida Wilden Singrün uocant.

ALTERA CLEMATIS.

ALteram hanc Clematida, ut Galenus refert, Dioscorides in fine 4. libri descripsit. Nunc uerò in principio Libri quarti utraq; describitur, sed malè. Priorẽ enim in principio huius libri astringentibus herbis, ceu Britannicæ, Lysimachiæ, & utriq; Sanguinali, propter uirium similitudinem, coniunxit. Hanc uerò quoniam aluum semen eius duceret, in 4. libri fine, ubi de purgantibus agitur, descripsit. Est autem Clematis hæc duplicis differentiæ. Vna enim grandis frutex est, proceras arbores scandens, & singulis annis incrementum sumens, quoniã caudex & uiticulæ illi aliarum arborũ modo durant. Altera uerò per omnia huic similis est, breuior tamẽ (quamuis & hæc interdum 15. pedum longitudine adolescat) & autumno caules siue uiticulas amittit. Nascitur hæc in pratis circa arbusta, quò fluuiorum D inundationes peruenire queunt. Illa uerò in mõtibus arbores & uinearũ sepes adscẽdit. Vtraq; Germanis Rebling uocatur. Arborescens tamen maioris, & herbacea minoris cognomen habet. Saxones etiam Wilde Winrancken nominant, quòd sarmentis uitem æmulentur.

POLEMONIA. Ca. VII.

POlemonia quo nomine iã uocetur, nulli cognitum est. Ruellius tamen Polemoniam eam esse credit, quam Gallica rura Boscisaluiã uocant quod nomen cum Germanis commune habent Galli. Nos enim sic eam herbam uocamus, quòd Saluiæ similitudinem aliquam habeat, & in dumosis locis nascatur, quæ nos Busche appellamus. Vulgo apud nos Buschsalbey herba hæc uocatur. Sed Ruellius eam ui ad historiam torquet. Neq; folia enim, neq; radix conueniunt, quas ille conuenire dicit, contra oculis perspectam experientiam & testimonium.

PETRAEVM SYMPHYTVM. Cap. VIII.

Συμφυτον πετραῖον, Latini petræam Consolidam uocant, Germani Steingunsel. Nascitur petrosis & in petris. In Pharmacopolijs autem hoc tempore non habetur, præsertim in Germania, quãuis in petrosis locis nascatur, quales sunt Asciburgi, duobus à Brunsuico miliaribus.

ALTERVM SYMPHYTVM.

Alterum

A ALterum Symphytum sine dubio est aspera illa in uliginosis locis nascens herba, quam Pharmacopolæ maiorem Consolidam, Germani uerò Beynwelle/ Schmerwurtz/ Schwartzwurtz/ & Walwurtz uocant, quæ nomina Musa ex patris mei Botanologico desumpsit, & eorum Etymologiam miserè corrupit, ut Germanicæ linguæ omnino ignarus.

HOLOSTHEVM. Ca. IX.

OLostheum mollissima dicitur esse herba, qua propter ex aduerso sic appellata est. Quo nomine iam dicatur, ignotum est. Ruellius eam à Gallis Denticulum canis appellari scribit. Cùm uerò idem autor alibi gramen, alibi Coronopum dentē canis esse dicat, parum sibi ipsi constat. Propterea illius opinioni astipulari non possum.

STOEBE. Ca. X.

STœbe quo nomine iam appelletur, nondum cōperi. Sunt tamen aliqui qui eam Scabiosam esse credant. Cùm uerò ab hoc autore nulla eius descriptio ponatur, nihil affirmo.

CLYMENVM. Ca. XI.

Qualis Clymenon herba sit, nondum scio. Ruellius eam cognouisse uidetur.

PERICLYMENVM. Caput XII.

B PEriclymenon omnium doctorum consensu frutex est arbusta scandens, quem Itali & Pharmacopolæ Matris syluam, Germani Geyßblat/ id est, Caprifolium appellant. Porrò cauendum est ne diuersas res confundamus. Nam quidam Itali & nostrates etiam Pharmacopolæ, pedali altitudine herbā quandam fōlijs oblongis per interualla quinis plerunq; in uno geniculo stellæ modo dispositis, similiter Matris syluam uocant. Ea Germanis Waldtmeyster dicitur, & est Aparinæ syluestris quædā species.

TRIBVLVS. Cap. XIII.

TRibuli duplex est genus. Terrestre unum, & aquaticum alterum. Terrestrem in Germania nasci nondum uidi. Aridum tamen à Georgio Agricola ex Italia allatum conspexi, habetq; eam figuram, quam Dioscorides illi tribuit. Vehementer errant qui Tribulos in Georg. Vergilij uulgares Carduos, id est, Disteln interpretantur. Nihil enim commune cum his habent. Aquaticus uerò Tribulus sine controuersia est, quā nos Wassernüß/ Stachelnüß/ & Spitznüsse/ appellamus, cuius miram in germinando proprietatem obseruauimus. Nascitur in limosis & stagnantibus fluuijs, ut apud nos est inferior Mildæ pars circa Dieben. Elister in Misnia, Albis, & alij quidam.

SARXIPHAGON, SIVE Saxifraga. C

CRedunt nonnulli non esse hoc caput Dioscoridis, eo solo argumento persuasi, quòd Latina uox, Saxifraga, in principio capitis loco Græci nominis legatur, quam Græci in Sarxiphagon corruperunt, ut fit in alterius linguæ uocabulis non intellectis. Nullius autem est id argumentum ualoris. Nam ipsi Græci Latina quædam uocabula in suam linguam receperunt, quales sunt ὀξύγγια, id est, Axungia, & hæc Saxifraga, & alia quædam. Porrò hoc Sarxiphagon est quod Galenus Cestron etiam dici testatur, quodq; Aegineta Pulegio simile esse dicit, sed minus. In Cestri, id est, Betonicæ capite, Dioscorides cum Epithymo cōparat. Ego uerò suspicor non legendum esse Epithymum, quoniam nulla est inter Pulegium & Epithymum similitudo. Præterea in quibusdam Græcis exemplaribus non habetur hoc uocabulum. Quare Thymum pro Epithymo legendum esse non sine ratione conijcio, quoniam magna est affinitas inter paruum Pulegium & Thymum. Nascitur apud nos herba quædam in asperis locis, mediam figuram inter Serpyllum, Thymum & Pulegium habens, qua apud nos Pharmacopolæ pro Polio utuntur. Hæc an Saxifraga sit animaduertam. Erat Ruellius, quòd hanc Saxifragiam esse putat Saluiam uitam. Nam Saluia uita idem est cum Adiantho & Capillo Veneris, de quo seorsim, ferè in fine huius libri aget Dioscorides. Porrò mira est hodie in D appellandis herbis inconstantia. Quicquid enim sanguinem sistit, Sanguinariam uocant: et quicquid calculosis medetur, Saxifragiam, nimis latè patente significatione & uocabulo.

LIMONIVM. Caput XIIII.

LImonium nomen inuenit, quòd in palustribus pratis nascatur: pediculos ex una radice emittit tres uel quatuor, dodrantali longitudine, & in singulis terna sunt Betæ similia fōlia, quo fit, ut decem aut pluribus fōlijs à Dioscoride describatur. Flores habet candidos, quorum nullam mentionem Dioscorides facit, Germani hanc herbam Wisenmangolt/ & Biberklee appellant. Nullus est eius in Pharmacopolijs usus. Sunt & alia duo syluestris Betæ genera, quæ ab Italis & Pharmacopolis Pirulæ, à Germanis Waldtmangolt/ id est, syluestres Betæ, & Wintergrün appellantur, quorum Dioscorides nō meminit.

LEPORINVS PES, HERBA. Caput XV.

Λαγώπους qualis sit, uel quo nomine iam uocetur, uulgo incognitum est, quamuis ubiq; in agris nascatur, estq; Trifolij species, quā Germani Katzenklee uocant.

MEDIVM. Cap. XVI.

Medion.

MEdion ut minus cognoscamus, diuersæ eius apud autores descriptiones faciunt. Plinius enim Iridi satiuæ folia eius comparat, Dioscorides uerò Seridi. Sunt etiã Græca Dioscoridis exemplaria, in quibus Iridi, manifestè pro Seride, legitur. Quare uidendum est, & rationibus & coniecturis artificiosis scrutandũ, utrum Iridi, uel Seridi, legendum sit.

EPIMEDIVM. Ca. XVII.

EPimedion suo nomine similiter ut Medion hodie incognitum est. Sed nunc aliud habet nomen, nempe Trinitas, à tribus foliorum partibus. Vnde etiam Græcis Trias uocatur.

GLADIOLVS. Ca. XVIII.

NOn temerè cognoscitur hodie uerus Gladiolus. Veteres omnes herbas, quæ Gladio similia haberent folia, Gladiolos cognominabant, quales sunt Acorus, Sparganeum, Xyris, Iris, &c. Quos hodie nos quoq; imitamur, sed maiori quàm par erat licentia. Est enim sui generis herba, quæ Gladiolus Latinis, & Græcis Ξίφιον, Φάσγανον, & μαχαιρώνιον appellatur. Eam apud Theophrastum Gaza interdum pugionem, interdum ensem, interdũ etiam Gladiolum interpretatus est. Quinetiam Ciperum sui generis Iuncum, Gladiolum uertit, sed malè. Verus autem Gladiolus in pinguibus & humentibus locis nascitur, quæ fluuiorum inundationes obtegere possunt. Caulem habet insigni leuore, ut Theophrastus ait. Propterea Ruellius contra Theophrastum & ipsam experientiam, scabrum caulem illi tribuit. In summo caule ceu umbellam habet, purpureis & ab inuicem distantibus floribus plenam. Hoc enim sibi uult in Græco Dioscoridis textu στχιδ' ὁμ. Germani hunc Gladiolum Schwertel appellant. Videndum tamen est, ne aliam herbam pro hac aliquis intelligat. Nam Germani quoq;, ut Græci & Latini, Gladioli nomen ad Iridis & Acori species transferunt.

SPARGANIVM. Ca. XIX.

SParganium semen suum in pilulis fert: nascitur humentibus locis, & Germanis Degenkraut uocatur. Nullus est huius, quemadmodum & ueri Gladioli, in nostris regionibus usus.

XYRIS. Caput XX.

Xyris sine dubio est illa Iridis species, quæ ab Italis Spatula fœtida nominatur.

ANCHVSA. Caput XXI.

ANchusæ prima species, quæ Onochlea dicitur, non temerè apud nos prouenit. Herba est ex syluestris Buglossæ genere, cuius radix usque ad interiorem medullam siue neruum rubenti turget succo. Affertur radix eius ex alijs regionibus ad maritimæ Germaniæ urbes, ubi eam Alkannam impro- C
priè uocant Pharmacopolæ. Nam Arabes Ligustrũ Alkannam appellant, ut in primo libro diximus.

ALTERA ANCHVSA.

NVllus adhuc ex recentioribus scriptis certi aliquid de Anchusa prodidit, præter patrem meum, qui suo studio inuenit, Anchusam alterã hanc esse in sabulosis nascentem, rubente radice, Buglossam. Nihil enim est quod descriptioni repugnet. Germani eam Wilde Ochsenzungen uocant. Radicis superficies per messem sanguineo succo manat. Malè hæc à quibusdam Cynoglossa dicitur.

LYCOPSIS. Ca. XXII.

LYcopsis à florum figura dicta est, qui (scilicet flores) hiante suo ictu, patulas luporum fauces imitantur. Alteræ Anchusæ similis est, longiorem tantùm & asperiorem caulem habens, Germani Scharpff Ochsenzungen appellant. Nascitur in sabulosis campis, nonnunquam etiã in muris & circa arces in montibus sitas. Malè & hæc ab aliquibus Cynoglossa appellatur.

ECHIVM. Caput XXIII.

ECchion absq; controuersia est illa syluestris Bugloss; quam hodie Pharmacopolæ simpliciter Buglossam uocant, Germani Ochsenzungen. Leonicenus, uir alioqui doctissimus, & qui primus cõmissos in plantis errores corrigere conatus est, non satis certis & sufficientibus rationibus, hanc Buglossam Cyrsion siue Crysion esse putat: quem secutus etiam est Ruellius, propterea diligentiùs illos hãc herbam considerasse optarem. D

Ne autem aliquem turbet ista autorum controuersia, illa adscripsi. Porrò cùm iam dixerim, nostram uulgo uocatam Buglossam, non esse ueram Buglossam, sed Echion, necesse est in eius locum ueram Bugloss; substituere, ne in calumniatorum cauillationes incidam. Hoc autem in suum locum differemus. Est & alterum Echion prædicto minus, nigrioribus in purpura floribus. Nascitur hoc in pinguibus aruis. Nicander quoq; duas Echij species cognouisse uidetur.

OCIMASTRVM. Cap. XXIIII.

Ὠκιμοειδὲς Ruellius Iaceam albam esse putat, ubiq; in agris nascentem herbam: quam uerè autem, nondum uideo: Quandoquidem notæ, quas tamen Ruellius conuenire dicit, descriptioni nõ respondeant.

ERINVS. Ca. XXV.

ERinos hæc herba appellata est, quòd caprifici modo lacteum liquorem remittat. Hodie autẽ incognita est: quamuis Ruellius eam cognouisse uideatur.

ERA-

A

GRAMEN. Caput XXVI.

Ἄρωστις, siue Gramen, quod Germani Graß appellant, hoc loco non quoduis fœnum significat, sed eam herbam, quæ ubiq; in cultis nascitur, geniculatis & dulcibus per terram serpens radicibus ceu uiticulis: foliis arundini similibus, sed multò minoribus. Hanc Germani singulari etiam uocabulo, Queckē/ Queckgraß/ & Graß à iumentis appellant, quæ ea herba delectantur. Queck enim Saxonica lingua utentibus populis iumenta significat. Qua propter hoc uocabulo Germani ἀμαξίτιν interpretantur. Nam sic etiam Gramen à Græcis dicitur. Parnasium uerò Gramen nobis incognitum est, quoniam in Parnaso monte gignitur.

SYDERITIS. Ca. XXVII.

PRima Syderitis à Germanis Teyßkraut appellatur. Omnes enim notæ conueniunt descriptioni. Hanc herbam quidam Chamæpityn appellãt, sed falsò, ut in fine tertij Libri demonstrauimus. Ruellius herbã Iudaicam, siue Tetrahit Syderitida primam esse putat: quam uerò ipse Iudaicam herbam intelligat, non scio. Nam illi qui autores huius nominis sunt, sibijpsis non constant, quam herbam Tetrahit, siue Iudaicam appellent.

Alteram Syderitida & tertiam, quæ Heraclea uocatur, ignorare me ingenuè fateor. Ruellius tamẽ utranq; cognouisse sibi uidetur.

B

ACHILLEIA. Ca. XXVIII.

Ἀχιλλεία qualis sit, hodie omnino ignorant. Ruellius tamen hoc ἀχιλλειον Millefolium esse dicit. Intelligit autem Millefolium uulgare siue terrestre: sed magno errore. Nam nostrum Millefolium est Stratiotes Millefolia, siue terrestris, apud ueteres autores. Hic autem error in grauiorem illũ errorem coniecit, ubi Stratioten terrestrem indicare conatur: de quare suo loco dicemus. Reuera autem Achillea est terrestri Millefolio cognata planta, quam Germani Feldtgarbe uocant. Copiosissimè nascitur in pinguibus & quiescentibus aruis.

RVBVS. Caput XXIX.

Βάτος, sunt etiã quæ κυνόβατον appellent: quã huius κυνόσβατος in primo inter arbores describatur, sitq; diuersus ab hoc Rubo. Hæc igitur nominum permutatio in causa est, quòd diuersas κυνοσβάτου descriptiones apud autores legamus. Rubus uerò, de quo hic agitur, triplicem differentiam habet. Quidam enim frutices & arbusta ascendit. Quidam etiam paruus omnino est, & in opacis montibus gignitur, rarò cubitum excedente longitudine, fructum post Solstitium maturum ostendens, spinis horret caulis eius, quem singularem plerunq; erigit. Tertius humi in aruis & alibi repit in terra, aculeatos ramos siue uiticulas spargens, hanc χαμαίβατον Theophrastus uocat, & à Theodoro Gazanõ C ineptè Humirubus interpretatur. Omnes hæ species à nobis Bramen & Kratzen appellantur. Fructus uerò eius, qui mora Rubi sunt, Brambeer et Kratzber appellantur. Malè quidam mora bacci probati, id est, Rubi, pronunciant.

RVBVS IDAEVS. Caput XXX.

RVbus hic in Ida, Troadis monte, non tantùm gignitur, unde nomen illi Græci indiderunt: Nascitur apud nos etiam in montibus & syluis, sine adminiculis per se uirgis recta ascendentibus subsistens, tenuibus & exilibus spinis. quamuis frequentissimus etiam sine spinis, omnino glabris inueniatur uirgis. Folia à tergo candidiora habens, quàm sit præcedens. Fructus quoq; solstitio maturescere incipit, qui rufus & leniter hirsutus est. Germani hunc Rubũ priuatim Himper/ & Mora eius Himpern uocant, quæ gustu iucũdiora quàm prioris Rubi fructus percipiuntur. Ruellius sine dubio cognouit hunc Idæum Rubũ, aitq; à Gallis Framboſciam appellari. Idem Ruellius fraga Idæi rubi speciem quandam esse putat, nec malè, si non Idæus rubus frutex, & fragaria exilis herbula esset, quæ tota foliis, floribus & fructibus constat: neq; enim statu dignos caules, neq; ramos aliarum herbarum modo habet.

HELXINE. Ca. XXXI.

DVæ sunt herbæ Helxinæ appellatæ. Vna Cyſ D sampelus Græcis, Latinis Conuoluulus uocatur, Altera uerò Parietaria Latinis dicitur. Vergilius autem Marcellus malè Cyssampeli Helxines caput è Dioscoride quasi adulterinum reiecit, Nihilominus tamen nomina eius in Helxines (quæ Parietaria est) capite relinquens, ut sunt Cittampelon, Cyssampelon, Melampelon, & Cysanthemon. Helxina igitur, quæ Cyssampelos uocatur, à Germanis Winden/ Wedewinden/ & Zaunwinden appellatur, cuius flores hactenus Ligustrum interpretati sunt apud Verg. magno errore, ut in primo libro indicauimus. Nascitur etiam in segetibus Helxine, gracilibus & oblongis foliis, flore prædicti floribus simili, sed secundum proportionem minore. Vtraq; lacteum liquorem confracta remittit, hæc Rotzwinden Germanis appellatur. Huic Helxinæ Elatine similis est, propterea Serapio statim post Conuoluulum Elatinen (Dioscoridem citans) describit. Idem tamen Serapio Cyssampelon Asciui, Elatinen uerò Athin, corruptis ab Helxine & Elatine nominibus, appellat. Altera uerò Helxine, quæ Parietaria, Perditium & Muratium dicitur, in parietibus & muris subſtillicidijs nascitur, unde à Germanis Trawffkraut uocatur. Huic similis est Alsine, cuius caput in secundum librum ante Auriculam muris ab aliquo transpositum est. Nam hoc loco omnes quatuor illæ herbæ describi debent, scilicet Helxine duplex, id

A id est, Cyssampelos & Parietaria, illisq; similes Elatine & Alsine. Hunc enim ordinem ipse Dioscorides in describendis his herbis seruauit. In multis hodie Pharmacopolijs Alsinen (id est, Tag vñ nacht) Parietariam uocant, sed magno errore. Nam Parietaria tantùm in stillicidijs circa muros & parietes nascitur, Alsine uerò in syluis, plurimùm à parietibus distante natali, à quo utraq; nomen suum inuenit. Cùm autem hoc loco de Alsine mihi sermo sit, ne quaquam omittere possum, magno errore apud Plinium Helxines appellatione Carduum quendam describi. Verba Plinij ex lib. 21. cap. 16. hæc sunt: Helxine rara uisu est, neq; in omnibus terris: est radice fòliosa, ex qua media ueluti malum extuberat, contectũ sua fronde. Huius uertex summus lachrymam continet iucundi saporis, Acanthicen Mastichen appellatam. Hæc autem de uerbo ad uerbum ex Theophrasti libro 6. cap. 4. de plantarum historia desumpsit Plinius. Theophrastus uerò hoc loco non Helxine habet, sed ἰξίνη, quæ carduus pinea à Theodoro interpretatur. Plinium secutus est Hermolaus Barbarus, qui eadem in Corollario huius cap. scribit. Hunc autem errorem facilè in librarios & scriptores reijceret aliquis Collinutius, nisi ipse Plin. lib. 22. cap. 17. (ubi Dioscoridis Helxinem, id est, Parietariam, siue Perditium describit) scriberet, se, qualis uera esset Helxine, in priori libro dixisse, hoc est, ubi Helxinen pro Ixine apud Theophrastum legit, ut suprà demonstraui. Grauem hunc errorem nullus adhuc in Plinio animaduertit, quamuis toties emendatus, & reprehẽsus sit. Sed satis esset, si quis eos errores corrigeret, qui post uitam Plinij librariorum incuria irrepserunt. Nam omnes ipsius autoris errores corrigere, onus esset ualde impar unius uiri humeris.

B

ELATINE. Ca. XXXII.

Elatine, ut iam diximus, Helxine Cyssampelo similis est, florem habet ualde exilem, & triquetrum semen lacteum liquorem non remittit, qua sola nota à Cyssampelo distingui potest. Nascitur in aruis & cultis locis, Germanis Erdwinden appellatur. Hodie nullus illius est in Medicina usus.

EVPATORIVM. Ca. XXXIII.

Eupatorij nomine non omnes Pharmacopolæ eandem herbam ostendunt. Vt autem breuiter dicam: Nullus uerum Eupatorium cognouit, præter eos qui hodie Agrimoniam uocatam herbam Eupatorium uocant. Nam reuera Eupatorium est ea quæ nunc falsò appellatur Agrimonia: qui error Dioscoridis etiam ætate fuit. Propterea illius autores à Dioscoride in hoc cap. iure reprehenduntur. Sed tanta fuit hactenus barbaries, ut nullus eam reprehensionem animaduerterit. Dudum de hac re scripserunt Leonicenus, parens meus, & alij plures, quibus etiã ipse Ruellius subscribit. Germani Odermenig & Leberkletten Eupatorium uocant.

C

QVINQVEFOLIVM. Cap. XXXIIII.

Quinquefolium Græci πεντάφυλλον, Germani Fünffblat / & Fünffingerkraut appellant. Serpit per terram multis & longis uiticulis, ex geniculis singulis radices in terram demittentibus. Est etiam sine dubio Pentaphylli species, quæ Tormentilla appellatur: quod ex foliorum & florũ figura, & totius herbæ sapore, temperamento & uiribus iudicare quiuis potest. Quapropter illi minimè sunt accusandi, qui Tormentillam πεντάφυλλον esse scripserunt. Hi autem qui omnino nos uero Pentaphyllo carere scriptis prodiderunt, nullo modo probandi sunt. Vbiq; enim in Pharmacopolijs uerum habetur πεντάφυλλον.

PHOENIX. Ca. XXXV.

Phœnix hæc herba à punicei coloris semine dicta fuit. Est autem frumentacea & spicata plãta, in aruis & recenter illitis luto macerijs nascens, & Germanis Meuse Korn / siue Meuse gersten appellatur.

IDAEA RADIX. Cap. XXXVI.

Idæa radix qualis sit, hodie omnino ignoratur. Nomen inuenit ab Ida monte, in quo fortè copiosè nascitur. Quapropter non credo ubiq; eam apud nos prouenire.

D

RHODIA RADIX. Caput XXXVII.

Ex Macedonia olim Rhodia radix in Græciam ferebatur, propterea radicem tantùm descripsit Dioscorides: fòlia uerò, caules, & alias eius partes quales sint, nullus unquam scriptor prodidit. Radicis tamen tam certæ à Dioscoride afferuntur notæ, ut facilimè deprehendi possit, si modò aliquis in eam incidat. Ego cùm præterito anno apud circũforaneum Herbarium radicem quandam uiderem omnes notas habere, quas Dioscorides Rhodiæ tribuit, statim iudicaui eam Rhodiam siue Rhodiadaradicem esse, simulq; nomen ab eo quærens, quod Rosaria erat. Cùm autem audirem ipsum quoq; nomen cõuenire, nihil dubitabam. Emptam itaq; radicem terræ mandaui, quæ proxima ætate caules, fòlia, flores, & semina maiori Crassulæ similia protulit. Eandem radicem cùm in Italia uidisset Georgius Agricola Medicus, harum rerum studiosissimus sectator, statim ipse quoq; iudicauerat eam Rhodiam esse, cuius partem apud illũ uidimus, estq; omnino cum nostra hac eadem. Idem Agricola Portulacæ siue Crassulæ fòlia Rhodiam radicem habere in Italia obseruauit, qualia etiam in nostra domum ab illo reuersi inuenimus. Cùm igitur diuersorum hominum iudicia in eadem re conueniant, respondentibus etiã omnibus descriptioni notis, nihil est, quòd aliquis dubiter, Ro-

A fariam esse Rhodiam radicem, quam Germani Rosenwurtz appellant. Nascitur copiosè in Alpibus circa Saltzburgum. Porrò illud constanter dicere ausim, Galenum hanc radicem non cognouisse, quoniam eam calidam in secundo, siue in principio tertij esse scribit. Quod temperamentum ex uiribus, quas Dioscorides illi tribuit, collegit. Verùm eius ipsæ quoq; Rosæ similiter ut Rhodia radix, capitis dolo ribus medcãtur, nec tamen calidæ sint, falsa est hæc ratiocinatio. Galenus autem Rhodiam radicem tantùm digerendo capitis dolores pellere credidit, cùm tamen id partim propter reper cutiendi uim, partim etiam propter aliquam partium tenuitatem faciat. Constat enim ex contrarijs qualitatibus, humida ac calida, scilicet terrea & frigida, quemadmodum ipsæ etiam Rosæ, quod ij qui plantarum odoribus nares, & saporibus linguam exercuerunt, facilè percipere possunt. Nam odore, sapore, & colore omnino rosas imitatur Rhodia radix.

EQVISETVM. Ca. XXXVIII.

HIppuris, Cauda equina, siue Equisetum, à Germanis Katzenkraut/Roßschwantz/Schaffstenhãw/& Taubenröcken/id est, Columbina colus, appellatur, quoniam præludium quoddam ante germinationem colo in torulos tornatæ similè, ceu pẽso inuolutum, primo uere emittit. Longiora folia &
B teneriorem habet caulem, quàm Polygonon fœmina, nec in aquis, ut illud, prouenit. Facilè igitur ab inuicem discerni possunt.

EQVISETVM ALTERVM.

ALterum Equisetum priori simile est, breuioribus tantùm foliis. Quapropter non existimo hoc genere ab illa differre, quoniam primam etiam Hippurim multùm mutari secundum diuersos natales obseruauimus.

TRAGIVM. Cap. XL.

SI (ut Dioscorides scribit) sola Creta Tragum gignit, nulla nobis spes est, quòd in nostris regionibus inueniatur.

ALIVD TRAGIVM.

Aliud Tragum quo jam nomine appelletur, uel an apud nos proueniat, nondum compertum est.

TRAGVM, HERBA. Caput XLI.

DE Trago hac parens meus in Botanologico suo disseruit, qui primus eam in lucem rursum restituit, Germani Hünerber/siue Hünertrauben uocant, quidam etiam Katzentreublin: Sed hoc nomen latiùs patet. Itali Pegnollam dicunt, quòd oblonga eius acini, quos pro foliis habet, Pineis nucleis similes sint. Nascitur maritimis littoribus fluminibus imminentibus apricis petris, & in muris, C aliquando etiam in tegulis. Antonius Musa errat longè, quòd Italorum Pegnollam Aizoon minus dicat esse. Sunt enim tam similes inuicem herbæ, ut non facilè à quouis discerni possint, minus Aizoon & Tragus. Propterea utriusq; differentias ponere non erit inutile. Dioscorides Aizoo minori ἄνθος χλωρὸν tribuit. Significat autem hoc loco χλωρὸν non simpliciter uiridem, sed luteum & modicè ad uiridem inclinatum colorem. Theophrastus etiam per χλωρὸν simpliciter luteũ intelligit li. 7. de hist. plantarum in fine capi. 13. Vbi Anthæmi, id est, Chamæmeli florem foris candidum, intus uerò χλωρὸν esse scribit. Eo loco Gaza malè uiridem, interpretatus est. Nam omnes uidemus, Chamæmeli florem in medio non uiridem, sed luteum colorem habere. Et ipse Dioscorides medium floris Anthemidis ad aureum colorem inclinare scribit, qui plurimùm à uiridi differt. Quapropter cùm Aizoon minus ἄνθος χλωρὸν, id est, luteos flores habeat, quos sæpissimè etiam nos in ea herba uidimus, nullo modo Pegnolla minus Aizoon esse poterit. Habet enim Pegnolla, id est, Tragus, non luteos, sed candidissimos flores, quos in omnibus locis producit. Hinc est quòd nullos flores in Trago describit Dioscorides.

IVNCVS. Ca. XLII.

ΣΧοῖνος Græcis in genere omnis Iuncus dicitur. Germanis Binsen & Sempten. D
Habet autem multas species Iuncus. Est enim mollè acumine quidam, qui ubiq; apud nos in aquosis nascitur, & priuatim à Græcis χοῖνος λεῖος, id est, leuis siue lenis Iuncus appellatur. Qui uerò maritimis nascitur locis, acuto & ad uulnus infesto est acumine, ὀξύχοινος uocatus. Grandis uerò Iuncus in lacubus & stagnus nascens, quæ Græcis ὁλόχοινος, Germanis Roßbinsen/siue Pferdsbinsen, Latinis Mariscus nominatur. Est & quartus Iuncus Euripici nomine, quamuis quædam exemplaria Dioscoridis Aethiopicum cum appellent. Sed ut meam opinionem dicam, nullus est hoc nomine apud omnes alios autores Iuncus. Quapropter necesse est huic loco subesse mendam, & neq; Aethiopicus, neq; Euripicus legendum. Nam Galenus, qui Iuncorum species & uires ex Dioscoride collegit, nullam facit Euripici siue Aethiopici Iunci mentionem. Et quod hic de Euripico legitur, ille de Holoschœno scribit. Serapio etiam qui de uerbo ad uerbum Dioscoridis caput de Iunco interpretatur, nullum Aethiopicum siue Euripicum Iuncum habet, sed similiter ut Galenus de tertio Iunco, id est, Holoschœno eadem scribit, quæ nunc in exemplaribus Dioscoridis Euripico siue Aethiopico tribuuntur. Quapropter audacter ex Dioscoride hæ duæ dictiones reijciendæ sunt, Aethiopicus siue Euripicus, & in locum ὁλοχοῖνος substituenda.

LICHEN

A

LICHEN, HERBA. Caput XLIII.

Lichenen Græci hanc herbam appellarunt, quòd more Lichenis, id est, impetiginis in humidis et umbrosis petris serpere. Serapio eam Hazez Al sacher appellat, interpres uerò Epaticam reddidit. Vulgo enim Epatica herba uocatur, quam Lichena ueteres dixerunt. Sed præter hanc innumeras alias habent Epaticas, qui uulgaribus & à nullis autoribus traditis nominibus delectantur. Lichen autem (ut ad rem nostram redeamus) herba est in humidis & umbrosis petris, nonnunquam etiam in gelidorum puteorum lapidibus serpens, quam quidam Epaticam, Germani Steinflechten & Mößflechten appellant, neq; caulem, neq; flores, neq; semen habet, quamuis interdum breuißimos quosdam pediculos, parua ceu acetabula ferentia protrudat, Sed hæc neque flores, neq; caules, neq; semina propriè dici possunt.

PARONYCHIA. Cap. XLIIII.

Paronychia quo nomine iam appelletur, non quiuis dixerit.

CHRYSOCOME. Ca. XLV.

Similiter etiã ignoramus, quid Chrysocome sit, cui nomen aurei coloris corymbi indiderunt. Saracenica tamen Mentha, quam recentiores Græci
B Costum herbam, Germani uerò Marien mintze appellant, sine dubio est Chrysocomæ cognata. Habet enim in summis caulibus aurei splenderis corymbos, & Veratro nigro similes radices. Estq; herba tota cum radicibus admodum odorata.

CHRYSOGONVM. Ca. XLVI.

Chrysogonon ab aurei coloris semine nomen suũ inuenit. Quo uerò nomine hodie uocetur, et an apud nos proueniat, omnibus adhuc ignotum est.

HELIOCHRYSVM. Cap. XLVII.

Heliochryson apud Theophrastum Aureliam interpretatur Theodorus Gaza. Est autem herba quæ in Pharmacopolijs Stichados citrinum, & Germanis Reinblũm/Steinblũm/Winterblũm/& Jüngling uocatur. Malè in hoc capite aquosis conuallibus interpretatus est Verg. Marcel. Nã in Græcis codicibus χαραδρώδεσι τόποις legitur: quibus uocabulis significantur torrentibus & imbribus abrupta loca, quæ aliàs sicca sunt, præterquàm cùm per ea imbrium torrentes delabuntur. Huiusmodi enim locis in aspero sabulo Heliochrysum nascitur, & nunquam in aquosis uallibus. Nam aspero, arenoso & sicco solo gaudet. Apud Gal. & Aegnetam per Amaranthum Heliochryson est intelligendum. Nam huius etiam flores, quemadmodum purpurei Amaranthi, non marcescunt, ut nomen indicat. Si quis autem illorum autorum capita de Amaran- C
tho Dioscoridis Heliochryso conferat, omnino eandem herbam esse pronunciare cogetur. Purpureã uerò Amaranthus nullam facit Medicinam, propterea ab hoc autore non descripta est. Ruellius minimè uerum Heliochryson indicat, qui lib. 3. cap. 24. Stechados citrinum ueram Stechada esse dixit, magno & ipsum errore. Nam Stechas uera longè alia est herba, quàm quæ Sticados citrinum uocatur.

CHRYSANTHEMVM. Caput XLVIII.

De Chrysanthemo in Buphthalmo disseruimus, ubi eam à Germanis Goldtblũmen appellari indicauimus.

AGERATVM. Ca. XLIX.

Ageraton quo nomine iam appelletur, & an in nostris etiam regionibus nascatur, nulli cognitũ est.

VERBENACA RECTA. Caput L.

Verbenaca hæc recta dicitur, quòd rectis surgat caulibus. Germani hanc Hanenkamp appellant. Nascitur aquosis locis.

VERBENACA SVPINA. Cap. LI.

Hæc autè Verbenaca resupinatos erigit caules, & ubiq; adhuc in Pharmacopolijs Ver- D
bena, & à Germanis Eisenkraut/siue Eisenhart appellatur. Columbæ utraq; Verbena delectantur, unde illi περιστερέωνος nomen Græci indiderunt, qui eam ἱερὰν βοτάνην etiam, id est, Sacram herbam uocant. Sunt hodie aliqui qui luteis & paruis floribus herbam quandam Verbenacam fœminam uocant, sed eam Irionem esse secundo lib. docuimus: nihil enim cum Verbenaca commune habet.

ASTRAGALVS. Cap. LII.

Astragalus herba à radicum, cum talis, similitudine appellata est, hodie autem quid sit, ignorant omnes. Ruellius tamen cognoscere uisus est sibi, cui cum ratione est adhibenda fides. Nascitur ubiq; æditis fruticosisq; locis. Germanis Knollenkraut uocatur, quibusdam Christianwurtz.

HYACINTHVS. Ca. LIII.

Quantum ex poëtis & alijs Rei rusticæ scriptoribus intelligere possumus, non unius tãtùm herbæ nomen Hyacinthus fuit. Nam Irin quoq; Hyacinthum aliqui nominarunt, & poëtæ lilio simile Hyacinthum esse dicunt, colore tamen differre, quoniam Lilio insit argenteus candor, Hyacintho uero purpureus color. Porrò Hyacinthus quem Medici intelligunt, parua herba describitur, multis & purpureis in coma gibbosa constitutis floribus. Hunc licet hodie omnino ignoremus, spero tamen

A me, quid reuera sit, non ita post longum tempus assecuturum. Nascitur in Comitatu Mansfeldensi iuxta montem Petri copiosè, & Germanis Breunling uocatur.

PAPAVER ERRATICVM. Caput LIIII.

Μηκων ῥοιὰς, Latinis Papaueralis, & Papauer erraticum, Pharmacopolis Papauer ruebeum, Germanis Wilder mahn/ Feldtmahn/ Rotmahn/ Rotmosen/ Klapper rosen / & Klitschen dicitur. Notum omnibus erraticum Papauer est, nascitur in aruis & segetibus. Sciendum est in hoc cap. improuidè comparari huius Rhœadis Papaueris folia Origani & Thymi foliis, Non posset dissimilior esse horum proportio. Habet enim Rhœas Erucæ siue Cichorij modo incisa folia, à qua similitudine longissimè recedunt Thymi & Origani folia. Abundant igitur & ab aliquo malè adiecta sunt uocabula ista. Vehementer errant, qui hoc Papauer cornutũ Papauer & Memythen, id est, Glaucion esse putant. Est enim quælibet illarum ab alijs diuersa, & proprij generis herba.

SATIVVM PAPAVER. Caput LV.

Μηκων ἥμερος, id est, satiuum Papauer, quod Germani Mahn/ siue Magen uocãt, duo prima diuisione genera habet. Thylacite ab oblongo & utriculis simile capute nominatur, habet hoc candidum semen, quod hodie Papauer album dicitur. Alterum uerò nigrum semen in lato sessili & doliolo simili capite, unde etiam à Græcis Pythite nominatũ est, uulgo hoc nigrum Papauer à Pharmacopolis nuncupatur. Ex nigro hoc Papauere lacteus liquor leniter incisis uasculis colligitur, quem Opium in omnibus adhuc Pharmacopolijs nominãt. Exprimitur etiam ex tusis folijs & uasculis succus, & exiccatur. Eum priuatim Græci Μηκώνειον uocant, sed uiribus multo est liquore imbecillior, propter inconcoctam & aqueam substantiam, eandem ob causam facilimè putrescit & teredines sentit. Quidam interpretes cùm apud Græcos autores Opon, siue Opium legunt, succum Papaueris interpretantur: sed magno errore. Nam Μηκώνιον succus est Papaueris, Opos uerò siue Opium, est liquor eiusdem.

PAPAVER CORNVTVM. Caput LVI.

Μηκων κερατίτης, Latinus Corniculare, siue Cornutum papauer, Germanis Hornmahn appellatur. Non habetur hoc in nostris Pharmacopolijs. A quibusdam tamen in hortis seritur. Siliquam habet longam Fœnugræci siliquæ æqualem. In Dioscoridis exemplaribus malè legitur κερατὸν δὲ μικρὸν, id est, fructum breuem, ut Vergilius Marcellus interpretatus est. Cùm uerò eundem fructum cornu modo inflexum, & Fœnugræci siliquæ similem esse dicat, nequaquam μικρὸν sed μακρὸν legendum est, quod ipsius fructus oculis subiecta forma manifestè indicat. Serapio quoq;, ubi hoc Papauer de uerbo ad uerbum ex Dioscoride descripsit, dicit, Illud habere semen minutum in subtilibus & longis uaginis. Errant qui cornutum Papauer esse putant in segete nascens Papauer, quod antea Rhœada nominauimus. Differt etiam ab hoc Papauere cornuto Memythe, id est, Glaucium, ut priùs aliquoties indicauimus.

PAPAVER SPVMEVM. Caput LVII.

Μηκων ἀφρώδης, quod quidam etiam Herculeum, siue Heraclion uocant, ignota omnibus nunc est herba, neq; ipse Plinius eam cognouit. Nam libro 20. capi. 19. de hoc Papauere sic scribit: Alterum è sylucstribus genus Heraclion uocatur, ab alijs Aphron, folijs (si procul intucaris) speciem passerum repræsentantibus, radice in summa terræ cute, semine spumeo, ex hoc lina splendorem trahunt æstate. Hæc autem de uerbo ad uerbum ex Theophrasti de Hist. plant. libro 9. cap. 13. desumpsit Plinius. Sed nequaquam Theophrasti mentem intellexit. Nam hic Papaueris huius folia Struthi siue Struthij herbæ foliis comparauit, quæ lanaria radicula etiam appellatur, quòd scilicet radice eius lanæ & linteæ candorem acquirant. De Struthio hoc in secundo libro disseruimus. Commisit itaq; hoc loco Plinius duplicem errorem, utrunq; satis magnum. Primus est, quòd pro herba Struthio passerem animal interpretatus sit. Alter uerò, quòd dixerit, Papauere lina candorem trahere. Cùm igitur Struthos passerem etiam significet, facilis esset prior error, nisi ipse Theophrastus apertè indicaret, se non passerem, sed herbam Struthi appellatione intelligere. Dicit enim Heraclion Papauer folio constare Struthi, quo splendore in linteis tribuant. Candorem autem linteis non passere, sed herba lanaria, quæ Struthos siue Struthion Græcè dicitur, tribuunt. Potuisset etiam ex hoc colligere Plinius, Theophrastum herbam & non auem intelligere, cùm sic de Papauere Herculeo scribat: Constat folio Struthi. Quibus uerbis apertè indicatur, Struthon folia habere, quod plantis & non animalibus proprium esse omnes nouerunt. Ne autem alicui incredibile uideretur, herbæ huius folia passeris speciẽ habere, Theophrasti uerbis hanc parenthesin adiecit Plinius: Si procul intucaris.

HYPECOVM. Ca. LVIII.

Ὑπήκοον quo iam nomine appelletur, nullus adhuc

A adhuc scriptis prodidit, nec; aliquis ex doctis nouit. Propterea mihi quoq; ueniam dari non est iniquum, quòd ipsum non nouerim.

APOLLINARIS. Ca. LIX.

Ὑοσκύαμος Latinis Altercum, Apollinaris, Symphoniaca, & Hyoscyamus, Germanis Bilsenkraut uocatur. Tres habet differentias. Est enim purpureo flore & nigro semine quædam. Altera florem luteum & semen subflauum habet: utraq; apud nos non nascitur, & quoniam uenenatæ sint, nihil refert quòd ijs careamus. Tertia omnium est innocentissima, quæ flore constat albo, sed in medio purpureo, & semine candido. Nascitur hæc apud nos ubiq; in ruderibus, fossis, & circa oppida pagosq;.

PSYLLIVM, SIVE PVLICARIS. Caput LX.

Ψύλλιον & Pulicaris dicta hæc herba est, quòd semen eius colore & quãtitate pulicibus simile sit. Notum hoc est eodem nomine omnibus Pharmacopolis, Herba ipsa sponte apud nos etiam & copiosissimè nascitur, præsertim Iuterboci, & uicinis locis.

SOLANVM QVOD EDENDO EST. Cap. LXI.

B Σολάνου κηπαῖος, Latinis Solanum & Cacubalum, Pharmacopolis Solatrum, Germanis Nachtschatte uocatur. Multa sunt Solani genera, quæ deinceps enarrabimus:

Hoc loco Dioscorides uulgare Solanum intelligit, quod nos simpliciter Nachtschatten/ & Pharmacopolæ Solatrum appellant. Serebatur olim cibi gratia. Nos uerò illud in cibo uitamus. Theodorus Gaza omnes Solani species Vesicarias apud Theophrastum interpretatur, sed malè. Nam Vesicaria speciale nomen est, & uni tantùm Solani speciei proprium, quæ fructus uesicis similes fert, unde & nomen inuenit.

VESICARIA.

Ἀλικάκαβος, quod φυσαλίδα etiam hi[illegible] tor & Aëtius uocat, Arabibus [illegible]narma- copolis corrupto ab Halicacabum nomine Alkekengi dicitur, Germ[illegible] Juden kirssen/ Blasenkirssen/ & Schlutten. Nascitur circa uineas sponte, in quibusdam etiam locis in hortis seritur: fructum habet in rubenti & leniter turbinato folliculo ceu uesica, croceum, & Ceraso magnitudine æqualem.

SOMNIFICVM SOLANVM. Caput LXII.

Σολάνου ὑπνοτικὸν hodie ignoramus. Id tamen certum est, Amarum dulcem, id est, Je lenger je lieber/ huic ualde cognatam esse. Folijs enim florum forma, fructu & uiribus (quas in me ipso expertus sum) Solanum refert. C

SOLANVM FVRIOSVM. Caput LXIII.

Σολάνου μανικὸν in Aegypto copiosè nascitur, unde ad nos fructus eius afferuntur, quos Pharmacopolæ Cuculos de Leuante, id est, Solanum orientale uocant. Nam Cuculus idem est quod Cacubalus siue Solanum, Leuante uerò Itali orientẽ à leuando uocant. Antequàm autem ad nos perferãtur hi Cuculi, omnino exiccantur interiores nuclei, & succosa caro quæ corticem ambit. Semel satis recentes uidimus. Pisces quàm primum eos deglutierint, uertigine corripiuntur, & supini aquis innatant, ita ut facilimè manibus apprehendi possint.

DORYCNIVM. Ca. LXIIII.

NVllus ex ueteribus tum Græcis tum Latinis, hanc herbam descripsit, præter Dioscoridẽ, qui historiam eius ex Crateia desumpsit. Plinius & alij quidam crediderunt, Dorycnium idem esse cum Solano furioso, quod falsum esse Nicander, Dioscorides, & plures alij testantur. Reuera autem sui generis herba est Dorycnium, de quo meam opinionem paucis proferam: Scritur à Venetis monachis, & à paucis in Germania Medicis herba, quam Grana cordis & Halicacabum alterum uocant, ab Halicacabi fructus similitudine. Habet hæc herba omnes notas & uires, quas Nicander & Dioscorides Dorycnio tribuunt, sola tamen folia non conueniunt, quæ Dioscorides oleæ foliis similia esse dixit. Sed hoc me nihil mouet, Desumpta ex Crateia est historia, potuitq; corrumpi locus iste, ubi de foliis agitur. Respondent candidi flores, folliculi, unde etiam Halicacabus à ueteribus & nostris appellatur. Conueniunt etiam adamussim in folliculis contenta, rotunda, dura, leuia & colore uaria semina. Conuenit etiam eorum numerus, & commendata lacteum habent colorem & saporem [illegible] notas Dorycnio Nicander tribuit. Quinquam somnifica sunt eius semina, nec sine periculo uitæ intra corpus sumuntur. Quapropter cùm omnes aliæ notæ conueniant, ueri simile est in foliorum comparatione mendam esse. Seuimus hãc herbam, uidimus & gustauimus. Propterea non ex aliorum relatione ista de Dorycnio scripsimus. Grana eius comesta suauiorẽ somnum quàm Opium afferunt: Sed cauendus est magnus illorum numerus. D

MANDRAGORA. Ca. LXV.

NOn sine causa turbabitur, qui Theophrasti & Dioscoridis de Mandragora uerba considerabit. Dioscorides enim Mandragoræ primi fructus sorbi magnitudine, & luteo colore esse dixit, quamuis Marcellus malè uitellis ouorum interpretatus sit, rarus ὠοῖς legi oportere, quæ uox oua, non ouorum uitellos significat. Probati codices ὠὰς, id

A est, sorbis, habent, ubi Serapio Mespilum interpretatus est, sed malè. Hoc autem peccatum potius interpretati, quàm Serapioni adscripserim. Alterius uerò mala, siue fructus, duplo maiora, & crocco colore depinxit, utriq; etiam caulem negat. Sed Theophrastus Mandragoræ caulem esse manifestè indicat, de histo. plant. lib. 6. cap. 2. Vbi fructus eiusdem niger & acino uuæ similis describitur. Sed malè βαγώδης racemosus reddidit Gaza. Nam βάξ βαγός, uuæ acinum significat, unde deriuatur βαγώδης, quo uocabulo acino uuæ simile quiddam Græci intelligunt. Ruellius non racemum, sed ouum legi oportere apud Theophrastum censet, sed magno errore. Nonenim corruptus est iste apud Theophrastum locus. Cùm uerò contraria omnino sit Mandragoræ historia apud Theophrastum & Dioscoridem, facilè temerarius quidam alterutrum autorem mentitũ esse pronunciaret: quod ne aliquis faciat, moneo & suadeo. Nam uterq; satis exquisitè & optimè Mandragoræ historiam executus est, (quod fortasse Paradoxon alicui uidebitur.) Sed illud nunc demonstrare incipiam: Dioscorides tres Mandragoræ species enumerat, Theophrastus autem unum tantùm. Dioscorides autem marem & fœminam Mandragorã, id est, priores duas species, quas solas uiderat, describit ea forma, qua adhuc in Italia cognoscuntur. Quin & ego fructus & semina uidi, plantaui & enata fólia historiæ conuenire animaduerti. Hos duos
B Mandragoras Theophrastus non cognouit, neq; ali quam eorum mentionem facit. Tertiam uerò Mandragoræ speciem, quæ Morion priuatim dicitur, Dioscorides non uidit, ut ex uerbis illius apertè colligimus, & hæc est quam Theophrastus describit Mandragoras: grandem habet radicem, caulem procerũ, fólia Solani & Mandragoræ prioris fóliorum mediã habent figuram, flores profert nigros, & post hos nigros fructus grandi uuæ acino æquales (id est, wie ein grosse Weinber) qui uinosum succum gustatus emittit. Vidimus eam plantam in Hessiæ umbrosis & antiquis syluis iuxta spelunc. nasci, Heßis Dollkraut dicitur, quo nomine Græcorum Morion interpretantur, Alij etiam Schlaffber eam uocant, quoniam soporem fructus eius faciunt. Porrò nullũ tam stupidum esse existimo, qui credat in humanam formam sculptas illas radices, quas Agyrthæ ostentant, Mandragoram esse. Veri Mandragoræ radicis cortex in Pharmacopolijs suo genuino nomine habetur.

ACONITVM PARDALIANCHES. Cap. LXVI.

PArdalianches Aconitum, quo panthe as uenatores necant, hodie nulli cognoscitur. Si tamen huius historiæ cõferamus herbam, quam nos ab uno fructu, quem solum fert, Einber uocamus, uiresq; consideremus, manifestè uidebimus eam hoc Aconitum esse, quod Theophrastus alibi Teliphonon, alibi Μυόφονον, alibi etiam Scorpionem uocat, quoniam C radicem habet graminis modo geniculatam, & scorpionis caudæ similem.

ALTERVM ACONITVM, ID EST, Lycoctonon, siue Cynoctonon.

AConitum quod Lycoctonon & Cynoctonon dicitur, quoniam lupos & canes interimat, tres habet differentias: quarum una, quæ est efficacissima, à Pharmacopolis habetur, & ab his radix Aconiti dicitur. Germani uerò Græcum nomen Lycoctonon interpretantur, Nam Wolffswurtz à nobis appellatur, quòd uenatores Lupos & Vulpes eius radice necent.

CICVTA. Ca. LXVII.

Κώνειον Latini Cicutã, Germani Wüterich & Wütscherling uocant. Nõ cognoscitur ab omnibus Cicuta. Nam aliam herbam minimè uenenatam hoc nomine habent Pharmacopolæ, cuius semen longum & gracile existit, ideoq; creditur apud nos non esse uenenata Cicuta. In causa est, quòd ueram Cicutam non nouerunt, quæ in nostris etiã terris præsens est uenenum: quod manifestissimis exemplis probari potest. Non enim rarò contingit pueros radice & semine eius, quod Aniso æquale est, uesci & intermori. Habet Cicuta fœdissimum odorem, quo solo statim abominabile eius uirus percipitur. Sunt autem plures eius species. D

TAXVS, ARBOR: Caput LXVIII.

TAxus arbor, quæ à Græcis Σμίλαξ appellatur, uenenum est. Ideoq; oportet, ut diligenter animaduertamus, quam rem intelligant scriptores, cùm Smilacem apud eos legimus. Nam præter hanc arborem duæ sunt adhuc plantæ, quæ Smilaces appellantur. Vna lenis siue satiua dicitur Smilax, id est, Dolichus. Altera aspera est Smilax, siue Hedera Cylissa. Est autem Taxus arbor sine dubio ea, quam nos ein Eiben uocamus, è cuius ligno adhuc arcus & scorpiones fiunt, quos optimos ex Taxo fieri autores tradunt. Hi autem maximè errant, qui Eiben Ebenum esse credunt, sola nominis similitudine decepti. Noluit primo libro inter arbores describere Taxum Dioscorides, ne cognata facultate prædictæ res distraherentur. Cùm igitur Taxus uenenum sit, non immeritò hoc loco inter uenenatas plantas recensetur.

APOCYNVM. Ca. LXIX.

APocynon qualis sit herba, hodie omnino ignoramus. Cognominatur hæc etiam Cynocrambe, quoniam canes interimat. Porrò alia est etiam quæ proprio nomine Cynocrambe uocatur, ut suo loco ostendemus. Quapropter uidendum est, ne diuersæ naturæ res confundamus.

NERIVM.

NERIVM. Ca. LXX.

NErion quod aliqui Rhododaphnen & Rhododendron, à rosæ simili flore uocant, arbor est quibusdam temporibus uenenata, è cuius & Aconiti floribus in Ponto uenenatum mel apes colligunt. Arbuscula hæc in nostris regionibus non nascitur, In Italia à quibusdam in hortis ostentationis causa plantatur, & nos ipsius semina seuimus: fructum habet longum, intus ceu cardui rum pappis refertum, qui in quibusdam Dioscoridis exemplaribus malè Hyacinthi pappis similes esse leguntur. Cùm autem Hyacinthus nullos omnino pappos habeat, legendum est Acanthi, id est, Spinæ siue Cardui alicuius, ut probati codices & ipsa experientia testatur. Monendi etiam Medicinæ studiosi sunt, apud Aëtium in compositione Esdræ malè seorsim legi Flores Nerij & Rosarum Rhododaphnes, Nam eadem arbor Nerion & Rhododaphne est. Rosæ itaq; Rhododaphnes nihil aliud sunt, quàm flores Nerij. Videtur itaq; flos Nerij interpretatio esse Rosarum Rhododaphnes ad marginem signata, quæ postea ab aliquo indocto in ipsum uerborum contextum posita est. Porrò ipse Galenus & Dioscorides diuersas Nerio uires adscribunt. Ille enim Nerion homini quoq; uenenum esse dicit: Hic uerò homini contra uenena remedium facere. Possent autem hi autores conciliari hoc modo, si intra corpus sumatur Nerion uenenum esse, Si uerò uulneribus imponatur, contra uenenatorum
B morsum Medicinam facere. Sed sic se rei ueritas habet. Nam probata exemplaria addunt, σὺν ὄινοις πινόμενα, id est, cum uino potata, uidelicet flores & folia. Sic etiam in Plinio manifestè legitur, qui proculdubio hoc ex Dioscoride transcripsit. Quinetiam in Esdræ Antidotum, cuius præcipuus usus est contra uenenata animalia, Nerij flores recipiuntur, ceu medicamentum contra uenena efficax. Id tamen uerum est, florem eius insaniam facere, sed non semper. Accidit enim hoc quibusdam locis, & quibusdã temporibus.

FVNGI. Caput LXXI.

FVngorum multiplex est differentia. Quidam enim edendo sunt, quidam uerò intra corpus sumpti strangulant. Germani omnes generali uocabulo Schwemme uocant. Qui autem edendo sunt, suis etiam distinguuntur generibus. Sunt enim quidam Piperis sapore, & lacteo liquore manant, hos Germani Pfifferlinge uocant. Sunt & Boleti, quos Bölze eadem nostra gens appellat, uenenati Fungi. Multa habent genera, sed omnia Poggenstůl, id est, Bufonum cathedræ siue sellæ Saxonibus dicuntur. Sub Betulis arboribus in candido & rufo colore uarij nascuntur Fungi, quos Fliegenschwemme, id est, Muscarios fungos uocamus, quoniam muscas lacte intricti occidunt. Pharmacopolæ etiam in suis Officinis Fungos habent, quos Boletos & Fungos ceruinos uocant. Ferũt eos in syluis ex semine ceruorum enasci, C et propterea Venerem stimulare: sed falsum hoc est. Inueni enim hos Ceruinos fungos in præruptißimis montium syluis, quò ne Damæ & Rupicapræ quidem peruenire possent, nedum cerui. Nec ueriſimile est eos uenerem stimulare, cùm frigidũ, pituitosum, crudum, & malignum succum in humano corpore gignant. Quæ enim Venerem accendere debent, cõtrarias facultates & qualitates habere necesse est.

COLCHICVM. Ca. LXXII.

COlchicon copiosè in Colchide nascitur, unde etiam nomen inuenit. Estq; in illis regionibus uenenata herba. Quod uerò apud nos prouenit, amarius est, quo sapore ueneni aliqua pars diluitur, nec tamen omnino innoxium redditur. Homines enim quos eò purgauerimus, seuißima incurrunt accidentia. Pharmacopolæ hanc herbã Hermodactylum, Germani Herbstblůmen/ Wilden saffran/ et Zeitlosen appellant. Quidam huius florem Narcissum esse crediderunt, sed reuera Narcissus plurimùm ab hac herba differt. Colchicum aliqui etiam Ephemerum appellarunt, quòd eadem die qua sumatur, hominem occidat.

EPHEMERVM. Ca. LXXIII.

EPhemeron hoc solo nomine Colchico simile est: uiribus enim & forma multùm ab illo differt. Alio nomine etiam Iris agrestis uocatur. Hodie autem ignotum est. D

PALVSTRIS LENS. Cap. LXXVI.

Φακὸς ὁ ἐν τοῖς τελμάτων, id est, Lens in lacustribus locis genita. Differt hæc à lente legumine. Nam aquis stagnantibus innatat ceu muscus, minimis & compressis foliis constat. Figuram Lentis semina repræsentant. Vnde & nomen inuenit. Germanis eadem significatione Wasserlinsen uocatur.

SEDVM MAIVS. Cap. LXXVII.

Αἶζωον τὸ μέγα Latini Semperuiuam, siue Vitalem maiorem, Pharmacopolæ Barbam Iouis, Germani groß Haußwurtz/ groß Donnerkraut/ groß Immergrůn/ & Haußlaub appellant. Plinius Gramen & Aizoon diuersas naturas plantas confudit, lib. 24. cap. ult. errore manifesto. Plinium secuti sunt Hermolaus Barbarus & Ruellius, qui ferè de uerbo ad uerbum illius errorem exscripserunt. Miror autem uehementer, hos doctißimos alioquin uiros, istum insignem Plinij errorem non obseruasse.

AIZOON MINVS.

SEmperuiua minor non est Italis uocata Pegnola, ut antea in Tragi demonstrauimus.

A Habet autem alterũ Aizoon duas ſpecies. Prior Germanicè Klein Haußwurtz / Klein Donnerkraut / & Klein Immergrũn uocatur. Oblonga, pinguia, & acuminata habet folia, caulem gracilem altitudine dodrãtalem, in ſummo luteos flores, paũlulum ad uiridem colorem inclinatos, ferentem. Flores huic tribuit Verg. Marcellus Interpres colore pallidos: in Græco uerò χλῶρα legitur, quæ uox etiam luteum colorem ſignificat, ut antea quoq; dictum eſt. Serapio uerò eiusq; interpretes citrinum interpretati ſunt, & hoc optimè quidem. Recentiores minus Aizoon Vermicularem uocãt, eſtq; frigida herba, ut maius Aizoon, pro qua noſtri aliam ſimilem herbulam, ſed contrario temperamento, accipiunt.

Altera minoris Aizoi ſpecies incertam habet apud hunc autorem hiſtoriam. Corruptus enim uerborum contextus eſt, quod quilibet in hoc ſtudio exercitatus facilimè uidere poteſt. Plinius uerò optimè eã deſcribit, & uidentur omnia eius uerba, quæ facit de tribus Aizoi generibus, ex hoc autore deſumpta eſſe.

Eius autoris uerba ex libro 25. cap. 13. hæc ſunt: Quod minus eſt in muris parietibuſq; naſcitur, et tegulis, fruticoſum à radice & ſurſum uſq; ad cacumen, foliis anguſtis, mucronatis, ſuccoſis, palmo alto caule, radix inutilis. His uerbis egregiè deſcribit primam minoris Aizoi ſpeciem, cui deinde alterum minus Aizoon comparat, dicens: Huic ſimilis eſt quam Græci Andrachnen agriam uocant, Itali Illecebram, puſillis, latioribus foliis, breuiore cacumine. B Quibus uerbis euidenter indicat eam herbulam, quã Germani Erdpfeffer / Steinpfeffer / & Maurpfeffer appellant. Hæc ſola ex omnibus Aizoi generibus calidum habet temperamentum. Propterea eã magno errore pro Vermiculari accipiunt. Diſtinximus itaq; ab Aizoi ſpeciebus Tragum, & omnes tres Aizoi differentias indicauimus, & ſcio me in hac re non errare.

ACETABVLVM. Ca. LXXVIII.

PRimam κοτυληδόνα ſeu Cimbalion, Scitalion, Acetabulum & Vmbilicum Veneris uocant, in noſtris regionibus nondum naſci uidimus. Quidam tamen hoc nomine herbam quandam rotundo folio, cui in medio eſt pediculus, indicant, quam ego probè noui. Naſcitur in humentibus & putridis arenoſis locis: ſed plurimùm ab Acetabuli deſcriptione differt, radicem enim habet tenuiſſimam, Acetabulum uerò oliuæ ſimilem, et grandem. Quapropter qui herbis ignotis ex hoc autore nomina indere uolunt, ut omnes deſcriptionum notas conſiderent neceſſe eſt.

ALTERVM ACETABVLVM.

ALterum Acetabulum ſine dubio mihi eſſe uidetur pinguis illa herba, quam recentiores Craſſulam maiorem. Germani Fetthenne & Donnerbonen appellant. Craſſa & carnoſa habet folia, ut Aizoon maius, quæ hyeme unà cum caule exaresCuht. C

VRTICA. Cap LXXIX.

AΚαλύφη, ſiue Κνίδη, Germanis Neſſel appellatur. Nota omnibus herba eſt. Plures eius inueniuntur ſpecies, quàm ueteres deſcripſerunt. Semen eius in Pharmacopolijs ſeruatur.

GALIOPSIS. Ca. LXXX.

AFlorum figura nomen hæc herba inuenit, qui hiantibus muſtelæ faucibus ſimiles ſunt. Nota omnibus eſt, Germani eam Bienſaug, & Todt neſſeln / ſiue Tawbe neſſeln appellant. Videndum tamen eſt ne quis eã cum Balote, id eſt, Marrubio nigro, ſimili herba, cõfundat. Quod ne fiat, fõliorum creber intuitus faciet. Galiopſis enim longiora & acuminata Vrticæ modo folia habet. Balote uerò rotundiora. Inueniuntur etiam Galiopſis ſpecies aliæ, candido, luteo & uario flore. Nam Dioſcorides unam tantùm ſpeciem deſcripſit, quæ purpuraſcentes habet flores.

GALION. Ca. LXXXI.

GAlion hoc à coagulando lacte nomen inuenit. Duplicis eſt differẽtiæ. Vna enim cãdida, altera luteum florem habet: utriq; Aparines ſunt fõlia. Flores quamuis parui ſunt, multitudine tamen herbam ex longinquo conſpicuam reddunt. Germani Raynritzen & Labkraut appellant. Recentiores D quidam Aſpergulam. Sed latè patet hoc nomen, neq; in aliquo probato autore legitur.

SENECIO. Ca. LXXXII.

FΡυγέθρα & Senecio hæc herba dicitur, quòd flores eius citò in ipſa iuuentute caneſcant. Magnus hodie in hac herba error committitur, ne dicam maximus. Senecion enim refrigerandi uim habet. Hodie uerò Senecionem alij Carduum benedictum, alij Naſturtium aquaticum uocant, herbas in tertio gradu calidas. Verum autem Erigeron ſiue Senecion, ubiq; cultis & incultis circa oppida, & in muris naſcitur. Itali eam Petrellam, Germani Baldgreiſe & Creutzkraut appellant. Sunt & huius plures ſpecies.

TALICTRVM. Ca. LXXXIII.

TAlictron non eſt Argentina ſiue Argentilla, ut Ruellius opinatur, neq; hoc ille certò affirmat. Verum autem Talictrum eſt ea herba, quã Germani Heyleblat appellant, qua ruſtici in Saxonia maxima curant uulnera, ſine aliquo adiutore Medico. Naſcitur in campeſtribus & in pratis, non ita humentibus. Sunt autem tres ipſius ſpecies, quæ ſuis differentijs diſtingui poſſunt.

MVSCVS MARINVS. Caput LXXXIIII.

Βρύον

A Βύσσος θαλάσσιος, Muscus marinus, Plinio Lactucæ similibus constat foliis, iisq; rugosis & contractis, sine caule ab ima radice excuntibus. Sed malè ista de Marino musco scribit. Intelligit enim eam herbam, quam antea Lichena esse ostendi. Muscus uerò marinus multis capillamentis tenuior est, quàm ut Lactucæ foliis constare possit. Mihi sine dubio Marinus muscus esse uidetur Muscus ille salsus, quem Pharmacopolæ hodie Corallum herbam, siue Corallinam appellant. Idem etiam Antonius Musa iudicat. Affertur ex maritimis locis, unà cum adhærentibus marinis testis. Est alia etiam herba nomine Carolina siue Carlina, cuius in Chamæleone mentionem fecimus.

MARINVS PHYCVS, SIVE ALGA. Caput LXXXV.

Nobis in mediterraneis locis habitantibus, omnino incognita est marina Alga.

POTAMOGETON. Cap. LXXXVI.

POtamogetona bellè nouisse se credit Vergilius Marcellus. Interim tamen ait, nomen inuenisse à uicinitate fluminum, prope quæ nascatur. Quæ uerba indicant, cum nullo modo herbam hanc cognouisse. Nam Potamogeton in ipsis aquis nascitur, & tantùm folia paulùm extra aquas eminentia ostendit. Quæ uerò reuera sit Potamogeton, nondum constat. B Noui ego herbam Betæ folio, sed longiore, quæ spicatum florem extra aquam erigit. Ipsa uerò longis uiticulis in aqua spargitur, & gustu uehementer astringit. Nascitur stagnantibus & limosis fluuiorum partibus, & in aqua repletis urbium fossis. Est & alia huic omnino similis, sed rotundiore folio. Quamuis autem omnes huius herbæ notæ Potamogetoni conueniant, nullam certam tamen sententiam de ea ferre ausim.

AQVATICVS STRATIOTES. Caput LXXXVII.

SI in Aegypto & Nili inundatione tantùm hic Stratiotes nascitur, ut Plinius scribit, eum in nostris regionibus quærere superuacuus esset labor. Cùm uerò Dioscorides illum indefinitè aquis innatare & sine radice uiuere scribat, soli Plinio non credo. Quis enim omnium regionum fluuios & paludes uidit, ut certò affirmare ausit, nusquam nisi in Aegypto nasci hunc Stratioten? Hodie uerò quid sit ignoramus. Nomen inuenit, quòd mulites uulnerati se hoc curarent. Sed malè cum illis ageretur, si ex Aegypti Nilo eum toties petere deberẽt, quoties uulnerarentur. Propterea eam in nostris quoq; fluuiis inueniri non despero. Innatat enim stagnantium undarum superficiei ubiq; herba quædam pinguibus foliis, nec ullam è terra habet assurgentem radicem, fibras tamen in aquam spargit, ut lentes aquaticæ, per quas nutritur. Folium tamen Aizoi foliis simile non est, sed Asari. Propterea sæpe suspicatus sum, ánne Azari pro Aizoi legendum sit. Non parum certa est Aizoi foliorum comparatio, cùm duæ potiores species Aizoi sint diuersæ figuræ folia habentes, nec adiecta sit distinctio, cuius nam Aizoi foliis Stratiotis huius folia similia essent. Habet autem hæc herba, quæ apud nos prouenit, refrigerandi & astringendi uim, ut ipse Stratiotes. C

MILLEFOLIA STRATIOTES. Cap. LXXXVIII.

XΥλιόφυλλος ὁ στρατιώτης, id est, Millefolius Stratiotes sine dubio est illa herba, quæ hodie ubiq; Millefolium uocatur, à Germanis Garben & Relcken. Hanc herbam Ruellius antea Achilleam esse credidit, sed magno errore. Propterea nunc etiam non minus in indicando Stratiote terre stri siue Millefolio errat. Nam ferulaceam quandam herbam, & Dauci speciem Millefolium Stratioten esse dicit, quæ Daucus asininus, Anethum syluestre, & Cuminum syluaticum à quibusdam appellatur. Quamuis autem Stratiotes hic Millefolius umbellæ similes corymbos habeat, minimè tamen ex ferulaceārum siue umbelliferarum genere est. Porrò hæc herba, quam Ruellius Stratioten Millefolium esse falsò dicit, à Theophrasto Pastinaca Patrensis uocatur, nigram habet radicem, sapore & odore Pastinacæ. D

VERBASCVM. Cap. LXXXIX.

ΦΛόμος, id est, Verbascus multas habet species, quas Germani omnes generali uocabulo Königs kertzen/Feldtkertzen/et Wullenkraut appellant. Pharmacopolæ uerò corrupto nomine Tapsum barbatum, Barbassum siue Barbatum dicunt. Est etiam ferulacea planta Tapsia, ut suo loco audiemus, sed à Verbasco diuersa.

Porrò coronarium Verbascum Græcis Lychnitis & Δρυόφις nominatur: quoniam ramulis illius & conuolutis foliis pro funiculis siue conuolutis linteolis in lucernis quidam utuntur. Seritur hoc in hortis, foliis constat oblongis & hirsutis, floribus purpureis roſæ simplici similibus: quamuis etiam candido colore inueniantur, hos Germani Campe losen/Marien rosen/Sammet rosen/& Damasten rosen appellant.

AETHIOPIS. Ca. XC.

Aethiopis quæ sit herba, nulli hodie ex doctis cognitum est, quoniam in peregrino & alio quàm nostro orbe nascitur.

ARCTION. Ca. XCI.

Arction

A Arction quo nomine iam appelletur, non constat, quamuis Ruellius hoc cognouisse uideatur.

ARCION. Ca. XCII.

Ἀρκεῖον, siue προσωπίς, Latinis Personatia & Lappa grandis, Pharmacopolis Bardana, Germanis Butzenkletten & Roßkletten uocatur. Confundunt quidam Arction cum Arcio, ut Brunfelsius & Ruellius, magno tamen errore. Sunt enim diuersæ herbæ, sed facilè hoc Librariorum & Chalcographorum incuria accidere potest. Brunfelsius uehementer errat, quòd Vngulam caballinam Arcion siue Personatiam esse dixerit.

PETASITES. Ca. XCIII.

Πεταςίτης à petaso, id est, galero nomen habet. Grande enim illi est folium, quod caput humanum à Solis æstu, uice galeri defendere potest impositum. Mediam habet hæc herba inter Personatiam & Bechion figuram, folia tamen huic rotundiora quàm Personatiæ sunt. Primo uere spicam longã purpurascentibus floribus plenam protrudit, qui lappularum aliquam habent similitudinem, sed reuera lappæ non sunt. Germani Petasiten heublen uocant. Nascitur ulignosis & pinguibus locis.

EPIPACTIS. Ca. XCIIII.

Epipactis quæ sit herba, hodie omnino ignoratur, nec facilè erit eam inuenire, quoniam nullus ex ueteribus, ut in re nota fit, totam eius historiam posuit. B

CAPNOS, ID EST, FVMARIA. Caput XCV.

Καπνὸς Latinis Fumaria & Fumus terræ, Germanis Erdtrauch/Mannenkraut/& Daubenkropff dicitur. Sunt etiam qui Wilderautẽ appellant, sed malè. Capnos hæc, quã Dioscorides describit, ubiq; in Pharmacopolijs Fumi terræ appellatione habetur. Nascitur in agris. Est & alia Capni species, cuius Plinius & Aëtius meminerunt. Vocatur hæc Capnos siue Capnium phragmites, quòd in dumosis sepibus nascatur, & Capnos Chelidonia, quòd Hirundinum aduentu erumpat. Cauliculo eius, ubi è terra erumpit, gallinaceorum calcaribus simile quiddam adiacet, à quo etiam Romanis pedes gallinacei dicta fuit hæc herba, ut apud Plinium legitur. Hæc Capni species proculdubio est ea herba, quam Germani Holwurtz & Hanensporn appellant, quam ubiq; per Germaniam Aristolochiam rotundam uocant, sed magno errore, ut in tertio libro diximus. Habent enim huius herbæ folia Rutæ & Fumi terræ foliorum mediam similitudinem. Aristolochiæ uerò omnes hederaceo constant folio.

SATIVA LOTVS. Caput XCVI.

Græci Loti appellatione eas herbas indicant, quas ipsi alio nomine τρίφυλλα, & Latini Trifolia uocant, Germani Klee. Has omnes Arabes Andagogæ appellatione comprehendunt. Loti species omnes sponte nascuntur, sola satiua excepta, quæ in hortis seritur. Propterea quamuis hæc nullam habeat apud autores descriptionem, cùm solam in hortis seratur, ex omnibus alijs loti generibus, facilè erit eã cognoscere. Est itaq; hæc sine dubio Trifolium illud satiuum, quod Germani Gartenklee / aliqui etiam ab autore, Nardes, id est, Nardum uocant. Spirat enim iucundum odorem siccata. Flores habet in capitulis ferè cœruleos, quibus in ijsdem capitulis semina succrescunt Fœnugræci seminibus simulia, sed multò minora, in leniter aculeatis utriculis inclusa. Quoties igitur apud Arabes simpliciter Andagogum scriptum inuenerimus, hæc herba accipienda est. Nam hodie ex Trifolij uulgaris genere sine odore herbulã hirsutam, nullas uires præter astringendi habentẽ, et ubiq; in agris nascentem, Andagogam uocant, sed magno errore.

C

SYLVESTRIS LOTVS. Cap. XCVII.

Syluestris Lotus hoc nomine nulli hodie cognita est, propterea nihil adhuc certi de ea pronunciare ausim.

MILLEFOLIVM. Ca. C.

Μυριόφυλλον, quod Latini Millefolium uocant, plurimùm differt ab ubiq; uocato Millefolio, quod antea Stratioten Millefolium esse indicauimus. Nam Stratiotes asperis & siccis locis nascitur, hoc uerò Millefolium palustribus. Porrò Germani hanc herbam Wasserfenchel/& Wassertannen appellant, quoniam folia eius Fœniculo similia sunt, & tota herba nuper natam abietem figura imitatur. D

MYRRHIS. Ca. CI.

Myrrhis umbellifera est herba, Cicutæ ualdè similis. Nascitur iuxta arbusta, & Germanis Buschmörren uocatur. Sunt etiam qui Kelberkernen appellant. Sed hoc nomine eam indicare non satis tutum est. Nam & Cicuta palustris etiam Germanis Kelber uocatur. Et non rarò accidit, pueros nominum uicinitate deceptos, hanc pro illa cibi gratia tempore famis eruere, & comesta mori. Cuius rei aliquot exempla uidi.

MYAGRVM. Ca. CII.

Myagros hoc nomine ignota hodie est. Ruellius tamen eam cognouisse uidetur, sed sibijpsi non constat. Nam lib. 3. cap. 26. semen eius Fœnugræco comparat, & bene. In quibusdam tamen Dioscoridis exemplaribus non τήλεως, id est, Fœnugræco, sed προχήλῳ, id est, ceruici, magno errore cõparat. Quam enim figuram Fœnugræci semen cum collo siue ceruice habet? Ruellius uerò in lib. 2. cap. 30. ubi

A 30. ubi quid sit Μύαγρον indicat, & deinceps notas eius descriptioni confert etiam, dicit semen eius in colli speciem exporrigi. Quo loco manifestè uidemus, quomodo cogat etiam falsam notam descriptioni respondere.

OENAGRA. Ca. CIII.

Οἰνάγρα, siue οἰνόθηρας, uel ὄναγρα, ut quædã exemplaria habent, hodie ignota est planta.

CIRSIVM. Cap. CIIII.

Cirsion, quod aliqui transpositis literis Crision uocant, nequaquam est uulgo uocata Buglossa, ut Leonicenus & Ruellius scribunt, salua tamen doctißimorum uirorum autoritate. Certum enim est uerum Buglossen esse Boraginem. Cirsion uerò quoniam Buglosso siue Boragine grandius est, grande etiam Buglossum appellabatur. Vulgaris autem Buglossa, siue Hircina barba uel lingua, Boragine multo minor existit. Ergo nequaquam Cirsion esse potest. Antea etiam uulgarem Buglossam Echion esse indicauimus. Sed uerum Cirsium grandis est herba, latis & multo longioribus quàm Borago foliis, proceriore etiam caule. Seritur à quibusdam apud nos in hortis, et maius siue Italicum Buglossum uocatur.

ASTER ATTICVS. Cap. CV.

B Astera Atticum Arabum interpretes, & Pandectarum autor Matthæus Syluaticus, cum Eryngio confundunt, sed fœdo errore. Sunt enim diuersißimi generis herbæ. Ruellius quoq; Astera Atticum non rectè indicat, quamuis non suam, sed aliorum de hac herba opinionem ponit. Ego autem scio me uerum Astera Atticum in montibus circa Ienam inuenisse. Non enim meliùs historiæ conuenire posset, tam exquisitè respondent descriptioni omnes eius herbæ partes. Nascitur in petrosis montibus, ut quædam etiam Dioscoridis exemplaria indicant. In quibusdam etiam exemplaribus de floribus eius legũtur ἄνθος πόρφυρον ἢ μήλινον, id est, florẽ purpureum aut luteum, sed falsò. Non enim in quibusdã locis purpureos, & in quibusdam luteos habet. Sed utrunq; colorem simul iidem flores ostendunt. Quapropter πόρφυρον καὶ μήλινον, id est, purpureum & luteum legendum est. Hoc enim alia exemplaria & ipsa floris figura testantur. Media nanq; floris pars luteum habet colorem, circa quam parua & purpurea foliola, ut in Chamæmeli floribus uidemus, dispositasunt, quo fit ut purpureo & luteo simul colore Asteris flos describatur.

ISOPYRVM, HERBA. Caput CVI.

Quæ sit Isopyron herba, hodie nulli incognitum est, neq; aliquis adhuc ex recẽtioribus eam inuenit.

VIOLA NIGRA. Ca. CVII.

Ἰον μέλαν Romani Violam purpuream uocant, C
Germani Violen/siue Veielen. Nota omnibus hæc herba est, quæ primo uere ubiq; in hortis & uepribus emicat, coliculo gracili, & ualde odorato flore. Herba eius in Pharmacopolijs Violaria uocatur.

CACALIA. Ca. CVIII.

Cacalia non est agreste Carui, ut quidã apud Ruellium opinantur. Hodie enim omnino incognita est.

BVNIVM. Ca. CIX.

Bunion nulli hodie hoc nomine notum est. In secundo libro sermo de Buniade etiam habebatur, quæ plurimùm ab hoc Bunio differt.

PSEVDOBVNIVM.

Pseudobunium in Creta nasci Dioscorides scriptum reliquit. Quapropter nescio an apud nos etiã nascatur. Hodie uerò quid sit, omnes ignorant.

HEDERA TERRESTRIS. Caput CX.

Terrestris hedera, quam Græci χαμαικισσὸν uocant, non est herba illa, quæ Germanis Grundelrebe dicitur: de qua re parẽs meus in Botanologico suo disseruit.

CHAMAEPEVCE. Ca. CXI.

Quædam exemplaria pro χαμαιπεύκη, χαμαιλεύκη habent, sed malè. Nam Chamæleuce diuersa est ab hac herba, et eadem cum Bechio, id est, Tußilagini. Correctiores uerò codices et Plinius Chamæpeuce habent, id est, pumila picea. Est enim paruus frutex Chamæpeuce, foliis uirentibus, & piceæ similibus, odore admodum graui, & Germanis Sewtannen/ Eichtannen/ & Zeitheyde appellatur. Quidam hunc fruticem etiam Chamæpityn uocant, sed malè: ut suo loco indicauimus. D

BVGLOSSVM. Ca. CXII.

Verum Buglossum, quod ueteres Medici intelligunt, sine dubio est omnibus nota Borago. Nam Apuleius dicit Corragnem à Lucanis appellari Buglosson, B, litera in C, mutata. Folia Buglossi ueteres dixerunt animi uoluptates & lætitiam facere, si uino injciantur. Idem nos Boraginis floribus tribuimus.

CYNOGLOSSA. Ca. CXIII.

In hisce regionibus malè asperam Anchusam illam quam Lycopsin esse diximus, Cynoglosson uocant. Veram autem Cynoglossam omnes aliæ Germaniæ gentes Hundszunge/ id est, Caninam linguam uocant: quam etiam Pharmacopolia habent. Dioscorides ei caulem negat, & nos etiam sine caule eam nasci ubiq; uidemus, quibusdam tamẽ temporibus eadem caulẽ, purpureos flores, et post hos minutos

A minutas lappas producit, quas Plinius etiam illi tribuit. Ergo imprudenter Ruellius scribit, non esse Cynoglosson quod in Officinis habeatur, quoniam caules & lappas ferat. Multis enim nunc annis obseruauimus Cynoglossam interdum sine caule nasci, ut Dioscorides eam depingit, reuera tamen caulẽ fert. Duplex inuenitur Cynoglossa, maior & minor. Hæc Dioscoridi non fuit cognita, & fõlijs, caulibus, floribus & lappulis maiori similis est, Sed minora hæc omnia habet. Quinetiam natales & odoris uires cum illa communia habet.

PHYTEVMA. Ca. CXIIII.

PHyteuma hodie omnino incognita est herba, neq; opus ea magnoperè habemus, si amatorijs tantum ueneficijs est utilis.

LEONTOPODIVM. Caput CXV.

LEontopodion similiter ut Phyteuma incognita nobis est, nec alias habet in Medicina uires, quàm quòd amatorijs ueneficijs utilis sit. Quædam tamen exemplaria eam corpori fõris impositam abscessus discutere addunt.

HIPPOGLOTTON. Caput CXVI.

QVædam exemplaria Hippoglosson habẽt, sed malè. Nam nomen suum ab Hippoglot

B tide inuenit. Habet enim, ut Plinius etiam ait, parua fõliola linguularum fõrma ex fõlijs exeuntia. Propterea Vergilius Marcellus malè Hippoglosson legi censet, qui nequaquam etiam uerũ Hippoglosson in suo Commentario indicat. Nescio enim quam spicatam lanuginem introducere conatur, cùm tamen nullus unquã autor alicuius lanuginis uel spicæ in hac herba mentionem faciat. Mihi profectò hoc Hippoglossion, siue Hippoglossidion, siue Hippoglotton eadem esse uidetur cum Lauro Alexandrina. Vtrunq; enim Hippoglossum ab hoc autore & alijs omnibus uocatur, utrũq; Rusci fõlio describitur. In Lauro Alexandrina tamen paruorum fõliorum ex fõlijs nascentiũ non meminit: ècontra etiam in huius Hippoglossi historia, fõlijs adnati fructus mentionem non facit. Sed hoc meam opinionem magis confirmat. Quod enim utriusq; descriptioni deest, id etiam ex utriusq; descriptione sarciri potest. Quo fit, ut unam tantùm herbam Hippoglosson & Alexandrinam Laurum esse cognoscamus. Nam habemus in Pharmacopolijs herbã Vulgariæ nomine, è cuius fõlijs alia minora nascũtur fõlia, quæ omnia Rusci modo aculeata sunt, sed molliora. In medijs uerò fõlijs iuxta parua fõliola rubentem fert fructum, Ciceris magnitudine. Hæc itaq; Vuularia Hippoglossi & Alexandrinæ Lauri descriptioni optimè conuenit. Ruellius hoc loco laudandus est, quòd Hippoglosson Bonifaciam, siue Paganam linguam ab Italis uocari scribit. Est enim Bonifacia eadẽ herba, quæ Pharmacopolis Vuularia, C & Germanis Zepfflinkraut / Zungenblat / & Berblat appellatur. Nec me mouet, quòd Galenus & Aegineta diuersis locis de Hippoglosso & Alexandrina Lauro agant. Aegineta enim ex Galeno, Galenus ex Dioscoride earum uires transcripsit. At certò scio, Galenum Hippoglossi nomine ab Alexandrina Lauro diuersam herbam non cognouisse. Potuit itaq; hæc una herba ab alio Hippoglossum, ab alio uerò autore daphne Alexandrina appellari. Nam Theophrastus Alexandrinæ lauri tantùm meminit, proculdubio sub hac etiam Hippoglosson intelligens, cuius alibi nusquam mentionem facit. Vnde Dioscorides etiam, & qui Dioscoridem secuti sunt scriptores, occasionem nacti sunt credendi Hippoglossum ab Alexandrina Lauro differre. Talis quoq; error ipsi Dioscoridi in Phyllo & Mercuriali accidit. Similes etiam innumeros in Plinio inuenias. Alexandrina laurus etiam Idæa dicitur, quod si aliquis ignorauerit, & nomen illud solum apud autorem aliquem inuenerit, statim opinabitur, eam sui generis esse herbam, sed falsò. Constat etiam certissimis uulgi experimentis, Vuulariæ radicem etiam sicam bubones in peste maturare. Hinc est quòd malacticam uim Hippoglossi radici autores tribuant. Quinetiam Vuularia difficulter parientes cpota adiuuat, menses cit, & calculos pellit, quæ licet omnia uulgi experimenta sint, tamen eadem etiam facultates Lauro Alexandrinæ autores adscribunt. Cùm igitur Vuularia utriusq; descriptioni respondeat, & D utriq; etiam attributis uiribus polleat, ac Alexandrina laurus & Hippoglosson etiam eandem historiam & idem nomen habeant, sine dubio Vuularia eadẽ est cum Alexandrina lauro, & Alexandrina laurus eadem cum Hippoglosso. Possemus hoc loco plura argumenta afferre, si non breuitatis causa illud omitteremus.

ANTIRRHINVM. Caput CXVII.

ANtirrhinon, siue Anarrhinum, quod alio nomine Cynocephalea & Bucranion appellatur, fructum fert canino siue uitulino capiti similem, tam exquisita similitudine, ut etiã os & nares in eo appareant, quæ in maturitate aperiuntur, ut per eas maturum semen excidere possit. Nascitur ubiq; in agris & hortis. Germanicum eius nomen est Braekenhaupt, Hessis etiam Orant uocatur. Quod uocabulũ pluribus herbis tribuitur, quæ à ueneficijs hominem tueri superstitiosè creduntur. Idem etiam de Antirrhino ueteres tradiderunt.

CATANANCE. Ca. CXVIII.

CAtanances duæ sunt species. Cùm uerò utriusq; ad amatoria tantùm usus sit, nihil refert eam non cognosci. Mirum in modum autem errat Ruellius, quòd Bistortam alteram Catanancen esse credi-

A credit. Atq; in hac sola herba uidere possumus, quomodo ad descriptiones torqueat plantarum partes. Catanance enim folia figura & colore oleæ folijs similia describuntur. At oleæ folia minimi hominis digiti longitudinem & latitudinem non habent. Bistortæ uerò folia dimidij ferè pedis latitudinem habent, & sesquipede etiam longiora sunt, quæ nullam cum oleagineis folijs proportionem habent. Cætera taceo.

TRIPOLIVM. Ca. CXIX.

TRipolium (si Arabibus, & ex his in simplicibus exercitatissimo Serapioni credimus,) nihil aliud est quàm Turbith Arabicè dicta herba, cuius radices in Pharmacopolijs habentur. Serapio in sui Turbith descriptione, totum Dioscoridis caput de Tripolio recenset. Dioscorides certè Tripolij radicem per aluum aquam & urinam pellere scribit, quæ uires omnes Medici Turbith habere nouerunt. Illi uerò uehementer errant, qui Pityusam Turbith esse dicunt. Nam Arabes seorsum etiam à Turbith Pityusam describunt.

ADIANTVM. Cap. CXX.

DVplex est Adianti genus, candidum & nigrum. Vtrunq; tamen Polytrichon, Callitrichon & Capillus Veneris uocatur. Recentiores inexcusabili errore Scarleam Callitrichon uocãt, quæ diuersissima est herba ab Adianto. Hunc errorem Ruellius quoq; animaduertit, qui Scarleam saluiam transmarinam appellat. Est autem Adiantum ex Filicum genere ferè minima. Dioscorides nigrum tantummodo describit, quo diu caruimus, nunc uerò copiosè affertur, & à Pharmacopolis Capillus Veneris uocatur. Habet hoc nigros, splendentes & extremæ grácilitatis coliculos. Malè autem in eius historia legitur: φύλλα ὅμοια πτερίδι, quæ uerba ab aliquo adiecta sunt. Nam antea eius folia diligenter descripsit, cùm ait: φυλλάρια ἔχει πολιὰν δρῦν ὅμοια. Imposititia & adulterina igitur sunt ista uocabula: Folia Filici similia. Nam ipse etiã Serapio ea non habet, quamuis totam Adianti historiam ex Dioscoride transscripserit. Candidum aliud Adiantum dicitur, quòd respectu nigri candidiores habeat coliculos, qui aliàs reuera in uiridi pallent. Hoc à Germanis Maurrauten/ & Eselfarlin dicitur, quoniam onisci animalia in humidis muris, iuxta illius cespites agunt.

TRICHOMANES. Ca. CXXI.

ET Trichomanes quoq; à capillo similibus coliculis nomen inuenit. In Pharmacopolijs Polytrichon uocatur, quãuis hoc omniũ Adianti specierũ cognomen potius sit, Germanicum eius nomen est Steinfarlin/ & Steinfeder. Sunt etiam qui Saxifragiam illud uocant, sed nimis latè patet hoc uocabulum.

XANTHIVM. Cap. CXXII.

XAnthion inde nomen habet, quòd flauos faciat capillos. Nascitur ubiq; in iisdem in quibus Dioscorides ait locis, & Germanis Betlerolen se/ & Igelkletten appellatur.

AEGILOPS. Ca. CXXIII.

FAcilè quidem est dictu, Aegilopem sterilem esse Auenam, & Hordeum necare, sed eam indicare non est cuiusuis.

BROMVS.

Bromos quoq; sterilis Auenæ species est. Cùm autem eius generis plures in arus reperiantur herbæ, non facilè indicari potest.

GLAVX. Ca. CXXIIII.

Glaux non tantùm in maritimis locis nascitur. Nam apud nos etiam in siccis apricis montibus & abruptis uijs inuenitur.

POLYGALA. Ca. CXXV.

Ab effectu nomen suum hæc herba inuenit. Lactis enim generandi facultatem possidet. Germanis Wil de Süßwurtz appellatur.

OSYRIS. Ca. CXXVI.

OSyris sine dubio est ea herba, quam nunc Linariam recentiores uocant, Germani uerò Krotten flachs/ & Harnkraut. De qua re etiam parens meus in suo Botanologico scripsit.

SMILAX ASPERA. Caput CXXVII.

ASperam Smilacem, quam Theophrastus etiã Cylissam hederam uocat, in Germania non nasci puto, Quoniam ex Cilicia in Græciam translata sit. Et nunc in Italiæ quibusdam locis in hortis ostentationis causa colitur. Florem habet odoratum, cuius Ouid. meminit, cùm ait: Et Crocon in paruos uersum cum Smilace flores. Ramulos & folia eius uidi, quæ Georgius Agricola (cuius antea memini) secum ex Italia attulit.

LENIS SMILAX. Caput CXXVIII.

LEnis Smilax eadem est cum satiua, quæ Dolychus etiam appellatur: quod palàm fiet, si quis alios autores de Smilace legat, qui eandem herbam lenem & satiuam esse indicant, & duo tantùm Smilacis genera esse dicunt, scilicet asperũ, & lene, quod in hortis nascitur. Ad hæc si utriusq; descriptio & uires in hoc autore considerentur, quilibet iudicabit eandem esse herbam, lenem & hortensem Smilacẽ. Propterea ipse Dioscorides errauit, quòd crediderit lenem Smilacem proprium genus à satiuo haberi. Dioscoridem in hac re secutus est Galenus, qui ait, lenem Smilacem asperæ similes uires obtinere, quod falsum est. Nam Lenis Smilax terrestri con-

A stat substantia, ut omnia ferè legumina: propterea etiam grauia & tumultuosa facit insomnia. Asper uerò Smilax longè alio cõstat temperamento, quod ex gustu percipi potest. Sapore enim nihil commune cum leni Smilace habet. Cùm autem plantarum tẽperamenta & facultates (ipso Galeno teste) ex sapore iudicentur, necesse etiam est, asperam Smilacem nihil in utribus cum leni Smilace commune habere, ut Dioscorides etiam indicat, qui Smilacem lenem tumultuosa insomnia facere dicit, Asperam uerò contra letalia uenena antidotum esse. Cùm igitur tam breuiter Galenus lenis Smilacis uires perstringat, & minimè uerum temperamentum illi assignet, facilè colligitur, ipsum nescisse quid lenis Smilax esset.

RVSCVS. Ca. CXXIX.

Μυρσίνη ἀγρία, siue ὀξυμυρσίνη, Latinis Ruscus appellatur. In Germania eam nasci nondum uidi, uel ab alijs nasci audiui. Propterea nullum eius Germanicum nomen expiscari potui. Quidam cum mihi locum in Germania describeret, ubi copiosè Ruscus nasceretur, eò ut uiderem uiuam plantam profectus sum. Ruscum minimè inueni, sed aliam herbam graminis folijs ijsq; mollissimis, quorum figura non posset magis à Ruscifolijs differre, radices tamen Rusco similimas, quod ad figuram attinet, habentem, quarum in plurimis Pharmacopolijs pro Rusco usus est, & Ruscifradices appellantur, Sed magno errore. Nam uerum Ruscum uidi aridum ex Italia allatum, dura & aculeata folia habentem: quam ob causam Vergilius quoq; horridum eum appellat.

B

Huius Oxymyrsinæ fructus plurimùm differunt à Cubebis aromaticis granis, quos duos fructus Serapio eosdem esse credidit: quem errorem iamdudum deprehendit & scriptis mandauit, doctissimus uir Nicolaus Leoniceus, cuius inuentum alij etiam sibi adscripserunt.

LAVRVS ALEXANDRINA. Cap. CXXX.

De Lauro Alexandrina, siue Idæa, in Hippoglosso satis dictum est. Serapio huius quoq; in Lauri capite meminit, Hippoglossi uerò nusquã, proculdubio intelligens Hippoglosson à Lauro Alexandrina nihil differre. Porrò quod ad capitis huius emendationem faciat, etiã prosequamur. Omnia exemplaria folia Lauri Alexandrinæ, Ruscifolijs comparant, quædam tamen minora esse indicant. Ruscifolia autem multò minora sunt, quàm Vuulariæ. Ergo dicet aliquis, Vuulariam Laurum Alexandrinam non esse, Cuius uenia dico, locum in Dioscoride corruptum esse, nec minora sed maiora legi debere, quod Plinius & Serapio claris uerbis ostendunt. Hic cum de uerbo ad uerbum eius historiam ex Dioscoride transscripsit. Testantur idem correctiora exemplaria, in quibus manifestè Μείζονα, id est, maiora legitur. Huius autem erroris causa & origo est, uocabulorum contrariam significationem habentium similitudo. Μείον enim minus, μεῖζον uerò maius significat. Facilis itaq; & lubricus est ex alterutro in alterutrum lapsus. Fallitur Ruellius in indicanda hac herba. Non enim cognouit eam cũ Hippoglosso eandem esse.

C

DAPHNOIDES. Cap. CXXXI.

Δαφνοειδὲς recentiores Laureolam uocãt, quæ in nostris Pharmacopolijs nõ habetur, nec ego quæ sit compertum habeo.

CHAMAEDAPHNE. Cap. CXXXII.

Chamædaphne, ut à Dioscoride describitur, non multum ab Alexandrina Lauro differt. Hodie non cognoscitur, si alia & diuersa est ab Alexandrina Lauro.

VERATRVM ALBVM. Caput CXXXIII.

Ἑλλέβορος λευκὸς, id est, Album ueratrum, siue albus Helleborus, Germanus weiß Nieß wurtz uocatur, ubiq; in Pharmacopolijs habetur. Vulgares Herbarij confundunt Dictamnum, Helleborum album, & Sigillum Salomonis, id est, Polygonaton, ut antea etiam dictum fuit. Albus Helleborus copiosè in Germaniæ Alpibus iuxta Heluetios nasci dicitur.

D

VERATRVM NIGRVM. Cap. CXXXIIII.

Ἑλλέβορος μέλας, id est, nigrum Veratrum, apud nos in hortis plantatur: quamuis quibusdam in locis sponte proueniat. Nascitur ad Herciniam syluam Sesamoidis genus, cuius radices Radicarij Agyrthæ Pharmacopolis pro Helleboro hoc uendunt. Sunt enim illi similimæ, sed multò inefficaciores, quoniam non tam uehementer ut illæ purgãt. Hinc est quòd aliqui temerè pronuncient, nos uero Helleboro carere. Porrò Hellebori huius flores à Dioscoride in candido purpurascentes, & figura cemosi describuntur, quod ex minori Sesamoide huc adscriptum est. Aliqui enim hunc Helleborum cum Sesamoide confundunt. Sed uerus niger Helleborus uiridem in pallido florem habet, & minimè racemosum, Germanicè schwartz Nieß wurtz / & Christ wurtz appellatur. Folia habet Platano, siue Aceri similia, profundiùs tamen & usq; ad pediculum per ambitum secta, & quælibet eius diuisuræ seu partes undiq; serræ modo asperis incisuris horrent. Quæ uerò ab Agyrthis pro Helleboro iam uenditur, Nigellæ constat folijs.

SESA-

A

SESAMOIDES MAIVS. Caput CXXXV.

SEsamoides dicitur, quòd Sesamo simile semen habeat. Hoc in Anticyra nasci dicitur. Vires quas Dioscorides huic adscripsit, Plinius Sesamo assignauit, malè Sesamum pro Sesamoide, in hoc autore legens. Plinium secutus est Ruellius, Sed miror hunc tam crassum errorem adeò non animaduertisse, ut etiam ipse in eum inciderit.

SESAMOIDES MINVS.

MInus Sesamoides foliis priori dissimile existit. Ab huius historia non multùm abludit ea herba, quam Agyrthæ Pharmacopolis pro Helleboro nigro uendunt. Vires enim easdem habet, nec radicum descriptio dissidet, quæ tenues, graciles & nigri Hellebori radicibus similes sunt. Germanis hæc herba klein Christwurtz appellatur.

CVCVMER AGRESTIS, ET ELAterium. Ca. CXXXVI.

Σικυος ἄγριος, Latinis Cucumis agrestis, siue anguinus, & à recentioribus Asininus appellatur. In Germaniæ quibusdam locis ad Medicinæ usum seritur, & ab holitoribus pompen uocatur, propterea quòd semen & humorem eiaculetur, quemadmodum machinæ quædam aquam, quas nos pompen appellamus. Elaterion uerò est exiccatus & in pastillos conformatus fructuum succus. Dissident autem in eius electione grauissimi autores, Aegineta, Dioscorides, & alij. Ego autem Aeginetæ sententiam magis laudauerim, qui illud probat, quod ad uiridẽ colorem inclinat, Dioscorides uerò candidum. Sed impossibile est uiridem per se succum, cùm exiccatur, candidum fieri. Quod uerò ex radicibus fit Elaterion, candidum colorem acquirit. Nam ipse succus etiam lacteus est. Sunt & alia quædam in hoc capite absurda, ubi Elaterij conficiendi modus traditur. Sed huius instituti non est, omnes errores discutere.

B

PEDICVLARIS HERBA. Caput CXXXVII.

Staphis agria, siue Phthyroctonon, Latinis Pedicularis herba, & Pharmacopolis adhuc Staphis agria uocatur. In Germania eam nondum nasci uidi.

THAPSIA Ca. CXXXVIII.

THapsia à Thapso insula, in qua primùm inuenta est, appellatur: rarò afferuntur ad nos radices eius, interdum tamen pro Turbith aduehuntur. Est autem ferulacea & Fœniculo similis planta. Nicander Trinacriam Thapsiam probat. In Sicilia enim efficacissima nasci creditur.

GENISTA. Cap. CXXXIX.

SParton Latini Genistam, Germani Günster uocant. Copiosissimè nascitur in Hessiæ montibus, ubi etiam arborescit. Semina eius in Pharmacopolijs habentur. Est autem duplicis differentiæ. Quædam in funes torquetur, ex qua etiam corbes Vuis passis & ficubus seruandis texuntur. Altera non tam lentas habet uirgulas, ut simile quiddam ex ijs fieri possit. C

SILLYBVM. Ca. CXL.

Sillybum quid sit, nemo adhuc compertum habet. Serapio illud Hacub Alkandec uocat.

GLANS VNGVENTARIA. Cap. CXLI.

Βαλανος μυροπικη, ab Arabibus granũ Ben appellatur. Sunt etiam radices Been uocatæ, sed ab Vnguentaria glande diuersæ. Videndum igitur est, ne eas confundamus, ut quidam faciunt. Affertur rursus ad nos ex Aegypto fructus hic. Theophrastus eum simpliciter etiam Βάλανον uocat, nulla adiecta differentiæ nota, Martialis quoq; in Apoph. Mirabolanum, cùm ait:

Quod neq; Vergilius, neq; Carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento constat, & ex Balano.

NARCISSVS. Cap. CXLII.

NArcissi plura sunt genera. Ex his purpurei serò florere feruntur. Candidi uerò Narcissi (de quibus Dioscorides scribit) genus est, flos ille quem Germani Mertzen blůmen / & Josephs stãbe appellant. Nascitur Lipsiæ in syluis. Sponte in hortis & sepibus in Hessia. Hodie nullus est huius in Medicina usus. D

HIPPOPHAES, HERBA. Caput CXLIII.

Hippophaës quid sit, hodie omnino ignoramus. Herba autem est ex aculeatarum genere.

HIPPOPHAESTVM. Cap. CXLIIII.

Hippophæston quoq; nulli hodie hoc nomine cognitum est.

RICINVS. Ca. CXLV.

CRoton siue Cici, Latinis Ricinus dicitur, quoniam semen habeat Ricino insecto simile. Est autem Ricinus animal paruum, quod ouium, canũ et boum feminibus ac cuti adhæret, exitu carens, propterea eo usq; sugendo se implet, donec rumpatur. Germanis ein Zecke appellatur. Porrò ipsam plantam Pharmacopolæ Cataputiam maiorem, Arabes Kerua, & Germani Wundelbaum / & Römischen Hanff appellant. Seritur à quibusdam ostentationis causa in hortis. Platano & Aceri similibus foliis, sed maioribus. Agyrthæ eũ Türckischen Hanff uocant: quod nomen uulgus etiam retinet.

TITHYMALI. Cap. CXLVI.

TIthymalum Latini Lactariam herbam appellant. Est autẽ omnibus illius speciebus lacteus

A liquor, qui ex abrupta herba emanat. Cùm uerò plures sint herbæ præter Tithymalos, quæ lacteum habent liquorem, necesse est earum differentias ponere, ne aliquis error committatur, qui in his herbis cõmitti possint maximi. Sunt enim quædam lacteum liquorem habentes frigidæ, quædam etiam in summo caliditatis gradu constitutæ. Constituamus igitur tres illarum differentias. Prima Tithymalorum esto, Altera Intybaceorum, Tertiæ uerò adscribamus eas plantas, quæ neq; ex Tithymali neq; ex Intybaceorum genere sunt. Quomodo autem illæ ab inuicem dignosci possint, nunc ostendemus. Tithymalus quamuis in multas species diuidatur, omnes tamen oblongo & nullis incisuris diuiso folio constant. Intybaceæ uerò herbæ omnes circumroso & inciso per ambitum constant folio. Tithymalorum maxima pars umbellas habet. Quibus uerò hæ non sunt, illæ loco earum in medio duorum foliorum singulos flores & fructus ferunt. Intybacea uerò in singulis pediculis singulos habent flores, ex minimis foliolis cõpactos, colore luteos, sola Condrilla minore & Cichorio excepto, quæ interdum cœruleos, interdum candidos flores producunt. Intybaceorum omnium flores in lanuginem uocatam pappos resoluuntur. Tithymalorum uerò minimè, qui omnes fructus habent tribus loculamentis distinctos, & in his singulis singulos nucleos. Intybaceorum semina cum pappis leniter per auram auolant. Tithymali cum impetu &
B crepitu suum semen eiaculantur. Intybaceorum lacteus liquor amaro gustu statim in lingua percipitur, Tithymalorum liquor à bubuli lactis sapore non multùm recedit, dum primò gustatur, deinde paulatim totum os & fauces accendit, & Coccogni dij modo urit, & foris cuti impositus exulcerat, quod Intybaceorum liquor minimè facit, propter temperamẽti frigiditatem. Hæ igitur herbæ quas iam ab Intybaceis suis notis distinxi, omnes Tithymali appellatione ueniunt, estq; hoc generale eorum nomen. Intybaceæ uerò herbæ sunt omnes Lactucæ species, utraq; Condrilla, utrunq; Hieracion, Intybum satiuum & agreste, quod Cichorion uocant, & quæcunq; his similes sunt, & lacteo liquore manant. Tertia uerò lactariarum plantarum differentia ad neutrum genus illorum referri potest, neq; simul unum proprium reuera genus habet, ut Tithymali & Intybacea. Non enim sibijpsis, ut illa, similes sunt. At huiusmodi pauca inueniuntur, ut Ficus, Erinos herba, Scammonia, Cyssampelus utraq;, & tenella minoris Clematidis germina, quæ singulæ proprium habent genus, nec omnes sub eodem genere contineri possunt, ut Tithymali & Intybacea.

Tithymalorum autem, quas Latini priuatim lactarias herbas uocant, plures sunt species, sed nobis non perinde cognitæ: quamuis nos non pauciores etiã cognitas habeamus. Sed eæ quas nos habemus, partim à ueteribus non descriptæ sunt, & è contra nos non habemus aliquot, quæ apud illos descriptæ sunt.

Prima itaq; Lactaria herba, quæ Characias, id est, Vallaris appellatur, & mas existimatur, nulli hodie hoc uocabulo cognita est. Secunda, fœmina est, & Caryites Myrsinites q; appellatur, fructus ferens ceu nuces, & hæc uulgo non cognoscitur. Quidam tamen Nucem uomicam Pharmacopolis dictũ fructum, cornea soliditate, in hac lactaria nasci credunt. Tertia paralius est, in maritimis nascens, quam nemo adhuc ex recentioribus indicauit. Quarta Helioscopius dicitur, quòd comam suam cum sole circumagat. Hæc proculdubio mihi esse uidetur, quæ à Germanis Hundsmilch uocatur. Cyparissias quinta in ordine recensetur, ad quam refertur etiam Pityusa, quæ specie tantùm ab hac differt. Miror autem cur Cyparissias appelletur, cùm tamen Dioscorides eam nuper natæ pinu similem esse, & inde nomen accepisse dicat. Vnde necessariò sequitur, eã Pityusæ nomẽ habere. Nam Pitys pinus est, cui nuper è semine enatæ similis esse Cyparissias dicitur. Cyparissus uerò Cupressus est. Eadem igitur genere est Cyparissias & Pityusa. Porrò duæ sunt Pityusæ, minor & maior, propterea etiam post septem hos Tithymalos priuatim describuntur. Sine dubio autem Cyparissias & minor Pityusa, eadem herba mihi uidetur, quam Arabes Scobram, Pharmacopolæ uerò & recentiores Medici Esulam minorem, & Germani Wolffsmilch appellant. Sextum locum Dendroides habet, arboris modo ramosa & fruticosa, hæc mihi esse uidetur sine controuersia, quam Germani Steynmilch uocant. Nascitur in petris. Septima est Platiphyllos, à latitudine foliorum dicta, quam non facilè hodie aliquis demonstrauerit. D

PITYVSA. Ca. CXLVII.

Pityusa, ut antea dictũ fuit, duplicem habet differentiam. Minor genere à Cyparissia nihil differt. Maior uerò in pinguibus & uliginosis nascitur locis, recentioribus Esula maior, & Germanis Teufelsmilch appellatur.

LATHYRIS. Ca. CXLVIII.

Λαθύρις quoq; ex Tithymalorum genere est, forma & fruticosis ramulis insignis. Recentiores ei Pharmacopolæ eam priuatim etiam Tithymalum uocant, & Cataputiam minorem, quoniam fructus & semina maiori Cataputiæ, id est, Ricino similia habeat. Germanicè Springkörner/Springsamen & Fuchsmilch uocatur.

PEPLVS, HERBA. Cap. CXLIX.

Peplus parua est herba, ex Tithymali genere, ubiq; in hortis & uineis nascens, Germanicè Kleyne Hundsmilch dicitur.

PEPLIS.

A

PEPLIS. Caput CL.

Peplis genere Peplo cognata est, sed quo nomine iam appelletur, nulli cognitum esse puto.

CHAMAESYCE. Ca. CLI.

Chamæsyce dicitur hæc herba, quòd ficus modo lacteo liquore abundet. Hodie uerò incognita est.

SCAMMONIA. Ca. CLII.

Scammonia herba est nostro Cyssampelo, id est, Conuoluulo simulis, lacteo liquore etiam similiter plena, maiore tamen radice. Hinc est quòd Cyssampelus tenuis Scammonia uocatur, quoniam multò tenuiorem radicem quàm Scammonia habeat. Comparantur apud Dioscoridem Scammoniæ folia Helxines foliis, quo loco Helxine non Parietariam, sed Cyssampelum, id est, Conuoluulum significat. Colligitur ex Scammoniæ radice liquor, qui exiccatus ad nos perfertur, & similiter ut planta, ex qua fit, Scammonea uel Scammonium uocatur.

CHAMELAEA. Ca. CLIII.

Chamelæa est planta oleæ foliis, unde & nomẽ inuenit, quæ ab Arabibus & Pharmacopolis Mezereon appellatur. Huic similis est Thymelæa, id est, frutex in quo coccongnidion nascitur. Confundunt hodie diuersas has plantas. Nam Thymelæam quoq; Mezereon, & Coccongnidium grana Mezereon uocant, quantumuis admonuerit Dioscorides
B *Coccognidion non esse Chamelæa, id est Mezerij, sed Thymelææ semen.*

THYMELAEA. Ca. CLIIII.

Thymelæa frutex est, quem Germani Zebast/ & Zellershalß appellant, ex quo colligitur granum gnidium, quod composito nomine etiã coco cognidium appellatur. Nascitur pinguibus montanis & opacis locis.

SAMBVCVS. Ca. CLV.

Ἀκτὴ Latinis Sambucus, Germanis Holunder/ & Albern appellatur. Nota omnibus Sambucus est, flores candidos, & nigras baccas in latis umbellis ferens. Inuenitur etiam aliud Sambuci genus prædicto minus, floribus & baccis non in umbella, sed racemo constitutis. Baccæ rubentem habẽt colorem. Hoc à ueteribus non est descriptum. Nascitur pinguibus montanis locis.

EBVLVS.

Χαμαιακτὴ, id est, parua Sambucus, herba est. Autumno enim caules illi omnino pereunt, uirgas habet quadrangulas, Sambuci modo inanes, folia, flores, umbellas & baccas Sambuco similes & æquales, quamuis baccæ nõ nigrum habeant, sed rufum colorem. Germani eam Attich appellant.

PICNOCOMVM. Ca. CLVI.

Picnocomon quid sit omnino ignoramus. Brunfelsius in tertio Tomo nequaquam ueram huius imaginem pingi curauit. Malè Vergilius Marcellus semen eius porro simile interpretatus est. Correctiores enim codices πράσιν, id est, Marrubij, habent, non πράσον. Necesse enim est hanc herbam Marrubij semen habere, si oximo similes flores fert: quod si opus esset demonstrare, possemus ex plantarum constitutione, sumptis rationibus & argumentis.
C

APIOS. Caput CLVII.

Ἄπιον, quam ἰσχιάδα etiam uocant, herba hæc dicitur, quod pyro similem radicẽ habeat. Quidam etiam Raphanum syluestrem appellãt. Videndum tamen est ne cum agresti Raphano, id est Armoracia confundatur. Quædam exemplaria radicem eius Asphodeli radici similem faciunt, quædam Spondylij, sed facilis est ex altero in alterum lapsus. Ea uerò exemplaria quæ radicẽ huius herbæ Asphodeli radici comparant, deprauata sunt, siue ea Theophrasti, siue Dioscoridis fuerint. Asphodelus enim multas oblongis glandibus similes radices habet, ut Pæonia fœmina, quibus nulla est cum pyro similitudo. Spondylion uerò rotundam habet, & pyro conformem radicem. Ruellius seueram hanc Ischiada inuenisse putat, sed fallitur: quod ex diuersis facultatibus colligere possumus. Nam Ischiadis siue Apij huius una tantũ radix intra corpus sumpta, utrinq;, id est, per aluum & uomitum purgat, cuius q. liquor
D *sesquioboli pondere, id est, scrup. s. & gra. v. idem præstat. Eius uerò herbæ radice (quã Ruell. Hischiada esse putat) fames tempore pauperes in Gallia uescuntur, quod uidisse se Ruellius testatur. Cùm uerò Apij radix una tantùm tam uehementer purget, & corpus inaniat, minimè cibus & alimentum esse potest, neq; aliquis ea sine periculo uitæ uescetur. Illa autem cuius Ruellius meminit, alimentum est, Ergo minimè Hischias appellãda erit. Fateri autem omnes cogimur, nos hanc herbam ignorare.*

COLOCYNTHIS. Ca. CLVIII.

Colocynthis diminutiuum est à Colocyntha, id est, Cucurbita. Est autem Colocynthis Cucurbitæ syluestris genus, quam Pharmacopolæ Cucurbitam deserti, & Coloquintidam uocant.

EPITHYMVM. Ca. CLIX.

Epithymum, quo nos hodie utimur, uerum Epithymum esse negat Antonius Musa, infirmus admodum argumentis nitens, nos uerò in utranq; partem prolixè disputare possemus, si cum aduersarijs res nobis esset. Cùm uerò hæc amicis scribamus, satis sit eos nouisse, uerum Epithymum in Pharmacopolijs haberi, & reuera nihil aliud esse quàm Cuscutam in Thymo nascentem. Adnascitur etiam Thymbræ Cuscuta, quæ Epithymbrũ appellatur Cuscuta enim aliarum herbarum accidens est, è quarum cau-

A libus non aliter quàm uiscum ex arboribus, erumpit, quod nos diligenter obseruauimus. Propterea bene legitur apud Plinium, Epithymum sine radicibus nasci. Nam proprias radices minimè in terram agit, sed herbarum abundanti succo uinit & nutritur.

ALYPVM. Ca. CLX.

Alypum herbam qui cognosceret, nullum adhuc uidere uel audire mihi licuit.

EMPETRVM. Ca. CLXI.

EMpetron hoc an idem sit cum Sarxiphago superius descripto, uel diuersum, non facilè aliquis indicabit. Vtcunq; fuerit, nulla iam hoc nomine extat herba.

VITIS SYLVESTRIS. Cap. CLXII.

ALiquam planta hæc cum Vite similitudinẽ habet. Ideoq; hoc nomen inuenit, impropriè tamen. Non enim idem genus cum Vite satiua habet, ut satiua cultura tantùm ab hac distinguatur, sed suum genus à Vite diuersum habet. Germanis hæc syluestris Vitis Speckreben appellatur, & flores eius Speckliluen/Periclymeno ualde similis est. Videndum ergo erit, ne cum eo confundatur.

VITIS ALBA. Cap. CLXIII.

B Ἄμπελος λευκὴ, uiticulas, folia, & capreolos satiuæ Viti similia habet, & candidam radicem, propterea albæ Vitis nomen inuenit. Herba est sepes ascendens, quam Pharmacopolæ Bryoniam, Germani Zaunreben/Gichtrůben/Gichtwurtz/Hundsreben/& Stickwurtz appellant. Baccas fert rubentes.

VITIS NIGRA. Cap. CLXIIII.

Ἄμπελος μέλαινα in quibusdam similis est Albæ uiti, Radicem tamen nigram habet. Hæc eodem nomine iam appellatur. Habet autem nigras baccas.

FILIX. Caput CLXV.

FIlix siue πτέρις hæc, mascula appellatur, folia abuna radice multa emittit, magnarum auium alis similia, unde etiam nomen acquisiuit. Caulem nunquam producit, Germanicè Faren, siue Farenkraut uocatur, propterea quòd latos uentris lumbricos expellat, quos Faren Germani nominant.

THELYPTERIS.

Θηλύπτερις fœmina est Filix, proceris constat caulibus, et foliis pluribus, mascula Filice latioribus & breuioribus. Germani hanc Roßfarn appellant.

POLYPODIVM. Ca. CLXVI.

EX Filicum etiam genere est Polypodiũ, quod Latini Filiculam, siue Filicularem, & Germani Engelsüß/& Süßfarn appellant. Pharmacopolis Polypodij nomen cognitum est. Sunt etiam Germani qui Polypodium Steinfarn appellant, quoniã plerunq; in muscosis petris nascitur. Hoc tamen nomen differt à Steinfarlin, id est, Trichomane. C

DRYOPTERIS. Ca. CLXVII.

ΔΡυόπτερις Phthelipteri dissimilis est, multõ tamen minor. Nascitur in uetustarum quercuum muscosis partibus. Germanis, quoniam parua sit Filix, Erdfaren/Windtfaren/Baumfarẽ/et Eychfaren appellatur. Vulnerarias habet uires, rusticis non incognitas. Quærenda est in antiquis et umbrosis syluis, in quibus annosæ Quercus fuerint. In piceis & abiegnis syluis minimè prouenit.

CNICVS. Ca. CLXVIII.

CNicon Pharmacopolæ & recentiores Medici Carthamum appellant. Germani Distelsaffran/siue Feldtsaffran. Theophrastus de Historia plant. lib. 6. cap. 4. tria genera Cnici siue Cnaci describit. Vnum satiuum, quod Carthamum appellari iam diximus. Et duo syluestria. Ex his primum est quod à Dioscoride Atractylis libro tertio uocatur. Alterum uerò syluestre Cnicum, Dioscorides & alij Græci Acanthij nomine indicant. Propterea minimè errat Ruellius, quòd alterum syluestre Cnicum, Carduum benedictum appellari scribit, quẽ nos Acanthum esse in tertio libro diximus. Porrò Cnici flores à Dioscoride Croco comparantur, quo loco non ipsius Croci flores, sed in medio flore nascentia rubro colore stamina, quæ Crocus appellantur, intelligenda sunt. Nam Dioscorides non dicit, quòd Cnici flores Croci floribus similes sint, sed simpliciter Croco. Quilibet autem nouit Crocum non ipsum florem, sed floris stamina, ut iam diximus, significare. Igitur nullum turbare uel in dubitationem rapere potest florum Cnici cum Croco comparatio. D

MERCVRIALIS. Ca. CLXIX.

ΑΙνόζωστις Latinis Mercurialis, Germanis Bingelkraut appellatur. Duplex illius genus sexu distinguitur. Mascula appellatur, quæ bina semper, & testiculorum figura iuncta semina habet. Fœmina racemosos flores & semina producit. Repetantur hoc loco quæ superius de Phyllo herba dicta sunt, ubi indicauimus Phyllon proprium genus, & à Mercuriali hac diuersum non habere, sed idem esse Phyllon & Mercurialem Dioscoridis cum Theophrasti Arrhenogono, & Theligono. Pharmacopolis hæc herba Latino nomine cognita est.

CANINA BRASSICA. Caput CLXX.

KΥνικὴ, siue Cynocrambe, sine dubio est Mercurialis mascula syluestris: quod ipse Dioscorides etiam indicat. Herba est Mercuriali masculæ similis, semina uerò quàm Mercurialis maiora habet.

A bet. Fœmina in hoc genere nõ inuenitur. Nascitur in syluis, & Germanicè Wild Bingelkraut appellatur, Ruellius in hac herba indicanda errauit.

HELIOTROPIVM MAIVS. Cap. CLXXI.

Ἡλιοτρόπιον τὸ μέγα, id est, Heliotropion maius, qualis sit herba, & quomodo iam uocetur, ignoro cum omnibus, solus Ruellius eam sibi cognouisse uidetur, qui herbã Cancri appellari scribit: ubi diligenter animaduertendum est, Ruellium lõgè aliam herbam intelligere quàm Millegranũ, quæ apud nos herba Cancri uocatur. Nam hæc tam exigua habet foliola, ut uix conspici possint, & in arenosis arcis nascitur. Quam uerò Ruellius sic uocat, pingui solo prouenit, & Oximi folia habet, ut ille scribit. Vulgo creditur Heliotropium esse ea herba, quæ à Germanis Wegwart appellatur, sed falsò. Nam Wegwart Cichorium est, id est, Intybum agreste, cuius Dioscorides 2. libro meminit. Hoc autem loco Heliotropium seorsum ab illo describitur. Erroris causam protulit Plinius, qui cœruleum florem Heliotropio tribuit, qualem Cichorium habet, quem etiã cum sole circumagit. Quamuis igitur multæ sint herbæ, quæ solis cursum sequantur, una tamen est, quæ propriè Heliotropium dicitur, estq; duplex, maior & minor. De illa iam egimus, Hæc uerò iam sequetur. C

HELIOTROPIVM MINVS.

Ἡλιοτρόπιον τὸ μικρὸν quæ sit, hodie omnino ignoramus. Neq; aliquis adhuc eam scriptis ex recentioribus indicauit.

SCORPIOIDES.

Scorpioides hoc plurimùm differt ab herba, quã Theophrastus Scorpionem appellat. Nam Scorpioides hoc semina habet, Scorpionum caudis similia. Scorpio uerò apud Theophrastum radice Scorpionis caudæ simili describitur. Theophrastus autẽ Scorpionis appellatione primum Aconiti genus intelligit, quod aliàs Telyphonon & Pardalianches appellatur. Porrò Scorpioides quæ sit herba, hodie ignoramus.

FINIS LIBRI IIII.

IN LIBRVM V.

VINIFERA VITIS. Caput I.

B

NOTA omnibus est quæ in uineis colitur Vitis, Germanicè Weinstock appellatur. Plurimas habet hæc diuersis regionibus differentias.

LABRVSCA.

Ἄμπελος ἀγρία, Latinè Labrusca, Germanicè Wilder Weinstock appellatur, eadẽ est cum prædicta Vite, præterquàm quòd non colatur. Sola igitur hac nota ab illa differt. Nascitur apud nos circa uineas, & in uinearum sepibus.

VVA. Cap. II.

Σταφυλὴ, Latinè Vua, Germanicè Weintraub uocatur. Intelligitur autem hac appellatione totus in Vite racemus multis acinis cõstans. Ipse acinus Vuæ à Græcis ῥάξ, à Germanis ein Weinber appellatur. Passa uerò Vua σταφὶς Græcis, & Rosein Germanis appellatur, Cuius in Pharmacopolijs tres sunt differentiæ. Omnium maximæ sunt, quas hodie Cybebas appellant, anteriori pollicis articulo magnitudine ferè æquales, Arabibus Vua Cibib dictæ. Secunda differentia continentur uulgares, quas simpliciter Vuas passas uocamus. Tertia uerò omnium minimè, nullo intus nucleo. Afferuntur hæ non in racemis, sed ab his decerptæ, & in grandes massas compactæ. Pharmacopolæ eas Corinthiacas siue minores Passulas uocant. Germanicè Klein Rosein. D

LABRVSCAE FLOS. Caput III.

Οἰνάνθη syluestris Vitis, quam Labruscã uocant, flos est. Habetur eodem nomine herba etiam, quæ in 3. lib. descripta est. Verg. Marc. Interpres in huius capitis Commentario scribit, se non meminisse, quòd in aliquo loco apud Dioscoridem eo nomine herbã legerit, cùm tamen illius caput interpretatus sit, & adiectis etiam Scholijs illustrauerit.

OMPHACIVM. Ca. IIII.

Ὀμφάκιον immaturæ Vuæ, quæ ὄμφαξ Græcè dicitur, succus est: ab Italis nũc Agresta appellatus.

VINVM. Ca. V.

Notum est omnibus Vinum, Cuius naturã uuarũ diuersis locis genitarum temperamentum sequitur.

LORA.

Διύλισμα, siue πότιμος, Latinis Lora, Germanis Laur uocatur. Fit ex pressis Vuis, affusa aqua, & iterum calcatis.

VINVM MELITITES.

Οἶνος μελίτιτης ex austero musto & melle cõficitur. Hodie uerò an conficiatur, nescio.

MVLSVM. Cap. VII.

Οἰνόμελι, id est, Mulsum, ex ueteri austero uino & melle conficitur, apud nos non præparatur.

A AQVA MVLSA. Ca. VIII.

Μελίκρατον Latini Aquam mulsam, Germani Honigschrauff uocant. Differt Melicraton ab Hydromele, quòd Melicraton ex melle & aqua simpliciter fiat, estq; subitanea & temporanea confectio. Hydromeli uerò similiter ex aqua & melle conficitur, sed præparatur ut seruari & uetustatem ferre possit. Cuiusmodi est quod in Germania Meet appellatur, quo præter Germanos etiam alij Septentrionales populi pro uino & ceruisia utũtur.

AQVA. Caput IX.

Nota est omnibus Aqua. Cuius qualitas secundũ loca in quibus scaturit, uel per quæ fluit, uariatur.

MARINA AQVA.

NOta omnibus ad mare habitantibus Marina aqua existit, pro qua nos in mediterraneis habitantes salinarum muriam, uel ex aqua & sale confectam aquam, accipere oportet.

THALASSOMELI. Ca. X.

Purgationum causa conficiebatur olim Θαλασσόμελι, nunc nusquam, quod ego sciam, conficitur.

ACETVM. Caput XI.

OΞΟ Latinè Acetum, Germanicè Essig appellatur. Quoties Acetum apud Medicos scriptum inuenerimus, semper uini Acetum intelligere
B oportet, & nequaquam ceruisiæ. Est autem Acetum uinum uel ceruisia uetustate corruptum, & in acidi liquoris saporem conuersum. Saxones qui Brunsuicensem Saxoniam incolunt, ex industria etiam Acetum, quemadmodum ceruisiam coquunt, quod non fit ceruisia, sed statim musteum illud decoctum, refrigeratum in Acetum transit, quo illis finitimæ gentes ferè omnes pro Aceto in cibis utuntur.

ACETVM MVLSVM. Caput XII.

Οξύμελι Pharmacopolæ adhuc conficiunt, Oximel simplex uocantes.

OXHALME. Cap. XIII.

Οξάλμη ex aceto & muria conficiebatur, Iam uerò nullus restat eius usus.

THYMOXALME. Ca. XIIII.

Θυμοξάλμη etiam Dioscoridis ætate non amplius conficiebatur, eius tamen præparandi rationem Dioscorides tradit.

ACETVM SCYLLITICVM. Caput XV.

Acetum Scylliticum adhuc in Pharmacopolijs conficitur, & Acetum Squilliticum uocatur. Quid autem Scylla sit, in secundo libro dictum est.

VINVM SCYLLITICVM. Caput XVI.

Scylliticum uinum nusquam in Germania confici C uidi.

MARINA AQVA CONCINNATA uina. Caput XVII.

Non conficiuntur apud nos ciusmodi uina.

VINVM EX COTONEIS MALIS confectum. Caput XVIII.

Duplex est apud Dioscoridem huius confectio, sed altera tantùm apud nos fit.

MELOMELI.

Μηλόμελι ex malo Cotoneo & melle conficitur. Rarus hodie est illius usus.

HYDROMALVM. Ca. XIX.

Υδρόμηλον nusquam in Germania præparatur, neq; alibi confici existimo.

OMPHACOMELITES. Caput XX.

Ομφακόμελι ex acerbæ uuæ succo & melle cõficitur. Sed huius non ita frequens est in Germania confectio.

VINVM EX PYRIS CONFECtum. Caput XXI.

CONficitur hoc quemadmodum Cydonite, Sed rarus est eius usus in Medicina. Hęsi rustici ex Pyris syluestribus succum exprimunt, qui uini saporem habet, sed ob frigidius temperamentum, et humiditatis inconcoctæ abundantiam statim acescit, ideoq; musteum ebibitur. D

VINVM E LABRVSCAE FLORIbus confectum. Cap. XXII.

Huius conficiendi rationem Dioscorides docet, sed nusquam apud nos conficitur.

VINVM EX PVNICIS. Caput XXIII.

Ex Punicis malis exprimitur hoc uinum. Seruatur in Pharmacopolijs, & uinum Granatorum appellatur.

ROSACEVM VINVM. Cap. XXIIII.

Rosaceum uinum in Germania nusquam uidi præparari, Acetum uerò Rosaceum ubiq; fit.

VINVM EX MYRTI BACCIS confectum. Ca. XXV.

Ex contusis & expressis Myrti baccis conficitur Myrtite uinum, In nostris uerò regionibus nusquam præparatur.

VINVM MYRTEVM. Cap. XXVI.

Vinum cui contusæ Myrti baccæ & ramuli cũ foliis injiciũtur, Græcis Μυρσινίτης, Latinis Myrteum appellatur.

LENTI-

A

LENTISCINVM ET TEREBINthinum uinum. Ca. XXVII.

Lentiſcum & Terebinthum arborem, nuſquam in Germania habemus. Ideóq; hoc uinum apud nos non confici poteſt.

PALMEVM VINVM. Caput XXVIII.

Ex uulgaribus palmulis conficiebatur hoc uinum. Nos illud nunc non præparamus. Arabibus Nabith uocatur.

FICATVM VINVM. Cap. XXIX.

In Cypro olim ex Ficubus conficiebatur, eo quo Dioſcorides docet modo, hoc uinum.

VINVM RESINATVM. Caput XXX.

Reſina in frigidis regionibus uino adijcitur, ne acesſcat.

PINEIS NVCLEIS CONDITVM uinum. Caput XXXI.

Non præparatur hoc apud nos, niſi quis ex induſtria & Medicinæ cauſa conficiat.

CEDRINVM VINVM. Cap. XXXII.

Cedrus arbor apud nos non prouenit. Quapropter illius baccis uinum condire non poſſumus.

B

VINVM PICATVM. Cap. XXXIII.

Picatum uinum nuſquam adhuc confici uidi.

VINVM ABSINTHITE. Cap. XXXIIII.

Ex Abſinthio ubiq; conficitur Vinum & Ceruiſia, quod nulli incognitum eſſe exiſtimo.

VINVM HYSSOPITE. Cap. XXXV.

Hyſſopo etiam uinum, quemadmodum Abſinthio, conditur, & in multis Germaniæ locis conficitur.

MVLTIS ALIIS PLANTIS CONdita uina. Cap. XXXVI.

Plantæ quibus ſequentia uina condiuntur, omnes antea deſcriptæ ſunt. Ipſa uerò uina nondum confici uidi.

VINVM AROMATITE. Cap. XXXVII.

Conficitur hodie multiplex Aromatite uinum, præſertim in maritima Germania & Saxonia, quæ Claretum, & Lautertranck appellant. Sed ſecundum Dioſcoridis deſcriptionem non confi ciuntur.

PLVRIBVS DIVERSISQVE ODOramentis condita uina. Ca. XXXVIII.

C

Sequentia uina apud nos non præparatur, ſolo Nectarite excepto, quod ex Inulæ etiam, Nectarion appellatæ, radicibus cõficitur. Vbiq; uulgo Alantwein uocatur.

PLVRIBVS HERBIS CONDITA uina. Ca. XXXIX.

Herbæ quibus ſequentia uina condiuntur, antea explicatæ ſunt. Satis igitur ſit nouiſſe, nullam ex illis apud nos confici præter Saluiacum. Conficitur tamen in quibuſdam locis etiam ex Dauco, quem ſylueſtrem Paſtinacam in 3. lib. nominauimus. Ibenæ in Thuringia ex Polio etiam uinum præparant, cuius Dioſcorides nullam facit mentionem. Sequitur etiam uinum ex ſalis flore confectum. Quid uerò ſit ſalis flos, ipſe Dioſcorides hoc eodē lib. ſcribit in Metallicis medicamentis, quæ nunc ſequuntur.

DE METALLICIS MEDICAMENTIS.

CADMIA. Caput XL.

Multæ ſunt Cadmiæ ſpecies, nos tantùm duas in Pharmacopolijs habemus. Vnam ex foſſilium genere, Alteram factitiam. Illam Germani Galmey, & Pharmacopolæ Lapidem calaminarem. Hanc uerò Thutiam appellant, quæ omnium efficaciſſima eſt. Thutia autem Arabica eſt dictio, qua metallicum Spodium & Pompholyga indicat Serapio. Poſteriores uerò Botryiten Cadmiam minorem ſic appellarunt, ſed malè. Eſt autem Botryites Cadmia minor, ex accenſo & liquefacto æroſo lapide fuligo quædam ſurſum in caminos euolans, & ferreis haſtis undiq; eminentibus tuberculis ceu racemus adhærens. Cadmiæ uocabulum recentiores in Cmaiam & Chniam corruperunt. Reliquum autem Cadmiæ genus in multas diuiditur ſpecies, à Galeno & Dioſcoride deſcriptas, quarum maximus olim erat in Chirurgia uſus. Verùm hæ omnes hodie ubiq; incognitæ ſunt, quamuis in noſtris metallicis fornacibus, maximè Goslariæ, omnes ſpecies gignantur. Diuiditur autem omnis Cadmia in Natiuam & factitiam. Natiua duplex eſt. Vna cuius Galenus meminit, quæ in Cypri montibus & torrentibus inuenitur, Galeni ætate omnibus alijs à quibuſdam Medicis prælata, cuius magna copia in Vueſtphaliæ montibus & torrentibus reperitur. Aſpectu racemoſa, et mixtis ueluti cubis conſtans, foris ſpadiceo, intus autem æreo aut argenteo colore. Altera lapis eſt ponderoſus, ſcaber & uerſicolor, quem antea lapidem Calaminarem appellauimus.

D

Factitia autem Cadmia in plures ſpecies conciditur. Prima Botryitis dicitur, quòd grandis racemi inſtar, à fornacum lateribus pendeat. Hæc rurſum duplex eſt. Vna qualem iam demonſtrauimus, ſponte & caſu inter liquefaciendum genita. Altera minor

A minor est, & ferreis hastis ex industria fornacibus insertis, undiq; tuberosa, & racemosa facie adhærens. Secunda Cadmiæ species Placodes appellatur, quòd ueluti latis crustis compacta sit, quæ & ipsa duplicem habet differentiam. Vna crassioribus constat crustis, altera multo tenuioribus, & sibijpsi inuicem superiacentibus compacta est, quarum commissuras candicantes aut pallidæ lineæ cingulorum modo intersecant, quã ob causam Zonitis nominatur. Tertia uerò Ostracitis dicitur, quæ testaceã & terrestrem habet substantiã, cõcretione tenuis, et colore plerũq; nigricans, in ima fornace nascens, cùm cæteræ in medijs fornacibus gignantur. Omnes prædictæ Cadmiæ duræ & põderosæ sunt. Quarta aũt puluerulenta leuissimaq; est, Pompholygi, id est, Bullæ, substantia et pondere similima, colore ut plurimùm ex candido in æreum aut cœruleum modicè degenerans. Inuenitur et subfusca, quæ prædictæ plurimùm bonitate cedit, Capnitis uerò uocatur, quòd fuligínis & fumi modo leuis sit. Gignitur hæc non ut reliquæ in ipsis fornacibus, sed in earum ore, quo flammæ eluctantur.

SPODIVM ET POMPHOLYX. Caput XLI.

MAgno errore Spodium in Pharmacopolijs uocatur Ebur ustum, siue Cannæ id est, arũdo combusta. Est enim hoc Arabum compentum. Adscribunt huic suo Spodio maximas in confortando epate uires, sed quas neq; ratione neq; aliqua experientia illi inesse cognoscere possumus. Verum tamen B Spodium nihil aliud est, quàm extinctæ metallorum fauillæ, quæ propter pondus rursum decidunt, & circa fornacem eiusq; pauimentum colliguntur. Hoc hodie in Pharmacopolijs Nihiligrisium, & à Germanis Grawnicht appellatur. Pompholyx uerò tenuissimis & leuissimis fauillis constat, quæ summis fornacum caminis adhærent, atq; in magnum corpus accrescunt, sed principio cùm fit, in aqua surgentibus bullis similis est, unde etiam nomen inuenit. Pharmacopolæ eam Nihilialbum, Germani Weiß nicht appellant. Probatur apud nos quæ Norimbergæ conficitur. Antispodia ueteribus dicebantur arborum quarundam frondes & chartæ exustæ, quibus utebantur pro Spodio, cùm huius non esset copia. Tale etiam est Arabum Spodium. Nullum tamen Spodion, siue Antispodium intra corpus sumitur. Quapropter nemo credat Arabum Spodium eas uires in confortando epate habere, quas illi adscripserunt.

CREMATVM AES. Caput XLII.

INualuit hodie consuetudo, ut cuiusuis metalli rudem adhuc materiam, quam Germani Metallici Ertz uocant, æris uocabulo significent. Quidam etiam hoc omnium metallorum generale nomen esse existimant: sed falsò. Nam nullus unquam autor, siue Græcus, siue Latinus, qui de metallis scripsit, hoc tC status est, sed omnes æris appellatione, quod Græcis χαλκὸς dicitur, peculiare metallum significant, quod Germani Kupffer / & Latini recentiores Cuprum appellant, cuius laminæ uruntur, & in Pharmacopolijs Aes ustum uocantur.

FLOS AERIS. Ca. XLIII.

XΑλκῦ ἄνθος, id est, Aeris flos, plurimùm differt à re metallica, cõposito nomine χάλκανθος appellata. Est autem propriè Flos æris, tenuissima æris liquefacti substantia, quæ ex repentina frigidæ aquæ affusione in milij magnitudine colore purpureo ceu grana densatur & expuitur. Nullum hodie in Medicina usum habet, quoniam ferè omnia metallica ignota hactenus fuerunt. Errant aliqui ex recentioribus, qui æruginem, id est, Spangrũn/florem esse æris existimant.

SQVAMA AERIS. Caput XLIIII.

Λεπὶς χαλκοῦ, id est, Squama æris, est æris superficies, quæ malleorũ ictu in squamas resoluitur. Duplex eius genus est, crassa, & farinæ modo tenuis. Crassa Kupfferschlag Germanis dicitur. Subtilior uerò Kupfferbraun / siue Kesselbraun. Tenuiorem Plinius etiam Stomoma appellat, quòd ex summa lanugine excuciatur. Porrò Stomomatis squama, de qua hoc loco Dioscorides agit, à tenui illa plurimùm differt. Nam tenuis squama ex ære fit. D Stomomatis uerò Squama ex optimo ferro, quod ueteres Stomoma appellabant, quoniam cultellorum et gladiorum acies (quas ora etiam appellat sacra scriptura) ex illo fierent. Stomoma ferrum hodie etiã Chalybs, & Germanicè Stahel uocatur. Vergilius Marcellus errat, quòd Stomomatis squamam, æris squamam uocat. Nam ipse Dioscorides aliter scribit.

AERVGO. Ca. XLV.

IOv Græci æruginem uocant, quoniam florida sit æris rubigo, quæ priuatim in ære ærugo, ut in ferro ferrugo, uocatur. Pharmacopolis uiride æris, Germanis Kupffergrũn / Spangrũn / & Grũnspan appellatur. Qui barbaris & improprijs uocabulis delectantur, Aeruginem Prasion uiride uocant, ut simpliciter Prasion appellatam herbam ab ea distinguant. Sed ridicula hæc est distinctio. Sunt aũtẽ duo potiora æruginis genera. Vnum ἰὸν ξυστὸν, à Græco uerbo ξύω, quod rado significat, dicunt. Hoc ex industria & arte præparatur, & laminis æris deraditur, unde nomen inuenit. Derasum in massas formatur, & hæc est quæ ubiq; habetur ærugo. Alterũ eius genus sponte in ærarijs metallis siue fodinis gignitur, & interdum in uermiculorum formam concrescit, quapropter ἰὸς σκώληξ nominatum est. Hoc autem hodie in nullo usu Medicis est. Inuenitur

tamen

A tamen non rarò in nostris ærarijs fodinis.

FERRVGO. Cap. XLVI.

Ἰὸς σιδήρου, Latinis Rubigo ferri, siue ferrugo, Germanis Eisen rost appellatur. Nota omnibus res est.

RECREMENTVM FERRI.

OMnium metallorum recrementũ Græci σκώριαρ, Germani Schlacken appellant. Hoc uerò capite de ferri tantùm recremento agit Dioscorides, quod nos Eisen schlacken appellamus. Quidam ex recentioribus ferri squamam impropriè etiã σκώριαρ uocant, ex qua pilulas præparant, à calore resoluto uentriculo salutares.

PLVMBVM ELOTVM. Cap. XLVII.

PLumbũ Græcis Μόλυβδος, Germanis Blei uocatur. Duo habet genera Plumbum. Vnum nigrum, Alterum candidũ dicitur. Illud est quod hodie simpliciter Plumbum, & à nobis Blei appellatur. Hoc uerò iam stannum tantùm Latini, & Zin Germani nominant. Porrò elotum plumbum ex nigro fit, estq; nihil aliud quàm ipsum Plumbum, cum liquore aliquo in crassiusculam substantiam detritũ, quod siccatum in puluerem transit. Malignis & callidis ulceribus curandis utilissimum.

CREMATVM, SIVE VSTVM Plumbum. Cap. XLVIII.

B Plumbum usq; in cinerem crematum hoc loco intelligit Dioscorides. Rarus hodie eius est usus.

RECREMENTVM PLVMBI.

Plumbi σκώριαρ, siue recrementum, Germani Bleischlacken appellant.

PLVMBARIVS LAPIS.

Λίθος μολυβδοειδὴς lapis est metallicus, colore plumbi, ex quo etiam Plumbum excoquitur. Germani Metallici illum Glantz appellant, Plinius etiam galenam. Estq; pariter argenti & plumbi ferax uena.

STIBIVM. Caput XLIX.

STibium Græci στίμμι & στίβι, Pharmacopolæ Antimonium, Germani Spießglaß appellant, quod Plinius etiam Alabastrum & Larbasum uocari scribit. Est autem scissile metallum, colore plumbi, cùm prunis injicitur, sulphuris modo liquefit, & fœdum odorem remittit. Si diutius cremetur, tandem in plumbum transit.

PLVMBAGO. Ca. L.

PLumbaginem Græci μολύβδαινα uocant, Cuius duplex est genus. Fit enim quædam cũ plumbo aurum, siue argentum purgatur. Estq; horũ metallorum fæx, quæ ablata massa in fundo catini reperitur. Hæc Germanicè Test appellatur. Altera fossilis est, colore prædictæ non dissimilis, quæ plumbi ferax uena est: nonnunquam etiam argenti. Eam Germani Bleischweyff uocant. Plinius utranq; hãc plumbaginem galenam etiam uocat. Vtebantur ueteres in emplastris Molybdæna. Iam uerò à Metallicis tantùm cognoscitur. C

ARGENTI RECREMENTVM. Cap. LI.

Argenti recrementum priuatim Græci Ἐλκύσμα, Germani Silberschlacken uocant.

SPVMA ARGENTI. Caput LII.

ARgenti spuma Græcis Λιθάργυρος, Pharmacopolis Lithargyrium, Germanis Silberschaum, & Gledt uocatur. Duplex eius genus colore distinguitur. Quoddam enim aureo est colore, ideoq; Græcis χρυσῖτις, Pharmacopolis Lithargyrium auri, Germanis Goldtgledt dicitur. Alterum colore argenteum candorem imitatur, quod Græcis ἀργυρῖτις, Pharmacopolis Lithargyrium argenti, Germanis Silbergledt nominatur. Est autem Lithargyrium plumbum nigrum, quod purgationis causa argento additur, cum argenti sordibus in spumam concretum.

CERVSSA. Ca. LIII.

YΨιμμύθιον Græci, Cerussam Latini, Bleiweiß Germani uocant. Et hæc plumbum est D aceti acerrimi halitu in candidum pollinem resolutum. Hæc si uratur, donec rufum contrahat colorẽ, colorem facit, qui Sandix appellatur. Quem Vergilius intelligit, cùm ait:

Sponte sua Sandix pascentes uestiet agnos.

Quo loco aliqui Sandicem herbam esse interpretati sunt, quæ lanas inficiat: sed malè. quamuis ipse Plinius etiam crediderit Vergilium herbã intellexisse: quod tamen ex uerbis illius nullo modo colligi potest.

CHRYSOCOLLA. Ca. LIIII.

CHrysocolla Germanis Schifergrũn appellatur, qua olim pictores & aurifabri utebantur. Illi, quoniam iucundum haberet colorem: hi uerò ut aurũ ferruminarent, unde etiam nomen inuenit. Hodie nullum habet in Medicina usum.

ARMENIVS LAPIS. Caput LV.

ARmenium, siue Armenius lapis, æruginosam habet substantiam, ideòque rugmi quoq; secundum proportionem in utribus respondet. Pauciss. Pharmacopolæ hunc lapidem habent. quidam tamen eundem Smaragdi nomine ostendunt, sed magno errore.

COERVLEVS. Ca. LVI.

KYανος, siue Cæruleum, Arabibus Lapis lazuli, Germanis Lasurstein uocatur.

Duplex

A Duplex illius genus est. Vnum in aurifodinis inuenitur, uenis eius per lapidum commissuras in diuersas partes tendentibus. Alterum in maritimis quibusdam littoribus gignitur, crasso sabulo simile. Est etiam factitium, quo pictores tantùm utuntur. In Pharmacopolijs ex cœruleo pilulæ fiunt, quas de Lapide lazuli cognominant.

INDICVM. Ca. LVII.

MAlè lapidis appellatio Indico præponitur, nequaquam enim lapis est, sed color in purpura cœruleus, propterea Dioscorides eum cœruleo coniungit. Est autem duplicis differentiæ. Vna in India arundinibus adnascitur, ut scribit Dioscorides. Altera infectiuum, siue βαπτικὸν appellatur, quæ apud nos à tinctoribus ex Isatide herba præparatur, cuius florida spuma est, undè à Germanis Weydtblûm/& Indich appellatur.

OCHRA. Ca. LVIII.

OChra lutei coloris terra est, quam Germani Ochergel uocant, Cuius tres sunt differentiæ. Quoties Ochræ colore plantarum flores à Dioscoride describuntur, non pallidus color tantùm, sed luteus etiam intelligendus est.

CINNABARIS. Ca. LIX.

CInnabaris sine dubio est gummi siue exiccatus ille rubeus succus, qui in Pharmacopolijs san
B guis Draconis appellatur. Plinius ex Elephanto & Dracone pugna elisum & commixtum sanguinem esse credidit, Verùm falsò, & mercatorum fabulis deceptus. Nostra ætate inuentum est, proceræ cuiusdam arboris in Aphrica genitæ gummi, siue lachrymam esse. Fallitur Anto. Musa, dum putat nostrum Draconis sanguinem diuersum esse ab eo, qui à Serapione describitur, quoniam Serapio Sideritidis esse succum scribat. Qua in re errauit Serapio. Propterea non sequitur, quòd sint res diuersæ.

MINIVM.

MInium, cuius hoc capite meminit Dioscorides, uena est, ex qua Argentum uiuum conficitur, & alio uocabulo etiam ἄνθραξ, à colore uocatur, Germanis Berg zinober/& Queckſilber ertz nominatur. Quod hodie ubiq; Minium à Pharmacopolis, et Germanis Mennige dicitur, minimè uerum est Minium, sed sandicis species, neq; unquam ex eo Argentum uiuum fieri potest, quod Minio proprium est.

ARGENTVM VIVVM. Caput LX.

ARgentum uiuum, siue Vena eius in marmore, siue per se inueniatur, idem est. Plinius Hydrargyron ab Argento uiuo distinguit, sed malè. Germanis Queckſilber/Pharmacopolis Chimistis Mercurius appellatur.

RVBRICA SINOPICA. Caput LXI. C

Μίλτος σινοπική in Cappadocia olim effodiebatur, nunc uerò in nullis Pharmacopolijs habetur.

FABRILIS RVBRICA. Caput LXII.

FAbrilis rubrica est rufa gleba, quam hodie Bolum appellamus. Huic etiam cognata est lapidosa ista terra, quam nos Rôtel/siue Rôtelſteyn uocamus.

LEMNIA TERRA. Caput LXIII.

RAriſsimè hodie Lemnia terra affertur. Mirum enim in modum adulteratur. Olim hæc Lemnia ſphragis, id est, Sigillum appellabatur. Nũc uerò Terræ ſigillatæ appellatione in Pharmacopolijs habetur, ſed quæ minimè uera ſit.

ATRAMENTVM SVTORIVM. Caput LXIIII.

ATramentum ſutorium Græci χάλκανθον. Pharmacopolæ Vitriolum, Germani Rupfferwaſſer appellant, multas habet differentias. Quoddam inſtirias deſtillando concreſcit, unde σταλακτὶς σαλακτικὸν, & λογχωτὸν appellatur. Quoddam in glebas cõcreſcit, quod πυκτὸν, id est, gelatum uocatur. Tertium coquitur donec refrigeratum geletur, hoc ἐφθὸν nominatur, & ubiq; habetur. Colore etiam diſtinguitur Chalcanthum. Est enim cœruleum, uiride, & candidum. Poſterioris Dioſcorides non meminit. Mirum in modum errat Antonius Muſa, quòd ſcribit Vitriolum Romanum nunc appellatum, ueterum Myſie eſſe. Olim coria ſutores Chalcantho tingebant, unde apud Latinos nomen inuenit. D

CHALCITIS. Ca. LXV.

QVantum ex Galeno cõijcere poſſumus, duplex est Chalcitis. Vna quæ in ſodinis cõcreta inuenitur, Altera quæ ex Chalcãtho fit. Vtraq; hodie ignota est, quamuis in noſtris ararijs ſodinis reperiatur. Galenus cùm ſcribit Chalcanthum etiam in Chalcitida paulatim mutari, incepta ſoris à ſuperficie mutatione, non intelligit in ſuperficie cuiuſuis Chalcanthi colore in candidam ſeu pallidam ſubſtantiam reſolutam materiam, ut Muſa falsò putat. Quapropter idem Muſa immeritò reprehendit Galenum, qui ipſe metallicas ſodinas inſpexit, & diligenter Chalcanthi in Chalcitida mutationem obſeruauit, Muſæ uerò nulla omnino in metallicis fides habenda est, cùm in fœdos errores incidat, utpotè homo qui nullas unquam metallorum ſodinas inſpexerit. Nihilominus tamen ipſum Galenum & Georgium Agricolam, metallicarum rerum diligentiſſimos ſcrutatores, inſcitiæ arguere non erubeſcit. Sed impunè nequaquam hoc fecerit. Quandoquidem propediem

A pediem temeritatis suæ pœnas luet, ubi Georgius Agricola suas de rebus metallicis lucubrationes ædiderit.

PSORICVM.

Ψωρικὸν compositio est, ex metallicis quibusdã medicamentis, contra scabiem, facta, unde & nomen inuenit.

MISY. Caput LXVI.

Misy non minus quàm Chalcanthum, congelatus est humor, qui per commissuras Pyritidis, id est, ærarij lapidis, fluxit: Ibidem aliquãdiu cõtentus in duram, sed interim friabilem, substantiam concreuit. Est autem Misy gleba, substantia, sapore & uiribus Chalcantho similis aspectu, atq; in friando arenosæ naturæ, colore aureo, stellarum & scintillarum ignis modo splendens. Fuit hoc medicamentum olim Galeni ætate in frequenti usu, à quo tempore usq; ad nostram ætatem omnino incognitum fuit, nec adhuc à quoquam cognoscitur, uno atq; altero excepto. Antonius Musa in suo de Simplicibus examine scribit, Vitriolum uulgo appellatum in Pharmacopolijs Romanum, uerum esse Misy, magno sœdo & pudendo errore. Siquidem Vitriolum Romanum uiridissimum habet colorem, Misy aureum: nec est ulla in aspectu nota, quæ conueniat. Non animaduertit temerarius ille homo, Vitriolum Romanum illam esse Chalcanthi speciem, quæ Pecton uocatur, uiB ridi aut cœruleo colore, & sponte in fodinis concrescens, unde nomen inuenit. Huiusmodi sanè homines Hereuli mihi similes esse uidentur, Lernæ hydræ capita amputanti. Nam cùm unum errorem tollere nituntur, quod tamen incassum conantur, multò plures & periculosiores substituunt, eosq; stabiliunt. Habetur enim scriptis eorum non parua fides. Verum autem Misy in maxima copia inueni Goslariæ, cùm in metallicas fodinas ibidem descendissem, omnino ea facie, colore, substantia & facultate, quibus à Dioscoride, Galeno & Plinio describitur. Cuius magnam quantitatem mecum huc Vuitenbergam attuli, sperans posse fieri, ut rursus in usum recipiatur.

ATRAMENTVM METALLICVM. Caput LXVII.

Μελανθηρίαν Pharmacopolæ adhuc Atramentum nigrum, siue griseum, Germani Atrament appellant.

SORY. Caput LXVIII.

Σωρὺ Melanteriæ cognata res esset, nisi rufum magis colorem haberet. Pharmacopolæ Sory ostendunt sub Atramenti rubei nomine, Germani rot Atrament uocant. Sciendum est Chalcanthũ, Chalcitida, Misy, Melanteriam, & Sory, omnia ex una materia constare, nempe gelato humore, qui per lapides æs in se habentes, fluxit & destillauit, sed differre, secundum admixtam illi terræ diuersitáC tem, quo fit ut omnia illa in aqua cocta Chalcanthũ remittant.

DIPHRYGES. Ca. LXIX.

Triplex est Diphrygis genus. Primum luto simile quiddam est, & in cuniculis è terra eructatur, quod Dioscorides in sola Cypro gigni testatur. Sed hoc certò affirmare difficillimum est, cùm tam spaciosum terrarum orbis, multa habeat loca omnium metallicorum medicamentorum feracia, quibus olim Cyprus nobilitata fuit. Inter quæ Germania iamdiu principatum obtinet. Ipsum natiuũ Diphryges non minus quàm Cyprus gignens. Eructatur nanq; Goslariæ è terra in cuniculis colore luteũ, substantia lentum glutinosumq;, figulinæ cretæ modo tanto impetu, sed paulatim expultur, ut lapillos etiã prodiens sursum attollat: natura & facultatibus Misy respondet. Secundum fæx æris est, quemadmodum Molybdæna auri & argenti. Tertium ex Pyrite lapide usto præparatur. Omnium tamen optimum est secundum, quod Germani Offenbruch uocant, hodie nullum habet in Medicina usum. Pandectarius uehementer errat, quòd Diphryga & lapidem Phrygiũ eandem rem esse scribit. Confundit enim hæc duo.

AVRIPIGMENTVM. Caput LXX.

Auripigmentum Græci Ἀρσενικὸν uocant, Germani Auripigment, siue Operment. D Chimistæ & Pharmacopolæ Arsenicon ab Auripigmento hodie distinguunt. Nam Arsenici appellatione facta quædam ex metallicis quibusdam uenena indicant. Est autem apud Græcos & Latinos duplex Auripigmenti genus. Vnum in glebas concretum & lapidosum. Alterum in laminas, fissile & purũ. Hoc uerò optimum est.

SANDARACHA. Ca. LXXI.

Sandaracha eandem habet cũ Auripigmento materiam, & in iisdem fodinis, & in iisdem glebis inueniuntur. Differentia est quòd flumineo colore, ut Cinnabaris metallica, fulgeat, propterea ab Arabibus Auripigmentũ rubeum uocatur. Hodie in Pharmacopolijs gummi Iuniperi Sandaracha uocatur, maximo errore, & qui ab Arabum interpretibus originem duxerit. Antonius Musa, Georgium Agricolam in Sandaracha reprehendit immeritò, quoniam ipsius Agricolæ uerba de Sandaracha nullo modo intellexit.

ALVMEN. Ca. LXXII.

Alumen Græcis Στυπτηρία, Germanis Alaun uocatur. Multæ olim eius erant differẽtiæ. Nos uerò illud habemus, quod Græci Βολίτιδα, id est, gleboſum, atq; hoc factitium. Nam ex natiuo gleboso scissile Alumen gignitur, quod flos ueluti illius est, uiribus efficacissimum omnium. Antonius

A Musa turpiter errat, quòd scribit Alumen scißile esse illud, quod hodie Alumen plumosum, siue de pluma uocatur. Nam omne Alumen in aqua resoluitur, & in igne exuritur. Plumosum uerò in aqua nunquam dissoluitur, neq; in igne mutatur, etiam si pluribus diebus cremaretur. Alumen scißile omnium efficacis sinè totum os astringit, Alumen uerò plumosum nihil omnino præter quòd exiccet. Quid uerò Alumẽ de pluma sit, statim indicabitur, ubi ad lapides peruentum erit.

SVLPHVR. Ca. LXXIII.

Θεῖον Græci Sulphur, Germani Schwefel appellant. Viuum Sulphur appellatur Græcis ἄπυρον, quoniam ignem nondum expertum est. Talexistit omne fossile Sulphur, quod nondum liquefactum & in frustula fusum est.

PVMEX. Ca. LXXIIII.

PVmex lapis omnibus est notus, quem Græci Κίσσηρι, Germani Bimbs appellant. Est autem lapis in ardentibus montibus natus, qualis in Melo, Lypara, Sicilia, & alijs quibusdam locis sunt, è quibus insulis & montibus mari expositis, nonnunquam in mare præcipitantur, cui postea innatant propter substantiæ raritatem, quod uidentes nautæ & mercatores, spumam maris esse pumicem credũt: sed falsò.

B SAL. Caput LXXV.

SAlis genera plurima sunt. Prima tamen diuisione in duo genera diuiditur. Quidam enim fossilis est, & quidam factitius. Ex fossili olim maximè probabatur ad Medicinam Hammoniacus, pro quo alius factitius eiusdem nominis irrepsit, aurifabris & erarijs fabris quàm Medicis utilior.

Nunc uerò ex fossili primam bonitatis notam habet, qui lucem transmittit, & in cubos dum frangitur se diuidit, quem gemmæ salem Pharmacopolæ uocant.

SALIS SPVMA, AVT LANVGO.

Ἅλος ἄχνη, id est, Salis spuma, qua hodie omnino in nostris Pharmacopolijs caremus, quamuis etiam in nostri maris cautibus gignatur, ut in Suecia, Dania, & Norũuegia.

MVRIA. Ca. LXXVI.

ALme, id est, Muria duplex est, Natiua & factitia. Natiua ex salinarum fontibus hauritur. Factitia eo modo præparatur, quo Columella docet. Germani Muriam factitiam Saltzlacken. Natiuam uerò Sahl appellant.

SALIS FLOS. Ca. LXXVII.

Ἅλος ἄνθος in Aegypto Nili gignitur, & in alijs quibusdã locis. Quapropter nobis ignotus est.

NITRVM. Ca. LXXVIII. C

NItri multæ sunt differentiæ. Ex quibus etiam est quod hodie Salpetræ appellatur. Hoc substantiæ tenuitate omne aliud Nitrum antecellit, differtq; à ceterum, id est, uero nitro, quod salis modo candentibus testis prunisq; impositum, primùm paucas bullas emittit, quibus cessantibus ipsum nitrũ remanet, nec ab ipso igne accendi aut consumi potest, sed salis modo tostum igni resistit. Nostrum uerò nitrum, quod ex nitrosæ terræ diluto coquitur, contactum igne ocyßimè flammam concipit, totumq; in aërem resoluitur. Hinc colligimus ualde esse tenuiũ partium. Nam gustatum quoq; cum maxima tenuitate pungit, atq; copiosam ex alto saliuã prouocat. Errant igitur, qui nitrum frigidum esse pronunciant.

SPVMA NITRI.

DVpliciter huius medicamenti nomen profertur. Aut enim duobus separatis uocabulis Ἀφρὸς νίτρου nominatur, aut ex utroq; compositio nomine ἀφρόνιτρον. Hinc Martialis in Apophoretis utrunq; illi nomen hoc distycho tribuit:

Rusticus es, nescis quid Græco nomine dicas,
Spuma uocor Nitri, dicor & Aphronitrum.

Gignitur autẽ duobus modis. Primum per se in cautibus cauernosis, nullo iuxtà nascente nitro. Secũdo autem, in ueri nitri, quale in Aegypto habetur, accruis superficietenus in spumosam substantiam resolutis eius glebis, quod ad nos omnino nõ adfertur, neq; D apud nos hactenus inuentum est. Primum uerò in petris & antiquis muris ex nitroso tenuiq; humore in illis concepto gignitur, habetq; hoc duas ab inuicem diuersas species. Quod enim in petris nascitur, substantiam habet magis terrestrem, ideoq; in testa prunis impositum, donec ipsa testa excãduerit, primùm bullas agit, quibus attolli desinentibus, id quod aqueum in eo erat, consumptum esse cognoscimus, quo consumpto quod terrestre est, salis & ueri nitri modo remanet. Hinc dicit Dioscorides, paulò posũ principium, quòd utrunq; tam nitrum quàm spuma nitri, salis modo torreantur, uel crematur. Porrò Aphronitrum in antiquis muris nascens, iam dicto aspectu simile est, colore candidißimum, substantia uerò multo tenuiore, quàm in petris natum constat. Ideoq; factitij nostratis nitri instar prunis inspersum, facilimè flammam concipit, totumq; in flammam, fumum & aërem resoluitur: capellæ uehementer huius linctu delectantur.

Nouisse autem oportet, omne nitrum quod accendi potest, non esse illud nitrum quod ueteres describunt. Color uerò tam nitro quàm Aphronitro non ubiq; terrarum idem est. Alibi enim rubent, alibi ad purpuram inclinant. At Aphronitrum quod Ihenæ cauernosis cautibus adnascitur, partim cinereo, partim candidißimo cõficitur colore, atq; hoc triticeæ farinæ aspectu simile est, ut etiam Galenus scribit.

Quod

A Quod autem antiquis muris efflorescit, nunquã alio quàm candido conspexi colore.

FAEX. Cap. LXXIX.

Fæcis appellatione hoc loco Vini & Aceti fæcẽ intelligit Dioscorides. Est autem Fæx horum liquorum sedimentum, quod Germani Hefen appellant.

CALX. Ca. LXXX.

Ἄσβεστος Græcè inextincta Calx appellatur, Germanicè Vngeleschter Kalck. Crematur et Calx ex marinis buccinis, ut in maritima Germaniæ ora, ubi omnia ædificia, tam publica quàm priuata, huiusmodi calce extruuntur. In mediterraneis locis ex albo lapide & marmoris genere quodã uiliore paratur.

GYPSVM. Cap. LXXXI.

Gypsum in multa genera diuiditur. Quoddam in longos & rectos pectines finditur, quoddã uerò in laminas, quod idem est cum Aphoselino, siue speculari lapide. Quoddam etiam in glebas magnas concreuit. Omnia hæc genera Germani Gips uocant.

SARMENTORVM VITIVM CINIS. Cap. LXXXII.

Sarmenta uitis omnibus nota sunt, ex quibus Cinis lixiuiæ causa uritur: quamuis ipse etiã Cinis per
B se Medicinam faciat.

HALCYONIVM. Ca. LXXXIII.

Ἁλκυόνιον marinæ spumæ species est, propterea in Pharmacopolijs spuma maris uocatur, cuius quinq; habentur differentiæ.

ADARCES. Ca. LXXXIIII.

Ἀδάρκης quoq; spumosum quiddam est, quod Itali Pallam marinam uocant.

SPONGIAE. Ca. LXXXV.

Spongiæ omnibus notæ sunt, quibus mensæ & alia quædam exterguntur, Germanicè Schwemme uocantur: quo nomine etiam Fungi continentur.

CORALLIVM. Ca. LXXXVI.

Corallium lapideus frutex est in mari natus, cuius tres species triplici colore distinguuntur. Est enim nigrum, candidũ & rufum. Omnes Germanicè Corallen appellantur. Vulgatius est rufum, & precioſius candidum. Nigrum rarò inuenitur, et priuatim ἀνθοκοράλλιον uocatur.

PHRYGIVS LAPIS. Caput LXXXVII.

Qualis sit lapis Phrygius, hodie omnino incognitum est, quãuis in omnibus ferè Pharmacopolijs habeatur sub lapide Lyncis nomine. At cùm duo sint lapides Lyncis appellatione uenientes, necesse est ut indicem, uter horum Phrygius sit. Primus itaq; instar digiti oblongus atq; teres est, & in mucronem desinit. Alter uerò aspectu terræ glebam imitatur; mediamq; inter lapidem & terram substantiam habet: colore est pallidus aut subfuscus, candidisq; maculis & lineis ueluti situm contraxisset, distinguitur. Posteriorem hunc Phrygium lapidem esse censemus. Autor Pandectarum atq; Serapio Diphryges & Phrygium lapidem confuderunt, eandẽ rem esse falsò existimantes.

LAPIS ASSIVS. Ca. LXXXVIII.

Assius lapis in Asso Troadis promontorio inuenitur, unde nomen inuenit. Hodie uerò ignotus est.

PYRITES LAPIS. Cap. LXXXIX.

Pyrites lapis Arabibus Marchasita, Germanis Kiß uocatur, cuius multæ sunt species, metallicæ rei peritis cognitæ.

HAEMATITES. Cap. XC.

Haematites lapis nomen suum in Pharmacopolijs retinet, & Germanicè Blůtstein appellatur, cuius multæ species à Plinio enumerantur, quæ omnes in Herciniæ Saxoniæ montibus gignitur, una tantùm excepta.

SCHISTVS. Cap. XCI.

Σχιστὸς sciſilis est lapis, substãtia & uiribus Hæ D matiti similis, colore tamen magis pallido, & uiribus secundum proportionem debilioribus ab illo dignoscitur.

GAGATES. Ca. XCII.

Gagates & Thracius lapis substantia & uiribus ualde similes sunt. Vtraq; enim ex bituminosa materia constat. Distinguuntur inuicem forma diuersitate. Gagates enim crustaceus est. Thracius uerò sibijpsi undiq; æqualis. Porrò lapidis Gagatæ species est, qui copioſè in Germaniæ montibus inuenitur, & quo fabri ærarij & ferrarij pro carbonibus utuntur, quod ex substantia, odore, uiribus & forma demonstrari potest. Germanicè hi lapides Steynkolen appellantur. Hoc Gagatæ genus Theophrastus ἀνθρακίτης γενὸς uocat.

THRACIVS LAPIS. Caput XCIII.

Thracius lapis idem est cum succino nigro, quod nos Schwartz Augstein appellamus.

MAGNES LAPIS.

Magnes lapis in multis Germaniæ locis inuenitur, propterea omnibus notus est, Germanicè Magnet, & Eisenbraut uocatur. Nasci

A tur in Miſniæ montibus, & in Hercinia Saxoniæ, prope Harziburgum, miliare Germanicum à Goslaria diſtantem arcem, & ab eius loci incolis Segelſteyn appellatur, quòd nautæ eo utantur.

ARABICVS, GALACTITES, MELITITES, Marochtus, Alabaſtrites, & Thyites, lapides.

ARabicus, Galactites, Melitites, Marochtus, Alabaſtrites, & Thyites, hodie omnino incogniti ſunt lapides: quamuis ad Thyiten etiam referri poſſit lapis, qui Stolpæ naſcitur, duritie ſua etiam ferrum durißimum reſpuens. Ex hoc olim mortaria fiebant, unde & nomen inuenit. Porrò Galactites Hildenshemij gignitur, iiſdem forma, ſubſtantia & uiribus, quas illi Dioſcorides tribuit. Arabicus quoq; quamuis non cognoſcatur, Hildenshemij in montibus inuenitur, partim candidißimo, partim maculoſo ebori ſimilis. Vſtus exaſperatur, ideoq; optimum dentifricium exiſtit.

IVDAICVS LAPIS.

IVdaicus, qui etiam Palamites, Phœnicites, Thocolites & Eurios appellatur, adhuc in Pharmacopolijs Iudaici nomine habetur. Plinius ex eo lapide quatuor fecit lapides, nominũ diuerſitate deceptus. Eſt autem inſigni & mirabili forma lapis, in quo ſolo naturæ artificium cognoſci poteſt.

B

AMIANTVS LAPIS.

AMiantus lapis ſine dubio eſt ſciſßilis ille & friabilis lapis, quem Pharmacopolæ Alumen plumoſum uocant, qui eam habet naturam, ut igne nunquam conſumatur, etiamſi aliquot diebus cremetur. Multæ eius differentiæ ſunt. Inuenitur interdũ flexilis, ut fila & tela ex eo fieri poßint. Agyrthæ pilos Salamandræ eſſe dicunt, ſed falſò. Eſt enim lapis qui ex montibus effoditur. Plinius Indici cuiuſdã lini meminit, quod igne conſumi non poßit: ſed mercatorum fabulis deceptus. Nam idem eſt cum Amianto linum illud. Germanicè hic lapis Federweiß/ Steinflachs/ Steindacht/ vñ das Ewig liecht appellatur. Eſt & aliud Amiantum, quod in laminas finditur, ut lapis ſpecularis, ſed huius nullam facit mentionem Dioſcorides.

SAPPHIRVS.

Sapphirus gemma eſt omnibus nota, cuius plures ſunt ſpecies, uulgo Saphir uocatur.

MEMPHITES.

Memphites circa Memphim urbem Aegypti inuenitur. Hodie uerò omnino incognitus eſt.

SELENITES.

SElenites qui alio nomine Aphroſelinus uocatur, idem eſt cum ſpeculari lapide, quem Germani vnſer Frawen Eiß/ & Erdtglaß appellant. Finditur in laminas, ex quibus olim feneſtræ fiebant, quales adhuc in uetuſtis templis & ædificijs uidemus. C

IASPIS.

IAſpis multas habet ſpecies, quæ colore diſtinguuntur, hodie tantùm notus eſt qui ad ruſum colorem inclinat, Ienæ pluribuſq; alijs locis in Germania naſcens.

AETITES.

Aëtites non in aquilarum nidis gignitur, ſed in montibus & ſaxorum commiſſuris inuenitur. Germanicè Adlers ſtein uocatur.

OPHITES.

OPhites multas habet differentias. Qui uerò cinereo eſt colore, & maculis diſtinctus, in Germania etiam inuenitur, & uulgo Schlangenſtein appellatur, è quo cochlearia & pocula fiunt, quæ contra uenena uim habere creduntur. Diui Bennonis monumentum quatuor columnis ex Ophite factis ſuſtentabatur Miſnæ in arcis templo, quod hoc anno deſtructum eſt.

Porrò Ophites, cui grauitatem Dioſcorides tribuit, hodie omnino non cognoſcitur, dubiumq; eſt utrum ea uox Βαρὺς, id eſt, grauis, ad pondus an ad odoris grauitatem referenda ſit. Porrò Hildenshemij marmor planum ceditur, maculis atq; etiã ſquamis ſerpentinis ſimilibus conſtans, odore cùm teritur graui uſtum cornu, ſimulq; putrida ouа referenti, qui etiam eo odore alioquin ſaluberrimum fontem ſub huius marmoris petra largis undis ſcaturientem inficit. Nam ieiuno ſtomacho hauſtus, ructus cit odorem & ſaporem ipſius lapidis referentes. Porrò hoc marmor ſine dubio eſt Ophitis ſpecies. Hinc colligitur, grauitatem non ad pondus, ſed ad odorem referendam eſſe, cùm aliàs ferè omnes lapides ponderoſi ſint. D

SPONGIARVM LAPIDES.

In Spongijs teſtacei inueniuntur lapides, qui in Pharmacopolijs adhuc habentur.

LITHOCOLLA.

LIthocolla gluten eſt, quo lapicidæ lapides fractos conglutinant. Germanicè Steinleim uocatur, cuius plures ſunt confectiones.

OSTRACITES.

OStracites Hildenshemij naſcitur ſubſtantia & aſperitate teſtas lateresq; imitatur, atq; percuſſus eorum modo reſonat, concretione planus eſt, ſibiipſi crebris ceu lateribus interpoſitus.

SMYRIS

A

SMYRIS LAPIS.

SMyris duritia Adamanti proximus est, ideoq; Gemmarij utroq; gemmas poliunt. Vitrum etiã cõfinditur. Germanicè Schmirgel/siue Schmirxil uocatur.

ARENA LITTORALIS.

Hoc loco intelligenda est Harena, quæ in marinis littoribus inuenitur.

COS NAXIA.

Naxiæ cotes in Cypro olim inueniebantur, nobis pro eis alias accipere licet, quæ simile habeant temperamentum.

GEODES LAPIS.

GEodes lapis Aëtite cognatus est. Quemadmodum enim Aëtites lapidem, Ita Geodes terram in se complectitur, propterea à Græcis γεώδης, & à Germanis Erdstein uocatur. Gignitur in Misnia non procul à Dresda, & in Saxonia prope Hildensheimam urbem.

TERRA. Caput XCIIII.

B

ERetria, Samia, lapis in Samia terra repertus, Chia & Selenusia terræ hodie omnino non asseruntur. Cimolia uerò Creta etiam appellatur, cuius duplex genus colore distinguitur. Est enim pure purascens altera, & candida altera, hanc Cretam Latini, & Germani Kreiden/siue Cnit appellãt. Affertur ex Anglia.

MARINAE TESTAE.

IN maritimis locis & littoribus ex salis aspersione, terra & calculis testacea corpora concrescunt, quæ Dioscorides hoc loco intelligt.

TERRA EX FORNACIBVS.

FOrnacum terra omnibus nota est, quam Germani Ofen leymen/siue Backofen leymen uocant. Non tamen intelligenda est terra, siue lutum ex quo fornaces fiunt, sed ea quæ iam in fornacibus longo tempore exusta est. C

MELIA TERRA.

EX Melo insula olim terra hæc in alias terras ferebatur. Nunc illi cognata quædam alia ex Tripoli Aphricæ affertur, temperamento, uiribus et substantia Meliam referens, qua Barbitonsores in extergendis peluibus utuntur. Ipsa tamen Hildesheimij inuenitur, ea substantia, colore, strepitu, & abstergendi ui, quibus hîc describitur. Plinius candidæ etiam meminit, quæ Melini nomine & ipsa ibidem reperitur.

AMPELITIS TERRA.

AMpelitis, siue Pharmacitis terra, Bituminosam habet substantiam, & gagatis modo crustacea est, & in assulas finditur. Scissilis talis apud nos etiam cum fossilibus carbonibus (quos gagatis speciem esse dixi) ex montibus eruitur Zuicauiæ in Misniæ finibus, & Aquisgrani in inferiori Germania à fabris lignarijs Schwartze kreide/id est, Nigra creta appellatur.

FVLIGO. Caput XCV.

D

ΑἸθάλη Græcis, Fuligo dicitur, Schminze Germanis. In primo libro de Fuligne dictũ est, quæ ex pinguibus rebus conficitur. Hoc uerò loco eam Fulignem intelligit Dioscorides, quæ in Vitrarijs Officinis ex siccis lignis flamma resolutis gignitur. Inuenitur etiam pinguis, lenta, & in nigras massas pici similes concreta Fuligo, maximè in rusticis ædibus, trabibus supra focum adhærens, quæ ex humidis lignis fit, & Germanis Rüß appellatur, acrimonia prædictam superans.

ATRAMENTVM LIBRARIVM. Caput XCVI.

Omnibus notum est quo scribimus Atramentum. Hodie tamen alia ratione fit, quàm qua Dioscorides docet.

Finis Annotationum Valerij Cordi in Dioscoridem.

EVRICII CORDI SIMESVSII, IVDICIVM DE HERBIS ET SIMPLICIBVS MEDICINAE: AC EORVM, QVAE APVD MEdicos controuertuntur, decisio & explicatio.

A.

Acacia uera non est agrestium Prunellorum succus, sed nascentis in Aegyptia cuiusdã spinæ fructus.

Acanthus, Branca ursina Romana, hodie ab Italis dicitur.

Aconitum alterum, id est, Lycoctonon, Wolffskraut.

Acorus non est Gladiolus ille nostrâs, luteis Lilijs.

Acutella, Dioscoridis est Ononis, Germanicè Hawhechel/ & Stallkraut.

Adianton, nõ est muraria Rutha, Germanicè Maurrauten.

Aegylops non est dicta Aquileia herba, sed fortè Auena, quam Virgilius sterilẽ cognominat. Festucago à Gaza uertitur.

Agrimonia hodie dicta, uerum est antiquorum Eupatorium.

Aiuga, id est, Chamepitys, quæ hodie Iua moschata dicitur, corrupto scilicet ab ibiga (quo item ab abiga est corraptum) nomine.

Alcæa fortè, quæ Germanicè Hochleuchten / & Stigmarskraut nominatur.

Alcibiadium fortè syluestris Buglossa: habet enim semen quasi uiperinum caput.

Alibium, id est, Inguinalis & Stellaria Bubonium q.

Alsine duplex, maior quæ Caprifolium & Matersylua: Minor, quæ altera Auricula muris dicitur.

Alysma, quod uulgares Herbarij Alineam corruptè uocant, Aquatica plantago est, alia tamen à Barba syluana.

Amarãthos duplex, purpurei scilicet et aurei floris: hæc Stechas citrina hodie dicta, illa Flos amoris.

Amaracus in Galeni simplicibus eadem Matricariæ, Meter/ Mütterkraut. Sic & Sampsychon cognominatur.

Ambubeia, agreste Cichorium, Wegwart/ Wegweise/ & Hindtleuff.

Amianton, uide Salamandra.

Amomum, Hierichuntis rosa, quæ ut sacrum spectaculum in natali Christi nocte, quasi tunc aperiatur, hactenus in Templis ostensa est.

Ampeloprason, uineale Porrum, Wild lauch.

Androsaces, fortè quæ hodie Cuscuta dicitur.

Androsæmon, ultima Hyperici species propriè dicitur.

Angelica apud Dioscoridem Smyrnion.

Antyrrhinon, herba quæ aliàs iam Grant dicitur. Et fortè eadem Cynocephalæa.

Aparine Germanicè Klebkraut.

Apios, herba quæ et Raphanus agrestis, rotunda radice.

Apium palustre, fortè Gierscа, uel Angelicæ species.

Arbutum, id est, Vnedo, quo etiam nomine Epimelis, id est, Sitanium, Mespilum dicitur.

Argallicum apud Aurelianum Symphytum est, id est, Walwurtz.

Aristolochia rotunda, non est quæ Germanicè Holewurtz appellatur, quòd historiæ minimè respondeat.

Armeniaca mala Germanicè Amarellen.

Aron omnibus eodem uulgo nomine cognita, cui Serpentaria in uiribus similis: non habet, ut Plinius tradit, magnam radicem.

Asa non est, ut hodie Medici putant, Laser seu Laserpitiũ, sed alius ueteribus fortè ignotus succus.

Asclepias falsò à quibusdam ea herba, quam uulgo Gundelreb dicunt, creditur.

Aseyron, est secũda species Hyperici, Perforata, quã uulgo Kunrat/ Harthaw/ & Vnserfrawen bettstro nominant.

Aspalathos, arbor ignota, quam Arabes Darsiscahan, seu Darsisahan uocant.

Aspergula Germanicè Liddegenge.

Asphodelo carent Germani Seplasiarij.

Asplenos, id est, Scolopendria, non tamen Ceruina lingua, sed quæ Arabicè Ceterach, et Germanicè Steinfarn uocatur.

Aster Atticus, est Inguinalis, quam malè apud Serapionem pro Eryngio accipiunt, nomine decepti Herbarij.

Auena Græcè Aegylops à Plinio dicitur.

Auricula muris, quæ Græcis, idem significante nomine, Myosotis dicitur, non est Pilosella, quam Germanicè Meußohr uocamus.

B.

Barocus fortè Galiopsis, Daube nesseln/ Binsaugen.

Bechion, Tußilago Latinè, Farfarella, & Vngula equina terrestris, Germanicè Eselshüff/ Brandlattich.

Behen, ignota antiquis Græcis radix.

Berwurtz fortè Daucus Creticus.

Ben apud Arabes idem Mirabolano, quam Dioscorides Myrepsicam cognominat.

Berberi fructus Spinæ, quæ Græcis Oxyacantha, id est, Acida spina dicitur, Germanicè Surich/ Erbsel.

Betlersleuse/ fortè Græcorum Xanthium.

Bitorta, quæ & Bistorta, nõ est, ut creditur, Serpentaria,

taria, imò plus ad Britannicam accedit.

Blattaria, species est Verbasci, non ita hirsutis, sed uiridioribus fòlijs.

Blitum Germanicè Benet: & est hæc uox à Latina uoce benedicta corrupta, Alia tamen est à Benedicta illa, quæ Cariophyllata dicitur.

Branca ursina, Romana herba est Topiaria, quæ Acanthus Græcè uocatur, & Pæderates: de qua Virgilius in Bucolicis.

Brassica uulgare olus, Germanicè Kôl.

Brassica marina, quæ à Medicis hodie Soldanella uocatur.

Britannica credi posset fortè eadem Bistortæ, quam falsò Serpentariam dicunt.

Bubonium, id est, Alibium, Inguinalis, Aster Atticus, Stellaria.

Bucranion à Galeno dicta, Antyrrhinos est.

Buglossæ hodie plures uocantur, uix tamen uera hîc cognoscitur, quã Leonicenus Cirsion putat, Syluestris fortè Echion, id est, Alcibiadion est.

Bulbus agrestis, Græcè Colchicon, Germa. Herbstblûmen.

Buphthalmus nõ est eadem cum Chrysanthemo, sed quæ uulgo Rûtill/id est, Vaccinum anethum dicitur, aliàs Cotula non fœtida.

C.

CAcalia eadem Cancano, & nõ diuersa, ut Aegineta putauit.

Calamus odoratus, fortè non hîc habetur, & qui sic hodie dicitur, fortè Acorus est.

Capsia, est quæ Zinziberina & Piperina dicitur, et fortè inter Nasturtij genera referenda.

Caputium hodie dictum olus, Germanicè Caputz/ Brassicæ genus est, quod Cumanum Plinius uocat, Sessile, fòlio & capite paululum, non tamen ubiq;, similiter prouenit.

Cardiaca, fortè Melissophyllo adnumerãda, uel Marrubij species.

Cardus panis, Eryngij species creditur.

Cariophylli flores antiquis ignoti.

Cataputia minor, Germanicè Lathyris: maior Cicinue Croton, Arabicè Cherua seu Kerua.

Catanance nõ est altera species Tormentillæ, seu Bistortæ.

Celtica nardus, non est illa Lauendula, quod quidam uolunt.

Centaurium maius est, quod Rhaponticum hodie putant. Ita uerum Rhaponticum hîc non habetur.

Centum capita etiam Arabicè, fortè Bubonium seu Aster Atticus dicitur. Vnde error, quod Aster Atticus in Serapione pro Eryngio credatur.

Centunculus, uulgaris herba, qua contra Tormina uentulæ utuntur, hinc Rodekraut/ uel Rhûrkraut/id est, Torminalis, Græcè Gnaphalium: quamuis Plinius difficilem eius historiam faciat.

Ceruina lingua, non est Scolopendria, sed ea herba, quam Dioscor. Phyllitida dicit: quamuis Leonicenus Cerninam linguam Hemionitida putet.

Ceterach, uide Scolopendria.

Chamædrys, nõ alia est à Chamærope, ut putauit Aegineta, nec à Gamandrea, ut uulgares ostendunt Herbarij: Herba notissima, quæ Germanicè Loge uel Gamanderlin uocatur.

Chamæleones non sunt, ut quidã putant, duo isti Cardui, quorum alter Vlhdistel/alter Marientdistel uocatur.

Chamæcissus, non uidetur esse, quæ uulgo Gundelreben dicitur.

Chamæcyparissus non est Cupressina, sed quæ Germanicè Cypressenkraut dicitur. Coronaria est herba.

Chamæpitys, id est, Aiuga, Abiga, Ibiga. Vnde Ibica, & dehinc paulatim Iua ab odore moschata dicta. In quo errant uulgares Herbarij.

Cheiri non sunt frigidæ, nec inter Murarias uiolas computari debent.

Chelidonion minus, uulgaris herba, in humidis locis in Maio tantùm conspicitur. Hinc Germanicè Meykraut. Saxones Scorbockskraut/ Hieronymus Feigwartzenkraut appellat.

Chrysanthæmon malè ab Hermolao Barbaro Buphthalmus creditur, est ea herba, quæ Germanicè Johans blûmen/ & Pferdsaug dicitur.

Cicerbita, id est, Sonchus Græcè, Germanicè Hasenkôl/quidam & Taraxacon putant.

Cichorium, Intybum syluestre, Wegweiß/Windtleuff.

Cici, uide Kerua.

Cicutæ semine malè hodie Medici pro Ruthæ syluestris semine utuntur: quamuis à Leoniceno erroris admoneantur.

Cirsion Græcè, quasi Varitaria creditur à Leoniceno esse, quæ Buglossa hodie.

Cissampelus, altera species Helxines, quæ Latinè Cõuoluulus, & Germa. Zaunglocken dicuntur.

Citrago, dubitatur an ea herba sit, quam aliàs Melissophyllon, & iam ubiq; Melissa creditur. Quoniam Apes ea non delectantur.

Colchicon, Bulbus agrestis, Germanicè Herbstblûmen/nõ est Narcissus, ut Brunfelsius putat, nec fortè Hermodactylus, licet id Serapio credat.

Columbinus pes, herba Rupertiana, species gruinæ herbæ, Germanicè Schartenkraut. Alia species Acus muschata dicitur, quæ maximo errore pro Amomo creditur.

Conuoluulus Zaunglocken/Græcè Cissampelus, & Helxine altera.

Conyza nõ est, ut Brunfelsij Tomi pingunt, quæ Germanicè Flôhekraut dicitur, nec Thymbra, ut putat Iacobus Manlius.

Cordumeni, Cardamomum, & Carui agreste.

Cornus, arbor, cuius fructus Dirlas uocant.

Coronopus non est hodie dicta Pes coruinus.
Corrigiola, Proserpinaca.
Cirenaicus succus, id est, Laser.
Crisson non est Senecio, ut totum fermè Medicorum uulgus credit, sed altera Sisymbrij species, quæ Cardamine, id est, Nasturciaria dicitur.
Croton, uide Kerua.
Cucumis agrestis, unde Elaterium, de quo autores uariant quod optimum sit.
Cunila fortè quæ hodie Serpyllum syluestre creditur, altera scilicet Thymbræ species.
Cupressina, non est Chamæcyparissus, sed Chamæpitys.
Cuscuta, fortè est Dioscoridæ Androsaces.

D.

DAmasonium, id est, Alysma, aquatica Planta go: non tamen quæ Barba syluana dicitur.
Darsisahan Arabum, Dioscoridæ est Aspalathus, & non Syluestris punica.
Darsisahan, id est, Aspalathos. Manardus Sandali speciem putat.
Daucus Creticus, fortè Berwurtz/ quæ hodie Meum creditur.
Delphinion dubitatur an sit Sene, ut quidam putant.
Dictamno uera caremus.
Dracunculus quæ Dracontia & Serpentaria & Colubrina, non est Bistorta, sed Aro similis.

E.

EBerwurtz/id est, Cardus panis, Eryngij species.
Echion, id est, Alcibia diu, syluestris Buglossa fortè.
Elaterium quod optimum & pessimum sit, autores uariant.
Endiuia corruptum ab Intybo est, nomen multarum Herbarũ, quæ omnes Seridis appellatione à Græcis comprehenduntur.
Epimelis Mespili species, Vnedo, teste Galeno, etiam Latinè dicta.
Equisetum fortè pro altera Sanguinali posset intelligi, cùm creditum hodie Equisetum historiæ non undiquaq; respondeat.
Erigeron non est Carduus benedictus, sed herba uulgaris, quæ Germanicè Creutzwurtz dicitur, Latinè Senecio, quo nomine malè Crissonem Medici uocant.
Erinos eadem Echino, ex quibus tamẽ Aegineta duas facit herbas.
Eryca, uulgaris frutex est, qui Heyde Germanicè uocatur.
Eryngij species non facilè nec temerè ab omnibus cognoscuntur, nec ubiq; inueniuntur.
Euphragia malè picta est in Brunfelsio, alia enim est quàm illa apparet.
Eupatorium antiquorum est ea, quæ hodie Agrimonia & inuersa Lappa dicitur.

F.

FAba nostrâs quid sit, multis argumentis dubitatur.
Faba mueca, Solanum somnificum creditur.
Flos amoris, alterum Amaranthum, purpureo scilicet flore.
Flos autumnalis, Colchicon, Bulbus agrestis.
Fraxinus malè à Pandectario uertitur, cùm Vlmus eo capite intelligi debeat.
Frugem, quæ Rocken dicitur, nõ rectè nominamus.

G.

GAliopsis fortè Barocum, quæ Germanicè Brnsaugen dicitur, Eadem fortè Vrtica fatua.
Galion herba uulgaris, minor quàm Aparine.
Gladiolus Dioscoridis in Germania non temerè nascitur, & non est aquatica illa herba, quæ hîc Schwertlen appellatur, sed in aruis inuenitur.
Gnaphalium, Latinè Centũculus, Germanicè Rode Kraut/uel Rhũrkraut/uulgaris in hortis & alijs laboratis locis herba, Albinus etiam dicta.
Gorgilon, quæ aliàs Tordylon, & Hordylon, Carui agreste, & à quibusdam Cordumeni dicitur, quo tamen nomine Cardamomum ab Arabibus uocatur.
Gossipium, hodie cum Arabibus Coton dicunt & Bõbacem, uulgo Baumwoll.
Gramen Græcis Agrostis aliud est à Polygonio, quod tamen etiam Gramen dicitur à Latinis.
Gummi Arabicum, Serapio Acaciæ succum putat, cùm Græci id non affirment. Imò apparet Gummi Arabicum fortè idem esse cum Tragacantha, quantum ad uires attinet.

H.

HAlicacabus species Solani, quæ Arabicè Alkekengi, Germanicè Boberellen / Judenkirssen uocatur.
Heliochrysos à Galeno Amaranthus dicitur, licet Aegineta duas has herbas putet. Est q; illa, quæ hodie Stichas citrina, & Germanicè Reinblũmẽ/ & Mũtterkraut uocatur. Malè quidam hanc inter Absynthij genera referunt.
Helxine, Parietaria, Vitrago, Vrceolaris est, non tamen ea herba, quæ luteis & similibus purpureis floribus insignis, Tag vnd nacht dicitur.
Hemionitis à Leoniceno Ceruina lingua creditur, cùm tamen Ceruina lingua Phyllitis sit, & non Scolopendria.
Herba Flaura, id est, Planta leonis, Græcè Oxytriphyllon, uel simpliciter Triphyllon, hoc est, Trifolium acutum, uel simpliciter Trifolium dicitur. Non est uulgare illud pratense, ut hactenus erratum est, Trifolium.
Herba Tunici à Magno Mediolanensi Polemonion Dioscoridis dicitur. Sunt tamen qui dictos Cariophyllos flores putent.

Herbst

Herbstblůmen Colchicon, Bulbus agrestis, non est Narcissus.

Hermodactylus, fortè alia est à Colchico, licet in Serapione hoc caput, Surugen scilicet, Hermodactylum in lemmate habeat.

Hawhechel uel Stallkraut/id est, Ononis, Acutella, Resta bouis, Remora aratri.

Hieracium duplex, Soncho similis herba, quæ à quibusdam Hasenkől & Genßdistel putatur, quas tamen ego Sonchos seu Cicerbitas puto.

Hippice herba famem sitimq; sedare dicitur.

Hipposelinon, grande Apium, species Angelicæ, uel Gierscа maior.

Hippuris, id est, Equina cauda, seu Equisetum, quasi ignorari uidetur.

Hordylon, uide Tordylon.

Hyacinthus non est, ut poëtæ fabulantur, Regum nomine inscriptus flos, sed quod Latinis Vaccinii dicitur: Vaccinium uerò non est Heydelber.

Hydropiper fortè eadem, quæ Persicaria mordax, quæ non habet maculas, à Plinio Piperitis & Siliquastrum dicta. Dubitatur an Piper aquæ, & Piper caninum idem sint: certè Auicenna separat.

Hypericon propriè dictum non est Perforata, seu herba Ioannis, seu Fuga dæmonis, licet & hæc Hypericon cognominatur, cùm proprio nomine Ascyros uocetur.

Hyssopus nostrâs non congruit descriptioni apud Dioscoridem, ut uidere est in capite Origani, & alibi. Nam in proprio capite non describitur.

I.

INdicus succus pro Asa accipi alicubi uidetur.

Inguinalis, id est, Aster Atticus, Bubonium, Alibium, stellaria, Sternkraut.

Intybum, commune est nomen omnium Herbarum, quæ Græcè Seridos appellatione comprehenduntur. Id uocabulum paulatim in Endiuiam deprauatum est.

Iua corruptum est ab Ibica (quod ab Ibiga, & idipsum ab Abiga deductum est) nomen, & est Chamæpitys: cognominatur hodie moschata, à bono scilicet odore. Sic nescientes quidam Medici Chamæpityn norunt: pro qua tamen hodie uarias alias herbas non rectè accipiunt.

K.

KErua seu Cherua, apud Serapionem, quæ Cataputia & Pentadactylus dicitur, Græcè Cici & Croton, Germanicè Wundelbaum. Hinc oleum Cicinum, & de Kerua.

L.

LAcerta alia bestiola est in Italia, quàm quæ hîc sic uocatur, quæ fortè Seps est.

Lamium, id est, Vrtica mortua cum albis floribus, fortè Galiopsis species.

Laser, Mumia Arabica uideri posset.

Latacen herbam qui habet, omnium rerum copia abundare creditur.

Lathyris, Cataputia minor, Germanicè Springwurtz/Saxonicè Creuceboum.

Latiua corruptè legitur apud Pandectarium, quasi alia à proxima sit, eadem enim ei est.

Lauandula non est, ut quidam putant, Nardus Celtica.

Laurus Alexandrina, id est, Vuularia, Bislingua, Germanicè Hauchblat.

Letura etiam ex Lathyride corrupta uox est apud Pandectarium, & eadem ei res est.

Lepidion, idem Scitaragi apud Serapionem.

Libanotis quidam Rosmarinus est, sed non quæ hodie sic dicitur. Altera Libanotis, coronaria scilicet, est nostrâs Rosmarinus, cuius species est Lauendula.

Lichnitis Verbasci species, quæ & Thryallis Græcè, Germanicè uerò Campulosen/seu Marien rosen uocatur.

Ligustrum nõ significat Conuoluulum, id est, Zaunglocken/ut literatores putant, sed frutex qui Rheinweiden/& Mundtholtz dicitur, Græcè Cypros: quamuis Leonicenus Cypron similem Ligustro fruticem dicat.

Limonium fortè ea est, quam hodie Pirolam Latini, Germani uerò Waldtmangolt/& Wintergrün uocant.

Linaria eadem est Vrinali, quã tamen uulgares Herbarij ab ea disiungunt. Eadem quoq; est Osiris, apud Dioscoridem Krottenflachs.

Lini genus apud Plinium, unde inextinguibilis tela fit, fortè Amianton est, lapis unde huiusmodi filа ducuntur.

Lysimachion, herba quæ Germanicè Weyderich/id est, Salicaria dicitur, credi possit, si acer eius fumus muscas necaret.

Lolium ignotum fortè nostratibus, non enim est quã uulgo Dorth appellant.

Lonchitis altera, similis Scolopendriæ, ex cuius figura, quæ Polypodio similis, apparet Scolopendriam non esse Ceruinam linguam.

Lunariam Fabam inuersam, id est, Somnificum solanum quidam dicunt.

Lycoctonon, id est, alterum Aconitum, Wolffskraut.

M.

MAiorana eadem Sampsycho ab omnibus dicitur, Germanicè Meyeran. Cognominatur etiam Amaracus: quo nomine tamen Matricaria dicitur à Galeno.

Malua hortulana hîc non ubiq; nascitur, sed rara uisu & quasi ignota est, Romana Malua dicitur, Römische Pappeln.

Mandragoras nõ est radix illa, quæ humana effigie

formata, ab Agyrthis non citra dolum magno uenditur.

Maron ignota hodie herba, Origano ferè congener.

Marrubium dicit Nicander etiam Melissophyllon seu Meliphyllon.

Matersyluia, id est, Periclymenon Græcorum, Latinè Caprifolium, Germanicè Lienenblümen/ Speckblien.

Melilotus uera ignoratur apud Seplasiarios nostros.

Melissophyllon, Apiastrum est. Sed an eadē sit, quæ hîc pro Melissa & Citragine ostenditur & creditur, dubitari potest: cùm Apes ea nihil oblectē tur, ei etiam florenti non insidcant.

Mentha non est frigida, nec absumit humanam genituram, ut Aristoteles falsò tradidit.

Millefolium, non est herbailla, quam hodie sic appel lamus in Germania.

Milium solis, id est, Lithospermon, Germa. Steinsame/ Merhirß.

Mirabolanus apud Dioscoridem alia est ab hodie uocatis Mirabolanis, quæ inter palmulas fortè referri possunt.

Mumiæ capite Serapio Pissasphalton describit ex Dioscoride.

Myaros & Myagros, malè ab Aegineta pro diuersis herbis creduntur, cùm eadem res sit.

Myrica, non est frutex quæ uulgo Heyde dicitur, sed eadem Tamarici, quam hodie Tamariscum dicunt. Eryca uerò Heyde uocatur.

N.

NArcissus non est autumnalis ille flos, ut Brunfelsius putat.

Nenufar, id est, Nymphæa, non habet Cicoreæ foliū, ut Apuleius tradit.

Neuras & Poterion idem est, quamuis Aegineta diuersas herbas crediderit.

Nigella non est herba, quæ Germanicè Raden dicitur, sed schwartz Kümmich/ uel schwartz Coriander Nigella est.

Nymphæa Nenufar hodie dicitur, Germanicè See blümē/ Wassermahn/ Saxonicè Seckenken.

O.

OEnagra Græcis à uino dicta herba, quòd eius odore homines exhilaret, & quasi gaudio inebriet.

Oenanthe, creditur à Brunfelsio Philipendula, sed historia non per omnia respondet. Hanc herbam dicit Vergilius Marcellus senus quam apud Dioscoridem legisse, cùm tamen eius caput interpretatus etiam scholijs suis ornârit. Est & Oenanthe Labruscæ flos.

Ononis, quæ Latinè Acutella, Resta bouis, & Remora aratri, Germanicè Hawhechel / & ab equitibus Stallkraut dicitur.

Ophthalmica, id est, Eufragia, seu Ocularia, Arabicè Adhil, Germanicè Augentrost/ Wegeleuchtē.

Non ueram Icona habet in Brunfelsianis Tomis.

Osiris respondet dictæ hodie Linariæ, quæ eadē Vrinalis est, Germanicè Wildflachs/ Krottenflachs.

P.

PAEderotes Græcis alter Acanthus, Latinè iam Branca ursina Romana.

Pæonia duplex est, masculaet fœmina, altera Men wenwurtzel/ altera Peonien. Vana est quorundam opinio, Pioniam & Pæoniam diuersas putantium.

Paliurus non est arbor illa, quam Germani Holsch uocant, si semen suū in siliquis fert, ut Theophrastus ait.

Papauer erraticum, Germanicè Wild mön/ Klapperrosen/ Komrosen/ in segetibus nascitur.

Parietaria etiam Partheuion cognominatur, & Helxinæ Græcis, Latinis etiam Vitraria: sed Vitrago & Vrceolaris dicta, non est herba quæ à luteis & simul purpureis floribus Tag vnd nacht appellatur.

Partheuion, commune multis herbis est nomen, quo hic Amaracus, id est, Matricaria significatur.

Pentaphyllon non est quam hodie sic uocant, imò eadem Tormentillæ, Germanicè Burckwurtz/ Blůtwurtz/ Saxonicè Heydeckern.

Perfoliata ueteribus fortè ignota, German. Durchwachs, non sua effigie apud Brunfelsiū picta est.

Persica & Persæa, diuersa sunt diuersarum arborū mala.

Persicaria mordax caret lituris, & est Piper aquaticū, Piperitis & Siliquastrum. Dioscorides Hydropiper uocat. Maximo errore pro Græcorum Conysa, id est, Pulicari accipitur.

Pes coruinus hodie dicta, & Pes cornicis ueterū, diuersæ herbæ sunt.

Petalitis idem significat Græcis, quod Phyllitis, & est reuera Ceruina lingua, quam hodie malè Scolopendriam putant.

Philipendula creditur à Brunfelsio Oenanthe herba Dioscoridis, sed foliorum historia non respōdet.

Phu nostrum, id est, Valeriana, non respondet historiæ Phu apud Dioscoridem, imò alia quædam magis, quæ Theriacaria, Theriacks Kraut in Hessia nominatur.

Phyllitis, reuera est Ceruina lingua. Alia à Scolopendria.

Piperitis dicta est in Persicaria, cui eadem est.

Pirola recentiorum, fortè Limonium Dioscoridis est.

Pisum non est quod uulgo Erbes dicitur.

Pityusa non uidetur Tripolium esse.

Planta Leonis & Trifolium uerum, de quo Medici intelligunt: aliter herba Flaura, seu Maura dicta.

Platanus fortè peregrina est Germaniæ arbor, quod si uerum est, tunc alia ab ea est, quæ Ahorn uulgo dicitur.

Polium

Polium malè Tinearia, quæ Stœchas citrina, id est, Heliochrysus est, à quibusdã creditur, nisi ipsum Polium etiam Tinearia herba sit.

Polygonatum, est quæ hodie Sigillum Salomonis seu Mariæ dicitur, Germanicè Weißwurtz.

Polygonion esse putant eam, quæ Germanicè Weggraß/ & Wegdritt uocatur.

Poterion & Neuras eadem est herba, diuersas tamen Acgineta credidit.

Pulegium nostrãs pro hortulano Serpyllo credi possit.

Pulegium syluestre, Wilde Poley.

Pulicaria conyza, pro qua malè Persicariam suprà dictam accipiunt.

Pyrgitis dicitur etiam Phyllitis, id est, Lingua ceruina, quòd ad radices turrium etiam nasci soleat. Malè admiscet Pandectarius huic Asplenu historiam.

Q.

QVinquefolium, Græcorum Pentaphyllum, Tormentill/Birckwurtz/ & non ea quam hodie Medici Quinquefolium uocant.

R.

RHa barbarum ponũt Arabes, ubi antiqui Rha ponticum habent: recentior & fortè alia à Rha pontico res est, de qua tamen expectantur Leoniceni & Manhardi disputationes.

Raphanus syluestris, etiam Apios Græcorum dicitur.

Rha ponticum uerum hîc non habetur, sed quæ pro eo uenditur radix, Centaurium maius est.

Remora aratri iam dicta, est Resta bouis, Remora aratri, Ononis Dioscoridis, Germanicè Hawhechel/ Stallkraut.

Rhœas Papauer, Rotrosen/ Klapperrosen.

Rotippen Saxonicè dicta herba, aliàs Accipitrina.

Rosmarinus, quam Dioscorides & ueteres Medici intelligunt, longè alia ab ea herba, quam nos Germanicè sic uocamus. Est tamen eadem herba prioris cognominis, & Rosmarinus coronaria.

Rubus caninus, Hagendorn/ Hagenbutten.

Rubus simpliciter, quem Græci Batum uocant, Bramber.

Rumex, herba quam uulgo Lapatium, doctiores uerò Lapathon uocant.

Ruscus, est quem medicorum tabernæ hodie Bruscũ uocant.

Ruthæ syluestris semen accipiendum est, ubi hodie Cicutæ semen accipiunt, periculoso errore.

S.

SAlamandra non continuò nec semper in igne uiuit, sed aliquantulum in eo durare potest, nec est adeò ignotũ animans: Imò illud quod Germanicè ein Olm uel Molch appellatur. Et falsum est ex eius pilis, quos nullos habet, inextinguibilem telam fieri. Nam huiusmodi materia est, uel ex Amiantho, uel ex quodam apud Plinium lini genere, si non & id Amiantho lapidi idem fuerit.

Saluia maior, seu syluestris, apud Theophrastum Spacelos.

Saluia uita, fortè muraria Rutha.

Sambucus Græcis rectè dicta, Germanicè Hollunder/ in quo frutice Hieronymus Brunf. errauit, & Iasminos flores Leucoia putans, cum ea miscuit, deceptus nominum uicinitate. Nam Iasminæ Violæ Leucoijs similes, Arabicè Zambac uel Zambach dicuntur.

Sanguinalis fœminæ historia, uidetur putato Equiseto etiam conuenire.

Sanguinalis, id est, Polygonion, Wegdritt/ Weggraß.

Sanicula fortè ignota ueteribus, & à recentioribus inuenta uulneraria herba, Germanicè Sanickel. Hanc falsò putauit Collinutius, contra Leonicenum, Pentaphyllon esse.

Sanct Peters kraut / si intelligitur quæ aliàs Tag vnd nacht uocatur, tunc erratur in hoc quòd Parietaria sit.

Satureia, Cunila hortulana, nota herba, Germanicè Saturey.

Scarlæa ignota fortè ueteribus herba.

Scincus id est, Crocodilus terrestris, quem Stincum uocant. Non est aquatica Lacerta, ut Seplasiarij putant.

Scolopendria non est Lingua ceruina, quòd tamen omnes ferè Medici putant, sed ea herba quæ olim Latinis Calcifraga, & iam Arabicè in tabernis Ceterach, Germanicè Steinfarn/ Spicant. Non omnes tamen Seplasiarij ueterum Ceterach habent.

Scordion, id est, Allium syluestre, fortè ea quæ Ramp Germanicè dicitur. Nascitur in saxosis montibus, odore Allij fortissimo. In hoc errant Seplasiarij, uel Scorodoprasum, uel Ampeloprasum accipientes.

Scorodoprason, Porrum alliatum, Wild lauch.

Scrophularia à Brunfelsio Galiopsis creditur: quàm uerè autem, dubitatur.

Secacul seu Sæcacul, aliud ab Eryngio esse uidetur.

Seitaragi quid sit, uariant autores, Lepidion tamen creditur.

Sene fortè ueteribus ignota, quamuis Delphinion apud Dioscoridem credatur: quod tamen caput in antiquissimis codicibus non legitur, neq; apud Galenum neq; Aegnetam inuenitur.

Senecio non est Cresson, quæ aliàs in Sysymbrij capite Cardamine dicitur: sed ea quæ uulgo Creutzwurtz uocatur, uulgaris & contempta herba.

Serpentaria, quæ hodie sic dicitur, omnino non est Dracontia (quod nomen in Draganteam corruptum est) apud Dioscoridem, sed altera species Tormentillæ, Bistorta scilicet.

Serpyllum

Serpyllum hortense non facilè hic noscitur.
Sideritis non est Verbena, licet sic cognominetur.
Sigillum Salomonis, id est, Polygonatum.
Siliquastrum Plinij idem Hydropiperi Dioscoridis, Persicariam mordacem illam esse credibile est.
Sium, id est, Lauer, fortè Wasserpungen/*Saxonicè* Lemmke.
Solanum furiosum dubitatur an sit herba, quæ Toll kraut *dicitur, cuius grana* Schlaffber *uocant.*
Soldanella hodie uocata, est Brassica marina apud Dioscoridem.
Sorba non sunt sylvestria illa mala, quæ Germanicè Holtzöpffel *dicimus, sed aliud genus.*
Sparganion Dioscoridis non est Tormentilla, ut credidit Alexander Benedictus.
Spartaniam herbam in ore ferentes famem & sitim sentire negantur.
Spacelus apud Theophrastum Saliua magna, seu agrestis.
Spinacia non est Blitum, ut quidam putant, sed à recentioribus inuenta fortè herba.
Stallkraut/*id est, Ononis, Resta bouis, Remora aratri,* Hawhechel.
Stellio non est bestiola, quæ Germanicè Olm/*seu* Molch *dicitur, nam hæc est Salamandra: Stellio uerò similis lacertis, sed ab Italis* Tarantula *dicta bestia.*
Stœchas citrina hodie dicta, est Amarantkum Galeni, Dioscoridis uerò Heliochrysos, Rheinblûmen/Mottenkraut/*Aurelia à Gaza uertitur. Malè à quibusdam inter Absinthij genera referuntur.*
Stratiotes herba illa, quæ hodie ubiq; hîc Millefoliũ *dicitur, quod quidem cognomen est, sed uerũ Millefolium alia est herba Stratiotes autem Germanicè* Garbe/Schaffsgarbe/Schaffsripp/*Saxonicè* Relike.
Superbiam interpretatur herba, cùm aliud non sit nomen, quàm Germani Hochmût *dicunt, congener fortè alteri Aconito, id est, Lycoctono.*
Symphyton maius, Solidago maior, Walwurtz/Schmerwurtz/Schwartzwurtz/grosse Beywel.

T.

Tag vnd nacht *non est Parietaria.*
Tamarix frutex ille, qui & Tamariscus hodie dicitur, Græcè Myrica: quo nomine nonnuerè fruticem Heyde *uocant.*
Tarantula, id est, Stellio, qui falsò apud nos Olm/*& Molch dicitur, cùm Salamandra sit. Est & aliud genus Tarantulæ.*
Theriacaria, uulgo hic Theriacks/*magis respondet historiæ Phu quàm Valeriana.*
Thryallis Verbasci species, quam Germanicè Campelosen/*& Marien rosen dicimus.*
Thymbra propriè Cunila rustica, quæ fortè eadem quæ hodie sylvestre Serpillum dicitur, Germanicè Cunel/Quenel/Quendel/*corrupto scilicet à Cunila nomine. Tamen & Satureia sic uocatur, sed hortulana.*
Tilia Dioscoridis, non est arbor quam nos Tiliam uocamus. Et dubitatur an eadem sit, quæ Ligustrum creditur, tam simili historia pingitur. Est & apud Theophrastum Tilia, cuius materia fabricæ expetitur, & ex cortice funes torquentur, quæ magis Tiliæ nostrati accedit, si non eadem est.
Tinearia à plerisq; dicta, citrina Stœchas.
Tordylon, quod & Hordylon gorgylónue, id est, Carui agreste.
Torminalis, id est, Centunculus, Albinus, Rodekraut/Rhürkraut/*Græcè Gnaphalium.*
Tragus apud Dioscoridem, fortè quam mulierculæ Hünerber *uocant.*
Tribulus marinus, seu Aquaticus, uulgo Wassernuß: *terrestris ferè ignoratur. Trichomanes altera species Capilli Veneris,* Widdertodt.
Trifolium quando scribunt Medici, non intelligunt illud uulgare ac pratense, longè enim alia ac rarior inuẽtu est herba, quæ aliàs hodie Planta Leonis, herba Flaura uel Maura dicitur, cuius recentis odor Rutham, consistentis bitumen olet.
Turbith fortè antiquis Græcis non cognita herba, quam quidam Pityusam, Serapio Tripolion Dioscoridis credidit, cùm fortè neutra, sed alia quædam sit.
Tussilago, id est, Farfarella, Græcorum Bechion, nõ est, ut Iacobus Manlius tradit, Vngula caballina aquatica. Nam hæc Nymphæa est: Tussilago uerò Germanicè Hüfflattich/Brandtlattich/Eselshüff.
Typha, Dioscoridæ herba palustris, quæ Germanicè Narrenkolben *dicitur.*

V.

Vaccinia *non sunt* Heydelber/*ut literatores apud Virgilium interpretantur, sed Vaccinium Hyacinthus est.*
Veratrum album malè in uulgaribus Herbarijs pingitur, cùm ea effigies magis Polygonato conueniat.
Veratrum nigrum dubitatur an Christwurtz *sit, quod tamen omnes uolunt Herbarij.*
Vermicularis si est, quæ hic apud nos Maurpfeffer *dicitur, ut uolunt, non est frigida herba, ut tamen de Vermiculari traditur.*
Vernilagines, id est, Chamæleones herbæ. In quibus utriq; turpiter erratur.
Verucaria, Scorpiuron, Heliotropium, non est, ut hodie creditur, Calendula. Dubitatur item quæ eadem Calendula sit.
Vetonica duplex. Altera quæ & Cestron dicitur, ubiq; uulgaris & nota. Altera non item,

Viola

Violæ quæ Græcis Leucoia, non bene cum nigris seu murarijs uiolis miscentur, quasi easdem qualitates & facultates habeant. Nam illæ calidæ, hæ uerò frigidæ sunt.

Viticella eadem Bryoniæ, contra uulgares Herbarios, qui eas separant.

Vitraria, seu Vitrago, id est, Parietaria.

Vnedo, id est, Arbutum, quãuis & Epimelida, id est, Setanium mespilum, Galenus sic à Latinis uocari testetur.

Vngula asinina, id est, Tussilago, Farfarella, Eselshüff/De qua in Tussilagine.

Vrceolaris eadem Parietariæ creditur.

Vrinalis, id est, Linaria, contra uulgares herbarios, qui has quasi duas disiungunt: Græcè Osiris dicitur.

Vuularia, bislingua herba est, quam Græci Laurum Alexandrinam uocant, Germanicè Hauchblat.

Waldtmeyster/herbula quæ malè pro Capriofolio apud Brunfelsium pingitur, cùm Caprifolium longè alia herba, imò quasi frutex sit, hodie Lienen blümen/Speck lilien dictus.

Walwurtz/Symphyton maius, Solidago maior.

Wasserdost/quædam herba quæ pro Eupatorio non rectè accipitur, cùm uerum Eupatorium Agrimonia iam dicta herba sit.

Wasserpungen/uel quod idē est, Bachpungen/Sium uocatur, & Lauer.

Wundelbaum/Cataputia maior, Cici, Croton, Ricinus, Kerua.

X.

Xanthion, fortè ex minoribus lappis herba illa (Betlersleuse dicimus) echinatum adeoq; retinacem fructum fert.

Z.

Zinziberina, Ingwerskraut/quam Arnoldus etiam Tapsiam (Capsiam fortè legi debet) uocari dicit. De qua dubitatur, an Scitaragi eadem uel congener sit.

FINIS.

HERBARVM NOMENCLATVRAE VARIARVM GENTIVM, DIOSCORIDI ADSCRIPTAE, SECVNDVM LITERARUM ORDINEM expositæ.

CONRAD. GESNERVS TIGVRINVS Lectori S.

OCCVRRVNT aliquando apud quosdam Medicinæ scriptores, Herbarum nomina inusitatiora, quorum multa intelligi posse in spem adducebar, si quis Dioscoridi adscripta uariarum gentium nomina per alphabeti ordinem cum interpretatione distribueret. Itaq; laborem illum mihi ipsi imposui, ut tibi candide Lector, quicquid in eo posset emolumenti cõtingere, communicarem. Certus quidem maximam partem huius nominum syluæ apud autores non extare: si quæ tamen uel pauca hinc disceres olim, labori te meo gratiam habiturum mihi pollicitus. Nam & in sterquilinio gemmas repertas contemptui habere non oportet. Exempli gratia: πολιώδες & à Scribonio Largo ad Epilepsiam & crapulam commendatur, eam ex hoc Elencho plantaginem esse deprehendes. Vale.

A.

Abiblabon, Hemerocalles.
Abiblabon Aphris, Lilium.
Abioton, Cicuta.
Absinthium, Abrotonum.
Absinthiomenon, Abrotonum.
Absinthium Ponticum Romanis, Abrotonum.
Abutonon, Abrotonum.
Acaron, Ruscus.
Acalyphe, Vrtica.
Acantha, Acanthium.
Acantha Romanis, Chrysanthemõ.
Acanthis, Spina Arabica.
Acapnon, Sampsuchum.
Acatalis, Iuniperus parua.
Acatera, Iuniperus magna.
Acaulon, Phyllitis.
Accyseton, Alyssum.
Achæosim Aphris, Tragion alterum.
Achamenin, Polium.
Achillion, Millefolium.
Achnepyros, Chamelæa, & Thymelæa.
Acidoton, Poterion.
Acontion, Capparis.
Acopon, Anagyris.
Acron syluaticum, Achillea.
Acrospelon, Bromos.
Acte agria, Ebulus.
Acte, Sambucus.
Actine, Bunium.
Acula Romanis, Scandix.
Acylonion, Lychnis coronaria.
Acyron, Alisma.
Adamas, Hyoscyamus.
Adamenon, Hyoscyamus.
Adeseton, Alyssum.

Adianton etiam Trichomanes significat.
Adice, Vrtica.
Adipsos, Glycyrrhiza.
Adocetos, Paronychia.
Adorium Syris, Gingidium.
Aegicon, Gramen.
Aegina, Periclymenum.
Aegitis, Anagallis purpurea.
Aegoceron, Fœnum græcum.
Aegonychon, Lithospermon.
Aegynos, Cicuta.
Aeluri sanguis Magis, Stratiotes aquaticus.
Aeluri gonos Magis, Buglossus.
Aeonion, Sedum maius.
Aëritis, Anagallis purpurea.
Aëtonychon, Leontopodium.
Actopi Aeg. Galeopsis.
Acura Phœnicos Magis, Abrotonum.
Agathides, Sampsuchum.
Agazyllon, herba ex qua Ammoniacum fit Thymiama.
Ageomoron, Cicuta.
Aglaophotis, Pæonia.
Agnacopon, Anagyris.
Agon Aeg. Intybum syluestre.
Agonon, Clymenum.
Agonon, Ruscus.
Agreste intubum Romanis, Lychnis syluestris.
Agria, Anemone.
Agria, Helxine.
Agria phacos, Lens palustris.
Agriocinnara, Spina alba.
Agrion, Peucedanum.
Agriophyllon, Peucedanum.
Agrioselinum, Hipposelinum.
Agrostis, Vitis alba.
Agrostis, Gramen.
Agynos, Agnos.
Aichryson, Sedum maius.
Aithales, Sedum maius.
Aiuga Latinis, Chamæpitys.
Aizoon syluestre, Portulaca syluestre.
Aizoon, Sedum.
Alba spina. Vide Spina alba.
Alba spina Romanis, Rhamnus.
Albinum, Gnaphalion.
Albucium Latinis, Halimus.
Albucum Latinis, Halimus.
Albucum Roma. Hastula Regia.
Album Helleborum, Sesamoides magnum.
Alcea, Alisma.
Alcibiacum Romanis, Echium.
Alcibiadion, Anchusa.
Alcibiadion, Echium.
Allelo Aegyp. Solanum hortense.
Alexandrina, Chamædaphne.
Alexandrina cucurbita, Colocynthis.
Alimon, Aron.
Alcetes, Mandragoras.
Aloschorodon, Capparis, quæ & Ophioscorodon.
Alsine, Auricula muris.
Althiocon, Althæa.
Althæa, Ocimastrum.
Aluolum Gall. Pulegium.
Amaracus, Sampsuchum.
Amaranthis, Ocimastrum.
Amarantos, Centaurium minus.
Amarantos, Chrysocome.
Amaurosis, Cicuta.
Amaxitis, Gramen.
Ambrosion, Sedum maius.
Ambuxum Roma. Clematis altera.
Isyphyllion, Gramen.
Amelxine, Helxine.
Ametros, Rubus.
Amictomiænon, Agnos.
Ammonos, Coronopus.
Amorgne, Helxine.
Ampelos Chironios, Vitis nigra.
Ampelocarpos uel potius Amphalocarpos, Aparine.
Ampetoron, Gnaphalion.
Amphibion, Aloë.
Amyros, Atractylis.
Anabasion, Hippuris.
Anabasis, Hippuris.
Anactorion, Gladiolus.
Anactorios, Artemisia.
Anagallis aquatilis, Lauer.
Anagyron, Anagyris.
Anangelos, Ruscus.
Anaphalin, Gnaphalion.
Anaphyston, Veratrum album.
Anarrhinon, Hippoglossum.
Anasphoron, Filix.
Anatctamenon, Helxine.
Anatolicon, Smilax aspera.
Anatolicon, Clymenum.
Anaxiton, Gnaphalion.
Ancetum Rom. Cucumer syluestris.
Anchinopa, Phœnix.
Anconglycys, Abrotonum.
Androsæmon, Hypericon siue syluestris Ruta.
Aneciaton Romanis, Anagallis.
Anemone, Leontopetalum.
Anemosphoron, Bunium.
Anepsa, Veratrum album.
Aniassexe Dacis, Onobrychis.
Anicoton, Smilax aspera.
Anicetum, Anethum.
Annon, Linum.
Annonis Aeg. Oreoselinon.
